

R. P. FERDINANDI
DE
CASTRO-PALAO,
LEGIONENSIS SOC. JESU,
SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS,
Et ſanctæ Inquiſitionis Qualificatoris & Conſultoris;

OPERIS MORALIS,
DE VIRTUTIBUS, ET VITIIS CONTRARIIS,
In Varios Tractatus, & Diſputationes Theologicas diſtributi,

Es de la Librería del Colegio de la Compª. de Ss. de Soria

PARS QUARTA,
DE SACRAMENTIS.

D. Thomas Aquin. de Lazaro


In qua Tractatibus decem de Sacramentis in genere, tum ſpeciatim, videlicet de Baptiſmo, Confirmatione, Euchariſtiâ ſpectatâ ut Sacramento, & ut ſacrificio: de Pœnitentia, de Suffragiis, Indulgentiis, & Jubilæo, de Bulla Cruciatæ, de Extrema-unctione, & demum de Ordinis Sacramento diſputatur.

RECENTIOR ET ACCURATIOR EDITIO,

CUI ACCESSIT INDEX LOCUPLETISSIMUS RERUM OMNIUM quæ in toto opere continentur, collocatus in fine TOMI QUARTI.

Operâ & ſtudio N. J. B. DANTOINE Lugdunenſis, J. V. Doctoris & in Parlamenti Curiâ Advocati.

Est. 32
Mod. 7
Vol. 10



LUGDUNI,
Sumptibus ANISSON, & JOANNIS POSUEL.

M. DCC.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

CUM PERMISSU SUPERIORUM.





INDEX

Tractatuum, Diſputationum, Punctorum, & Paragraphorum

HUJUS QUARTÆ PARTIS OPERIS MORALIS, de Virtutibus, & vitiis contrariis.

TRACTATUS XVIII.

Et Diſputatio unica,

De Sacramentis in communi.

DE nomine, & definitione Sacramenti in communi, & qualiter Sacramenta novæ legis à Sacramentis legis antiquæ differant. *punct.* 1
An Sacramenta neceſſaria ſint ad ſalutem. 2
De materia, & forma Sacramenti in communi. 3
De cauſa efficiente Sacramentorum quoad eorum inſtitutionem. 4
De efficiente Sacramentorum cauſa quoad eorum adminiſtrationem. 5
Qualiter probitas requiratur in conficientibus Sacramentalia, exercentibúſque Ordinis functiones, aliorúmque Sacramentorum uſum. 6
Qualiter gratia juſtificans per Sacramenta concedatur. 7
Qualiter, & quando prædictos effectus Sacramenta operentur. 8
An Sacramenta cum fictione ſuſcepta recedente fictione ſuos effectus operentur, ac ſi ritè ſuſcepta eſſent. 9
Quæ diſpoſitio requiſita ſit ad removendam Sacramenti fictionem, ut Sacramenta ſuos effectus operentur. 10
De charactere effectu proprio aliquorum Sacramentorum. 11
Quod ſit Sacramenti ſubjectum, quamque intentionem habere debeas, ut validè Sacramenta recipias. 12
Quam diſpoſitionem habere debes, ut licitè Sacramenta ſuſcipias. 13
An carenti debita diſpoſitione ad Sacramenti effectus ſuſcipiendos Sacramentum miniſtrandum ſit? 14
Qualiter licitum ſit Sacramentum recipere, & petere ab indigno miniſtro. 15
De numero, & ordine Sacramentorum, & ritibus ſervandis in eorum adminiſtratione. 16

TRACTATUS XIX.

Et Diſputatio unica,

De Sacramento Baptiſmi.

DE Baptiſmi nomine, ejúſque definitione. *punct.* 1
De tempore quo hoc Sacramentum inſtitutum eſt, & de differentia ejus à Joannis Baptiſmo. 2
De materia remota Baptiſmi. 3
De materia proxima Baptiſmi. 4
De forma Baptiſmi. 5
De ſubjecto Baptiſmi. 6
Quæ diſpoſitio in ſuſcipiente Baptiſmum requiratur. 7
Qualiter Baptiſmus neceſſarius ſit ad ſalutem. 8
De miniſtro Baptiſmi. 9
De effectibus Baptiſmi. 10
De patrinis in Baptiſmo adhibendis. 11
Quod ſit patrini munus, & obligatio, & qui in patrinos deſignari poſſint. §. 1
Quot patrini deſignandi ſunt, & qualiter ſe gerere debent. §. 2
De ritibus, & cæremoniis in Baptiſmo ſolemni ſervandis. 12
De unitate Baptiſmi. 13
De Baptiſmo Sanguinis, ſeu de martyrio. 14
Qualiter parvuli martyrio juſtificari poſſint. §. 1
Qualiter adulti martyrio juſtificentur, & ad illud ſuſcipiendum ſint diſponendi. §. 2

TRACTATUS XX.

Et Diſputatio unica,

De Sacramento Confirmationis.

AN Confirmatio ſit Sacramentum novæ legis à Chriſto Domino inſtitutum? *punct.* 1
De materia remota Confirmationis. 2
Quæ ſit materia proxima Confirmationis. 3
Utrum hoc Sacramentum, ſub chriſmatis unctione ſemper

ſemper in Eccleſia miniſtratum fuerit? 4
Quæ ſit forma Sacramenti Confirmationis. 5
Qui ſint Confirmationis effectus. 6
Quibus Confirmatio miniſtrari poſſit, & debeat. 7
An, & qualis ſit obligatio ſuſcipiendi Confirmationem? 8
Quid ſit Confirmationis miniſter. 9
Quibus cæremoniis Sacramentum Confirmationis miniſtrandum eſt. 10

TRACTATUS XXI.

Et Diſputatio, unica.

De venerabili Euchariſtiæ Sacramento.

DE nomine & inſtitutione Euchariſtiæ. *punct.* 1
De natura Euchariſtiæ. 2
De neceſſitate Euchariſtiæ ad ſalutem. 3
Quæ ſit materia remota conſecrationis. 4
De mixtione aquæ pro conſecratione Calicis. 5
Quæ intentio in miniſtro, & quæ præſentia, & quantitas in materia requiratur, ut conſecratio valeat, licitaque ſit. 6
De forma conficiente hoc venerabile Sacramentum. 7
Qualiter Chriſtus dominus in hoc Sacramento conſtituatur, præſens exiſtat, operetur, & à fidelibus adoretur. 8
Qui ſint hujus Sacramenti effectus. 9
Expenditur primarius Sacramenti effectus. §. 1
Expenduntur reliqui Euchariſtiæ effectus. §. 2
Qui ſint hujus Sacramenti ſuſceptores. 10
De diſpoſitione ex parte animæ ad hoc Sacramentum ritè ſuſcipiendum. 11
De confeſſione Communioni præmittenda. 12
De diſpoſitione ex parte corporis ad Sacramenti communionem. 13
De obligatione ſumendi Euchariſtiam ex divino præcepto. 14
De obligatione ſuſcipiendi Euchariſtiam ex præcepto Eccleſiaſtico. 15
De uſu, & frequentia, qua ſacra Euchariſtia ſuſcipienda eſt. 16
De miniſtro Euchariſtiæ quoad illius conſecrationem. 17
De juriſdictione, aliiſque conditionibus requiſitis pro ſacræ Euchariſtiæ miniſtratione. 18
De facultate religioſis conceſſa pro miniſtratione Euchariſtiæ. 19
De obligatione, quam Sacerdotes habent miniſtrandi Euchariſtiam. 20

TRACTATUS XXII.

Et Diſputatio unica,

De Euchariſtiæ ſacrificio.

AN in confectione Euchariſtiæ vera ratio ſacrificii inveniatur. *punct.* 1
An in ſola confectione Euchariſtiæ ſub una, vel duplici ſpecie vera ratio ſacrificii ſita ſit? 2
De ſacrificio, quod Chriſtus in ultima cœna, & in ara crucis obtulit, & horum cum ſacrificio Miſſæ comparatione. 3
Quæ ſint offerentes in ſacrificio Miſſæ. 4
Pro quibus offerri poſſit, & debeat Miſſæ ſacrificium. 5
Quos effectus habeat Miſſæ ſacrificium, & quam intentionem, & applicationem, ſacerdos habere debeat, ut prædicti effectus obtineantur. 6
Quibus diebus, & qua hora licitum ſit ſacerdotibus celebrare. 7
De loco ad ſacrificium requiſito. 8
De altari neceſſario ad ſacrificium. 9
De ornatu altaris, vaſis, & ſacris ad celebrationem requiſitis. 10
De obſervandis in celebratione Miſſarum. 11
De obligatione celebrandi ob ordinem acceptum. 12
De obligatione faciendi ſacrum titulo capellaniæ, vel beneficii ſimplicis, & curati. 13
De obligatione ſacrificandi ob promiſſionem ſimplicem, vel ſtipendium acceptum. 14
Qualiter Pontifex, & religionum Prælati, & regis conſiliarii ſtipendia taxare poſſint, & juxta eam taxationem, Miſſarum numerum diminuere. 15
De præcepto audiendi ſacrum feſtis diebus. 16
De cauſis excuſantibus à præcepto audiendi ſacrũ. 17

TRACTATUS XXIII.

Et Diſputatio unica,

De Pœnitentiæ Sacramento.

DE nomine, & natura Pœnitentiæ quatenus eſt virtus. *punct.* 1
Qualiter Pœnitentiæ virtus, peccatum, tam mortale, quam veniale remittat. 2
Qualiter pœnitentiæ virtus omnibus adultis neceſſaria ſit. 3
De Sacramenti pœnitentiæ inſtitutione, & neceſſitate. 4
De forma Sacramenti pœnitentiæ. 5
De materia remota Sacramenti pœnitentiæ. 6
De contritione proxima Sacramenti pœnitentiæ materia. 7
De confeſſione proxima Sacramenti materia. 8
De integritate confeſſioni requiſita. 9
Expenduntur caſus, qui ſecundùm communem ſententiam integritati confeſſionis culpabiliter obſtant. 10
Expenduntur communiores caſus, in quibus integritas confeſſionis non eſt ex obligatione ſervanda. 11
Qualiter confeſſio valida ſit, & repetenda. 12
De miniſtro Sacramenti pœnitentiæ, & juriſdictione ad illius miniſtrationem requiſita. 13
Quibus modis delegetur juriſdictio ad audiendas confeſſiones, & ſpecialiter de religioſorum privilegiis. 14
De caſuum reſervatione. 15
Quo jure, quæ peccata, & à quibus reſervari poſſint. §. 1
Quæ peccata reſervata ſint tum à Pontifice, tum ab Epiſcopis, tum à Prælatis regularibus. §. 2
Expenduntur caſus ſpecialiter in ſocietate Jeſu reſervati. §. 3
Quis poſſit directè à prædictis peccatis reſervatis abſolvere. §. 4
Qualiter Prælatus cui ſunt caſus reſervati ſe gerere debeat tum in abſolutione concedenda, tum in ea deleganda. §. 5
Qualiter ex confeſſione facta habenti poteſtatem abſolvendi à reſervatis ceſſet reſervatio, ita ut pœnitens poſſit ea peccata fateri ſacerdoti juriſdictionem habenti in peccata non reſervata. §. 6
Qualiter confeſſarius inferior poteſtate carens in reſervata ſe gerere debet, cùm pœnitens accedit. §. 7

De

De bonitate, & ſcientia, quam confeſſarius habere debet. 16
De approbatione requiſita in confeſſario. 17
Quid ſit approbatio, qualiter concedi debeat, & quæ ejus neceſſitas. §. 1
Quæ perſonæ & ad quas confeſſiones excipiendas prædicta approbatione indigeant. §. 2
Qui poſſint, & debeant approbationem concedere. § 3
Quouſque approbatio duret, revocarique poſſit. §. 4
De officio, & obligatione miniſtri in Sacramenti pœnitentiæ adminiſtratione. 18
De obligationibus antecedentibus Sacramenti adminiſtrationem. §. 1
De obligationibus occurrentibus in Sacramenti adminiſtratione. §. 2
De obligationibus poſt Sacramenti adminiſtrationem. §. 3
De ſigillo confeſſionis. 19
Quid ſit ſigillum, & qualis ejus obligatio. §. 1
Ex qua confeſſione, & ad quæ ſacrum ſigillum extendatur. §. 2
Qualiter ſacrum ſigillum ſervandum ſit. §. 3
Qui teneantur confeſſionis ſigillo. §. 4
De obligatione confeſſionis ex divino, Eccleſiaſticoque præcepto. 20
Quæ perſonæ, & quo tempore ex divino præcepto ad confeſſionem teneantur. §. 1
Quæ perſonæ, & quo tempore ad confeſſionem ex Eccleſiaſtico præcepto teneantur. §. 2
Qua confeſſione fiat ſatis præcepto lato in *cap. omnis utriuſque ſexus*, & de cauſis excuſantibus à pœnis ob illius tranſgreſſionem. §. 3
De ſatisfactione peccatorum. 21
De ſatisfactione abſolutè ſumpta, & abſque ordine ad Sacramentum. §. 1
De ſatisfactione Sacramentali, & obligatione ſacerdotis illam imponendi. §. 2
Quæ, qualiter, & quanta ſatiſfactio imponenda ſit. §. 3
De obligatione pœnitentis acceptandi pœnitentiam, illamque exequendi. §. 4
De commutatione pœnitentiæ injunctæ, de cauſis excuſantibus ab illa. §. *ult.*

TRACTATUS XXIV.

Et Diſputatio unica,

De ſuffragiis, Indulgentiis, & Jubilæo.

DE ſuffragiis, quæ in fidelium vivorum, & defunctorum favorem præſtari poſſunt. *punct.* 1
Qualiter noſtris bonis operibus, poſſumus fidelibus viventibus ſuffragari. §. 1
Qualiter defunctis poſſimus noſtris bonis operibus ſuffragari. §. 2
Quæ conditiones requirantur ex parte ejus, cui ſuffragium applicatur, ut illi proſit. §. 3
Expenduntur conditiones requiſitæ in offerente ſuffragium, ut utile ſit. §. 4
De nomine, & natura indulgentiarum. 2
Quotuplex ſit indulgentia, & quam effectum habeat. 3
De forma ſervanda in indulgentiæ conceſſione, & de ejus interpretatione. 4
Qui poſſint indulgentias concedere. 5
Expenduntur alii, de quibus eſt aliqua dubitatio, an poſſint indulgentias concedere. 6
De cauſa ad Indulgentiæ conceſſionem requiſita. 7
De conditionibus requiſitis in eo, qui lucraturus eſt indulgentias. 8
Expenditur conditio requiſita ad indulgentiæ conceſſionem, quæ eſt de opere injuncto. 9
Qualiter Indulgentiæ defunctis applicari poſſint. 10
De ceſſatione Indulgentiæ. 11
De Jubilæo Romano, Compoſtellano, & extraordinario. 12
De natura, & origine Jubilæi, & explicatur Romanus Jubilæus. §. 1
Compoſtellanus Jubilæus explicatur. §. 2
De Jubilæo extraordinario, qui pro duabus hebdomadis conceditur. §. 3

TRACTATUS XXV.

Et Diſputatio unica,

De Bulla Cruciatæ.

QUid nomine Bullæ Indulgentiæ, privilegii, facultatis, & gratiæ ſignificetur. *punct.* 1
Quibus Bulla proſit, & quas conditiones habere debeant. 2
De tempore, quo Bulla Cruciatæ ſumentibus proſit. 3
De Indulgentia plenaria, quæ in Bulla conceditur. 4
De aliis Indulgentiis, & ſpiritualibus commodis in Bulla contentis. 5
De privilegiis tempore interdicti conceſſis. 6
De privilegio circa cibos vetitos. 7
Explicatur privilegium de eſu carnium tempore prohibito. §. 1
Expenditur privilegium de eſu lacticiniorum, & ovorum. §. 2
De facultate eligendi confeſſorem. 8
Quis confeſſarius, & qualiter abſolvere poſſit à peccatis reſervatis habentem Bullam. §. 1
An religioſi aliorum ordinum à Societate virtute Bullæ abſolvi poſſint à peccatis eorum ſuperioribus reſervatis. §. 2
Quid dicendum eſt de religioſis Societ. Jeſu quoad eligendum confeſſorem virtute Cruciatæ. §. 3
De facultate confeſſarii abſolvendi à cenſuris, & pœnis. §. 4
Qualiter abſolutio à cenſuris impendi debeat. §. 5
De facultate conceſſa in Bulla commutandi vota. 9
De ſuſpenſione, & revalidatione indulgentiarum & facultate facta à commiſſario. 10
De aliis facultatibus, quæ in Bulla Cruciatæ commiſſario conceduntur. 11
De Bulla Cruciatæ pro defunctis conceſſa. 12
De Bulla Cruciatæ, quæ vocatur compoſitionis. 13
Qualiter debitorum incertorum virtute hujus conceſſionis fiat remiſſio. §. 1
Expenduntur ſigillatim caſus, in quibus locum habet prædicta compoſitio. §. 2

TRACTATUS XXVI

Et Diſputatio unica,

De Sacramento Extremæ-unctionis.

DE nomine, inſtitutione, & natura Extremæunctionis. 1
Quæ ſit materia remota hujus Sacramenti. 2
Quæ ſit proxima hujus Sacramenti materia. 3

Quæ sit legitima forma hujus Sacramenti. 4
De effectu hujus Sacramenti. 5
De subjecto seu suscipiente unctionem. 6
De ministro unctionis. 7
De obligatione tum fidelium suscipiendi hoc Sacramentum, tum parochi illud ministrandi, & de ritibus observandis in illius administratione. 8

TRACTATUS XXVII.

& Disputatio unica,

De Sacramento Ordinis.

DE nomine, & natura ordinis, ejusque institutione. *punct.1*
Quotuplex sit ordo, & quæ ejus officia. 2
An omnes prædicti ordines, tam majores, quam minores sint Sacramentum. 3
De materia, & forma singulorum ordinum. 4
Quis sit effectus Sacramenti Ordinis, & quam ab aliis Sacramentis, & inter se dependentiam habeat. 5
De subjecto ordinum, seu de ordinandis. 6
De ætate ordinandorum. 7
De qualitate ordinandorum quoad mores, & scientiam. 8
De qualitate ordinandorum quoad vitæ necessaria. 9
De qualitate beneficii requisita ad ordines. 10
De qualitate patrimonii, seu pensionis pro necessaria sustentatione ordinandorum requisiti. 11
Quas pœnas incurrat promovens ad ordines absque titulo sufficienti, & ipse promotus. 12
De temporibus ordinationum. 13
De ministro requisito ad validam ordinationem. 14
Qui sit minister ordinationis licitæ, & legitimæ. 15
Qualiter ordinatis permittendus sit usus ordinationis susceptæ. 16
De obligatione continentiæ sacris ordinibus annexæ. 17
De aliis obligationibus clericorum, & eorum exemptione. 18

APROBATIO M. FR. DOMINICI VELEZ, ex Auguſtiniana familia.

A Curatè vidi hoc Opus Sapientiſſimi Patris Ferdinandi de Caſtro-Palao Legionenſis, decreto Domini, Domini Ildefonſi Flores de Valdez, apud Salmanticenſes collegas Sancti Pelazii Rectoris, & in hac Metimnenſi Abbatia pro Domino Epiſcopo Valliſoletano Generali Vicario, mihi commiſſum. In eo Author, obvia pertranſiens, difficiliora & minùs trita diligenter congeſſit, digeſſit utiliter. De aliorum placitis grave judicium, quod fert proprium, forti ratione tuetur: Utrique foro neceſſarius liber eſt: & qui improbo non pepercit labori. Et ita pollet acumine, ut cuilibet, qui poſſit occurrere, caſui præſtius occurrat. Quapropter opus ſuo Authore dignum, & quod in tot, necnon tantorum librorum multitudine, qui de hiſce materiis agunt, ſanè deerat. Metimnæ del Campo, in conventu S. Patris N. Auguſtini, die 28. menſis Julii, Anni 1630.

Fr. DOMINICUS VELEZ.

Facultas Domini Vicarii Metimnenſis.

Viſa hac cenſura P. M. Fr. Dominici Velez Ordinis S. Auguſtini, cui examinandum commiſimus librum dictum: *Operis moralis, Pars quarta de Sacramentis*; à P. Ferdinando de Caſtro Societatis JESU in Collegio Metimnenſi Rectore, elaborati: Facultatem concedimus, ut in communem utilitatem typis mandetur præmiſſis iis quæ Hiſpaniæ jura præſcribunt. In quorum fidem, hoc noſtra, & infrà ſcripti Vicarii manu ſignatum, inſtrumentum dedimus. Metimnæ del Campo, die 29. menſis Julii, Anni 1630.

Licenciatus ILDEFONSUS FLORES DE VALDEZ.
De mandato Vicarii Metimnenſis,
PETRUS DE AVENDANO.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS Societatis JESU *in Provincia Caſtellana.*

EGo Gaſpar de Vegas Præpoſitus Provincialis Societatis JESU in Caſtellana Provincia, poteſtate ad id mihi facta à Reverendo admodum Patre Mutio Vitelleſchi Præpoſito noſtro Generali facultatem facio, ut Tomus Quartus de Sacramentis, à Patre Ferdinando de Caſtro-Palao noſtræ Societatis Sacræ Theologiæ Profeſſore compoſitus, & ejuſdem Societatis gravium, doctorúmque hominum judicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Metimnæ 8. Julii, Anni 1630.

GASPAR DE VEGAS Provincialis.
JOANNES DE LIGANA Sec.

APPROBATIO.

JOANNES CLAUDIUS DEVILLE, in ſacra Theologia Doctor, Cuſtos ſanctæ Crucis, in Eccleſia Lugdunenſi, & in hac Diœceſi Vicarius Generalis ſubſtitutus Domini, D. Alphonſi Ludovici du Pleſſis de Richelieu, Eminentiſſimi Cardinalis, Archiepiſcopi & Comitis, Lugdunenſis: fidem facimus nos hanc Quartam Partem Operis Moralis de Sacramentis, in varios Tractatus & Diſputationes Theologicas diſtributam, à R. P. Ferdinando de Caſtro Societatis JESU compoſitam, evolviſſe, omniáque in ea juxta Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ Eccleſiæ, Sanctorumque Patrum ſanam doctrinam, ſumma cum eruditione, ſingularis ingenii acumine, & eximia mentis perſpicuitate expoſita, comprobata eſſe. Lugduni, Non. Januarii 1635.

DEVILLE.

NOs quoque ſubſignati Doctores, Pariſienſes fidem eandem facimus, & atteſtamur omnibus ad quos quomodocunque ſpectabit, præfatam Quartam Partem Operis Moralis de Sacramentis, in varios Tractatus & Diſputationes Theologicas diſtributam, à R. P. Ferdinando de Caſtro Societatis JESU compoſitam, vidiſſe, & nihil in ea reperientes fide indignum Catholica, ut in lucem ederetur dignam judicaſſe. Lugduni, in Conventu S. Bonaventuræ, die 4. menſis Februarii, Anni Domini. 1635.

Fr. DESIDERIUS RICHARD,
Guardianus præfati Conventus.
Fr. BERNARDINUS MOLLIASSON,

APPRO

APPROBATIO.

NOs infra ſcripti Societatis JESU Theologi fidem facimus legiſſe hanc Quartam *Operis Moralis partem à R. P. Ferdinando de Caſtro-Palao, de eadem Societate noſtra Theologo elaboratam*; atque nihil in eâ comperiſſe, quod à Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ Eccleſiæ ſenſis, & à ſanâ ſanctorum Patrum doctrinâ foret alienum. Proinde dignam teſtamur, quæ in communem utilitatem typis mandetur. Lugduni, 27. Octobris, 1646.

CAROLUS DU-LIEU.

JOANNES FERRAND.

Facultas R.P. Provincialis Societatis JESU, *in Provincia Lugdunenſi.*

CLAUDIUS MAUCLER, Provincialis Societatis JESU, in Provincia Lugdunenſi, juxta Privilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maii 1583. Henrico IV. 20. Decemb. 1606. & Ludovico XIII. 14. Febr. 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab ejuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum permiſſione imprimant: permittit Claudio Proſt, & Joanni Baptiſtæ Devenet, ut Librum cui inſcriptio eſt *Operis Moralis de Virtutibus & Vitiis contrariis in varios Tractatus & Diſputationes Theologicas diſtributi Pars quarta de Sacramentis in genere & ſpecie, authore P. Ferdinando de Caſtro-Palao, Legionenſi Societatis* JESU, Sacræ Theologiæ Profeſſore & ſanctæ Inquiſit. Qualificatore, & Conſultore, ad ſex proximos annos imprimere, ac liberè divendere poſſint. Datum Lugduni 5. Novemb. 1646.

CLAUDIUS MAUCLER.

SUMMA PRIVILEGII REGIS.

CAutum eſt auctoritate Regis, ne quis in Regno ſuo aliiſve locis ſuæ ditioni ſubjectis intra decem proximos annos imprimat aut divendat Librum cui titulus eſt, R. P. FERDINANDI DE CASTRO-PALAO OPUS MORALE, ſeptem Tomis comprehenſum abſque GULIELMI BARBIER conſenſu mulctâ indictâ qui ſecus fecerit; prout fuſius in diplomate Regio continetur. Datum Pariſiis, die 18. Junii 1682.

De mandato Regis.

LE PETIT.

OPUS

TRACTATUS XVIII.

ET

DISPUTATIO UNICA,

DE SACRAMENTIS IN COMMUNI.

HAC TERTIA PARTE NOSTRI OPERIS MORALIS absolvemus explicationem illorum, quæ religionis virtuti annectuntur. Hæc sunt Sacramenta, ecclesiasticæque Censuræ, Indulgentiæ, & Jubilæa præcipuè in Bula, quæ Cruciata *vocatur concessa. Sed antequam Sacramenta in specie explicemus, expedit enodare, quæ omnibus sacramentis communia sunt, sicut fecit.* D. Thom. 3.p. à q.60. usque ad *66. quem ejus commentatores sequuntur.*

Punctum I.

DE NOMINE ET DEFINITIONE Sacramenti in communi. Et qualiter Sacramenta novæ legis à Sacramentis legis antiquæ differant.

1. *Sacramenti nomen expenditur.*
2. *Definitur Sacramentum, qualiter in præsenti usurpatur. Explicatur definitio.*
3. *Ad Sacramenti rationem debet esse signum permanens.*
4. *Debet esse signum practicum alicujus sanctitatis.*
5. *Qualiter Sacramentum à sacrificio differat.*
6. *Explicatur discrimen Sacramentorum novæ legis à Sacramentis legis antiquæ, & specialiter à Sacramento circumcisionis.*
7. *Ratio Sacramenti univoca est Sacramentis legis novæ, & antiquæ ex parte significationis, analoga tamen ex parte rei immediatè significatæ.*

1. SI nomen Sacramenti spectemus, Sacramentum à sacro ducitur, variasque acceptiones habet. Duæ sunt potissimæ apud veteres, profanósque authores teste Ambr. Calepino, *verbo Sacramentum.* Prima est, qua significatur pecunia apud Pontificem in loco sacro deposita à litigantibus ea conditione, ut qui à causa caderet, pecuniam amitteret ærario publico applicandam. Sic Varro, *lib.4. de lingua Latina*, Secunda significat juramentum, vel quod juramento firmatum est, teste Festo, & Ugetio *de re militari, lib.2.* & in hac significatione passim usurpatur Sacramentum in jure canonico, & civili, ut constat ex *cap. si Sacramenta, 22. q. 4. Auth. Sacramenta puberum. cd. si adversus C. vendit.* Verùm apud Ecclesiasticos Doctores Sacramentum idem est, ac apud Græcos mysterium, ut constat ex illo Job. 12. *n.7.* Dan. 2. *num.30.* Apocal. 17. num.7. ubi Hieron. Sacramentum vocat, quod apud Græcos mysterium est appellatum. Mysterium apud Græcos est idem quod sacrum secretum, ut constat ex illo Sapientiæ 2. *Nescierunt Sacramentum Dei.* Ad Ephes.1. *Ut notum faceret Sacramentum voluntatis suæ* & 1. ad Timoth.3. *Magnum est pietatis Sacramentum.* Hinc factum est ut Sacramentum vocentur res, seu verba occultum quid divinum, & supernaturale, quo quis Deo sacratur significantia, ut latiùs prosequitur Bellarm. *lib.1. de Sacram. cap.8.* Suar. *t.3. in 3.p. q.60. in præfat.* Ægid. de Coninch. ibi *art.1.* Paul Laymann. *lib.5. sum. tract.1.* Gregor. Sayr. *t.1. de Sacram. lib.1. cap.1. art.1.*

2. Sacramentum in hac posteriori acceptione sumitur in præsenti, & sic sumptum definitur à Magistro sentent. *in 4. dist. 1.* & à D. Thom. *3.p. q.60. artic.2.* & 3. quos reliqui Doctores sequuntur, ut sit visibile signum gratiæ ad populum Dei sanctificandum divinitùs institutum Dicitur visibile signum, quia sensibus corporis percipitur, ut dixit D. Thom. *q.60. art.4.* Debet autem esse signum visibile, quia alias non esset hominibus accommodatum ad Deum colendum, & se sanctificandum, si illud sensibus percipere non possent. At est signum invisibilis gratiæ, quia gratia Sacramenti significata corporis sensibus non videtur. Deinde est signum ad populum Dei sanctificandum, quia ad hunc effectum sunt Sacramenta per se, & directè instituta, ob quam causam à solo Deo institui potuerunt, quia solus Deus gratiam causare potest, & consequenter signum practicum gratiæ constituere: sic Doctores communiter.

3. Supereſt explicari, quale signum ad rationem Sacramenti requiratur. Et quidem requiri signum permanens, seu permanenter significans apud omnes Doctores receptum est, eo quòd assumatur, ut

medium ad Deum colendum, & populum Dei sanctificandum, & distinguendum ab aliis nationibus falsos Deos colentibus, quod fieri nequaquam potest signo transeunte, nec moraliter pro statu aliquo durante. Item verba illa Christi, quibus Magdalenæ dixit, *remittuntur tibi peccata*: & quibus Apostolis dictum est Joann. 20. *Accipite Spiritum sanctum*, linguæ ignitæ super capita discipulorum die Pentecostes apparentes, Sacramentum essent: quia hæc omnia sunt signum visibile invisibilis gratiæ: sed quia non sunt signa stabilia, & firma sed transeuntia, ea de causa à ratione Sacramenti excluduntur, & ita docet Suar. *3. p. q. 60. sect. 3. concl. 3.* Paul. Layman. *lib. 5. tract. 1. cap. 2. in fine.* Coninc. *quæst. 60. art. 4. dub 1. num. 21.*

4. Sed an necessariò debeat esse signum practicum? Aliquibus Doctoribus non infimæ notæ placet sufficere esse signum speculativum, eo quòd Sacramenta vetera vera Sacramenta fuerint, & tamen gratiam sanctificantem non continebant, sed solùm significabant dandam per Christum. Verùm etsi de ratione Sacramenti non sit esse signum practicum gratiæ sanctificantis, est tamen necessarium esse signum practicum alicujus gratiæ, seu sanctitatis legalis; & signum speculativum gratiæ habitualis perfectæ sanctificantis, quia de ratione Sacramenti est recipientem sanctificare, cùm ad sanctificandum populum institutum sit, ac proinde debet esse signum practicum alicujus sanctitatis saltem legalis. At opus non est esse signum practicum gratiæ perfectæ tametsi illam significet, quia non est signum practicum cujuscumque rei significatæ. Significat enim Sacramentum Passionem Christi Domini, & futuram gloriam, non tamen illam causat. Et ita sustinent Suar. *13. in 3. p. q. 60. disp. 1. sect. 2. concl. 1. 2. & 3.* Ægid. de Coninc. *q. 60. art. 2. dub. 1.*

5. Hinc colliges discrimen Sacramenti à sacrificio: nam esto sacrificium Passionem Christi Domini significet, populúmque sanctificet, quia tamen per se & immediatè institutum non est ad sanctificandum populum, sed ad Deum colendum ejus supremi dominii, & excellentiæ recognitione, ea de causa Sacramentum non est, hoc enim immediatè, & per se ad sanctificandum populum est institutum. Sic Paul. Layman. *lib 5. tract. 1. cap. 2.*

6. Secundò colliges discrimen Sacramentorum novæ legis à Sacramentis veteris legis. Nam Sacramenta novæ legis non solùm significant gratiam perfectè sanctificantem, quæ vocatur gratia habitualis, sed illam causant, ut est definitum à Trident. *sess. 7. can 8.* At Sacramenta veteris legis omnes conveniunt solam sanctitatem legalem causare, tametsi gratiam perfectè sanctificantem significarent, sicuti definivit Concilium Florentin. *in decreto Eugenii post. sess. ult. §. 5. eccles. sfric. Sacrament.* ibi Sacramenta novæ legis multùm differunt à Sacramentis antiquæ legis: illa enim non causabant gratiam, sed illam solùm per passionem Christi dandam esse figurabant. Hæc verò nostra, & continent gratiam & ipsam dignè suscipientibus conferunt.

Solùm de circumcisione est dubium qualiter à Sacramentis novæ legis distinguatur, siquidem ad ejus præsentiam peccatum originale remittebatur ex divina institutione, ut dicitur *cap. ex quo instituta, de consecrat. dist. 4.* cujus remissio esse non poterat sine gratiæ infusione. Est igitur circumcisio gratiæ sanctificantis causa saltem moralis, non igitur distingui potest à sacramentis novæ legis nisi in modo causandi gratiam, eo quòd Sacramenta novæ legis sint causæ physicæ instrumentales gratiæ, circumcisio verò sit solùm causa moralis, seu conditio, qua posita ex liberalitate Dei gratia concedebatur: sic sustinet Suar. *alias relatis, t. 3. in 3. p. q. 62. disp. 9. sect. 1. & 2.* Henriq. *lib. 1. c. 6. num. 1.* neque improbabile reputat Bonac. *alias relatis de Sacram. disp. 19. q. 1. punct. 3. § unico n. 5.* Sed nullatenus placet hic modus dicendi, tum quia satis dubium est, & à pluribus Doctoribus reprobatum Sacramenta novæ legis physicas esse causas gratiæ. Tum quia sæpè Paulus circumcisionem appellarit inane, infirmumque elementum, uti dixit de ipsa circumcisione, aliisque cæremoniis legalibus. *Ad Galat. 4. & ad Galat. 6.* inquit. Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura. At si circumcisioni annexa esset ex divina promissione gratia justificans plurimùm valeret, falsúmque esset esse inane, vacuum, & infirmum elementum. Non igitur circumcisio vi sua gratiam causare poterat. Restat ergo, ut solùm ex fide Christi venturi, quam parentes circumcisi, seu minister circumcisione illo exteriori signo profitebatur, remissum fuerit peccatum, & gratia justificans concessa. Aliàs si ex circumcisionis usu, & quasi ex opere ipso facto remissio peccati, & gratiæ infusio fieret à sacramento baptismi substantialiter non distingueretur, sed solùm penes magis & minus, siquidem æquè ac baptismus remittit peccatum, & gratiam infundit: quod autem baptismus uberiorem gratiam concedat, & peccatum non solùm quoad culpam, sed etiam quoad pœnam integrè deleat, differentiam substantialem non constitui, sed solùm accidentalem. Affirmare autem circumcisionem à baptismo non substantialiter differre, videtur esse contra Paul. *ad Colossens. 2.* extollentem baptismum, illúmque circumcisioni præferentem, cùm dixerit de his, qui baptizati erant. Circumcisi estis circumcisione non manufacta in expoliatione corporis carnis, sed circumcisione Christi consepulti in baptismo, quasi diceret, Baptismo non spoliatur caro, sicuti fiebat in circumcisione antiqua, sed spoliatur spiritus à peccato; ac proinde differunt baptismus, & circumcisio substantialiter ex sententia Pauli, siquidem vi sua baptismus spiritum à peccato mundat, circumcisio autem vi sua solam carnem, spiritum autem non mundat, nisi ex fide, quam parentes circumcisi, vel minister circumcisionis eo signo profitebatur. Deinde si baptismus à circumcisione non differret substantialiter, sed solùm penes magis, & minus, verum esset dicere, sacramenta novæ legis non differre à sacramentis legis antiquæ nisi quia sunt diversi ritus, & cæremoniæ, quod est contra Trident. *sess. 7. can 2.* dicens. Si quis dixerit sacramenta novæ legis à sacramentis legis antiquæ non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, & alii ritus externi, anathema sit. Sentit ergo concilium inter nostra, & antiqua sacramenta differentiam substantialem esse, quæ esse non posset, si sacramenta antiquæ legis vi sua, & ex opere operato, ut vocant, gratiam justificantem causarent. Affirmandum ergo est nullum sacramentum antiquæ legis vi sua gratiam justificantem causare. Et ita sustinent D. Thom. *3. p. q. 62. art. 5. in corp. & ad 3.* Sotus *in 4. dist. 1. q. 4. art. 6.* Vasq. *1. 2. t. 2. disp. 184. c. 2.* Bellarm. *lib. 2. de Sacram. cap. 13. & seqq.* Paul. Layman. *lib. 5. sum. tract. 1. cap. 3. per totum.* Ægid. de Coninch. *q 62. art. 6.*

7. Hinc dubitant Doctores, an ratio sacramenti univoca sit, an analoga, vel æquivoca sacramentis novæ, & veteris legis? Respondeo breviter univocam absolutè esse, quia ratio sacramenti præcipuè sumitur ex parte rei significantis, & ex modo significandi, potius quam ex re significanda. At in re significante, & in modo significandi univocè sacramenta antiqua, & nova conveniunt, siquidem omnia sunt ritus, & cæremoniæ sensibiles, omniáque ex divina institutione significant, tametsi ex parte rei immediatè significatæ analogicè, seu æquivocè conveniant, eò quòd sanctitas legalis cum sanctitate justificante comparata inferioris ordinis sit, & solùm secundum quid sanctitas dici possit. Sic Suar. *tract. 3. in 3. part. quæst. 60. disput. 1. sect. 2. vers. atque hinc intelligitur.*

Ægid. de Coninch. *dicta quæst.* 60. *artic.* 4. *dub* 2. Bellarm. *de sacram. lib.* 1. *cap.* 12. Bonac. *aliis relatis de sacram. disput.* 1. *quæst. part.* 3. *num.* 12.

Punctum II.

An Sacramenta necessaria sint ad salutem?

1. *Absolutè necessaria non sunt, benè tamen post Dei institutionem.*
2. *In statu naturæ, & legis veteris sacramentum institutum in remedium peccati originalis necessarium fuit necessitate præcepti.*
3. *In lege gratiæ sacramenta à Christo instituta necessaria sunt, tum necessitate præcepti, tum necessitate medii, sed non omnia.*

1. CErtum est Sacramenta non esse ita ad salutem necessaria, quin potuerit Deus illis non institutis gratiam, & gloriam hominibus concedere. Non enim divina potentia ita limitata est, quin aliis mediis potuerit homines ad gloriam evehere, etiam supposito statu naturæ lapsæ, sicuti explicuit D. Thom. *quæst.* 61. *per totam.* Henriq. *lib.* 1. *cap.* 4. Bellarm. *lib.* 1. *cap.* 22. Bonac. *disput.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 4. Quare solùm est controversia, an facta institutione, tum in lege naturæ, & scripta, tum in lege nova sint necessaria? Item an sint necessaria necessitate præcepti, vel etiam necessitate medii? Necessarium necessitate præcepti tantùm est illud, quando non tam ipsum opus præceptum, quàm ipsa præcepti executio necessaria ad salutem est. Quare si ob ignorantiam, vel impotentiam ab exequenda re præcepta excuseris; non obinde salutem amittes. E contra verò necessarium necessitate medii est illud, cujus executio ad salutem necessaria est; ita ut sine illo salus obtineri nequaquam possit, tametsi ob ignorantiam, vel impotentiam omissum fuerit.

2. Dicendum igitur est in statu naturæ, & legis veteris sacramentum institutum in remedium peccati originalis necessarium fuisse necessitate præcepti, quia in lege naturæ, esto non esset aliquod signum à Deo determinatum, quo fidem Christi venturi homines protestarentur, & à peccato originali mundarentur, tametsi plures Doctores, quos refert, & sequitur Layman. *lib.* 5. *tract.* 1. *cap.* 3. contrarium sentiant affirmantes signum aliquod determinatum fuisse, quod pro fœminis in lege scripta, & pro parvulis ante diem circumcisionis applicabatur. At tenendum est remissionem peccati originalis protestationi fidei per signum saltem arbitrio cujuscumque remissum, concessam esse, ut docuit Bellarm. *lib.* 1. *de sacram. cap.* 21. Suar. *disp.* 4. *sect.* 2. Ægid. de Coninch. *quæst* 61. *a t.* 3. *cum D. Thom. ibi.* Quo posito conveniens fuit executionem illius signi præcipi. In lege autem veteri sacramentum circumcisionis necessarium fuit ex præcepto, ut constat ex illo Genes. 17. *num.* 14. Masculus, cujus præputii caro circumcisa non adfuerit delebitur, &c. Quod præceptum adultos obligabat, infantes verò ante usum rationis arctari illo non poterant, benè tamen eorum parentes, ut suos filios circumciderent. Nullum tamen sacramentum in lege naturæ, & veteri fuit necessarium necessitate medii, siquidem nullum vi sua peccatum remittebat, & gratiam concedebat.

3. Verùm in lege gratiæ sacramenta à Christo Domino instituta necessaria sunt, tum necessitate præcepti, tum necessitate medii, tametsi non omnia, ut expressè definitum est à Trident. *sess.* 7. *can.* 4. Quæ autem hæc sint commodiùs explicabimus, cum de singulis sacramentis in particulari agemus.

Punctum III.

De materia, & forma Sacramenti in communi.

1. *Quæ sint in communi materia, & forma sacramenti explicatur.*
2. *Si materia vel forma substantialis mutetur, nullum est sacramentum, & quando hæc mutatio in materia contingat.*
3. *Quando contingat substantialis mutatio in forma.*
4. *Verborum corrupta prolatio non est substantialis mutatio.*
5. *Quid dicendum, quando addis verba, quæ verum consensum corrumpere possunt? Deciditur pendere ex intentione proferentis.*
6. *Explicatur qualiter privatus error in materia, vel forma sacramenti non obstet ejus valori.*
7. *An impediat prædictus error debitam intentionem? Proponitur dubitandi ratio.*
8. *Resolvitur per se non impedire, benè tamen aliquando.*
9. *Colligitur quid sit dicendum, cùm credis aliqua verba esse necessaria, cùm tamen non sint; vel aliqua non esse necessaria, quæ tamen sunt.*
10. *Error commissus circa subjectum sacramenti matrimonio excepto regulariter non vitiat sacramentum.*
11. *Quæ variatio formæ, seu materiæ, rituúmque sacramentorum peccaminosa sit.*

1. CUm Sacramentum sit signum sensibile invisibilis gratiæ necessariò dicendum est illius materiam esse rem illam sensibilem ex divina institutione assumptam ad gratiam significandam, formam verò esse significationem ipsam, ut latiùs explicuit Suar. *tract.* 3. *in* 3. *part. disput.* 2. *sect.* 2. Ægid. de Coninch. *quæst.* 60. *artic.* 6. *à num.* 35. At in re illa sensibili, quæ ad significandam, & causandam gratiam assumitur, si de sacramentis novæ legis loquamur, communiter Doctores sentiunt aliud se habere per modum formæ. Verba quæ in sacramento assumuntur sunt forma, quia & materiam determinant, & expressiùs significant: res verò, quibus verba junguntur sunt materia. Quo sensu dixit Concil. Florent. *in decreto unionis*, Sacramenta novæ legis tribus perfici, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod Ecclesia, quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum. Qualiter autem verba in singulis sacramentis sint forma, & quæ eorum materia, & qualiter inter se habeant conjungi, ut unum componant, commodiùs explicabitur, cùm de singulis sacramentis in particulari agemus.

2. Solùm in præsenti supereſt explicandum, quæ mutatio materiæ, & formæ sacramenti illud irritum reddat, & peccaminosa sit?

Pro quo supponendum est formam, & materiam in sacramento variari posse, vel substantialiter, vel solum accidentaliter: si substantialiter varietur, nullum est sacramentum, secus si solùm accidentaliter. Materia substantialiter, mutatur quando secundum communem usum, hominúmque æstimationem substantialiter diversa est, tametsi Physicè eadem specie sit. At si spectato communi usu hominúmque existimatione eadem perseverat, mutatio solùm accidentalis est. Exemplis rem manifesto. Aqua elementaris materia est baptismi, si tamen loco illius artificialem apponas, tametsi in opinione probabili specie physica non differat, materiam sacramenti substantialiter mutas: quia secundùm communem usum, & æstimationem substantialiter diversa est: secus tamen esset, si aliquam elementarem, turbidam, vel cali-

dam, aut frigidam apponeres : quia hæc ſpectato communi uſu accidentalis mutatio eſt. Item panis triticus coctus eſt materia Euchariſtiæ, quia eſt uſualis, ſecus, ſi coctus non ſit, quia eſto non differat ſpecie phyſica, differt tamen ſubſtantialiter ſecundùm communem uſum, & æſtimationem, ac proinde in ratione materiæ Euchariſtiæ; quòd ſit azimus, aut fermentatus ſolùm eſt differentia accidentalis. Deinde in ſacramento matrimonii conſenſus contrahentium habilium præſente parocho,& teſtibus illius ſunt materia, qui tamen phyſicè non differunt à conſenſibus, cùm parochus, & teſtes abſentes ſunt, ſed quia differunt moraliter, & ſubſtantialiter in ratione contractus, ea de cauſa in uno caſu ſunt materia legitima, ſecus in alio. At quòd conſenſus exprimantur verbis, vel nutibus, ſolam differentiam accidentalem conſtituunt ſpectato communi uſu hominúmque æſtimatione.

3. Forma in ſacramentis novæ legis, quæ verbis conſtat tunc ſubſtantialiter mutatur, cùm diverſum ſenſum, ſeu ſignificationem à Chriſti inſtitutione præſtat, nam cùm ſignificatio ſit quaſianima ſacramenti, mutata ſignificatione ſubſtantialiter forma mutatur, & ſacramentum corruit. E contra ſi verba prolata à Chriſto mutes, & ex illius mutatione ſignificationem ſubſtantialem non amittant, ſacramentum validum eſt, quia ſolùm eſt mutatio accidentalis, non ſubſtantialis. Hinc fit ſi ſacramenti verba mutes in aliud idioma ab eo, quo Eccleſia utitur, eſſe accidentalem mutationem : quia eundem ſenſum, & ſignificationem retines, ut explicuit Caietan. *q.60. art.7. ad 2.* Suar. *diſp.2. ſect.4.* Coninch. *art.8. dub.1. n.68.* Id eſt ſi retento eodem idiomate verba alia à Chriſti inſtitutione uſurpes idipſum ſignificantia, qualia ſunt in ſacramento baptiſmi, ſi baptizares in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque : tametſi probabilitate non careat hanc mutationem ſubſtantialem eſſe; quia in ſacramento baptiſmi non ſolùm quælibet expreſſio Trinitatis, ſed clara & diſtincta requiritur, eo quòd baptiſmus ſit janua omnium ſacramentorum. Item ſi verba tranſmutes retinendo ſenſum eundem, eandémque ſignificationem, uti contingit, cùm dicis. Ego baptizo te, tu à me baptizaris, accidentalis eſt mutatio non ſubſtantialis. Ex ſubſtractione autem verborum aliquando mutatio ſubſtantialis contingit, aliquando ſolùm accidentalis, ſi eandem ſignificationem & ſenſum oratio prolata retineat, accidentalis erit mutatio : ut cùm in ſacramento baptiſmi, vel pœnitentiæ omittis pronomen Ego, & ſolùm dicis, abſolvo te, baptizo te. Secus eſt, ſi ex ſubſtractione alicujus verbi ſenſus mutetur, ut ſi omittas explicare baptizandum, ſolúmque dicas. Ego baptizo. Ego abſolvo. Tandem ſi loco verborum nutus apponas, mutatio eſſentialis eſt in omnibus ſacramentis præter matrimonium, quia omnia, matrimonio excepto hanc expreſſam ſignificationem per verba requirunt.

4. Reſtat tamen triplex enodanda difficultas. Prima an ſit mutatio eſſentialis formæ, ſi verba corruptè pronuncies, ut ſi in adminiſtratione baptiſmi dicas. Ego te baptizo in nomine Patria, Filia, & Spiritua ſancta. Et in ſacramento Euchariſtiæ dicas. Hoc eſt corpus meum? Ratio difficultatis eſt quia eſto intentionem habeas, cùm ea verba profers, veram formam proferendi; de facto tamen eam non profers: non enim patria nomen eſt ad ſignificandum Patrem divinum impoſitum, nec nomen filia ad ſignificandum filium divinum : ac ad ſacramentum non ſolùm intentio recta requiritur, ſed etiam uſus verborum ſecundum communem uſum, hominúmque exiſtimationem ſignificantium : Ergo uſurpatione illorum verborum ſacramentum non perficitur. Nihilominùs contrarium tenendum eſt, & affirmandum illis verbis ſacramentum confici, quia ſolùm eſt mutatio accidentalis, non eſſentialis. Nam eſto illa verba per ſe ſpectata perſonas Trinitatis non ſignificent, illas tamen ſignificant in circumſtantiis, in quibus proferuntur; ob tempus enim, & occaſionem & modum, quo proferuntur, idem ex communi uſu, hominúmque exiſtimatione ſignificatum habent, ac ſi ritè prolata eſſent, ut expreſſè definivit Zachar. relatus *in cap. retulerunt, de conſecr. d.iſt.4.* & docuit D. Thom. *q.60. art.7. ad 3* Sylveſt. *baptiſmus 5.* Ægid. de Coninch. *d.cta q.90. art.8. dub.1. num.78.* Bonac. *diſp.1 de Sacr. q.2.p.1.n.20.* Paul. Layman. *lib.5. ſum. tract.1. cap.4. n.4 verſ. formæ*, & alii apud ipſos.

5. Secunda difficultas eſt, quando legitimæ formæ verba addis, quæ illius verum ſenſum corrumpere poſſunt, an tunc ſit ſubſtantialis mutatio? Exemplum eſt, ſi conſecrares ſub hac forma. Hoc eſt corpus meum ſpirituale, vel hoc corpus meum, quod de cœlo ſumptum eſt. Hæc enim poſtrema præcedentia corrumpere poſſunt, ſi per modum unius, & uti ſonant, accipiantur, quia præſtant hunc ſenſum falſum, corpus Chriſti eſſe ſpiritum, de cœlo, & non de beata Virgine ſumptum eſſe. Secus eſſet, ſi ſpirituale pro beato, & cœleſti uſurparetur, & quod de cœlo ſumptum eſt intelligeretur, non quod ſumptum eſt de materia cœli, ſed quod ſumptum eſt cœli auxilio de beata Virgine, vel quod ſumptum eſt de beata Virgine, quæ cœli nomine appellatur. Idem eſt ſi baptizares ſub hac forma. In nomine Patris,& Filii,& Spiritus ſancti,& intemeratæ,ſempérque Virginis Mariæ. Hæc enim poſtrema verba præcedentium ſenſum poſſunt immutare, quia ſi omnia illa verba per modum unius ſimplicis orationis proferantur, hunc ſenſum præſtant, ſcilicet te æquè baptizare in nomine Virginis Mariæ, ac in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, beatiſſimámque Virginem Mariam ejuſdem cum Patre, Filio, & Spiritu ſancto eſſe ſubſtantiæ. Qui ſenſus falſiſſimus eſt, & ſenſum legitimum formæ ſine dubio interrumpit. Quapropter ſi ea verba modo dicto proferres, ſubſtantialem formam mutares, ſacramentúmque non conficeres, & ita ſuſtinent Vaſq. *diſp.129. c.7. n.107.* Suar. *d.ſp.2. ſect.5. in fine.* Ægid. de Coninc. *q.60. art.8 dub.1. 2. n.64. & 70.* Paul. Laym. *lib.5. ſum. tr.1. concl 3.* Bonac. *diſp.1. q.2. p.1. n.25.* cum D. Thom. *q.60. art.7. & 8.* & D. Aug. *lib.9. de baptiſm. c.25.* Verùm ſi illa verba adderes ſub diverſa intentione qua priora verba pronuntias,quia ſolùm intendis beatam Virginem invocare, ut illius nomine auxiliatus ſacramentum conficias, non ut ſub illius nomine, tanquam ſub forma ſacramentum præſtes. Suar. Layman. Ægid. Bonifac. cum D. Th. & Aug. ſentiunt, & ſatis probabiliter te ſolùm accidentaliter mutare formam, non eſſentialiter, atque adeò verum ſacramentum conficere. Ratio eſt, quia antequam illa verba extranea à forma baptiſmi addita ſint, legitima forma ſacramenti eſt conſtituta, quia ſunt pronunciata verba legitimam formam conſtituentia cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, & Chriſtus inſtituit, ac proinde habent ſuum effectum à ſubſequentibus verbis independentem. Deinde quia in his, quæ ambiguum ſenſum, legitimum inquam, & illegitimum habent, ex intentione proferentis determinanda ſunt : intentio autem proferentis in prædicto caſu recta eſt, ſiquidem eſt intentio baptizandi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, tanquam ſub forma baptiſmum conſtituente, in nomine Beatæ Virginis, tanquam ſub perſona auxilium & favorem ad conficiendum ſacramentum præſtante. Ergo ob additionem illorum verborum ſub prædicta intentione forma ſacramenti non variatur ſubſtantialiter, ſed ſolùm accidentaliter.

Dices verba sacramenti non ex cujusque arbitrio significare debere, sed ex usu, & communi hominum existimatione, quia sunt signa publica, & stabilia, quibus Deus colitur, & homines sanctificantur. Ergo si uteris verbis ambiguis, qualia sunt dicta verba, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & beatæ Virginis. Et illa, Hoc est corpus meum spirituale, cœleste, & illis utens rectam intentionem habeas, solùm ex tua intentione rectam significationem habent, non ex usu, & communi hominum impositione. Ergo illis prolatis non conficis verum sacramentum, quia non uteris signis publicis, & stabilibus.

Respondeo concedendo sacramenta esse signa publica, & stabilia, & ex usu, & communi hominum existimatione rectam significationem habere debere, sed nego huic significationi obstare, quòd ex se ambigua sint, si à proferente in bonum sensum, rectámque significationem assumantur, quia eo ipso quo sic assumuntur, ex communi hominum impositione significationem habent, cùm homines in proferentis arbitrium, & intentionem remiserint significationem verborum ambiguitatem continentium, ac proinde eo ipso, quo proferens in illorum prolatione rectam intentionem habet, ex usu, & communi hominum impositione significationem rectam sortiuntur.

6. Tertia difficultas est; an privatus error in materia, vel forma sacramenti obstet illius valori, si de facto in sacramenti administratione de tali errore non constat. Quod dixerim, quia si de tali errore ex vi administrationis constat, examinandum est, an ille error sic manifestatus verum sensum, & significationem sacramenti corrumpat, vel non? Si corrumpat legitimum sensum, annullat sacramenti formam; secus si non corrumpit. Exemplum est, si Arrianus conficeret baptismum in nomine Patris, Dei Filii, creaturæ, & Spiritus sancti similiter sine dubio formam sacramenti mutaret, quia illius verum sensum corrumpit. E contra si existimares pronomen ego, in forma baptismi æquè esse necessarium exprimi, sicuti personam baptizandam, & personas Trinitatis, sub quarum nomine baptismus conficitur, non obinde sensum, & significationem formæ mutas, tametsi illum errorem exprimas, quia existimare verba aliqua necessaria esse, quæ tamen non sunt, vel non esse necessaria quæ necessaria sunt, eorum significationem non mutat, quia hic error est nimis extrinsecus verborum significationi.

Quocirca dubium est de errore interiùs concepto, nec in sacramenti administratione expresso, qualiter contingeret, si Arrianus credens in Deo esse unicam tantùm personam, scilicet Patrem, Filium vero, & Spiritum sanctum non esse Deum, sed creaturas, baptismum administraret sub consueta Ecclesiæ forma in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, an inquam prædictus error formam sacramenti mutaret? Ratio difficultatis est, quia verba sunt signa conceptuum, & ad exprimendos conceptus assumuntur, sed conceptus illius hæretici putantis Filium divinum creaturam esse falsissimus est. Ergo cùm verbum filii divini profert, non verum filium Dei, sed falsum exprimit. Ergo non baptizat sub vera forma, quia non baptizat sub vero Filio Dei. Nihilominus omnino tenendum est ex errore interius concepto formam non mutari, quia non mutatur ejus significatio: hæc enim non ex privato cujusque arbitrio, sed ex communi usu hominúmque impositione pendet, ut rectè notavit Ægid. de Coninch. *q. 66. art. 8. dub. 1. n. 61. & 62.* At verbum Filii, & Spiritus sancti in administratione baptismi ex communi usu hominúmque impositione pro Filio, & Spiritu sancto eandem cum Patre naturam habentibus supponit. Nequit ergo hanc impositionem privatus error, & singulare arbitrium mutare. Neque obstat verba esse signa conceptuum, ut inde inferas illa verba conceptum falsum significare, quia non sunt signa illius conceptus falsi ex communi hominum impositione tametsi à proferente ad eum significandum accipiantur, sed potiùs sunt signa conceptus veri, quem proferens habet, vel habere debebat.

7. Verùm esto error privatus non mutet formam sacramenti, at videtur impedire debitam intentionem in illius administratione. Qui enim Sacramentum ministrat, intentionem habere debet administrandi sacramentum; sub forma, & significatione, quam Christus instituit, & Ecclesia utitur. At huic intentioni privatus error in forma obstat, si quidem credens v. g. Filium esse creaturam, cum sub nomine Filii Sacramentum administrat, intendit sub nomine Filii creaturæ, administrare. Alias non esset hæreticus in illius sacramenti administratione. Ergo deficit ab intentione, quam Christus habuit, & Ecclesia utitur.

8. Cæterùm tenendum est per se loquendo errorem privatum non impedire debitam in Sacramento intentionem, si simul cum supradicto errore intentionem habeas administrandi, sicuti Christus instituit: sic aliis relatis docent Suar. *disput. 1. sect. 5.* Ægid. de Coninch. *q. 65. art. 8. dub. 1. num. 61.* Paul. Layman. *lib. 5. sum. tract. 1. cap. 4. n. 1.* & colligitur *ex cap. si qui apud illos, & sequentib. de consecrat. dist. 4.* & ex Trid. *sess. 7. can. 4.* definiente, anathema esse dicentem non esse verum baptismum, qui datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Ratio vero est, quia ex suppositione, quòd hæreticus intendit Sacramentum administrare, sicuti Christus instituit, eo ipso impedit, ne privatus error in administrationem influat, illa enim prima intentio universalis, & recta administrandi Sacramentum, sicuti Christus absoluta est, & efficax causa Sacramenti, & cum administratio conformatur, error vero privatus cessat influere in sacramenti administrationem: quia hæreticus non habet voluntatem sacramentum administrandi secundùm suum particularem conceptum, nisi ex suppositione quòd verus sit, & Christi institutioni conformis. Unde stare optimè potest, quòd administrans Sacramentum errorem habeat etiam actualem circa illius administrationem, & nihilominus voluntatem, seu intentionem rectam in illius administratione habeat, eo quòd hæc voluntas non conformetur errori, sed judicio Ecclesiæ recto, juxta quod intendit sacramentum. E contra dicendum administrare esset, si errans expressam voluntatem habeat non aliter administrandi sacramentum, nisi secundùm suum erroneum conceptum, nam eo casu deficit intentio requisita in Sacramenti administratione, quæ necessariò debet esse recta, & Christi & Ecclesiæ voluntati conformis, & ita sustinent Suar. Ægid. & Layman. supra. Quod idem esse credo, si expressam, & absolutam voluntatem haberet hæreticus administrandi Sacramentum secundùm suum erroneum conceptum, tacitè, & virtualiter excludit legitimam intentionem intentioni Christi, & Ecclesiæ conformem: quia cum illa expressa, & absoluta voluntate hæc comparari non potest.

9. Hinc fit quid sit dicendum, si crederes aliqua verba in administratione sacramenti necessaria essentialiter esse, cùm tamen non sint, & è contra aliqua non necessaria, quæ tamen necessaria essentialiter existunt. Si enim expressam, & absolutam voluntatem habeas ministrandi sacramentum: qualiter Christus instituit, verum conficis sacramentum, quia illa administratio non privato tuo errori, sed Ecclesiæ judicio conformatur. At si velis absolutè ad-

miniſtrare ſacramentum ſub forma, quam credis veram, cùm tamen falſa ſit, & à Chriſti inſtitutione aliena, nequaquam ſacramentum conficis, quia non potes ſacramentum conficere, niſi voluntatem habeas Chriſti inſtitutioni conformem.

10. Secundò, fit errorem commiſſum circa ſubjectum ſacramentum Baptiſmi, Confirmationis, aliorúmque Sacramentorum, Matrimonio excepto, non vitiare regulariter ſacramentum, quia non obſtat rectæ intentioni. Non enim ex eo, quòd credas eſſe virum, cui ſacramentum baptiſmi miniſtras, cùm tamen fœmina ſit, ſacramentum annullatur, neque ex eo quod irregularis, vel excommunicatus exiſtat, qui ſuſcipit Ordines, ceſſat Ordinatio. Nam eſto nolles excommunicatum, & aliàs impeditum Ordinibus inſignire, ſi cognoſceres, at cùm ignoranter procedis, vis præſentem ordinare, ſi Ordinibus validè recipiendis capax ſit. Excluſi ab hac doctrina ſacramentum matrimonii, cujus valori obſtat error perſonæ, eo quòd obſtet valori contractus, in quo ſacramentum fundatur. Atque ita docent Henriq. *lib.2. ſum. cap.8. n.5.* Paul. Layman. *lib.5. tract.1. cap.4. in fine.*

11. Aliud verò, quòd explicandum propoſuimus eſt, quæ variatio formæ, ſeu materiæ peccaminoſa ſit? Breviter reſpondeo illam mutationem, quæ ſacramenti valorem infirmat eſſe graviter peccaminoſam, neque ad ullam cauſam admittendam, quia eſt ſacramenti irriſio, & gravis illius injuria contra Chriſti Domini inſtitutionem, ſic ex omnium ſententia Ægid. de Coninc. *q.60. art.8. dub.2. in princ.* At ſi mutatio valorem Sacramenti non impedit, alicui videri poſſet non eſſe grave, ſed ſolùm leve peccatum ea mutatione uti, quia eſt accidentalis mutatio. Sed omnino tenendum eſt perſe, & ſecluſa neceſſitate mortale peccatum eſſe, quia eſt ſaltem contra præceptum Eccleſiæ in Chriſti inſtitutione fundatum. Eccleſia namque præſcribens modum in adminiſtratione Sacramentorum, illum ſervandum præcipit, aliàs in re ita gravi, qualis eſt modus adminiſtrandi Sacramenta, nihil firmum eſſet ſi fideles obligati non eſſent unicum, & uniformem modum ſervare. A qua regula ſolùm excipi poteſt aliqua mutatio accidentalis in communi hominum æſtimatione leviſſima. Quæ autem hæc ſit conſtabit ex dicendis in ſingulis Sacramentis. Atque ita ſuſtinent Ægid. de Coninch. *q.60. art.8. dub.2. infine. n.84.* Bonac. *diſp.1. q.2. p.1. à n.33.*

Dixi ſecluſa neceſſitate, eò quòd grave dubium ſit, an ea ſtante mutare poſſis modum, & ritum in adminiſtratione Sacramentorum ab Eccleſia præſcriptum. Cui dubio ſatisfecimus, tum *tract.2. de peccat. diſp.1. punct.13. & tract.3. diſp 1. punct.16.* & quando liceat uti opinione probabili, & materia dubia in Sacramentorum adminiſtratione, *tract.1. diſ.2. pun.5.*

Punctum IV.

De cauſa efficiente Sacramentorum, quoad eorum inſtitutionem.

1. *A ſummo Deo tanquam à principali authore ſunt omnia Sacramenta inſtituta, à quo communicata eſt Chriſto Domino, quà homo eſt, poteſtas Sacramenta inſtituendi.*
2. *Hanc poteſtatem, quam Chriſtus habuit, nemini, alteri communicavit.*
3. *Communicari tamen poteſt puræ creaturæ, ſed non aquè perfecta.*

DUplex eſt cauſa efficiens Sacramentum. Alia inſtituens alia inſtitutum miniſtrans. De cauſa inſtituente agemus in præſenti, & in ſequenti puncto de miniſtrante.

1. Certum eſt Sacramenta omnia à ſummo Deo tanquam à principali authore inſtituta eſſe, quia ſolus Deus gratiæ ſanctificantis author eſt, ac proinde ille ſolus inſtituere ſigna poteſt, quibus poſitis gratia conferatur, vel conferenda ſignificetur. Sic D. Thom. quem omnes ſequuntur *q.64. art.2.* Neque huic veritati obſtat, quòd tempore legis naturæ Abrahamus, & tempore legis ſcriptæ Moiſes, & tempore legis gratiæ Chriſtus Sacramenta à Deo inſtituta manifeſtaverint, ſicuti dixit Paul. *ad Hebr.1.* multifariam, multiſque modis olim Deus loquens in Prophetis, noviſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, &c. quia Abrahamus, & Moyſes non Sacramentorum inſtitutores, ſed promulgatores fuerunt. Chriſtus verò Dominus, quà homo eſt, Sacramentorum novæ legis promulgator fuit, ſed non primarius inſtitutor, & author, quia non ex virtute propria, ſed ex accepta à Deo Patre, & ab ipſo qua Deus eſt, gratiam ſanctificatam confert, aut conferre poteſt: ſic D. Thom. *q.64. artic.1. ibidem*, Suarez *diſput.12. ſect.1. concl.2. & 3.* Ægid. de Coninch. *art.2. & 4. dub.1 & 2.* Bonac. *de Sacram. diſp.1. quæſt.3. p.1. n.2. & 3.* Paul. Layman. *lib.5. tract.1. cap.5. q.1.* Verùm etſi Chriſtus Dominus, quà homo eſt, non fuerit primarius Sacramentorum novæ legis author, & inſtitutor, at verè, & propriè illorum fuit inſtitutor ex poteſtate à Deo accepta: ob excellentiam enim, quam habet humana natura ex unione hypoſtatica ad Verbum, data fuit Chriſto Domino, quà homo eſt poteſtas ſignandi ſigna ſenſibilia, quibus gratia communicaretur, juxta illud Marc. *ult.* Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra. Ex qua poteſtate Sacramenta omnia novæ legis inſtituit in quo maximè differt ab Abrahamo, & Moyſe, qui ſolùm fuerunt promulgatores Sacramenti à Deo ſignati, non tamen ipſis data fuit poteſtas ſenſibilia ſigna deſignandi, quibus gratia communicaretur, ſicuti data fuit Chriſto Domino, quà homo eſt.

2. Hanc poteſtatem excellentiæ ipſe Chriſtus nobis promeruit, & inſuper promeruit nobis uſum illius poteſtatis, & ſacramentorum operationem. Quia hoc meritum & Chriſtum commendat ejuſque dignitatem extollit, & nos ejus obſequio ſtrictiùs obligat, & divincit. Nemini autem hanc poteſtatem Chriſtus Dominus communicavit; nec ulli alteri præter Chriſtum à Deo data fuit, ſicuti apertè colligitur ex Trid. *ſeſſ.7. can.1.* dicente, anathema eſſe qui diceret omnia ſacramenta novæ legis non fuiſſe à Chriſto Domino inſtituta, *& ſeſſ.14. can.1.* Idem de extrema unctione definitur, de qua poterat ſpeciale dubium eſſe, eò quòd expreſſè ex nullo loco Evangelii colligatur Chriſtum Dominum hoc Sacramentum inſtituiſſe. At traditione Eccleſiæ ejuſque declaratione pro certo tenendum eſt hoc ſacramentum, ſicut & reliqua omnia per ſe inſtituiſſe. Apoſtolis autem illius, & aliorum prædicationem, diſpenſationem communicaſſe. Juxta illud 1. *Corinth.4. n.1.* Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei, id eſt ſacramentorum. Expediebat namque, ut Chriſtus Dominus antequam ad cœlum migraret, ſuam Eccleſiam perfectè fundaret. At ad illius perfectum fundamentum Sacramentorum inſtitutio pertinet. Ergo ab ipſo, & non ab Apoſtolis omnia fuerunt inſtituta, & ita ſuſtinent D. Thom. *q.60. art.4.* Suar. *diſp.11. ſect.1.* Vaſq. *diſp.135. cap.1.* Ægid. de Coninch. *dub.1. à n.7. & dub.2. n.19.* Paul. Laym. *lib.5. tract.1. c.5. q.1. & 2.* Bonac. *diſp.1. q.3. p.1. à n.4.*

3. Solùm eſt inter Doctores controverſia, an ea poteſtas, quam habuit Chriſtus Dominus, quà homo eſt, alicui puræ creaturæ communicari poſſit? Alii affirmant, alii negant; quorum opiniones conci-

liant optimè Ægid. de Coninch. *dicta quæst.* 64. *art.* 4. *dub.* 2. Paul. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 1. *c.* 5. *quæst.* 2. dicentes communicari posse, sed non cum ea perfectione, ac fuit Christo communicata. Priorem partem probo, quia potuit Deus puræ creaturæ in præmium alicujus boni operis facti, vel faciendi, vel ex pura liberalitate potestatem concedere designandi aliqua signa stabilia, quorum recto, usui gratiam justificantem annecteret. Sed hæc est potestas sacramenta instituendi. Ergo puræ creaturæ hæc potestas communicari à Deo potest. Secundam verò partem, scilicet hanc potestatem non esse ita perfectam, sicuti est perfecta, quam habuit Christus, sic manifesto: quia Christo fuit concessa hæc potestas quodammodo ex debito, tum ob excellentiam personæ, tum ob ejus opera de condigno meritoria hujus potestatis, & illius usus, ac effectus, quæ nullatenus puræ creaturæ convenire possunt. Non enim puræ creaturæ hæc potestas debita esse potest, neque ob ejus excellentiam, neque ob opera meritoria, cùm nulla pura creatura de condigno mereri possit alieni peccati remissionem.

Punctum V.

De efficiente Sacramentorum causa, quoad eorum administrationem.

1. *Minister Sacramentorum solus est homo viator.*
2. *Legitima intentio ad valorem Sacramenti requiritur.*
3. *Actualis necessaria non est, sed sufficit virtualis.*
4. *Quando hæc intentio virtualis adsit, explicatur.*
5. *Habitualis, & interpretativa intentio non sufficit.*
6. *Intentio sufficiens debet esse absoluta, non conditionata pendens à futuro eventu. Excipitur matrimonium.*
7. *Intentio sub conditione præsenti, vel præterita non vitiat Sacramentum; illicite tamen apponitur absque causa rationabili.*
8. *Probitas ministri ad valorem sacramenti necessaria non est, benè tamen ad illius licitum usum.*
9. *Existens in peccato, & Sacramentum administraturus debet conari ad contritionem.*
10. *Excipitur ab aliquibus administratio baptismi secluſa solemnitate. Non admittitur exceptio.*
11. *Alii excipiunt sacramentum matrimonii. Sed neque hæc exceptio approbatur.*
12. *Alii, Sed pauci excipiunt Eucharistiæ ministrationem. Sed reprobanda est exceptio ut aliena à veritate.*

1. SAcramentorum præcipuè novæ legis solus est constitutus minister homo viator, quia pro cursu hujus peregrinationis, & in illius subsidium sunt à Christo instituta, & hominibus concessa. Expediebat ergo solum hominem in hac vita degentem illorum ministrum esse: uti docuit D. Th. *quæst.* 64. *art.* 7. quem ferè omnes Doctores sequuntur apud Ægid. *ibi*, & Suar. *disp.* 13. *sect.* 1. Bonac. *disp.* 1. *qu.* 3. *punct.* 1. *à num.* 9. Hinc fit neque dæmones, neque dæmones, neque Angelos beatos sacramentorum ministros esse. Quod si aliquando constaret dæmones, vel Angelos sacramentum aliquod ministrasse, credendum est Angelis datam esse à Deo potestatem, & ex hac potestate divinitus, & miraculosè accepta sacramentum confeciſſe, ut multis exemplis exornat Sayr. *lib.* 2. *de Sacr. cap.* 3. *de Sacr. cap* 3. *quæst. unica art. propositi.* 5. Dæmonibus autem nunquam credendum est hanc potestatem communicari, sed ex sua malitia sacramenti ministrationem attentasse. Sic D. Th. *quæst.* 64. *art.* 7. Vasq. *ibi.* Ægid. de Coninch. *num.* 55. *& seq.* Sayr. *dicto lib.* 2. *c.* 3. *quæst. unica. art.* 2. *&* 3. Bonac. *disp.* 1. *q.* 3. *p. num.* 10. *& seq.* Suar. *disp.* 13. *sect.* 1.

2. Duplex pro sacramentorum administratione expostulatur in ministro conditio, videlicet legitima intentio, & pura conscientia. Si de intentione legitima loquamur; ita necessaria est ad sacramenti valorem, ut ea deficiente nullum sacramentum conficiatur: cùm enim Sacramenti ministratio libera esse debeat, necessario expostulatur in ministro voluntas libera illius, atque adeò quòd liberè velit, & intendat sacramentum conficere, sicut Christus instituit. Conclusio est de fide definita à Trident. *sess.* 7. *can.* 11. *& sess.* 14. *can.* 9. *& à Florent. Concilio, Decreto de unione Armeno.*

3. Quapropter solum est dubium, quæ intentio sufficiat, & necessaria sit? Sufficere actualem nemini potest esse dubium cum sit intentio præcipua, quæ haberi potest. Suar. *disp.* 13. *sect.* 3. *circa medium.* Vasq. 3. *p. disp.* 138. *cap.* 6. Bonac. *disp.* 1. *q.* 3. *p.* 2. *§* 3. *à n.* 11. At hæc intentio actualis necessaria non est, sed sufficit virtualiter, & moraliter perseverans. Non enim expediebat Christum Dominum in Sacramentorum administratione expostulare voluntatem moraliter impossibilem: haberi autem communiter voluntatem actualem vix erat possibile. Non igitur, est censendum illam Christum Dominum expostulare: Sic D. Thom. *quæst.* 64. *art.* 9. Suar. *disp.* 13. *sect.* 3. *circa medium.* Ægid. de Coninch. *art.* 8. *dub.* 2. Sayrus *lib.* 2. *cap.* 4. *q.* 4. *art.* 2. Bonac. *disp.* 1. *q.* 3. *p.* 2. *§.* 3. *num.* 11. Paul. Laymann. *lib* 5. *tract.* 1. *cap.* 5. *concl.* 2. & alii innumeri apud ipsos.

4. Quòd si inquiras, quando censearis habere intentionem virtualem Sacramentum conficiendi? Respondeo te censeri illam habere, cùm actualis tua voluntas in aliquo opere ad Sacramenti administrationem ordinato perseverat. Secus verò si actualis voluntas extraneo opere, & alieno à Sacramenti administratione interrumpatur. Exempla sunt, si velis sacrum facere, aut Baptismum, vel ordinem ministrare, & ex hac voluntate pergis ad Ecclesiam vestimenta assumis, aliaque necessaria præparas, talis voluntas tum in confectione itineris, tum in susceptione sacrarum vestium, tum in aliorum requisitorum functione virtualiter perseverat, quia perseverat illius actualis voluntatis virtus, & efficacia, si quidem ob eam voluntatem & in illius executionem ea opera fiunt. Secus esset, si habitâ voluntate Sacramentum conficiendi te diverteres ad aliud opus præstandum, quod neque ex illa voluntate nascitur, neque ad illius executionem dirigitur; quia eo opere posito prima illa voluntas actualis administrandi Sacramentum interrupta est, cùm neque actualiter, neque virtualiter duret. Sic explicant Bonac. *disp.* 1. *de Sacram. q.* 3. *p.* 2. *§.* 3. *num.* 3. Paul. Laymann. *lib.* 5. *tract.* 1. *cap.* 5. *q.* 5. *n.* 11. Ægid. de Coninch. *quæst.* 64. *art.* 6. *dub.* 2. *num.* 71.

5. Præter hanc voluntatem actualem, & virtualem est alia voluntas, quæ vocatur habitualis, & interpretativa: habitualis, inquam, quia habitu manet; interpretativa verò, quia homines interpretantur, ac si actualiter adesset, eo quod præteriit & revocata non sit. Hæc igitur voluntas, ut ab actuali, & virtuali distincta est, insufficiens est ad Sacramenti administrationem: quia Sacramenti causa non est; siquidem ex illa voluntate præterita, & habitu permanenti neque Sacramentum, neque alia actio, quæ Sacramenti administrationi connexa sit, procedit. Quod à fortiori verum habet, si ministratio contingeret tempore quo rationis usu destitutus esset. Nam esto habuisses antea voluntatem conficiendi Sacramentum, illámque haberes, si rationis compos esses, quia tamen de facto cùm illud Sacramentum conficis, non procedis humano & rationabili modo, ea de causa voluntas illa insufficiens

eſt : Chriſtus enim inſtituens Sacramentum, & poteſtatem hominibus ea adminiſtrandi concedere voluit, ut ſecundùm rationem adminiſtrarentur, quod fieri non poteſt ab hoc rationis uſu deſtituto. Neque huic veritati obſtat, quod adulto deſtituto uſu rationis Baptiſmi Sacramentum Ordinis, Extremæ unctionis, imò & Pœnitentiæ concedi poſſit, ſi antea ad illa Sacramenta recipienda ſe diſpoſuit, quia minus ad recipiendum; quàm ad agendum requiritur. Et præterea quia concedi Sacramenta amentibus per ſe non decet, ſecus verò quòd per amentes miniſtrentur; ſicuti indecens non eſt, ſed potiùs miſericordiæ; & liberalitatis opus, quòd tua bona in amentes pauperes diſtribuas; ac dedeceret maximè quòd ea per amentes diſtribueres. Neque item obſtat homicidium tibi imputari in amentia, vel ebrietatè commiſſum, ſi cùm inebriatus es prævidiſti commiſſurum, quia ad hanc imputationem ſufficit, quòd cauſam homicidii appoſueris liberè, at ad Sacramentum miniſtrandum non ſufficit præbere cauſam illius, ſed inſuper requiritur, ut ipſummet Sacramentum liberè, & humano modo miniſtretur : quia eſt diſpenſario à Chriſto conceſſa ſuorum meritorum, quam non eſt credendum conceſſiſſe hominibus irrationabili modo operantibus. Non igitur intentio habitualis ut diſtincta ab actuali, & virtuali ſufficit ad Sacramentum miniſtrandum. Atque ita ſuſtinent ex communi omnium ſententia Suar. *diſp.* 13. *ſect.* 3. *concl.* 1. *&* 2. Ægid. de Conin. *q.* 64. *art.* 8. *dub.* 2. *n.* 73. Bonac. *diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 2. §. 3 *n.* 11. Paul. Layman. *lib.* 5 *tract.* 1. *de Sacram. cap.* 5 *circa fin. in*, & alii plures apud ipſos.

6. Rurſus intentio actualis, vel virtualis conficiendi Sacramentum, ſeu faciendi, quod Chriſtus inſtituit, debet neceſſariò eſſe abſoluta, cum apponitur materia, & forma Sacramenti non conditionata pendens à futuro eventu. Quia inpoteſtate miniſtri conſtitutum non eſt materia, & forma Sacramenti poſita eorum ſignificationem ſuſpendere. Non enim ex intentione miniſtri, ſed ex Chriſti inſtitutione ſignificationem habent. At Chriſtus Dominus materiæ, & formæ Sacramenti ſignificationem gratiæ annexuit. Non igitur poteſt miniſter illam ſuſpendere uſque ad futurum eventum. Quo circa non poteſt miniſter hodie Petrum baptizare, ordinare, confirmare ſub conditione, quòd in craſtinum miſericordiæ, vel pœnitentiæ actum exerceat. Quia nequit intentionem conficiendi Sacramentum habere pro tempore, quo non eſt illius materia, & forma. At tempore, quo conditio purgatur neque verba baptiſmi proferuntur, nec Petrus aqua mergitur. Ergo non eſt illius materia, & forma. Ergo non poteſt eſſe intentio illo tempore Sacramenta conficiendi. Sic docent plures relati ab Henriq. *lib.* 1. *c.* 10. *num.* 7. Suar. *diſput.* 13. *ſect.* 3. *conc.* 3. Con. *quæſt.* 64. *artic.* 8. *dub.* 2. *concluſ.* 2. *&* 3. Bonac. *de Sacram. diſput.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 2. §. *à num.* 19. Paul. Layman. *lib.* 5. *tract.* 1. *de Sacram. cap.* 5 *concluſ.* 4. Ab hac doctrinâ prædicti Doctores excipiunt & benè Sacramentum matrimonii, eo quod ejus fundamentum ſit humanus contractus, qui pendere poteſt à conditione futura, & ea poſita perfici. Quod in aliis Sacramentis utpote materia, & forma phyſica & non morali conſtantibus eſſe non poteſt.

7. Verùm ſi conditio, ſub qua Sacramentum miniſtratur præſens eſt, vel præterita, validum eſt Sacramentum ſub ea conditione miniſtratum, quia ejus ſignificationem non ſuſpendit, cùm ſit intentio conficiendi Sacramentum eo rempore, quo miniſtratur ejus materia, & forma, ſiquidem eo tempore conditio exiſtit. Atque ita docent Suar. *dict. d.* 13. *ſect.* 3. *conc.* 3. Conin. *q.* 64. *art.* 8 *dub.* 2. *concl.* 2. Bonac. *diſp.* 1. *de Sacram. q.* 3. *p.* 2. §. 3. *à n.* 18. Laym. *lib.* 5. *tract.* 1. *de Sacr. cap.* 5. *in fine*, & alii.

Verùm etſi Sacramentum poſita conditione de præterito, vel de præſenti validum ſit; at grave peccatum eſt eo modo abſque cauſa ſaltem probabili adminiſtrari, eò quòd te exponas periculo irritum faciendi Sacramentum caſu quo non adeſſet conditio, ſub qua illud miniſtras. Sic Henriq. *lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 7. Suar. *diſp.* 3. *ſect.* 3. *concl.* 3. Bonac. *diſp.* 1. *q.* 3. *p.* 2. §. 3. *num* 20. & alii apud ipſos.

8. Secunda conditio, quæ pro Sacramentorum adminiſtratione requiritur, eſt probitas miniſtri. Sed hæc ad validum uſum Sacramenti neceſſaria non eſt. Non enim Chriſtus Dominus ſuorum Sacramentorum valorem, & efficaciam ex fide, & probitate miniſtri pendere voluit. Sicuti docuit D. Thom. quem ferè omnes ſequuntur, *q.* 64. *art.* 5. Ægid. de Conin. Vaſq. Peſant. ibid. Suar. *diſp.* 13. *ſect.* 4. Bellarm. *lib.* 1. *cap.* 26. Sayr. *l.* 2. *cap.* 6. *art.* 2. *q. unica.* Bonac. *diſp.* 1. *de Sacr. q.* 3. *p.* 2. §. 1. *num* 1.

Verùm etſi hæc conditio ad valorem ſacramenti neceſſaria non ſit, at neceſſaria eſt ad licitum illius uſum : cùm enim ſacramenta conferens Chriſti miniſter ſis, & ſuorum meritorum diſpenſator, irreverentiam non levem committis adverſus dignitatem Chriſti; & ſuorum meritorum, ſi ei gratus non ſis, ſed potiùs in peccato mortali exiſtas, illiúſque ſis hoſtis, & inimicus, ac diaboli mancipium. Quod à fortiori procedit, quando ex ſuſceptione alicujus Sacramenti ad ea ſacramenta miniſtranda conſecratus exiſtis, quia eo ipſo ſpecialem obligationem ſubis ea dignè tractandi. Atque ita docent D. Thom. *q.* 64. *art.* 4. *&* 6. Gaiet. *ibid.* Valen. *tom.* 4. *diſput.* 3. *q.* 5 *pun.* 3. Coninch. *art.* 6. *dub.* 1. *concl.* 1. Suar. *diſp.* 16. *ſect.* 3. Vaſq. 3. *diſp.* 136. *cap.* 1. 2. *&* 3. Bonac. plures referens, *de Sacram. diſp.* 1. *q.* 3. *p.* 2. §. 1. *n.* 2. Layman. *lib.* 5. *tract.* 1. *c.* 5. *concl.* 2. & ſumitur ex Auguſt. relato *in cap. omnia* 1. *q.* 1. ibi omnia ſacramenta cùm obſit indignè miniſtrantibus, proſunt tamen per eos digne ſumentibus. Idem colligitur *ex cap. ult.* 15. *q.* 8. ibi mali bona adminiſtrantes ſe tantum modo lædunt, & *cap. ult. de cohabitat. clericor. & mulier.* ibi. Verùm etſi quemlibet pro peccato mortali, quoad ſeipſum conſtet eſſe ſuſpenſum.

6 Hinc fit te exiſtentem in peccato mortali, volentem adminiſtrare quodlibet ſacramentum, obligatum eſſe ſub gravi culpa conari ad contritionem habendam, niſi fortè ob anguſtiam temporis, quo ſacramentum neceſſariò miniſtrandum eſt, videaris non potuiſſe contritionem excitare, & ritè diſponi. Sic prædicti Doctores. Specialiter Vaſq. Ægid. Layman. quia eo ipſo, quo ſacramentum miniſtras, perſonam Chriſti geris, & ſuorum meritorum es diſpenſator. Debes ergo & Chriſto aſſimilari, & ejus merita dignè tractare. Excuſari autem potes, ſed rarò ab hac obligatione, ſi ita urgeat neceſſitas, Sacramentum v. g. Baptiſmi, vel Pœnitentiæ morituro miniſtrandi, ut moraliter non potueris prius à peccato purgari, quia ceſſat irreverentia ſacramenti ob celerem illius adminiſtrationem, & proximi neceſſitatem, ſicuti ceſſat, cùm indigno ſacramentum miniſtras, ne eum infames, ut benè notavit Ægid. de Coninch. *q.* 64. *art.* 6. *dub.* 1. *num.* 22. Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 1. *cap.* 5. *n.* 8.

10. Aliqui excipiunt ab hac doctrina adminiſtrationem ſacramenti Baptiſmi ſine ſolemnitate à ſacerdote factam, eò quòd hæc adminiſtratio à laico fieri poſſit, nec ſit proprie actus Ordinis, nec procedat à Sacerdote, ut à miniſtro ad eum miniſtrationis modum conſecrato, & quaſi ex officio deputato. Sic D. Thom. 3. *p. quæſt.* 64. *artic* 6. Suar. *diſput.* 16. *ſect.* 4. *per totam, ſpecialiter in fine.* Valen. *punct.* 3. Sayr. *l.* 2. *cap.* 7. *q.* 1. *art.* 2. *&* 4. Bonac *de Sacr. diſp.* 1. *q.* 3. *p.* 2. §. 1. *n.* 11. *&* 12. Eman. à *verbo baptiſmus*, *n.* 1. *&* 15. *in edit. Romana*, *&* alii. Sed hæc exceptio

admitti poterat comparatione laici in neceſſitate baptiſmum miniſtrantis, non tamen in Sacerdote, qui ratione conſecrationis deputatur ad quorumlibet Sacramentorum diſpenſationem, ac proinde quotieſcunque, & quomodocunque miniſtret, miniſtrat ex officio: ſi enim cùm ſolemniter baptizat, cenſetur eſſe miniſter publicus ab ipſa ordinis ſuſceptione deputatus etiam cùm abſque ſolemnitate ob occurrentem neceſſitatem baptizat, debet cenſeri publicus miniſter, & ex officio ad id deputatus, quia baptiſmus ſolemnis à privato ſolùm differt ceremoniis, & ritibus ab Eccleſia inſtitutis. Ergo ſi Sacerdos ex vi ſuſcepti ordinis conſecratur ad miniſtrandum baptiſmum æquè ad miniſtrandum baptiſmum ſolemniter, & privatè conſecratur, neque ex vi conſecrationis unum præ alio ſpectari poteſt, aliàs ſolemnitas à jure divino eſſet. Sic ſuſtinent Ægid. de Coninch. *q.* 64. *art.* 8. *num.* 36. Paul. Layman. *lib.* 5. *tract.* 1. 6. 5. *concl.* 2. *&* 3.

11. Secundò excipiunt alii matrimonium, affirmántque contrahentes illud in peccato mortali mortaliter non peccare, qua parte illius Sacramenti ſunt miniſtri, eſto peccent qua parte obicem ponunt gratiæ recipiendæ, quia non ſunt ad illud miniſtrandum ſpecialiter deputati. Sic docuerunt Sotus *in* 4. *diſt.* 1. *q.* 5. *art.* 6. Sayr. *lib.* 2. *de Sacram. cap.* 7. *q.* 1. *art.* 5. Sanch. *lib.* 2. *de matr. diſp.* 6. *num.* 4. Suar. 3. *p q.* 65. *diſput.* 16. *ſect.* 4. *verſ. ad fundamenta.* Bonac. *diſp.* 1. *de Sacram. q.* 3. *p.* 2. §. 1. *num.* 9. Ægid. de Coninch. *qu.* 64. *art.* 8. *dub.* 2. *n.* 38. Suſtineri hæc exceptio poteſt ut ſatis probabilis. Sed probabilius exiſtimo tam hanc, quam præcedentem exceptionem admittendam non eſſe, ſed omnino affirmandum cujuſlibet Sacramenti confectionem in peccato mortali grave peccatum eſſe. Quia cenſeo gravem irreverentiam Chriſto fieri, ſi ab ejus hoſte, & inimico ejus merita aſſumuntur diſpenſanda. Neque obſtat quòd miniſter non ſit ex officio ad id ſpecialiter deputatus, quia irreverentia non tam ſumitur ex deputatione, quàm ex miniſterio ad quod miniſter eſt deputatus. Alias ſi ex deputatione ſumeretur irreverentia initiatus ordinibus minoribus, & illorum actus exercens in peccato mortali peccaret mortaliter. Idémque eſſet de confirmato in fide, & illam coram tyranno profitente in peccato mortali, & de conjugibus uſui matrimonii in peccato mortali vacantibus, quia ad hæc omnia ſunt ex officio deputati. Quæ certè admittenda non ſunt. Non igitur ex deputatione, ſed ex miniſterio ad quod quis eſt deputatus irreverentia deſumenda eſt. Fateor tamen ex deputatione irreverentiam augeri, ſed intra eandem ſpeciem non, tamen transferri in aliud irreverentiæ genus, ac proinde ſi miniſtratio Sacramenti abſque deputatione ſolùm eſſet veniale peccatum, ob deputationem mortale eſſe non poteſt.

12. Tertio excipiunt alii ſed pauci Euchariſtiæ conſecratæ miniſtrationem, eo quòd hæc miniſtratio non ſit ſacramenti confectio, ſed confecti diſtributio, ac proinde non videtur gravis irreverentia Chriſto facta, ſi in peccato mortali fiat. Alias Diaconus, imò Laicus in neceſſitate ſacramentum ſibi, vel alteri porrigens peccaret mortaliter, quod non videtur admittendum. Non igitur hæc diſtributio in mortali mortale conſtituit. Deinde non eſſet mortale Chriſtum in terra exiſtentem à peccatore humiliter, & reverenter tangi, ergo neque etiam exiſtentem in venerabili Euchariſtiæ ſacramento. Sic ſuſtinent Henriq. *quodlib.* 6. *quæſt.* 30. Martin. Ledeſma 1. *t.* 4. *quæſt.* 5. *artic.* 6. *dub* 3. relati à Sayro ſtatim referendo. Didacus Nunez. *quæſt.* 64. *artic.* 6. *diſtinct.* 1. *concl.* 2.

Sed hæc exceptio nullatenus eſt admittenda, quia diſtributio ſacramenti Chriſtum continentis eſt actio religioſiſſima, & graviſſima: per illam enim merita Chriſti Domini communicantur, & recipientes cum Chriſto uniuntur. Requirit ergo in diſtribuente puritatem, præcipuè cùm hæc diſtributio nomine Chriſti fiat, & maximè ſi fiat à Sacerdote, & à Diacono in neceſſitate, qui ſunt miniſtri ad hoc munus deputati. Et ita loquentes de ſacerdote, & Diacono docent Sylv. *verbo Euchariſtia*, 3. *q.* 4. Sotus *in* 4. *diſt.* 13. *quæſt.* 1. *art.* 3. Suar. *diſp.* 16. *ſect.* 4. *diſp.* 72. *ſect.* 4. Greg. de Valen. *t.* 4. *diſp.* 6. *quæſt* 10. *punct.* 1. Sayrus *lib.* 2. *c.* 7. *quæſt.* 1. *art.* 5. *n.* 6. Ægyd de Coninch. *q.* 64. *art.* 6 *dub.* 1. *n.* 35. Bonac. *diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 2. §. 1. *circa finem.* Neque eſt ſimile de tangente Chriſtum in terris exiſtentem, quia ille contractus, ſicuti & contactus ſacramenti non eſſet ſacramenti, & meritorum Chriſti diſtributio, & communicatio, ac proinde non æqualem puritatem expoſtularet, ſicut expoſtulat ſacramenti diſtributio. Ex quo fit levare Euchariſtiam in terra exiſtentem & ex uno alteri in aliud transferre non eſſe mortale, eſto à peccatore fiat, quia non eſt ſacramenti diſtributio, neque illa irreverentia tanta, ut mortale peccatum cenſeatur conſtituere. Sic Suar. *diſp.* 72. *ſect.* 4. *verſ. ſed objicies.* Vaſq. *diſput.* 136. *n.* 39. Ægid de Coninch. *q.* 64. *art.* 6. *dub.* 1. *n.* 39. Bonac. *de Sacram. diſp.* 1. *q.* 3. *p.* 2. § 1. *circa finem.* Sayrus *ſupràn.* 8.

Punctum VI.

Quæliter probitas requiratur in conficientibus Sacramentalia, exercentibúſque ordinis functiones, aliorúmque Sacramentorum uſum.

1. *Plures docent eſſe peccatum mortale conficere ſacramentalia in peccato mortali.*
2. *Probabilius eſt oppoſitum.*
3. *Fit ſatis oppoſito fundamento.*
4. *Non peccat mortaliter (ſecluſo ſcandalo) Epiſcopus peccator conferens primam tonſuram, benedicens oleum, conſecrans Altaria.*
5. *Neque Concionator verbum Dei in peccato prædicans.*

1. SAtis communis ſententia eſt peccatorem conficientem ſacramentalia, exercentem actus ordinis ſacri mortaliter peccare, quia indignè tractat munus ſacrum ad quod eſt vi conſecrationis deputatus. Colligitur ex Greg. *c. ult. de temp. ord.* Ubi poſtquam dixit, clericos occulta adulteria, vel alia crimina committentes poſtquam pœnituerint impediendos non eſſe, ne ad altiores Ordines aſcendant neve in ſuſceptis miniſtrent, ſubjungit. Quòd ſi pœnituerint monendi ſunt, & ſub interminatione divini judicii obteſtandi, ut in teſtimonium ſuæ damnationis in ſuſceptis etiam Ordinibus non miniſtrent. Eſt igitur peccatum mortale cujuſlibet Ordinis ſacri miniſtratio. Sic Navar. *c.* 25. *n.* 72. *& c.* 27. *n.* 163. Sayrus pluribus relatis, *lib.* 2. *de ſacram. c.* 7. *quæſt.* 2. *art.* 1. De aliis verò functionibus Ordinum minorum, aliorúmque ſacramentorum uſu, cenſent non eſſe mortale ſi à peccatore fiant, quia non videntur ita gravem irreverentiam conſtituere.

2. Cæterùm probabilius exiſtimo nullum exercitium Ordinis, vel alterius ſacramenti præter ſacramenti miniſtrationem à peccatore factum mortale eſſe, ſic docuit Henriq. de Gandavo *quodlib.* 6. *q.* 30. Sotus *in* 4. *diſt.* 1. *q.* 5. *art.* 6. *& diſt.* 24. *q.* 1. *art.* 4. *poſt.* 7. *concl. & diſt.* 25. *quæſt.* 1. *art.* 4. Palau. 4. *diſt.* 3. *& 6. diſp.* 2. Suar. *diſp.* 16 *ſect.* 3. Greg. de Valent. *t.* 4. *diſp.* 3. *quæſt.* 5. *punct* 3. Ægid. de Coninch. *quæſt.* 64. *art.* 7. *dub.* 1. *n.* 39. Bonac. *diſp.* 1. *q.* 3. *pun.* 3. §. 1. *n.* 4. *& ſeqq.* Vaſq 3. 3. *diſp.* 136. *n.* 50 Favet Paulus Laym. *lib.* 6. *tract.* 1. *c.* 5. *concl.* 4. Ratio ea eſt, quia neque ex muneris ſanctitate, & dignitate, neque ex deputatione ad ipſum

exercendum videtur colligi mortalem irreverentiam esse in peccato mortali exerceri. Quia omnia illa munera ex se sanctitatem non conferunt, ac proinde illa exercens merita Christi non distribuit. Non igitur sub gravi culpa sanctitatem habere tenentur ea exercentes. Et confirmo. Initiatus Ordinibus minoribus deputatus est ad illorum ordinum exercitium, quod ferè æquè dignum est, ac est exercitium Subdiaconi, & Diaconi. Item suscipiens Confirmationis Sacramentum deputatus est ad fidem coram tyranno profitendam, qui actus dignissimus est, & tamen si hunc actum peccator exerceat, non obinde peccabit mortaliter, sicut ineque initiatus minoribus actus illorum Ordinum exercens. Ergo neque etiam est censendus peccare mortaliter exercens actus Ordinum majorum: cùm deputatio æqualis sit in omnibus iis actionibus; & ferè in eis nullus excessus sanctitatis, & dignitatis.

3. Neque obstat Gregor. IX. *in caput. ult. de tempor. ordin.* definientem Clericos peccatores in susceptis Ordinibus ministrantes ministrare in testimonium suæ damnationis. Non enim ministrant in damnationem, sed in testimonium damnationis, eò quòd ipsa sua ministratione, quæ sancta est, testantur damnatione dignos esse, non ob ministrationem, sed ob peccata quibus maculati sunt, cùm in susceptis Ordinibus ministrant. Aliàs Clerici minoribus Ordinibus initiati, & in ipsis ministrantes ministrarent in damnationem suam, peccarentque mortaliter, cum Pontifex de omnibus Clericis generaliter loquatur. Non igitur definivit Pontifex ministrationem Clericorum peccatorum esse in illorum damnationem, sed in testimonium damnationis, quia ipsamet ministratio utpote sancta testatur ipsos damnatione dignos esse, cùm eorum vita puritati ministrationis non sit conformis. Sic explicat Ægid. de Coninch. *quæst.* 64. *art.* 6. *dub.* 1. *n.* 41.

4. Hinc fit Episcopum peccatorem conferentem primam tonsuram, oleum benedicentem, Ecclesias, Altaria, Chrisma, sacra vasa, & virgines consecrantem, nuptias, aquam, populum etiam cum venerabili Eucharistiæ Sacramento benedicentem, Subdiaconumque, & Diaconum peccatores solemniter Epistolam, vel Evangelium canentes non peccare mortaliter, quia non exercent actus, quibus sanctitas ex opere operato annexa sit. Sic Valent. Suar. Vasq. Benac. Coninch. & Sotus locis citatis.

5. Fit secundo Prædicatorem verbum Christi prædicantem (secluso scandalo) mortale non committere, quia non est in actu, cui sanctitas sit annexa. Deinde quia nulla consecratione, & ordine ad illud munus exercendum deputatur. Sic ex communi sententia adversus Cajet. & Navarr. tradit Paul. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 1. *c.* 5. *q.* 4. *concl.* 4. *in fine.* Suar. *disp.* 16. *sect.* 3. *circa finem*, Valen. 4. *t. disp.* 3. *q.* 5. *pun.* 3. Sayrus aliis relatis, *lib.* 2. *cap.* 7. *q.* 4. *n.* 5.

Punctum VII.

Qualiter gratia justificans per Sacramenta concedatur.

1. *Omnia Sacramenta novæ legis gratiam justificantem conferunt quantum ex se.*
2. *Secus Sacramenta legis antiquæ.*
3. *Aliqua Sacramenta novæ legis conferunt per se primam gratiam, alia conferunt augmentum illius.*
4. *Simul cum gratia sanctificante virtutes infunduntur.*
5. *Ex vi cujuslibet Sacramenti gratia sacramentalis conceditur. Et quæ hæc sit.*
6. *Quæ sit auxilium, in quo gratia sacramentalis consistit.*

1. EXplicata essentia Sacramentorum, & eorum causa efficiente explicandi sunt illorum effectus, præcipuus, & primarius est gratia justificans, cùm ad sanctificandum populum sint Sacramenta instituta. Omnia igitur Sacramenta novæ legis quantum est ex se gratiam justificantem conferunt; ob hunc enim finem Christus Dominus ea instituit, ut apertè colligitur de Sacramento Baptismi, Joan. 3. ibi nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non poterit introire in regnum Dei. Et de Sacramento Confirmationis. Actor. 8. per manuum impositionem dabatur Spiritus sanctus. De Sacramento Eucharistiæ habetur. Joan. 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo quod esse non potest nisi per gratiam. De Sacramento Pœnitentiæ dixit Christus, Joan. 20. Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis retenta erunt. De Extrema-Unctione. Jacobi 5. Oratio fidei salvabit infirmum. De Ordine, 2. Timoth. 2. ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem: & tandem de matrimonio dicitur ad Ephes. 5. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. Præterea hæc veritas definita, & declarata est à Trid. *sess.* 7. *can* 8. *&* 9. Unde jam non licet de hac re dubitare absque manifesto hæresis periculo. Sic pluribus Patrum, & Conciliorum testimoniis exornant Sayrus. *lib.* 5. *de Sacram. c.* 1. *art.* 3. Valen. *t.* 4. *disp.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 1. Ægid. de Coninc. *q.* 62. *art.* 1. *dub.* 1. Suar. *ibi disp.* 7. *sect* 1. & alii.

2. Notanter dixi Sacramenta novæ legis. Nam antiqua non conferebant gratiam justificantem, sed conferendam per Christum significabant. Neque huic veritati obstat, quòd in circumcisione remittebatur peccatum originale, & actuale, si cum originali esset conjunctum, quia hæc remissio, esto ad præsentiam circumcisionis fieret, non virtute circumcisionis, sed ex fide in Christum venturum, quam suscipiens circumcisionem, vel ejus parentes eo signo protestabantur, concedebatur, ut latiùs punct. 1. diximus. Et probat optimè Ægid. de Coninch. *q.* 62. *art.* 6.

Deinde dixi, Sacramenta novæ legis gratiam justificantem causare, quantum est ex se, ut indicarem aliquando impediri ab hujus effectus productione ob incapacitatem suscipientis, qui impedimentum apponit gratiæ, quæ illi communicanda erat per Sacramentum, si ritè esset dispositus.

3. Sed inter hæc Sacramenta est differentia; nam quædam sunt per se primariò instituta ad remissionem peccati, ac proinde ad concedendam recipienti primam gratiam, qualia sunt Baptismus, & Pœnitentia. Non enim remittitur peccatum nisi gratia concedatur, ob quam causam hæc vocantur Sacramenta mortuorum, quia communicata mortuis in peccato illos excitant ad vitam communicatione gratiæ justificantis. Reliqua verò Sacramenta sunt instituta per se primariò ad augendam gratiam eáque de causa dicuntur Sacramenta vivorum, quia per se expostulant, ut suscipientes vitam spiritualem habeant, cum ea suscipiunt. Sed non obinde fit, quin hæc Sacramenta vivorum aliquando conferant primam gratiam non ponentibus obicem. Si enim Sacramenta mortuorum ex sua institutione quasi secundaria augent gratiam, cùm inveniunt suscipientes gratiam possidere, quid mirum quod Sacramenta vivorum ex eadem institutione vitam gratiæ tribuant, si suscipientes mortuos inveniant dispositos tamen gratiæ suscipiendæ? Omnia enim sacramenta gratiam ex institutione significant, ac proinde illam conferre valent, neque gratia prima à secunda, seu ab illius augmento essentialiter differt, sed tantùm accidentaliter. Poterunt ergo omnia Sacramenta ex institutione sua gratiam primam, vel illius augmentum conferre. Sic

docent communiter Doctores teste Suar. *3.p. disput.7. sect.2.* Ægid. de Conin. *q 62. art.1. dub. 2. per totum.* Bonac. *disp.1. q.4. punct 2.* Paul. Layman, *lib.5. sum. tract 1. cap.6. num.2.* Quæ autem dispositio ex parte suscipientium Sacramentum requiratur ad illius effectum in sequentibus explicabimus.

4. Prædicto effectui gratiæ habitualis annexæ sunt reliquæ omnes virtutes supernaturales infusæ, tam theologales, quàm morales, quia omnes hæ gratiam, ut regnam comitantur, ac proinde Sacramentum causans gratiam ex consequenti causa est reliquarum virtutum, quæ gratiam consequuntur. Colligitúrque ex Trident. *sess.6. cap.7.* & notavit Bonac. *disput.1. de Sacram. quæst 4 p.1. num.6.* Suar. *disput.7. sect.2. circa finem.* Saytus, *lib.5. cap.5. art.2. in principio.*

5. Præter hujusmodi gratiam justificantem, & virtutes infusas, conceditur ex vi cujuslibet Sacramenti ritè suscepti gratia quædam, quæ sacramentalis appellatur, eò quòd ad consequendum finem illius Sacramenti dirigatur. Sic tradit expresè D. Thom. *quæst.62. art.2.* quem ferè omnes sequuntur. Consistit autem hæc sacramentalis gratia, ut à gratia justificante, aliisque virtutibus distinguitur in auxilio quodam speciali virtute Sacramenti à Deo concesso, ad finem illius Sacramenti obtinendum. Verbi gratia. Ob Sacramentum Baptismi ad puritatem animi institutum conceditur auxilium ad hanc animi puritatem conservandam, & consequenter ad servanda omnia præcepta, reliquáque Sacramenta dignè recipienda. Ob Sacramentum Confirmationis institutum, ad nos in fide, & gratia accepta per Baptismum roborandos auxilium conceditur ad eam fidem firmiter, & constanter profitendam, gratiámque conservandam. Ob sacramentum pœnitentiæ datur auxilium ad detestandum peccatum, & pro commissis integrè satisfaciendum, quia hic est hujus sacramenti finis. Ob Eucharistiam auxilium recipitur ad tentationes superandas, agendamque gratiam omnium virtutum exercitio. Ob Extremam-Unctionem conceditur auxilium ad dissolvendas diaboli insidias, illiúsque tentationes tempore mortis superandas. Ob Sacramentum Ordinis auxilium datur ad rectum illius usum. Idémque est in matrimonio. Sic colligunt ex D. Thom. *q 62. art.2.* Suar. *disput.7. sect.3. concl.2.* Sayr. *lib 5. de Sacram. cap.6. quæst. un. art.3.* Pensantius, *disput.1. pag.862.* Ægid. de Coninc. *dicta quæst.62. art.2.* Bonac. *disp.1. quæst.4. punct.1. in fine & punct.5. n.2.* Paul. Layman. *lib.5. sum. tract.1. cap.6. n.3.*

6. Sed non caret difficultate quale sit hoc auxilium ex vi sacramenti concessum? Nam si est auxilium efficax, inferri videtur ritè baptizatum, v. g. non esse gratiam amissurum, quia numquam gratia amittitur posito efficaci auxilio ad eam conservandam, si verò auxilium Sacramenti concessum sufficiens tantùm sit, non videtur specialis favor esse illius concessio. Tum quia auxilium sufficiens nemini denegatur à Deo. Tum quia oratione, & pœnitentia, aliisque virtutum actibus poterit à Deo impetrari etiam superabundans. Propter hæc dicendum existimo vi cujuslibet Sacramenti dari auxilium aliquando efficax, aliquando sufficiens, sed abundantiùs, quàm concederetur Sacramento non recepto ad consequendum finem illius Sacramenti, esto oratione idipsum aliquando impetrari possit. Quando autem dandum sit auxilium efficax, vel sufficiens superabundans ex voluntate Dei pendet. Sacramentum enim solùm operatur, ut ex vi illius detur auxilium ad finem ipsius consequendum, sive sit efficax, sive sufficiens. Quòd verò detur determinatè auxilium efficax non tam ex sacramento, quàm ex voluntate Dei pendet. Adde esto daretur ex vi Sacramenti auxilium efficax, non inde fit gratiam nunquam amitti posse, quia non est necessarium, ut ex vi Sacramenti detur auxilium in omni tempore & occasione, sufficit si pro aliquo tempore, unicáque occasione concedatur.

Punctum VIII.

Qualiter, & quando prædictos effectus Sacramenta operentur.

1. *Sacramenta operantur suos effectus, cùm sunt in esse perfecto.*
2. *Sed qualiter hoc contingat. Proponitur dubtandi ratio.*
3. *Dupliciter operari possunt, vel physicè vel moraliter.*
4. *Plures Doctores firmant Sacramenta esse causas physicas.*
5. *Probabilius est moraliter tantùm operari.*
6. *Quod evidentius est comparatione gratiæ Sacramentalis.*
7. *Ob majorem ministrantis devotionem, si suscipientes æqualiter sunt dispositi, gratia non augetur.*
8. *Augetur tamen instante suscipientis majore dignitate.*

1. SAcramenta operari suos effectus in eo instante perfecta, in quo censentur esse, certum esse debet, quia sunt signa practica, & consequenter operativa illius quod significant. Atque ita tradit cum D. Thom. *q.62. art.1.* Didac. Nunez. *difficult.7. vers.5. sententia.* Ægid. de Coninch. *dub. 4. num.62.* Suar. *disput.8. sect.2. §. ultimus dicendi modus.* Henriq. *lib 1. cap.19. num.1. & lib.2. cap 9. num.1.* Bonac. *disp.1. q.4. p.7. per totum.*

2. Sed dubium est, qua ratione id fiat, eò quòd in pluribus eorum materia, & forma sint entia successiva, quæ simul esse non possunt, imò potius debent non esse, ut censeatur perfectè constitui. Deinde prius tempore solet apponi materia sacramenti, quàm forma, & è contra, quod valori sacramenti non obstat, si est moralis conjunctio: finita enim prolatione formæ Baptismi, v. g. potest puer in aquam immergi, vel è contra priùs immergi, quàm forma Baptismi proferatur. Quomodo ergo sacramenta signa practica suorum effectuum esse possunt, quando sunt siquidem eorum partes non simul existunt? Præterea si loquamur de gratia sacramentali; ut à gratia justificante, aliisque virtutibus habitualibus distinguitur, longo tempore post sacramentum receptum conceditur, quomodo ergo sacramentum, quod non est illius causa practica, sed operativa esse potest.

3. Pro decisione quæstionis præmittendum est dupliciter Sacramentum operari suos effectus posse physicè, vel moraliter. Physicè operabuntur, si causa fuerit realis, & physica effectuum, ita ut effectus producti ex vi illius actionis qua realiter producuntur dependentiam à sacramentis habeant tanquam à causa à qua accipiunt esse: moraliter verò operabuntur effectus sacramenta, si eorum existentiæ ex vi divinæ promissionis annexi sint. Deus enim promittens gratiam conferre sacramento posito, ob illius positionem constituit sacramentum signum practicum, seu causam moralem gratiæ.

4. Plures gravésque Doctores censent sacramenta non solum causas morales esse suorum effectuum, sed etiam physicas, Henriq. *lib 1. de sacram. cap.16. num.4.* Bellarm. *lib.2. cap.16 n.4.* Saytus. *lib.5. c.3. q. unica, art.5. 6. & 7.* Pensant. *3.p. q.62. art.1. disp. 1. concl.3.* Suar. *disp.9. sect.2. vers. dicendum est.* Bonac. *disp.1. q.4. punct.6. num.3.* Moventur, quia hic modus operandi possibilis est. Ergo credendum est sacramentis concessum fuisse, siquidem eorum dignitatem extollit, & verbis Scripturæ, Conciliorum, & Patrum conformior est. Scriptura enim, Concilia, & Patres asserunt homines sacramentis mundari, & sanctificari, illiúsque sanctitatis, & munditiæ causas esse, verámque sanctitatem continere, quæ

de morali tantùm causa non videntur aptè affirmari. Ergo dicendum est sacramenta physicas causas esse. Præterea si sacramenta solùm moraliter suos effectus causarent, eò quod illis positis concedit Deus gratiam promissam, solùm essent signa excitantia Deum obligatione quam habet, sicuti Chirographus excitat debitorem pro pecunia promissa solvenda. At hoc falsum est quia aliàs sacramenta non essent causa gratiæ, & signa practica illius, sicuti Chirographus non est causa pecuniæ, neque pecuniam operatur, esto illo exhibito, & manifestato solutio à debitore cujus est Chirographum fiat. Deinde sacramenta veteris legis præcipuè circumcisio gratiam moraliter causabat, quia circumcisione posita parvulis, & adultis remittebatur peccatum, & gratia concedebatur ex divina promissione, sed sacramenta novæ legis altiori modo gratiam continent, & producunt, quam Sacramenta vetera. Ergo non solùm moraliter, sed physicè causare gratiam debent.

5. Cæterùm probabilius censeo sacramenta novæ legis solum moraliter suos effectus causare. Sic colligitur ex D. Thom. *q.*64. *art* 1. & tradit Vasq. *disp.*132. *c.*3. 4. *&* 5. Ægid. de Coninch. *q.*62. *artic.*4. *dub. un. n.*113. Becan. *de Incarnat. cap.*10. *n.*14. & alii plures apud ipsos. Moveor primò, quia illa potentia obedientialis appellata, quæ à Doctoribus contrariæ sententiæ tribuitur cuilibet creaturæ etiam naturali, ut possit à Deo elevari ad quemlibet effectum supernaturalem producendum satis percipi non potest, si quidem ea potentia non potest esse ab entitate ipsius creaturæ naturalis distincta, sed eadem prorsus cum ipsa, aliàs non ipsa elevaretur. At quælibet entitas naturalis non est per se causa cujuslibet effectus supernaturalis, neque ad illum producendum inclinationem habet, aliàs quilibet effectus supernaturalis respiceret quamlibet rem naturalem, ut propriam sui causam, à qua dependere posset. Sicuti visio beatifica respicit Deum, & creatum intellectum, ipsáque entitas naturalis peteret per se concursum, & elevationem ad supernaturalem effectum producendum, sicuti petit intellectus creatus elevari ad visionem beatificam. Ergo nequit Deus facere, ut quælibet entitas naturalis quemlibet supernaturalem effectum per se producat, quia nequit rerum essentias mutare. Ergo sacramenta, quæ res naturales sunt, nequeunt ad producendam gratiam, reliquósque supernaturales effectus physicè concurrere. Secundò moveor, nam esto supradicta potentia obedientialis physica concedenda esset cuilibet rei creatæ, comparatione cujuslibet effectus, nequaquam in sacramentis locum habere potest, ob rationem dubitandi in principio factam, nempe sacramenta excepto Eucharistiæ esse entia successiva, cujus essentiales partes existere simul non possunt, ac proinde nec physicè causare. Quod si dicas causare suos effectus per illud punctum indivisibile terminativum, quo omnia entia successiva terminantur. Obstat, quia illud indivisibile non est sacramentum, sed sacramenti terminus, ac proinde solus terminus sacramenti propriè erit causa physica, non ipsum sacramentum. Tertiò moveor, si possibile est rem materialem elevari ad gratiam physicè producendam, negari non potest esse maximum miraculum, & divinæ omnipotentiæ opus. At hoc non est concedendum absque firmo fundamento, quod tamen nullum est in Scriptura, Conciliis, & Patribus. Ergo. Deinde necessarium non est sacramentorum dignitati, nominúmque utilitati. Sed absque his causis miracula asserenda non sunt. Ergo non est tribuenda sacramentis physica causalitas. Quod autem hominum utilitati necessarium non sit, quod sacramenta physica concurrant ad gratiam causandam, evidens est, nam utilitas hominum sita non est in modo, quo gratia eis communicatur, sed in ipsius gratiæ communicatione; parum enim interest hominibus sive gratia physicè, sive moraliter communicetur, dummodò verè communicetur. Dignitati verò sacramentorum necessaria non est physica causalitas, cùm sæpè causalitas moralis nobilior sit quam physica, ut colligitur ex illo loco D. Aug. *in Ps.*63. *n.*2. affirmantis mortem Christi Domini potius tribuendam esse Judæis petentibus à Pilato Christum crucifigi quam Pilato, & gentibus illum crucifigentibus: præcipuè cùm physica causalitas non sacramento, sed illius parti seu indivisibili concedenda sit & moralis causalitas integro sacramento tribui possit, quia ad moralem causalitatem sufficit causam physicè stetisse, quod tamen ad physicam causalitatem sufficiens esse non potest, sed physica, & actualis existentia est. Nullum tamen in Scriptura, Conciliis, & Patribus reperiri fundamentum ad causalitatem physicam sacramentorum adstruendam sic probo. Quia Concilia, Scriptura, & Patres solùm dicunt sacramenta esse signa practica gratiæ, gratiámque continere, & causare, quod certè de causalitate morali, & non physica potest intelligi, imò necessariò ita est intelligendum. Item quia eodem modo dicuntur sacramenta continere gratiam, ac continere divinam virtutem ad gratiam producendam: sicuti locuti sunt Ambros. *lib.*2. *de Sacram. cap.*5. *& lib.*4. *cap.*4. Bernard. *de consid. lib.*5. At divinam virtutem, qua gratia, cæteráque dona supernaturalia producuntur physicè continere non possunt, ut de se constat, sed solùm moraliter. Ergo nec gratiam physicè, sed solùm moraliter continent. Tum etiam quia sacramenta eatenus causant gratiam, quatenus merita Christi Domini, & redemptionis pretium continent, quia hinc habent virtutem causandi, sed merita Christi Domini non continent physicè, sed moraliter, ergo nec gratiam physicè, sed moraliter causant.

Neque obinde comparanda sunt sacramenta simplici chirographo, quo debitor testatur se debitorem esse, quia chirographum non continet debitum, sed illud signat. Non enim debitor ob chirographi manifestationem solvit, sed ob obligationem, quam aliunde habet illud solvendi, cujusque obligationis chirographum signum est. At sacramenta ex promissione divina quæ illis annexa est, continent gratiam, siquidem ob eorum positionem ex pacto, & promissione Dei gratia confertur. Unde potius sunt comparanda, (ut benè notavit Ægid. de Coninch. *q.*62. *art.*4. *n.*131.) bursæ plenæ pecuniis alicui concessæ, ut sibi necessaria comparet, quam nudo chirographo. Nam sacramenta plena sunt meritis Christi, quibus gratiam, cæteráque ad vitam necessaria comparare possumus; illis enim sacramenti positis divina potentia efficaciter excitatur, & movetur ad gratiam, supernaturaliáque dona concedenda, in qua concessione adest discrimen maximum nostrorum sacramentorum à sacramentis veteris legis. Nam per sacramenta veteris legis (ut sæpè dictum est) non conferebatur gratia, sed significabatur conferenda. Quod si aliquando, ut in circumcisione dabatur, non circumcisioni, sed fidei Christi venturi, quam illo signo suscipiens, vel ejus parentes profitebantur, tribuenda erat, ac proinde non ex opere operato, sed ex opere operantis erat gratiæ concessio. Secus verò contingit in nostris sacramentis, ob quæ utpote merita Christi continentia, gratia confertur, & ex his solvuntur fundamenta contraria.

6. Hæc dicta sunt generaliter de omnibus effectibus Sacramentorum, at si loquamur de gratia sacramentali, quatenus à gratia habituali, cæterísque habitualibus virtutibus distinguitur, certissimum est

sacra

sacramenta solum vim causandi moralem habere, non physicam. Item quia non sunt, quando gratia sacramentalis, (hoc est auxilium ad obtinendum finem sacramenti) conceditur. Tum quia hoc auxilium physicè à solo Deo intellectu & voluntate creata fit.

7. Posito sacramenta suos effectus non physicè, sed moraliter causare. Dubium est an ita cuilibet sacramento suus effectus determinatus correspondeat ut ex dispositione majori suscipientis, aut majori ministrantis dignitate nullum incrementum habeat. Omissis variis sententiis parum probabilius dicendum est primo ob majorem ministrantis devotionem, si suscipientes æqualiter sint dispositi effectum sacramenti non augeri, quia sacramenta solum operantur suos effectus ex meritis Christi, non autem ex meritis ministri, aliàs posita in dignitate ministri eorum efficacia impediretur, quod falsissimum est. Ergo major, vel minor dignitas ministri non infert uberiorem sacramenti effectum. Præterea nullus alteri mereri gratiam justificantem potest etiam de congruo præter Christum, aliàs dormienti augeri gratia posset absque propria dispositione, vel sacramenti susceptione. Ergo ex dignitate ministri augeri gratiam non potest. Sic D. Thom. *q. 8. art. 64. art. 1. ad 2.* Coninch. *quæst. 62. art. 1. dub. 3. num. 49. & seq.* Suar. *disp. 7. sect. 5.* Bon. *disp. 1. de Sacram. quæst. punct. 4.* Paul Laym. *lib. 5. tract. 2. cap. 6. num. 6.* Fateor tamen dignitatem ministri sæpè conducere, ut suscipiens sacramentum aptiùs disponatur ad illius susceptionem, tum excitando devotionem, tum movendo Deum, ut dato auxilio efficaciùs dispositionem promoveat. Sic ex D. Thom. supra colligit Coninch. *dub 3. num. 48.*

8. Secundò dicendum est stante digniori suscipientium dispositione uberiorem gratiam vi Sacramenti concedi, quia expediens erat sic institutionem Sacramenti factam esse. Tum ut indicaretur sacramentum virtutem habere quasi infinitam, solúmque limitari ex suscipientium dispositione. Tum & præcipuè; ut suscipientes excitarentur ad sacramentum ferventiùs, & devotiùs suscipiendum, tum ne dicamus frustra, & inutiliter sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ recipientem se disponere ferventissimè attritione, cùm ob eam causam nullum specialem effectum obtineat, quem non obtineret remissa attritione dispositum. Sic D. Thom. *q. 69. art. 8* Suar. *disp. 7. sect 5.* Bonac. *disp 1. 94. punct. 3* Coninch. *quæst. 62. art 1. dub. 3. num. 50.* Paul. Layman. *lib. 5. sum. tract. 1. cap. 6. num. 6.* & colligitur apertè ex Trident. *sess 6. cap. 7.* dicente in sacramento Baptismi recipi gratiam secundùm mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundùm uniuscujusque dispositionem: quæ ultima verba superflua essent, si dignior dispositio uberiorem gratiam non inferret.

Punctum IX.

An Sacramenta cum fictione suscepta recedente fictione suos effectus operentur, ac si ritè suscepta essent.

1. *Duplex fictio in Sacramento contingere potest. Et qualis sit.*
2. *Fictio impediens valorem Sacramenti impedit illius effectum.*
3. *Quibus argumentis probetur recedente fictione impediente Sacramenti effectum, & non valorem Sacramentum effectus suos operari non posse.*
4. *Contrarium ut probabilius defenditur, & specialiter probatur de Baptismo.*
5. *Idem est dicendum de reliquis sacramentis.*
6. *De Sacramento Eucharistiæ probabilius est non conferre sunm effectum recedente fictione post consumptas species. Secus ante illarum consumptionem.*
7. *Quid dicendum Sacramento Pœnitentiæ.*
8. *Satisfit fundamentis, n. 3. adductis.*
9. *An suscipiens Sacramentum cum fictione recipere possit majorem gratiam ex vi Sacramenti recedente fictione, quàm si ritè suscepisset.*

1. Duplex fictio in sacramenti receptione contingere potest. Prima, quæ sacramentum reddit irritum, & nullum. Secunda, quæ solùm ejus effectum impedit. Exemplum prioris fictionis est, si sit defectus in materia, forma, vel intentione, quia hæc necessaria sunt ad sacramenti valorem. Posterioris fictionis exemplum est, si stante materia, & forma, & intentione requisita ad valorem sacramenti deficiat dispositio ad illius effectum obtinendum, ut contingit si recipias sacramentum Baptismi. Eucharistiæ, Ordinis, &c. Post mortale commissum absque illius contritione, vel attritione, recipis quidem sacramentum, non tamen illius effectum. Quæstio ergo est, an prædicta fictione postmodum sublata obtineas effectum quem obtineres, si tempore quo recepisti sacramentum sublata esset?

2. Qua in re certum est, si fictio sacramenti valorem impediat, numquam illius sacramenti effectum haberi posse. Quia nequit effectus sacramenti obtineri nullo posito sacramento. Ergo illud sacramentum, quod nullum fuit nullum effectum habere potest. Quòd si aliquando sacramentum nullum validum fuit, ut contingit in matrimonio, quod fuit nullum defectu consensus, non est ita ut sonat intelligendum, quasi illud ipsum, quòd nullum fuit validum esse posset, cum id manifestam involvat contradictionem; sed ideò dicitur fieri validum, quòd nullum fuit, quia loco Sacramenti invalidi validum subrogatur nova materia, forma, & intentione legitima apposita, ac proinde effectum huic sacramento valido correspondebit, non autem sacramento invalidè suscepto: sic ex omnium sententia tradit Suar. *disp. 28. sect. 4. in princ.* Ægid. de Coninch. *quæst 62. art. 1. dub. 5.* Bonac. *disp 1. quæst. 6. punct. 3.* Paul. Layman. *lib. 5. sum. tract 1. cap. 7. num. 4.*

3. Quo circa de fictione impediente tantum sacramenti effectum, non illius valorem est quæstio. An ea fictione, seu indispositione sublata sacramentum antea susceptum suum operetur effectum? Videtur operari non posse, quia sacramenta sunt signa practica gratiæ juxta recipientis dispositionem, ut tradit Trident *sess. 6. cap. 7.* At recipiens sacramentum sacrilege nullam ad gratiam dispositionem habet, sed potiùs gratiæ recipiendæ impedimentum præbet. Ergò sacramentum receptum absque ulla suscipientis dispositione nullam gratiam concedere potest. Quod si dicas hoc verum esse eo tempore, quo nulla est suscipientis dispositio, secùs verò ea dispositione posita, obstat quia Sacramentum non est, quando dispositio punitur. Ergo eo tempore non potest habere effectum, quia quòd non est, nullum producit effectum. Et quidem de effectu physicè à sacramento producto evidens est, quia physica causalitas causam existentem requirit. At de effectu moraliter à sacramento producto, sic probo. Nam hæc moralis causalitas sita est in eo, quod Deus ob sacramentum etiam malè susceptum promiserit suam gratiam suscipienti conferre quoties peccati commissi, & impedimenti appositi pœnituerit. At hæc promissio neque ex Scriptura, neque ex Conciliis, neque ex Patribus constat. Et præterea est contraria modo, quem habent Sacramenta producendi suos effectus; cuilibet enim sacramenti receptioni suus effectus determinatus correspondet secundùm mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundùm cujusque dispositionem, ut dicit Trident. suprà; at effectus sacramenti malè recepti determinari non potest. Nam ex ipso sacramento

nullam poteſt habere determinationem cùm omnia Chriſti merita, quæ infinita ſunt contineat. Ex ſubjecto recipiente non videtur illam habere poſſe: nam illius diſpoſitio tempore, quo ſacramentum receptum fuit, obſtat gratiæ recipiendæ. Non igitur ex illa diſpoſitione gratia determinari poteſt, in quo videtur eſſe manifeſta differentia Sacramenti malè diſpoſitis collati à ſacramento, quòd infantibus confertur. Nam in hujus collatione Deus, quam gratiam ſacramentum cauſare debet, determinant; quia infantes eſto non ſe propria diſpoſitione ad gratiam recipiendam præparent, illámque determinent non tamen gratiæ recipiendæ obſiſtunt, conveniens ergo fuit, ut Deus gratiæ menſuram determinaret. At in ſacramento à peccatoribus iniquè ſuſcepto nulla eſt occaſio hujus divinæ determinationis, cùm ipſi gratiæ recipiendæ non ſolum aptitudinem non exhibeant, illiúſque determinationem faciant, cum poſſint, ſed gratiæ recipiendæ, illiúſque determinationi contradicant. Si verò dicas hanc determinationem gratiæ ſumi non ex ſubjecti diſpoſitione tempore quo ſacramentum recipitur, ſed ex ſubjecti diſpoſitione cum obicem tollit, quia tunc ſacramentum operatur ſuum effectum, ac proinde operari illum debere juxta diſpoſitionem ſubjecti apti ad illius receptionem. Obſtat, quia merita Chriſti Domini mediis ſacramentis applicantur. Ergo applicantur, cum applicantur ſacramenta non poſt illorum applicationem. Item ſubſequens diſpoſitio, quo obex tollitur, aliquando eſt intenſior, aliquando remiſſior. Ergo ſi effectus ſacramenti juxta futuram hanc diſpoſitionem menſurandus eſt, numquam determinationem habebit, quouſque diſpoſitio apponatur. At inconveniens eſt affirmare ſacramento applicato gratiam non determinatam, ſed vagam promitti. Deúmque ex vi ſuæ voluntatis, & ſacramenti applicatione eam gratiam quam conceſſurus eſt ſublato obice cognoſcere poſſe. Ergo ex futura ſuſcipientis diſpoſitione, determinatio effectus non pendet. Et præterea ſequeretur melioris conditionis eſſe peccatorem iniquè recipientem ſacramentum, & poſtea ferventi dolore ſe ad gratiam recipiendam diſponentem, quàm juſtum remiſſo dolore, & tepida diſpoſitione ſacramentum ſuſcipientem, ſiquidem ille peccator majorem gratiam conſequitur, quàm juſtus non ex vi ſolius diſpoſitionis, ſed ex vi ſacramenti malè ſuſcepti. Quòd non videtur probandum. Ergo ſacramenta in peccato ſuſcepta numquam ſuos effectus ex opere operato producunt. Atque ita docet Gloſſa *in cap. tunc valere de conſecrat. diſt.* 4.

4. Nihilominus tenenda eſt communis omnium Scholaſticorum ſententia uno, vel altero excepto ſacramenta recedente fictione ſuos operari effectus, quos operarentur, ſi ritè ſuſcepta fuiſſent. Ratio, qua moventur eſt, quia cum omnium ſacramentorum effectus hominibus neceſſarii ſint, divinam bonitatem decet ſic ea eſſe inſtituta, ut eorum effectus hominibus communicentur, quandocumque ad eorum receptionem ſe diſpoſuerint. Quòd in ſacramentis imprimentibus characterem, & quæ ſemel recepta repeti non poſſunt, efficacius procedit, ac proinde de iis affirmat communis ſententia, de aliis ſacramentis non eſt ita certùm, neque à Doctoribus probatum, at quia ſupradicta ratio etiam in ipſis locum habere poteſt, ea de cauſa de omnibus affirmandum eſt ſuos effectus recedente fictione producere poſſe.

Et in primis de baptiſmo docuit expreſſè S. Auguſt. *lib.*1 *cap.*10. *&* 12. & apertiùs *lib.*3. *cap.*13. *& lib.*9. *cap.*3. His enim locis expreſſè dixit baptiſmum ab hæretico ſuſceptum incipere valere ad ſalutem, cum ad pacem, & reconciliationem Eccleſiæ accedit, operarique in hæretico reconciliato peccatorum remiſſionem, quia ſanctum eſt ſemen Chriſti, quòd iniquitate ſuſcipientium pollui non poteſt. Quæ verba ſatis indicant baptiſmum ſuſceptum vi ſua gratiam conferre, aliàs non operaretur propriè ſalutem, neque Spiritum ſanctum communicaret, neque peccata remitteret, ſi ſolùm diceretur operari ſalutem, & peccatorum remiſſionem, quatenus baptizatum capacem conſtituit reliquorum ſacramentorum, quibus ſalus & remiſſio peccati obtinendi ſit, quia inde non infertur propriè operari ſalutem, & peccata remittere, ſed ad ea remittenda, & ſalutem conſequendam diſponere. Præterea non operatur integram animi ſanitatem, ſi peccata commiſſa ante baptiſmum quoad culpam, & pœnam non deleret. D. Auguſtinum ſequutus eſt D. Thom. *quæſt.*69. *art.*1. Caiet. *t.*1. *opuſc. tr.*5. *quæſt.*5. §. *communis autem ratio.* Vaſq. *diſp.*161. *cap.*1. Sotus *in* 4. *diſt.*6. *quæſt.*1. *art.*8. & alii Doctores ſtatim referendi. Ratio præcipua, qua motus eſt S. Auguſt. ad affirmandum ſublato obice, ſalutem, animique ſanitatem baptiſmum operari ea fuit, quia peccata ante baptiſmum commiſſa remitti non poſſunt niſi per baptiſmum in re, vel voto ſuſceptum, quia baptiſmus eſt medium neceſſarium ad ſalutem, ac proinde remiſſionem peccati originalis, & actualis ante baptiſmum commiſſi. At ſi baptiſmus malè ſuſceptus ſublato obice non remitteret peccatum ante baptiſmum commiſſum, jam baptiſmus per ſe neceſſarius non eſſet ad ſalutem, cùm per ſe neceſſarius non ſit ad alicujus peccati remiſſionem. Item nullum peccatum remitti poteſt niſi per aliquod ſacramentum in re ſuſceptum, vel per votum illius. At ſi baptiſmus malè ſuſceptus ſublato obice, originale, & actuale peccatum ante baptiſmum commiſſum non remittit, nequaquam hæc remitti poſſunt per votum illius, cùm nullum eſſe poſſit votum baptiſmi baptiſmo validè recepto. Per ſacramentum autem Pœnitentiæ, aut illius votum peccatum originale, & actuale ante baptiſmum remitti non poſſunt, quia ad hæc remittenda non eſt inſtitutum. Ergo affirmandum eſt ſacramentum Baptiſmi malè ſuſceptum peccatum originale, tum actualia ante baptiſmum commiſſa remittere ſublato obice. Quòd ſi dicas peccatum originale, & actualia ante baptiſmum, per baptiſmum per ſe remittenda eſſe; at per accidens aliis ſacramentis remitti poſſe, ſicuti remittuntur peccata remiſſa per Pœnitentiam, cum bona fide ad Euchariſtiam attritus accedis? obſtat; quia ea attritio, & Euchariſtiæ receptio votum eſt pœnitentiæ, ac proinde ea peccata per votum pœnitentiæ ſuſcipiendæ remitti dicuntur, ac ſuſcepto baptiſmo nunquam eſt votum illius. Ergo ſi baptiſmus malè ſuſceptus ſublato obice originale, & actualia ante ipſum commiſſa non remittit, nequaquam illa peccata remitti poſſunt in voto baptiſmi, alreriúſve Sacramenti. Dicendum ergo eſt baptiſmum malè ſuſceptum ea peccata remittere baptizato ad remiſſionem diſpoſito. Secunda ratio Auguſt. & aliorum Scholaſticorum eſt; quia baptiſmus etiam malè ſuſceptus ſacramentum eſt, & ſemen Chriſti, & illius redemptionis pretium continet, baptizatúmque conſtituit in ſtatu immutabili Chriſtianæ nobiliſſimæ ſervitutis. Ergo confert gratiam baptizato, cum ſe benè diſponit. Quia bonitatem Chriſti decet, ne ſuo ſervo jam benè diſpoſito neget gratiam ſacramento correſpondentem, & ſtatui, quem ſacramentum conſtituit maximè neceſſariam. Quòd ſi dicas hanc rationem ſolum probare concedendam eſſe gratiam ſacramentalem, hoc eſt auxilium movens, & excitans ad conſervandam, fidem, & illius præcepta ſervanda, vitámque componendam, uti decet militem Chriſti; non autem gratiam habitualem concedi, obſtat, quia gratia ſacramenti eſt ſecundarius ſacramenti effectus, primarius verò eſt gratia habitualis. Si igitur non obſtante mala ſacramenti receptione conceditur vi ſacramenti ſecundarius effectus obice remoto, & primarius concedi debet.

5. Ex ſupradictis rationibus infero probabilius eſſe reliqua ſacramenta ſuos effectus operari obice ſublato. Et quidem de ſacramentis Confirmationis, & Ordinis ut pote imprimentibus caracterem, & numquam iterandis tacitè docuit D. Thom. *ſupra*, & *in 4. diſt. 4. q. 3. art. 2. q. 3. ad 3.* quatenus ob eam ſolam cauſam baptiſmo tribuit operari ſuos effectus recedente fictione, quia imprimit caracterem, iterarique non poteſt. Et expreſſè tradit Henriq. pluribus relatis, *lib. 1. de ſacram. cap. 25.* Covarr. *cap. Alma mater. 1. p. §. 4. n. 13.* Suar. *3. p. diſp. 18. ſect. 6. n. 1.* Ægid de Coninch. *q. 62. art. 1. dub. 5. n. 75.* Bonac. *diſp. 1. q. 6. p. 3. n. 3.* Paul. Layman. *lib. 5. ſum. t. 5. c 7. n. 4. & 5.* Nam Confirmationis, & Ordinis, ſacramentum, ſicuti baptiſmus ex ſe ſanctum eſt, & ſemen Chriſti, hominemque conſtituit in ſtatu quodam immutabili, ad quem dignè, & rectè obeundum expediat, ne Chriſtus Dominus gratiam illius ſacramenti denegaret homini benè diſpoſito.

Ob eandem rationem ſatis probabiliter id ipſum affirmari poteſt de Extrema-Unctione malè ſuſcepta, ſi durante eadem infirmitate removeatur obex. Et de matrimonio, ſi ante illius diſſolutionem ſublatum fuerit impedimentum appoſitum gratiæ recipiendæ, quia eo tempore ea ſacramenta iterari non poſſunt, ſed recipientem in ſtatu quaſi immutabili conſtituunt. Non igitur credendum eſt Chriſtum Dominum voluiſſe hominem fictè ſuſcipientem ea ſacramenta perpetuò privari illorum effectibus; ſed potius eſt præſumendum voluiſſe concedere, ſi ipſe ſe capacem, & aptum reddiderit. Notanter dixi, ſi durante ea infirmitate, vel conjugio removeatur impedimentum. Nam ſi recuperata ſalute, & diſſoluto conjugio impedimentum fuerit ſublatum, nulla adeſt cauſa, ob quam affirmemus illorum ſacramentorum malè ſuſceptorum gratiam concedi, quia & iterari poſſunt, & gratia illis ſacramentis promiſſa obtineri. Atque ita docent de iis ſacramentis Ægid. de Coninch. *dub. 5. num. 77.* Paul. Layman. *lib. 5. tract. 1. cap. 7. in fine.* Suar. *diſp. 18. ſect. 6. verſ. ſecundo hinc infero.*

6. De ſacramento Euchariſtiæ probabilius credo non conferre ſuum effectum recedente fictione poſt conſumptas ſpecies. Tum quia neceſſarius non eſt, cum ex divina inſtitutione non ſolum ſemel, ſed ſæpius poſſit eodem die iterari. Tum quia Paul. dixit indignè ſumentes judicium manducare, quod ex parte verum non eſſet, ſi recedente fictione ad vitam prodeſſet. Et ita ſuſtinent de hoc ſacramento Bonac. *diſp. 1. quæſt. 6 p. 3. in medio.* Ægid. de Conich. *q. 62. art. 1. dub. 5. n. 78.* Paul. Layman. *lib. 5. ſum. tract. 1. c. 7. in fine.* Dixi recedente fictione poſt conſumptas ſpecies, nam ſi ante illarum conſumptionem recedat fictio, cum tunc adſit ſacramentum, probabile eſt effectum conferre poſſe. Sic Ægid. de Coninch. & Paul. Layman. ſupra.

7. Quoad ſacramentum Pœnitentiæ attinet, ſi vera eſt ſententia negans dari poſſe informe, hoc eſt abſque effectu, ceſſat quæſtio, an recedente fictione habere poſſit effectum, cum certiſſimum ſit nullum habere poſſe, eò quòd nullum ſtante fictione fuerit ſacramentum. At ſi concedamus ſacramentum Pœnitentiæ informe, probabilius exiſtimo recedente fictione effectum habere, non quia hoc ſacramentum conſtituat ſtatum, aut ſæpius iterari non poſſit, ſed quia non poteſt ex neceſſitate iterari comparatione illorum peccatorum à quibus abſolutio informis data fuit. Nam cum hæc peccata ex vi alicujus ſacramenti in re, vel in voto ſuſcepti remittenda ſint, efficitur ſanè remitti debere à ſacramento Pœnitentiæ informi ſuſcepto, ſiquidem à ſuſcipiendo remitti per ſe non poſſunt, cum non ſit neceſſario ſuſcipiendum. Ob hanc enim cauſam conceſſimus baptiſmo informi virtutem remittendi peccatum originale, & actualia ante baptiſmum ſublato impedimento: quia illa peccata ex vi alicujus ſacramenti in re, vel in voto remitti neceſſario debent, & cum ex voto pœnitentiæ remitti non poſſint per ſe, aſſeruimus remitti ex baptiſmo ante ſuſcepto. Sed peccata clavibus pœnitentiæ validè ſubjecta, & abſoluta, ſed non remiſſa non poſſunt ex neceſſitate iterum ſubjici, & conſequenter nec remitti per ſe ex voto ſacramenti ſuſcipiendi. Debent ergo remitti ex ſacramento validè, ſed informi ſuſcepto. Et ita docet Suar. *diſp. 28. ſect. 6. concl. 3.* Bonac. *diſp. 1. q. 6. p. 3. num. 3. verſ. ex dictis.*

8. Supereſt, reſpondeamus fundamento ſententiæ negantis ſacramenta iniquè ſuſcepta ſublata iniquitate ſuos effectus operari. Cui fundamento optimè ibidem ſatisfactum eſt aſſerendo ſacramenta non operari eo tempore, quo iniquè recipiuntur, operari tamen, cum iniquitas removetur. Et licet tunc ſacramentum in re non exiſtat, exiſtit in divina acceptatione, quod ſufficit, ut moraliter ſuos effectus operari poſſit. Cum verò urges ſacramenta operatura eſſe ſecundum uniuſcujuſque ſuſcipientis diſpoſitionem, dupliciter reſpondeo; primo id verum eſſe de ſacramentis operantibus, cum actualiter ſunt, ſecus de ſacramentis operaturis, cum impedimentum removetur. Hæc enim operantur ſuos effectus non juxta menſuram præſentis ſuſcipientium diſpoſitionis, ſed juxta menſuram à divina bonitate deſignatam. Adde nec ſacramenta operantia, cum actualiter ſunt ſemper operari juxta menſuram diſpoſitionis ſuſcipientium. Nam ſacramenta infantibus miniſtrata tribuunt gratiæ effectum non juxta menſuram diſpoſitionis ſuſcipientium, ſed juxta divinæ voluntatis determinationem, eò quòd ſuſcipientes non potuerint ſe actualiter, & poſitivè diſponere. Quod ergo Chriſtus Dominus concedit infantibus ob eorum impotentiam, concedit ob ſuam bonitatem iniquè ſuſcipientibus remota iniquitate. Secundo, reſpondeo ſacramenta operari ſuos effectus juxta ſuſcipientium diſpoſitionem eo tempore, quo effectus communicari debent. Et licet tunc ſacramenta non exiſtant phyſicè, exiſtunt tamen moraliter in divina acceptatione, apud quem ſacramenta acceptata ſunt ad effectum gratiæ concedendum juxta menſuram futuræ diſpoſitionis, qua impedimentum fuerit remotum. Neque obſtat hanc acceptationem vagam eſſe, & indeterminatam, quouſque diſpoſitio removens impedimentum apponatur: quia uſque ad illud tempus ſacramenta non habent effectum, ac proinde non eſt inconveniens, cum actualiter ſunt quod ad effectum vagum acceptentur. Adde non acceptari ad effectum vagum, ſed certum, & determinatum futurum juxta futuram ſuſcipientis diſpoſitionem, quam Deus optimè novit.

9. Hinc ſatisfacies quæſito; an ſuſcipiens ſacramentum cum actione accipere poſſit ex vi ſacramenti ſic iniquè ſuſcepti majorem gratiam ſublata fictione, quam ſi ritè ſuſcepiſſet; Et dicendum eſt ſi gratia promiſſa eſt ſacramento independenter à futura diſpoſitione, qua impedimentum eſt removendum, nequaquam majorem gratiam recepturum iniquè ſacramentum recipientem, quia huic minima gratia eſt promiſſa ſublato impedimento. At ſi gratia eſt promiſſa juxta menſuram futuræ diſpoſitionis, qua eſt impedimentum removendum, cum hæc diſpoſitio ferventior eſſe poſſit, non eſt inconveniens majorem gratiam ex vi ſacramenti concedi ſic diſpoſito, quàm eſſet concedenda, ſi tepidè ſacramentum ſuſcepiſſet. Neque inde fit per ſe eſſe melioris conditionis cum qui iniquè ſacramentum ſuſcepit, & ferventer ſe ad removendum impedimentum diſpoſuit, quàm qui ritè ſuſcepit ſacramentum, quia hæc melior conditio

non ex sacramento, neque ex illius susceptione provenit, sed ex pœnitentia denuò superveniente, quæ per accidens est.

Punctum X.

Quæ dispositio requisita sit ad removendam Sacramenti fictionem, ut Sacramenta suos effectus operentur?

1. *Quædam præmittuntur pro decisione quæstionis.*
2. *Si absque mortali obicem posuisti, & post sacramenti susceptionem nullum mortale commiseris, sola attritione sufficienter disponi es censendus.*
3. *Si post sacramentum susceptum mortale commiseris, debet censeri vel cum attritione sacramentum suscipere.*
4. *Idem est si in susceptione sacram. mortale commiseris.*
5. *Qualiter remittantur peccata præcedentia sacramenti susceptionem tum à sacramento præterito, tum à contritione, vel attritione cum sacramento superveniente.*

1. DUpliciter potes esse causa, ne sacramentum suos operetur effectus, primò committendo culpam gravem, eò quod sciens te gravi esse culpa maculatum suscipias sacramentum absque illius culpæ pœnitentia. Secundò absque gravi culpa, cùm scilicet ob invincibilem ignorantiam culpæ qua teneris, absque ullo dolore ad sacramentum accedis. Præterea post sacramentum fictè susceptum potes peccatum mortale committere, antequam fictionem removeas, quo casu non solùm impediris à sacramenti effectibus ob peccata præcedentia sacramentum, sed etiam ob peccatum subsequens illius receptionem. His positis.

2. Dicendum est, si absque peccato mortali obicem gratiæ sacramenti apposueris, & post ipsius sacramenti receptionem nullum mortale commiseris, sola attritione absque ulla sacramenti receptione censendus es disponi ad sacramenti suscepti gratiam recipiendam. Sic Henriq. *lib.1 de sacram. cap.24. num.2.* Suar. *disp.18. sect.5. concl.1.* Ægid. de Coninch. *q.62. art.1. dub.6. n.62.* Bonac. *disp.1. q.6. pun.3. n.3.* & alii apud ipsos. Ratio est, quia sacramentum fictè susceptum efficaciam, & virtutem habet remittendi peccata ante commissa obice remoto: at obex peccatorum sacramenti receptionem præcedentium attritione tollitur, quia hæc est sufficiens dispositio ad gratiam in sacramento recipiendam. Ergo. Et confirmo. Peccata v. g. ante baptismum commissa remitti debent ex vi baptismi in re, vel in voto susceptí. At non fuerunt remissa ob attritionis defectum. Ergo posita attritione remitti debent, cum nihil jam obstet eorum remissioni, neque aliquid sit, quod sacramenti efficaciam impediat.

3. Verum si post sacramentum susceptum antequam fictionem removeas, mortale commiseris, contritionem, vel attritionem cum sacramento habere necessario debes, ut sacramentum fictè susceptum suos operetur effectus. Quia sacramentum nequit suos effectus communicare absque mortalium peccatorum remissione. At peccatum mortale post sacramentum receptum commissum remitti non potest virtute præcedentis sacramenti, quia sacramentum non est institutum ad remittenda peccata futura, sed præterita. Debet ergo necessario remitti ex subsequenti sacramento in re, vel in voto susceptο. Ergo necessariò remitti debet per contritionem, vel per attritionem cum sacramento denuo susceptο, quia non est alius modus, quo peccata mortalia remitti possint. Sic aliis relatis docent. Suar. *disput.28. sect.5. concl.2.* Vasq. 160. *cap.2. num.10. & seqq.* Ægid de Coninch. *q.62. art.1. dub.6. n.86.* Bonac. *disp.1. q.6. pun.4. num.3.*

4. Idem affirmare debes cum prædictis Doctoribus, si in susceptione sacramenti mortale commiseris: quia hoc peccatum virtute illius sacramenti remitti non potest, eò quòd ejus virtutem, & efficaciam impediat. Ergo remittendum est alia sacramenti susceptione saltem in voto. Et declaratur in susceptione baptismi; adultus enim, qui absque ullo dolore peccati mortalis commissi baptismum reciperet, vel cum actuali peccandi voluntate sacrilegus esset, quod sacrilegium cum sit eo tempore, & instanti quo baptismus completur, efficitur esse sacrilegium commissum ab homine baptizato, ac proinde pœnitentiæ sacramento subjectum. Atque ita sustinent cum D. Thom. *q.69. art.19.* Ægid. de Coninch. *q.62. art.1. dub.9. num.* 81. 82. 84. *& seqq.* Suar. *disp.28. sect.5. concl.3.* Bonac. *disp.1. de Sacram. q.6. p.3. n.3.*

5. Sed inquires qualiter possint in supradicto casu remitti peccata præcedentia sacramenti susceptionem, cum sacramentum iniquè susceptum virtutem non habeat ea peccata remittendi, nisi sublato obice. At obex resultans ex iniqua sacramenti susceptione, vel ex novo peccato mortali postmodum commisso non tollitur nisi sublato peccato per contritionem, vel attritionem cum sacramento, & consequenter gratiæ sanctificantis infusione. Ergo sacramentum habere non potest virtutem peccati ipsum præcedentia remittendi, eo quòd ea inveniat per contritionem, vel attritionem cum sacramento obicem removentia jam remissa? Respondeo supradictum argumentum convincere, obicem removeri non remissione formali peccati, & gratiæ infusione, sed contritione, vel attritione cum sacramento, quæ sunt ad gratiam obtinendam præviæ dispositiones, & causæ: illis vero positis æquè primò sacramentum reviviscens suum operatur effectum gratiæ, & Deus ob sacramentum denuò susceptum, vel ob contritionem positam. Neque inde fit diversam gratiam ab utroque produci, sed eandem cum diverso respectu, nam quatenus procedit à sacramento reviviscente, virtutem habet remittendi peccata ipsum præcedentia; quatenus verò procedit à contritione, vel nova sacramenti susceptione virtutem habet remittendi peccata prædictum sacramentum fictè susceptum subsequentia. Atque ita tradit Ægid. de Coninch. *quæst.62. artic.1. dubio 6. concl.4. & 5. num.99. &* 100. *&* 102. Adde esto ab utroque eadem gratia producatur, intensior tamen producitur, quam si ab uno tantum produceretur. Cuilibet enim sacramento sua gratia correspondet, quæ non impeditur ex alterius sacramenti concursu, sed utrumque sacramentum se invicem in eo concursu, & gratiæ communicatione juvant, ut benè notavit Ægidius de Coninch. *q.62. art.1. dub.6. n.85. & num.103. in fine dubii.*

Punctum XI.

De Caractere, & effectu proprio aliquorum Sacramentorum.

1. *Quid nomine caracteris intelligatur.*
2. *Caracter per se in prima specie qualitatis constituitur, reductivè in secunda.*
3. *A tribus tantùm Sacramentis Baptismo, Confirmatione, & Ordine caracter producitur.*
4. *Alia Sacramenta caracterem non imprimunt.*
5. *Caracter est indelebilis non solùm in hac vita, sed etiam in futura.*
6. *Potestas verò ministrandi, vel suscipiendi sacramenta non permanet in futura vita.*

1. CAracterem appellant Doctores omnes signum spirituale, & supernaturale nostris animis impressum, quo Christo Duci, Principi, summó-

Sacerdoti unimur, & in illius ſervos, milites, & miniſtros ad divinum cultum deputamur, & conſignamur. Baptiſmo namque conſignamur in ſervos Chriſti, & domeſticos Dei. Confirmatione in milites ad confirmandam, tuendámque illius fidem. Ordine deputamur in diſpenſatores myſteriorum Dei.

2. Variant tamen Doctores, an hoc ſignum conſtituendum ſit in prima ſpecie qualitatis efficientis, ornantiſque ſubjectum in ordine ad ſe; an in ſecunda qualitatis ſpecie, quæ eſt potentia operativa? Quæſtio eſt levis momenti. Breviter dicendum eſt per ſe in prima qualitatis ſpecie conſtitui, quia per ſe datus eſt caracter ad ornandum hominem, benéque diſponendum ad fines ſupradictos. Sic relato Alen. & Bonavent. docuit Suar. *diſp.* 11. *ſect.* 3. *circa finem verſ. ult.* Ægid. de Coninch. *quæſt.* 63. *art.* 2. *num.* 11. Bonac. *diſp.* 1. *de Sacram. quæſt.* 5. *punct.* 2. *num.* 1. Vaſq. *diſp.* 134. *cap.* 3. *num.* 70. Paul. Layman. *lib.* 5. *ſum. tract* 1. *cap.* 7. *num.* 3. Reductivè autem conſtitui poteſt caracter in ſecunda ſpecie qualitatis, quæ eſt potentia, eò quòd caractere inſignitis detur potentia ad ſacramenta ſuſcipienda, vel miniſtranda. Caractere enim Baptiſmi redditur baptizatus ad ſuſcipienda ſacramenta aptus, itémque ad ſacramentum matrimonii miniſtrandum. Nullus enim validè aliquod ſacramentum ſuſcipere poteſt, neque Matrimonium, quod ſacramentum ſit contrahere, quin baptizatus exiſtat. Eſt igitur caracter baptiſmalis, quaſi potentia paſſiva ad recipienda reliqua ſacramenta; & activa comparatione ſaltem ſacramenti Matrimonii, quòd ab ipſis contrahentibus recipitur, & adminiſtratur. Item Confirmationis caractere diſponitur confirmatus ad reliqua ſacramenta aptius recipienda, & miniſtranda. Ordinis verò caracter ordinatum reddit aptum ad Chriſti corpus conficiendum, & fidelibus miniſtrandum. Itémque ad miniſtrandum ſacramentum Baptiſmi, Pœnitentiæ, & Extremæ-Unctionis. Denique caracter Epiſcopalis aptum reddit Epiſcopum ad ſacramentum Confirmationis, & Ordinis miniſtrandum. Præterea caracter Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis ſimul cum gratia ſanctificante jus concedit eo inſignitis ad ſpecialia auxilia, ad finem dicti ſacramenti obtinendum. Reduci ergo poteſt caracter ad ſpeciem potentiæ. Sed quia hæc non eſt potentia phyſica, ſed moralis ex libera Chriſti Domini inſtitutione, ut latiſſimè probat Suar. *diſp.* 1. *ſect.* 3. *per totam*, ea de cauſa non conſtituitur propriè in ſecunda qualitatis ſpecie, quæ eſt potentia, ſed ad ipſam reducitur, & ita docuit Suarez, Ægid. Bonac. Paul Layman. locis allegatis.

3. Prædictus caracter à tribus ſacramentis Baptiſmo, ſcilicet, Confirmatione, & Ordine producitur, ſicuti definitum eſt in Concilio Florentin. in Decreto de Armenis & in Trident. *ſeſſ.* 7. *can.* 9. ibi, ſi quis dixerit in ſacramentis, Baptiſmo, ſcilicet Confirmatione, & Ordine non imprimi caracterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, unde ea iterari non poſſint, anathema ſit. Colligitúrque hæc veritas ex Paulo. 2. *ad Corinth.* 1. dicente de ſacramento Baptiſmi. Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos Deus, & qui ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris: ubi Paulus quatuor divini Spiritus effectus enumeravit. Primò fidem, qua confirmamur in Chriſto. Secundo gratiam, & charitatem, qua ungimur, Tertiò caracterem, quo in domeſticos Dei ſigillamur, & conſignamur. Quartò teſtimonium bonæ conſcientiæ, quòd eſt pignus ſalutis æternæ. Et licet Chryſoſtom. Theophil. Theodoret. & Oecumen ibi eundem effectum, ſcilicet gratiam, & charitatem omnibus illis verbis ſignificari intelligant, quia gratia, & charitate Chriſto firmamur, & ungimur & in filios Dei ſignamur, & ſalutis æternæ pignus habemus; attamen quia ſacramento Baptiſmi indelebili ſigno in domeſticos Chriſti deſignamur, ea de cauſa aptiùs D. Thom. *quæſt.* 63. *art.* 2 quem communiter expoſitores ſequuntur de caractere ſigno perpetuo, & indelebili prædictum teſtimonium intelligunt, ſicuti intellexiſſe creditur Cyrillus Hieroſolym. *in præfat. ad Cathecheſes*, loquens de Baptiſmo & Baſil. *lib de Spiritu ſancto cap.* 12. & Epiphan. *hæreſi* 8. *p ſt med.* Auguſtin. *lib.* 6. *de Baptiſmo contra Donatiſtas cap.* 1. *& lib.* 2. *contra Epiſt. Parmen. cap.* 13. *& epiſt* 23. *poſt medium & 50. circa finem*, & ſpecialiter de caractere Sacramenti Ordinis, Auguſt. *ſermo de geſtis cum emerit. & lib de bono conjugali, c. p.* 24. & de caractere Confirmationis, *lib.* 2. *contra liter. Petilian. cap.* 104. Denique Patres, & Doctores Scholaſticis paſſim hanc veritatem tradiderunt, utpotè communi Eccleſiæ conſenſu firmatam.

4. Præter hæc tria ſacramenta nullum aliud caracterem imprimit, ut colligitur ſatis ex dicto loco Concilii Trident. aſſerentis, ob eam cauſam tria illa ſacramenta Baptiſmum, Confirmationem & Ordinem iterari non poſſe, quia imprimunt caracterem, ubi tacitè definit reliqua ſacramenta iterabilia hoc effectu carere. Præterea effectus ita ſingularis, ſupernaturalis, & divinus ſacramentis tribuendus non eſt abſque ſufficienti authoritate, vel ratione. At nulla eſt authoritas ſcripturæ, Patrum, vel Doctorum, ex qua leviſſimè colligatur hunc effectum reliquis ſacramentis præter Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem concedendum eſſe inſuper nulla eſt ratio ad id aſſerendum cogens, ſed potius ad negandum urget contraria. Tum quia reliqua ſacramenta præter illa tria iterabilia ſunt. Tum quia illa ſuſcipientes non deſignantur ex illorum ſuſceptione in aliquod ulterius officium divini cultus: nam pœnitentiæ ſacramento mundantur à peccatorum macula, ſed non inde deſtinantur in alterius muneris exercitium. Euchariſtiæ ſuſceptione gratia, & charitate nutriuntur, & ad vincendas tentationes roborantur, ad ipſumque tamquam omnium ſacramentorum perfectiſſimum reliqua ſacramenta diriguntur. Extrema-Unctione juvantur in mortis articulo. Matrimonio denique ſuſtinentur onera illius ſtatus. Nulla igitur eſt cauſa, ob quam caracter ſacramentis concedendus ſit. Atque ita docent ferè omnes Doctores cum D. Thom *quæſt.* 63. *art.* 6.

5. Rurſus inſigniti caracteribus prædictorum Sacramentorum Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis ita firmiter eos retinent, ut per nullum peccatum quantumvis graviſſimum amittant. Eſt concluſio de fide, quæ ſatis colligitur ex illo Decreto Eugenii IV. quod eſt in Concilio Florent *poſt ultimam ſeſſionem*, §. 5. *Eccleſiaſticorum*, & ex definitione Trident. *ſeſſ.* 7. *can.* 9. Si enim hæc Sacramenta validè ſuſcepta ob nullum peccatum commiſſum iterari poſſunt, evidens eſt caracteres, ex quibus hæc repetitionis privatio provenit non amitti. Quinimò non ſolùm in hac vita ſed etiam in futura immutari perſeverant ſecundùm probabiliorem ſententiam: in beatis inquam ad eorum ornatum, honorem, & accidentalem gloriam: in damnatis ad eorum ignominiam, & pœnam; eò quòd obligationibus, ad quas ſatisfaciendas Chriſti caracteribus inſigniti erant, non ſatisfecerint. Sic S. Thom *quæſt.* 63. *art.* 5. *ad* 3. Bonavent. *in* 4. *diſt* 6. *par.* 1. *art.* 2 *quæſt* 5. Vaſqu. aliis relatis, *diſput.* 134. *cap.* 5. *num.* 91. Ægid. de Coninch. *quæſt.* 63 *art.* 5. *ibi* Suar. Bonac. *diſp.* 1. *q.* 5. *p.* 3. *in fine*, & alii.

6. Verum eſto maneant caracteres prædicti poſt hanc vitam, non tamen manet poteſtas nec miniſtrandi, nec ſuſcipiendi ſacramenta, quia ſacramenta pro ſolis viatoribus ſunt inſtituta, ac proinde ſoli viatores ea ſuſcipere, vel miniſtrare poſſunt. Sic

prædicti Doctores, ſpecialiter Vaſq. *dicto c.1. n.63.* Ægid. *q.63. art.5. in fine.* Suar. *ibi.* Ex quo fit caracteres non eſſe formaliter potentia ſuſcipiendi, vel miniſtrandi ſacramenta, aliàs fruſtra manerent poſt hanc vitam, ſi nullum ſui exercitium habere poſſent. Sunt tamen ſigna in hac vita harum poteſtatum actualium; in futura vita ſunt ſigna has poteſtates præceſſiſſe.

Quòd ſi aliquis mortuus divina potentia reſuſcitetur iterùm moriturus, cum eo tempore viator exiſtat, poteſtatibus per Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem conceſſis gaudet, ſicuti gaudebat, antequam è vita decederet. Quia hæ poteſtates ob deceſſum à via perierant. Poſito ergo ad viam reditu, poteſtates redire debent, ſiquidem denuò baptizandus, confirmandus, & ordinandus non eſt, Suar. Ægid. Vaſq. *locis allegatis*, & Bonac. *dicta diſp.1. q.5. p.3. n.6. in fine.*

Punctum XII.

Quod ſit Sacramenti ſubjectum, quam intentionem habere debeat, ut validè Sacramentum recipiat?

1. *Solùm homines viatores ſunt ſacramentorum capaces.*
2. *Sed non omnes omnium.*
3. *Infantes eorum ſacramentorum, quorum ſunt capaces non indigent ulla propria intentione ad ea recipienda.*
4. *Adulti propriam intentionem, ſeu voluntatem recipiendi ſacramentum habere debent.*
5. *Hæc intentio debet eſſe ſimpliciter libera.*
6. *Non requiritur quod ſit actualis, vel virtualis. Sufficit habitualis.*
7. *Nec opus eſt præceſſiſſe actualem, ſufficit, ſi præceſſerit interpretativa Pœnitentiæ ſacramento excepto.*
8. *Nulla alia diſpoſitio præter dictam voluntatem ex parte ſuſcipientis requiritur Pœnitentiæ ſacramento excepto.*

Fide Catholica firmatum eſt ſolos homines viatores Sacramentorum capaces eſſe, quia pro ſolis illis, & in eorum peccatorum remedium ſunt ſacramenta à Chriſto Domino inſtituta. Sic D. Thom. ab omnibus receptus. *q.64. art.10.* Ex quo fit nec Beatos, nec damnatos capaces eſſe ſacramentorum. Quia nec Beati augmentum gratiæ recipere poſſunt, nec damnati peccatorum remedium. Hinc à fortiori conſtat Angelos, ſive Beatos, ſive damnatos incapaces eſſe ſacramentum, quia in ſtatu beatitudinis incrementum habere non poſſunt, in ſtatu vero damnationis non poſſunt habere remedium. Et præterea quia Sacramenta ſunt ſigna materialia, & ſenſibilia, & conſequenter inepta Angelis, qui ſunt pure ſpirituales. Non enim abſque ſpeciali miraculo res corporeas, & materiales tangere ſpiritus poſſunt, & per mutuum contractum ſanctificare. Sic Henriqu. *lib.1. de ſacram. cap.21. n.1.* Suarez, *diſput.14. ſect.1. circa finem.* Reginald. *lib.26. num.50.* Bonac. *diſp. q.6. part.1. n.3.* & alii.

2. Verùm etſi ſoli homines viatores capaces ſacramentorum exiſtant, ſed non omnes omnium. Nam pueri ante uſum rationis, & perpetuò amentes pœnitentiam percipere non valent, ac ſani Extremæ-Unctionis ſacramentum, nec fœminæ ordinem, neque perpetuò impotentes, carenteſque uſu rationis matrimonium. Nam ſicut quodlibet ſacramentum petit ex divina inſtitutione, ut fiat ſub tali ſigno ſenſibili ex eadem inſtitutione petit, ut fiat circa tale ſubjectum. Sic Henriq. *lib.1. de ſacram. cap.21. num.2. & 3.* Suar. *diſp.14. ſect.1. circa finem* Bonac. *diſp.1. q.6. pun.2. in fine*, Filliuc. *tr.1. c.8. q.1.* & alii.

3. Quam verò intentionem ſubjectum capax habere debeat, ut validè Sacramentum ſuſcipiat, breviter ſupereſt explicandum.

Et quidem de infantibus, antequam uſum rationis attingant, cùm nullam intentionem habere poſſint, utpotè carentes voluntate, liberóque conſenſu dicendum eſt vel eſſe omnium ſacramentorum incapaces, quòd eſt falſiſſimum, vel affirmandum abſque ulla propria voluntate, aut intentione capaces fore aliquorum ſacramentorum. Quorum autem capaces ſint, dicendum eſt, cùm de ſingulis ſacramentis inſtituemus ſermonem. Sed nunc breviter dico omnium ſacramentorum præter Pœnitentiam, Extremam-unctionem, & Matrimonium capaces eſſe, eò quòd reliqua ſacramenta iis tribus exceptis non poſtulant ad ſuos effectus neceſſariò propriam ſuſcipientium voluntatem præceſſiſſe. Secus verò eſt de Pœnitentia, Extrema-unctione, & Matrimonio: nam Pœnitentiæ materia remota ſunt peccata actualia commiſſa, & Extremæ-unctionis materia ſunt horum peccatorum reliquiæ, ſeu venialia peccata. At infantes ante uſum rationis incapaces ſunt Extremæ-Unctionis, & Pœnitentiæ. Matrimonii verò conſtat incapaces eſſe; nam Matrimonium fundatur in contractu, & libero contrahentium conſenſu, quem infantes habere nequeunt.

4. Reſtat igitur, ut ſolùm controverſia ſit de adultis, quam voluntatem, ſeu intentionem habere debeant, ut validè ſacramentum recipiant? Nam aliquam propriam voluntatem habere debere firmant ferè omnes Doctores ſequentes D. Thom. *quæſt.68. art.7.* teſte Suar. *diſput.14. ſect.2. concl.1.* Ægid. de Coninch. *q.64. art.8. dub.9. à num.98. & ſeqq.* Bonac. *diſp.1. q.6. punct.2. num.1.* Paul. Layman. *lib.5. ſum. tract.1. cap.6. num.4.* Eſtque expreſſa ſententia D. Auguſtin. *relati in cap. cum pro parvulis de conſecrat. diſt.4.* differentiam aſſignans inter parvulos, & adultos baptizandos, inquitque non valere baptiſmum collatum ei qui conſentire poteſt, ſi non conſentiat. Idem conſtat *ex cap. majores de Baptiſmo, §. item quæritur.* Ubi Innocent. loquens de eo, qui invitus ad Baptiſmum traditur ait: Ille verò qui nunquam conſentit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec caracterem ſuſcipit ſacramenti: quia plus eſt expreſſè contradicere, quàm minimè conſentire, quaſi diceret qui nunquam conſenſit, nec rem, nec caracterem ſuſcepit, ergo neque ea ſuſcipit, qui ſacramento recipiendo contradicit. Et licèt in fine capitis dixerit Innocent. tunc ſacramentum eſſe validum, cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obſiſtentem, non inde infertur, validum eſſe ſacramentum, dum nullam adultus voluntatem habet. Tum quia nullam habere voluntarem, eſt habere voluntatem contrariam. Tum quia vix contingere poteſt, quòd adultus careat voluntate recipiendi baptiſmum, quin contrariam illius voluntatem habeat. Ratio à priori eſt divina inſtitutio, quam ex communi Doctorum conſenſu colligimus. Et ex eo quòd incongruum erat Chriſtum Dominum pretium ſuæ redemptionis communicare velle iis; qui nec minimam voluntatem habent, cum poſſint, ut ſibi communicetur. Itemque alienum eſt à divina bonitate in ſuum obſequium, & mandatorum obſervationem involuntarios milites conſecrare, & initiare. Neque obſtat Gloſſa *in dicto cap. majores de Baptiſmo verbo perdurare, & in cap. ſolet, verbo ſimulatione, & verbo implorandum de conſecrat. diſt.4.* aſſerens Baptiſmum recipi ab eo, qui ore tenus conſentit abſque ulla animi voluntate, quia debet intelligi baptiſmum recipi quoad forum Eccleſiæ, & hominum præſumptionem, non tamen re ipſa. Neque item obſtat Florent. Concilium dixiſſe tribus tantum ſacramentum perfici, materia, forma, & intentione miniſtri. Nam eſto intentionis

ſuſcipientis mentionem non fecerit, non ideò infertur neceſſariam non eſſe in adultis propriam habentibus voluntatem : ſed ſolùm infertur intentionem ſuſcipientis non ſemper eſſe neceſſariam in omnium Sacramentorum receptione, ſiquidem parvuli, & perpetuò amentes plurium ſacramentorum abſque propria intentione capaces exiſtunt. Et ſacramentum Euchariſtiæ, cùm non conſiſtat in uſu, abſque ulla ſuſcipientis intentione conficitur. Adde ſub materia intentionem ſuſcipientium comprehendi in ſacramentis quo conſiſtunt in uſu.

5. Sed qualis debeat eſſe voluntas, quam ſuſcipientes adulti habere debent? Dicendum eſt debere eſſe ſimpliciter liberam, quia debet eſſe humana, & rationabilis, ac proinde immunis à coactione abſoluta, ſicuti expreſſè definivit Innocent. *in cap. majores de Baptiſmo*, & Concil. Carthagin. 3. *cap.* 34. Dixi *ſimpliciter liberam*, ut indicarem ex metu gravi ſupradictam voluntatem non vitiari. Nam eſto metus gravis voluntarium diminuat, non tamen libertatem integrè tollit, ideoque non impedit quin ſacramentum ex metu gravi ſuſceptum validum ſit. Sic expreſſè ex communi ſententia tradit Suar. *diſput.* 14. *ſect.* 2. *concl.* 1. Ægid. de Coninch. *quæſt.* 64. *art* 8. *dub.* 5. *concl.* 2. Quòd ſi objicias te poſſe omnino coactum Euchariſtiam recipere, ergo ad receptionem ſacramenti voluntas ſimpliciter libera ſuſcipientium non requiritur. Reſpondeo te ſolùm materialiter ſuſcipere ſacramentum Euchariſtiæ, ſi omnino coactè, & involuntariè ſuſcipias; illa enim ſuſceptio ſacramentalis non eſt, quia non eſt ſacramenti humanus uſus ac proinde nec mittit animam, cum Chriſto unit : ſicuti benè notavit Suarius *dicta ſect.* 2. *in medio.* Bonac. *diſput.* 1. *quæſt.* 6. *punct.* 2. *à num.* 3.

6. Sed hæc libera voluntas ad ſacramentum ſuſcipiendum requiſita non eſt opus ut ſi actualis, aut virtualis, cùm ſacramentum ſuſcipitur, ſufficit ſi habitualiter exiſtat, qualis cenſetur eſſe, ſi aliquando actualiter extitit, nec unquam retractata fuit. Colligitur ex Concilio Arauſic. 1. *cap.* 11. *alias* 12. aſſerente conferendum eſſe Baptiſmum invito obmutescenti, ſi antea petierit. Et ex Concilio Carthagin. 3. *cap.* 34. & tradit expreſſè Suarius *diſput.* 14. *ſect.* 2. *concluſ.* 1. Ægid. de Coninch. *quæſt.* 64. *art.* 8. *dub.* 5. *concluſ.* 4. Valent. *tract.* 4. *diſput.* 4. *quæſt.* 2. *punct.* 2. *ad finem* Bonac. *diſput.* 1. *quæſt.* 6. *punct.* 2. *num.* 8. Paul. Layman. *lib.* 5. *ſum. tract. cap.* 6. *num.* 4. Ratio verò eſt, quia cùm ſacramenta in ſuſcipientium utilitatem ſint inſtituta, decuit Chriſtum Dominum pro illorum ſuſceptione qualibet ſuſcipientium voluntate contentum eſſe, eſto in miniſtro ſacramenti ſaltem virtualis voluntas conficiendi ſacramentum requiratur.

7. Adde neque opus eſſe ad validè Sacramenta ſuſcipienda (Sacramento Pœnitentiæ excepto) expreſſam voluntatem illorum præceſſiſſe, ſufficit ſi præceſſerit interpretativa, & virtualis, quæ cenſetur eſſe dum quis vult ſervare omnia Eccleſiæ præcepta, ſibique remedia ad ſalutem neceſſaria applicari. Nam eo ipſo vult, ut ſibi ſacramenta quibus indiget, conferantur, ob quam cauſam adulto contrito, vel attrito conferri poteſt Baptiſmus, quia voluntarem habuit ſaltem virtualem ſuſcipiendi medium ſibi neceſſarium ad ſalutem. Et baptizato ægrotanti, catholicéque viventi concedi poteſt ſacramentum Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis, quia Baptiſmo ſuſcepto ea catholicæ vitæ profeſſione cenſetur voluiſſe omnia remedia à Chriſto inſtituta in hominum ſalutem ſibi applicari; cum illis indiguerit. Excepi Pœnitentiæ ſacramentum, eò quòd materia illius ſint actus ipſius ſuſcipientis. Debet ergo eſſe voluntas expreſſa. Sic Suar. *diſp.* 14. *ſect.* 2. *concl.* 1. *circa finem*, Ægid. de Coninch. *q.* 64. *art.* 8. *dub.* 5. *concl.* 4. Paul. Layman. *lib.* 5. *tract.* 1. *cap.* 6. *num.* 4. Bonac. *diſp.* 1. *q.* 6. *p.* 2. *à num.* 8.

8. Præter dictam voluntatem, ſeu intentionem ſuſcipiendi Sacramenta nulla alia diſpoſitio ex parte ſuſcipientium requiritur, ut valida ſit illius ſuſceptio. Excipe ſacramentum Pœnitentiæ ob rationem nuper dictam; quia actus ſuſcipientis, ſcilicet peccatorum confeſſio, illorúmque contritio, vel attritio materia ſunt illius. Sic tanquam omninò certum tradit Suar. *diſput.* 14. *ſect.* 2. *concl.* 2. Colligitur apertè tum ex Concilio Florent. Decreto de unione, tum ex Trident. *tota ſeſſ.* 6. Stante enim materia & forma, & intentione nihil eſt, quòd ad valorem Sacramenti deſideretur.

Punctum XIII.

Quam diſpoſitionem habere debes, ut licitè Sacramenta ſuſcipias.

1. *Quædam præmittuntur pro intelligentia quæſtionis.*
2. *Si ad ſacramentum accedis juſtus, & ſanctus, nulla alia diſpoſitio requiritur præter voluntatem ſuſcipiendi ſacramentum ad obtinendum præcipuum illius effectum, at ad obtinendum ſecundarium debes venali peccato ſaltem actuali carere.*
3. *Si mortali actuali gravatus exiſtas etiam ſi ignores, debes contritionem, vel attritionem ſaltem cum ſacramento habere, ut effectum ſacramenti obtineas.*
4. *Si ſolùm originali peccato graveris, cùm adultus ſis, non indiges pœnitentia, benè tamen fide, & ſpe.*
5. *Conſcius mortalis commiſſi ſi ad pœnitentiam, vel baptiſmum accedas ſatisfacis attritionem habens. Secus ſi alia ſacramenta ſis ſuſcepturus.*
6. *At ſi credis te eſſe contritum, cum tamen ſolùm attritus obtines gratiam aliorum ſacramentorum.*
7. *Aliqui affirmant ſolo actu fidei, & ſpei te ſufficienter diſponi ad gratiam in Baptiſmo, vel Pœnitentia obtinendam, eſto peccatum actuale commiſeris.*
8. *Contrarium probabilius eſt. Fitque ſatis fundam. n. præcedenti adducto.*

1. PRæmito ſacramenta alia eſſe inſtituta per ſe in remedium peccati, qualia ſunt Baptiſmus, & pœnitentia : alia inſtituta per ſe in gratiæ augmentum, qualia ſunt reliqua omnia præter baptiſmum & pœnitentiam. Deinde præmitto te poſſe, cum ad ſacramentum accedis ſentire gravatum aliquo peccato mortali commiſſo, vel ignorare gravatum eſſe, eſto gravatus ſis. His poſitis.

2. Dico primò, ſi abſque nullo peccato mortali, ſed juſtus, & ſanctus ad ſacramentum accedas, nullam aliam diſpoſitionem præter voluntatem ſuſcipiendi ſacramentum teneris habere, ut abſque mortali ſacramentum ſuſcipias, illiuſque effectum præcipuum, ſcilicet gratiæ augmentum obtineas; quia ſacramentum ritè ſuſcipias, cùm obicem gratiæ recipiendæ non apponis : at exiſtens in gratia nullum obicem opponis illius augmento. Ergo ſic Suar. *ex communi ſententia*, *diſp.* 7. *ſect.* 4. *concl.* 4. Ægid. de Coninch. *q.* 62. *art.* 1. *dub.* 2. *concl.* 6. Paul. Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 1. *cap.* 6. *concl.* 3. Bonac. *diſp.* 1. *quæſt.* 6. *punct.* 2. *num.* 10. Verum etſi ad ſuſcipiendum ſacramentum, præcipuúmque illius effectum obtinendum, nulla alia diſpoſitio, cùm juſtus es, præter illius ſuſcipiendi voluntatem requiratur, attamen ut effectum ſecundarium obtineas requiritur neceſſariò, ne in illius ſuſceptione veniale peccatum committas. Si enim

actuali complacentia peccati venialis commissi sacramentum suscipias, vel in illius susceptione te irreverenter gesseris, impedis tum illius peccati venialis remissionem, tum specialem Dei favorem tibi fortè concedendum, si liber ab omni macula etiam veniali, & debita cum reverentia sacramentum susciperes. Ab hac conclusione excipiendum est sacramentum Pœnitentiæ, eò quòd etiam ab homine justo suscipi non possit absque peccatorum contritione, vel attritione, quia est pars illius, sicuti notarunt prædicti Doctores.

3. Dico secundò, si mortali peccato actuali gravatus existas, tametsi illud ignores, necessario contritionem vel attritionem habere debes, vt medio sacramentorum gratiam justificantem, & sacramentalem obtineas. Sic ferè omnes Doctores teste Suar *disp.7. sect* 4. *concl.* Ægid. de Coninch. *qu.62. art.1. dub.2. concl.3.* Bonac. *disp.1. q.6. p.2. n.1* 2. Paul. Laimann. *lib.5. tract.1. cap.6. n.5.* Ratio est, est quia nullum peccatum mortale absque illius pœnitentia, & retractatione remittitur, ut satis colligitur ex illo Actor. 2. Ubi Judæis volentibus converti dixit Petrus debere pœnitentiam agere, & baptizari, apertè indicans solum baptismum absque pœnitentia peccatorum sufficiens non esse ad gratiam consequendum. Itemque ex Trident. *sess 6. cap.6. & sess.14. cap.4.* & ex D. Augustin. *epist.48.* ad Vincentium. Congruentia verò, ob quam Deus sic statuit nemini remittere peccatum actuale quin illius pœnitentiam, & retractationem habeat est aptissima. Non enim decebat Deum, vt à se aversum voluntariè in suam gratiam reciperet, quousque ipse per pœnitentiam ad Deum reverteretur.

4. Dixi: *Si mortali peccato actuali gravatus existas*; nam si solùm originale habeas, obligatus non es ad recipiendum baptismi effectum, contritionem, vel attritionem habere: quia hæc solùm sunt peccato propria voluntate commisso. At debes fidei, & spei, seu charitatis actum præmittere juxta illud ad Hebr. 11. Credere enim oportet accedentem ad Deum, & quia est, & inquirentibus se quia remunerator. Si ergo debes credere & Deum esse, & esse remuneratorem, debes spem remunerationis habere, quia ob hanc spem remunerationem credis. Præterea indecens erat Deo in suam amicitiam te adultum, & ratione vtentem recipere, quia eam amicitiam expeteres; & in ea perseverare velles; aliàs suam gratiam vilipenderet, si tibi non petenti, neque habenti voluntatem in ea perseverandi concederet. Debes ergo baptismo justificandus post rationis vsum non solùm fidem, sed spem, seu charitatem habere. Sic Ægid. de Coninch. *q. 62. art.1. dub. 2. concl. 2. num.27.* Paul. Laimam. *lib.5. tract.1. cap.6. n.5.*

5. Dico tertiò. Conscius peccati mortalis commissi, si baptismum, aut pœnitentiam recepturus es, satisfacis attritionem habens; si verò alia sacramenta, obligatus es contritionem habere. Ita D. Thom. *in 4. dist.6. q.1. art.3. qq.1. ad 5.* Henriq. *lib.1. cap.22. n.5.* Vasq. *3.p. disp.158. c 4.* Suar. *disp.7. sect.4. §. occurrebat.* Bonac. *disp.1. q.6. punct.2. à n.10. & seq.* Paul. Laiman. *lib.5. sum. tract.1. cap.6. n.3. & 5.* Ægid. de Coninch *q.62. art.1. dub.2. n.31.* & alii communiter. Priorem partem scilicet quod Sacram. Baptismi, vel Pœnitentiæ recepturus obligatus tantum sis attritionem habere sic probo. Quia hæc sacramenta instituta sunt à Christo Domino ad remittenda peccata. Non igitur expostulant peccata remissa. Ergo neque expostulare possunt ad sui receptionem tanquam dispositionem necessariam contritionem, qua peccata remittuntur. Ergo solùm expostulant attritionem, qua sola non remittuntur peccata, benè tamen cum Sacramento. Ergo attritus accedens ad dicta sacramenta cum debita dispositione accedis, siquidem accedis dispositus ad effectum Sacramenti suscipiendum, & institutioni Christi te conformas. Secundam partem nempe ad suscipienda reliqua sacramenta te debere esse contritum probo ex contrario fundamento. Nam reliqua sacramenta per se instituta sunt ad augendam gratiam Sacramento baptismi, vel pœnitentiæ in re, vel in voto suscepto concessam. Ergo ea suscipiens teneris gratiam habere: aliàs horum sacramentorum fini, & institutioni repugnas. Ergo teneris contritione, vel attritione cum sacramento te ad ea suscipienda disponere. Quinimò ad suscipiendum venerabile Eucharistiæ sacramentum ob ejus singularem excellentiam, & dignitatem non sufficit, si te per solam contritionem disponas, sed præmittere debes confessionem juxta Trident. *sess.13. cap.7.*

6. Verum si putans te esse contritum peccati mortalis commissi, cum tamen solum attritus sis, Sacramenta suscipias, gratiam, & remissionem peccati ex vi sacramenti obtines. Quia omnia sacramenta ex sua institutione habent conferre gratiam non ponenti obicem. At cum ea suscipis attritus putans esse contritum, non ponis obicem. Tum quia absque culpa suscipis cum vero dolore, & pœnitentia peccati commissi, satisfaciisque obligationi jure divino requisitæ pœnitentiam habendi. Ergo obtines gratiam, & remissionem peccati. Præterea quia decebat divinam bonitatem instituere sic sacramenta, ut virtutem haberent remittendi peccata verè pœnitentibus, & credentibus ritè esse ad eorum susceptionem dispositos. Atque ita docent ex communi sententia Navar. *cap.22. num.3.* Hentiq. *lib.1. de sacram. cap.22. num.6.* Suar. *disp.7. sect.4. in medio.* Ægid. de Coninch. *quæst.62. art.1. dub.2. num.42. & seqq.* Laiman. Paul. *lib.5. sum. tract.1. cap.6. n.3.* Bonac. *disp.1. q 6. pun.2. n. 11.* & alij.

7. Supereſt tamen difficultas, an si post peccatum commissum solo actu fidei, & spei supernaturali te ad suscipiendum baptismum, vel pœnitentiam disponas, effectum horum sacramentorum obtineas? Et quæstio procedit eo casu quo peccati commissi immemor existis, vel si illius es conscius, existimas attritionem supernaturalem habere, cum tamen non habeas? Affirmant sufficere Scotus *in 4. dist.14. q.4. art.3. &* Caiet. *3.p. quæst.86. art.2. ad 1. argum. §. vlt.* Dicunt enim solam voluntatem suscipiendi hæc Sacramenta sine actu, vel voluntate peccati sufficientem esse ad gratiam obtienendam. Probabile reputat Ægid. de Coninch. *quæst.62. art.1. dub.2. num.35. & 36.* moventur, quia esto ad remissionem peccati, commissi illius pœnitentia necessitate medij requiratur juxta illud, *nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* At non requiritur formalis pœnitentia, sed virtualis sufficit. Nam posito actu charitatis, & dilectionis Dei super omnia, homini peccata remittuntur, & in divinam amicitiam recipitur. Signum ergo est in hujusmodi actu virtualem pœnitentiam contineri. At actus supernaturalis spei etiam pœnitentiam peccati commissi virtualiter continere videtur: si quidem nemo expetere divinam amicitiam potest cum intentione in ea perpetuo manendi, quin si conscius esset peccati commissi illud detestaretur. Ergo actus spei sufficiens est ad effectum dictorum sacramentorum obtinendum.

Cæterum longè probabilius existimo prædictum actum spei absque attritione, vel contritione saltem in actu charitatis, & dilectionis Dei super omnia contentis sufficientem esse ad remissionem peccati, & gratiam obtinendam in prædictis sacramentis. Quia hic actus spei requisitus est in adulto suscepturo baptismum solo peccato originali affecto, ut diximus concl. 2. Ergo in se virtualem dolorem, & pœnitentiam non continet, quia pro solo peccato originali remittendo nulla pœ-

nitentia requiritur. Neque ex eo quod expetens divinam amicitiam efficaciter deteſtaturus eſſes peccatum, ſi conſcius illius eſſes; infertur in eo deſiderio deteſtationem peccati virtualiter contineri, ſicuti continetur in dilectione Dei ſuper omnia; ſed ſolum infertur contineri deteſtationem tanquam effectum imperandum ab actu ſpei in ordine ad finem propoſitum divinæ amicitiæ conſequendum. Quæ continentia non videtur ſufficiens, cum ex illa dici non poſſit ſperantem divinam amicitiam peccati commiſſi pœnitere, ſed fore, ut pœniteat, ſi illius memor exiſtat. Cum ergo nullius peccati actualis remiſſio contingat abſque pœnitentia, efficitur non remitti peccatum ſuſcipienti ſacramentum ſolo actu ſpei diſpoſito. Secus verò contingit in dilectione Dei ſuper omnia. Quæ deteſtationem peccati continet non tamquam effectum imperandum, ſed in ſe in virtute, & eminenter: diligens enim Deum ſuper omnia quidquid Deo contrarium eſt, quale eſt peccatum implicitè deteſtatur.

Punctum XIV.

An carenti debita diſpoſitione ad Sacramenti effectus ſuſcipiendos Sacramentum miniſtrandum ſit?

1. *Per ſe loquendo nullum ſacramentum miniſtrandum eſt carenti debita diſpoſitione ad illius effectum.*
2. *Miniſtrandi Sacramentum probabiliter conſtare debet de ſuſcipientis recta diſpoſitione. Et qualiter hoc contingat.*
3. *Per accidens miniſtrari indigno Sacramentum poteſt, ſi publicè miniſtrari debet, & ipſe ſe publicè probaverit dignum.*
4. *Satisfit objectioni & declaratur qualiter hæc miniſtratio non ſit cooperatio ſuſceptionis ſacrilegæ.*

1. CErtum eſt (per ſe loquendo) nullum ſacramentum miniſtrandum eſſe carenti debita diſpoſitione ad illius ſacramenti effectus; quia eſſet miniſtratio ſacramento injurioſa & contra proprii officii debitam obligationem: eo enim ipſo, quo ſacramentum miniſtras, obligatus es iis tantum diſpenſare, quibus Chriſto Domino placet, quia nomine ipſius diſpenſas, Chriſto Domino diſplicet, quod carentes debita diſpoſitione ad ſuſcipiendos ſacramenti effectus ſacramenta ſuſcipiant. Ergo ei diſplicet quòd tu eis ſacramentum miniſtres. Sic omnes Doctores.

2. Hinc infertur tibi miniſtrandi ſacramentum probabiliter conſtare debere de recta ſuſcipientis diſpoſitione. Tum ut fideliter diſpenſes. Tum ne irreverentiæ Sacramenti cooperearis. Sed qualiter hæc recta diſpoſitio tibi conſtare debeat? Ex ſingulis Sacramentis petendum eſt: Sunt enim aliqua Sacramenta, ad quæ ſuſcipienda probabiliter creditur ſuſcipientem eſſe diſpoſitum, eo ipſo quo catholice vivens ea ſibi adminiſtrari petat, qualia ſunt Confirmatio, Euchariſtia, Extrema-Unctio. Alia verò ſacramenta, quia ſtatum conſtituunt pluribus obligationibus affectum, expoſtulant in ſuſceptione ſuæ legitimæ diſpoſitionis probationem. Non enim baptiſmus adulto miniſtratur, quin ipſe ſuæ fidei, rectæque diſpoſitionis teſtimonia præbeat. Neque ullus ordinibus inſignitur, neque matrimonio jungitur, quin prius probet nullum ad hæc ſacramenta impedimentum habere. Atque ita ſuſtinent Sotus, *in 4. diſt. 12. par. 1. artic. 6.* Henriq. *lib. 1. de ſacram. cap. 30. num. 6.* Suar. *3. part. diſput. 18. ſect. 2. concl. 1.* Bonac. *diſput. 1. de ſacram. quæſt. 6. part. 4. in fine.*

3. Dixi *per ſe loquendo*: nam per accidens miniſtrari poteſt Sacramentum indigno, ſi ſacramenti miniſtratio futura ſit publica, ipſéque ſuſcipiens ſe publicè dignum probaverit, quia creditur Chriſtum Dominum in hoc caſu poteſtatem ſuis miniſtris conceſſiſſe, ſiquidem tradito diſcipulo Euchariſtiam porrexit, cujus indignitatem optimè noverat, quia in adſtantium conſpectu ſe probabat dignum. Aliàs miniſtris Sacramentorum grave onus impoſitum eſſet, vel probandi ſuſcipientium indignitatem, quam ſæpè probare non poſſent; vel nimia eſſet eis licentia conceſſa, multíſque irrogandis injuriis expoſita, ſi abſque dicta probatione ſecretò indignis negare ſacramenta poſſent. Sic D. Thom. *quæſt. 80. artic. 6.* Ægid. de Coninch. *ibi:* Navar. *cap. 21. num. 55. & 56.* Henriq. *lib. 1. cap. 30. num. 5.* Valen. *tract. 4. diſput. 6. quæſt. 8. part. 3. verſ. 4. peccatori.* Suar. *diſp. 18. ſect. 2. in media.* Bonac. *diſp. 1. de ſacram. q. 6. p. 4. n. 4.* & alii apud ipſos.

4. Quòd ſi objicias nemini licitum eſſe ſacrilegio cooperari, quia eſt intrinſecè malum; at miniſtrans ſacramentum indigno videtur illius ſacrilegæ ſuſceptioni cooperari. Ergo nunquam id licere poteſt? Facilè reſpondetur negando miniſtrantem ſacramentum indigno ob ſupradictum finem vitandi proximi infamationem cooperari ſacrilegæ ſuſcipientis receptioni, quia ſolum cooperatur receptioni ſacramenti, quatenus verò eſt ſacrilega permittit ex juſta cauſa. Sic Suar. Henriq. Bonac. & alii ſupra.

Punctum XV.

Qualiter licitum ſit Sacramenta recipere, & petere ab indigno miniſtro.

1. *Non eſt licitum petere adminiſtrationem, quam alius nullo modo licitè præſtare poteſt.*
2. *Ob tui, vel alterius gravem neceſſitatem, vel utilitatem benè potes petere adminiſtrationem, quam alius in peccato ob ſuam malitiam facturus eſt.*
3. *Secluſa ſupradicta neceſſitate, vel utilitate nequaquam potes etiam à parato adminiſtrationem petere.*

1. QUæſtio hæc decidenda eſt ex his, quæ diximus *tract. 6. de char. diſp. ult. de ſcandalo*, & *tract. 14. de juram. diſput. 1. punct. 10.* Primò namque ſtatuendum eſt, nullo caſu tibi licitum eſſe petere ab aliquo ſacramenti adminiſtrationem, quam ipſe licitè præſtare non poſſis, quia eo ipſo velles rem illicitam fieri, quòd intrinſecè malum. Qua ratione non licet tibi extra mortis periculum ab excommunicato non tolerato Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ recipere, quia ipſe præſtare licitè non poteſt, imò neque in mortis periculo, ſi alius adſit, qui præſtare velit. Stante verò periculo mortis, & deficiente miniſtro idoneo poteris ab excommunicato & jam non tolerato Sacramenta Baptiſmi vel Pœnitentiæ recipere, quia horum ſacramentorum receptio eſt ſummè neceſſaria: nam eſto contritione ſalutem obtinere poſſis, difficile eſt eam habere, neque in eas anguſtias es conjiciendus. Alia verò ſacramenta, quia non ſunt ita neceſſaria nequaquam potes etiam in articulo mortis ab excommunicato non tolerato ſuſcipere. Excipe niſi incapax ſteteris ſacramentum Pœnitentiæ recipiendi. Nam eo caſu ſunt tibi æquè neceſſaria ac baptiſmus, vel pœnitentia, quia illis ſuſceptis ſalutem attritione conſequeris, quam tamen amitteres ob contritionis defectum. Sic expreſsè tradit Ægid. de Coninch. *quæſt. 64. artic. 6. dub. 2. concl. 1.*

2. Secundò dicendum eſt ob gravem tui vel alterius neceſſitatem, vel utilitatem optime potes petere ſacramenti adminiſtrationem ab eo, quem ſcis in

peccato ministraturum, sive parochus sit, sive non, sive paratus existat, sive non existat. Sic D. Thom. *quæst.*64. *artic.*6. *ad* 2. Coninch. *ibi dub.*2. *concl.*1. *num* 43. Valen. *tract.*4. *disput.*3. *quæst.*5. *punct.*3. Sanc. *lib.*7. *de matr. di.*9. *num.*8. Suar. 3. *p. di.*18. *sect.*2. *vers. sed quæres, & disput.*72. *sect.*4. *in fin.* Bonac. *disput.*1. *de sacram. quæst.*6. *punct.*5. *num.*1. Ratio est, quia tu rem licitam & honestam petis, scilicet Sacramenti administrationem, quam minister & potest & debet ritè præstare. Quòd si non præstet ejus malitiæ, & non tuæ petitioni tribuendum est. Hac enim de causa tibi licitum est mutuum ab usurario, & juramentum à juraturo falso, vel per falsos Deos expostulare, quia quantum est ex te rem licitam & honestam petis.

3. Tertio dicendum est secluſa gravi necessitate, vel utilitate tui, vel alterius ne quis à Sacerdote etiam parocho, vel aliis parato sacramenti administrationem peteret, si moraliter tibi constet malè administraturum. Tum ob charitatem proximi, qua teneris peccatum illius impedire, si commodè possis, tum præcipuè ne divinus honor, & sacramento reverentia debita lædatur. Sic Sotus *in* 4. *dist.*1. *q.*5. *art.*6. Suarez, *disp.*18. *sect.*2. *circa finem.* Ægid. de Coninc. *quæst.*64. *artic.*6. *dub.*2. *num.*43. Bonac. *disput.*1. *de sacram. quæst.*6. *punct.*5. *num.*2. *Colligiturque apertè ex cap. Scisciatantibus* 15. *quæst.*8. ubi Nicolaus Papa decidit ab adultero posse communionem percipi, donec Episcopi sententia privatus sit.

Punctum XVI.

De numero & ordine Sacramentorum, & ritibus servandis in eorum administratione.

1. *Solum sunt septem sacramenta.*
2. *Ratione prædicta veritas probatur.*
3. *Qui ordo servandus est in eorum numeratione.*
4. *Ritus essentiales sunt à Christo instituti, accidentales ab Ecclesiâ, qui si communes sint nequit privatus Episcopus mutare.*
5. *Grave est peccatum per se loquendo non servare prædictos ritus ab Ecclesia præscriptos in sacramentorum administratione.*

1. Veritas catholica est septem esse sacramenta nec plura, nec pauciora. Sic definitum est à Concilio Florent. in Decreto Eugen. 4. & à Trident. *sess.*7. *can.*1. *& colligitur ex cap. ad abolendam de hæreticis:* ubi tanquam hæretici damnantur, qui aliter de sacramentis sentiunt, quam Ecclesia Romana. Constat autem Ecclesiam Romanam septem tantum sacramenta approbare, non sunt igitur asserenda plura, nec pauciora. Neque huic veritati obstare videntur opiniones asserentes in Eucharistia sacramentum corporis à sacramento sanguinis distinctum esse. Et in Sacram. Ordinis, ordines majores inter se, & à minoribus ordinibus specie differre, quia Ecclesia solum difinivit non esse plura sacramenta, quam septem. Plura inquam, quæ in prædicto numero non contineantur. Nam esto sacramentum Ordinis plures ordines inter se distinctos contineat, omnes tamen unicum sacramentum Ordinis saltem in genere constituunt, tametsi sub eo plura sacramenta specie infima distincta contineantur. Neque item obstat, quod aliqui Patres mentionem sacramentorum facientes aliqua ex eis, & non omnia numerent, quia non eo ipso negant. Neque denique obstat, quòd lotionem pedum à Christo Domino factam sacramentum appellent, sicuti appellavit Ambros. *lib.*3. *de sacram. cap.*1. & Bern. *serm. in Cœna Domini*, quia sacramentum usurpant non propriè, & strictè pro signo sanctificante, & peccata venialia remittente, sed impropriè, & secundùm latam significationem pro signo denotante ipsos etiam justos, & baptismo sanctificatos indigere nova lotione pro peccatis venialibus denuò commissis. Vide Navar. *sum. cap.*22. *n.*2 & 5. & *cap. Novit. de judiciis, notab.*3. *n.*92. Bellar. 2. *p. lib.*1. *cap.*5. Henr. *lib.*1. *cap.*3. §.1. Sayr. *de sacram. lib.*2. *cap.*1. *q.unica. & cap.*2. *art.*1. & 2. Suar. *t.*3. *in* 3. *p. disp.*12. *sect.*1. Vasq. *q* 64. *disp.*135. *n.*1. *& seq. & q.*65. *disp.*139. *c.*1. *&* 2. Ægid. de Coninch. *q* 64. *a t.*1. *dub.*1. *& q.*65. *art* 1. *n.*4. & alii.

2. Ratio hujus veritatis est institutio Christi. Congruentia optimè traditur à D. Thom. *q.*65. *art.*1. quia his sacramentis integrè perficitur homo tam quoad se, quam in ordine ad communitatem. Quinque enim sacramentis Baptismo scilicet, Confirmatione, Eucharistia, Pœnitentia & Extrema-Unctione perficitur in se? Ordine verò, & Matrimonio quo ad populum. Baptismo namque spiritualiter nascimur, & in Christo regeneramur. Juxta illud Joan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei, & ad Titum. 3. per lavacrum regenerationis, & Confirmatione crescimus, & roboramur in vita per baptismum accepta in cujus sacramenti susceptione tempore nascentis Ecclesiæ Spiritus sanctus visibiliter communicabatur, ut habetur Actorum 8. *n.*17. *& cap.*19. *n.*6. Eucharistia nutrimur in hac spirituali vita, & contra insidias inimici robur accipimus, & Christo nostro capiti unimur. Nam ut dicitur Joan. 6. Qui manducat me vivet propter me. Quia tamen ab hac spirituali vita ob malitiam nostram solemus deficere, Christus Dominus, ne ob defectum remedii periremus, Sacramentum Pœnitentiæ instituit, quo possimus ad vitam revocari obtenta peccatorum remissione secundùm illud Joan. 20. Quorum remiseritis peccata remittentur eis, &c. Denique instituit Extremam-Unctionem tum in remedium infirmitatum, quæ ex peccato commisso relinquuntur, cum in adjutorium contra luctam, & specialem pugnam, quam cum dæmone in mortis articulo solemus habere; sicuti colligitur ex epistola Jacobi *cap.*5. Hæc quinque sacramenta, ut ex dictis constat ad privatam cujusque utilitatem, & perfectionem sunt per se instituta. Alia duo sacramenta Ordinis, & Matrimonii ad perfectionem totius populi Christiani. Ordine namque constituuntur ministri, & dispensatores sacramentorum Pastores & Doctores. Ideóque Paul. *ad Tim.*4. dixit. Noli negligere gratiam, quæ in te est, & quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuũ presbyteri, & ad *Heb.*7. dixit Sacerdotes non solùm pro se, sed pro populo hostias offerre. Matrimonio populus Christianus per honestum, & rationi convenientem usum multiplicatur, ob cujus causam dixit Paul. *ad Ephes.*5. hoc sacramentum magnum est in Christo, & Ecclesia.

3. Quoad ordinem verò horum sacramentorum ferè omnes Doctores approbant assignatum à D. Thom. *q.*65. *art.*2. & Concilium Trident. *sess.*7. *can.*1. authoritate firmatum, nempe ut baptismus sit primum sacramentum in ordine, non quia cæteris omnibus nobilius sit, sed quia ad vitam spiritualem concedendam est institutum, & cùm vita sit fundamentum totius esse, sacramentum institutum ad hanc vitam communicandam totius ædificii spiritualis fundamentum est, & idem in ordine primum. At quia recenter nati indigent speciali robore, & auxilio ne deficiant, Sacramentum Confirmationis, quo roborantur secundum locum obtinet. Tertium obtinet Eucharistia, eò quòd sit speciale vitæ spiritulis nutrimentum. Quartus locus conceditur Pœnitentiæ, quia restituit vitam spiritualem roboratam, & nutritam, si fortè amitti contingat. Extrema-Unctio quintum habet locum, quia mundat nos à peccatorum reliquiis,

quæ per pœnitentiam ob noſtram negligentiam, vel ignorantiam ſufficienter purgatæ non ſunt. Sexto, & ſeptimo loco ſubſequuntur ſacramenta Ordinis, & Matrimonii, quibus in Ordine ad totam communitatem perficiantur. Nam Ordine accipimus poteſtatem regendi multitudinem & exercendi actus publicos. Matrimonio propagamus naturam contra continuum morte introductum defectum. Quòd verò prædictus Ordo ſit rectè aſſignatus colligitur apertè tum ex dictis, tum ex ratione, quam D. Thom. *quæſt.* 65. *art.* 2. ſubjungit. Priora (inquit) ſunt quæ ſingulos in ſe perficiunt in Ordine ad alios, ideóque ſacramenta Ordinis, & Matrimonii proſtremum locum obtinent, reliqua priorem. Matrimonium poſt Ordinem, quia minus perfectum eſt, ut potè quod minus participat rationem ſpiritualis vitæ, ad quam ſacramenta ordinantur. Intereà verò quæ ad perfectionem privatam cujúſque ordinantur (inquit D. Thom.) priora debent eſſe, quæ per ſe vitam communicant, & perficiunt, quam quæ obſtacula removent, ideóque priora ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Euchariſtia; quibus vita conceditur, & perficitur, quàm Pœnitentia, & Extrema-Vnctio, quibus vita læſa reparatur. Ex quibus omnibus conſtat prædictum Ordinem deſumptum ex fine ipſorum ſacramentorum, tum ex neceſſario, vel convenienti illorum uſu. Nam ſi ex eorum dignitate ordo eſſet inſtituendus primum locum Euchariſtia obtinere debebat, utpotè omnium ſacramentorum perfectiſſimum. Tum quia continet Chriſtum. Tum quia ad ipſum reliqua ſacramenta referuntur. Tum quia in ipſo conſummantur, ut latius explicavit D. Thom. *quæſt.* 65. *art.* 3. Secundus locus concedendus erat Ordini. Tertius Confirmationi. Quartus Baptiſmo. Quintus Pœnitentiæ. Sextus Extremæ Vnctioni. Septimus Matrimonio.

4. Prædicta ſacramenta ſuos ritus habent tum ex inſtitutione Chriſti, tum ex inſtitutione Eccleſiæ quibus adminiſtrentur. Sed ex ritibus aliqui ſunt eſſentiales, alii accidentales, eſſentiales ſunt qui ſacramentum conſtituant, quibúſque deficientibus materia, vel forma ſacramenti deficit, & hi à Chriſto Domino ſunt inſtituti. Accidentales ſunt, qui non ad eſſentiam ſacramenti, ſed ad ejus ornatum decorum, & convenientem uſum pertinent. Qui ritus alii ſunt communes toti Eccleſiæ, alii ſingulares cujuſdam Epiſcopatus: nulli tamen ſunt à Chriſto Domino præſcripti, eſto Eccleſia ad ejus imitationem, & exemplum aliquos præſcripſerit, ut rectè probat Suar. 3. *p. quæſt.* 65. *art.* 4 *diſp.* 15. *ſect.* 3. *concl.* 1. Ritus eſſentiales nullus Epiſcopus, imo nec ſummus Pontifex etiam in Concilio generali mutare poteſt; quia Eccleſiæ à Chriſto Domino relicta poteſtas Sacramenta mutandi, ut tradunt omnes. At ritus accidentales etiam toti Eccleſiæ communes poteſt ſummus Pontifex pro varietate temporum, & circunſtantiarum quoſdam de novo inſtituere, & antiquos abrogare, quia horum obſervatio ex Eccleſiæ inſtitutione habetur. Privati verò Epiſcopi nequaquam poſſunt ritus univerſalis Eccleſiæ communes abrogare, vel aliquo modo mutare, quia ſunt ſuperiori poteſtate, ſcilicet univerſalis Eccleſiæ Paſtore inſtituti. Eaque de cauſa Concil. Trident. *ſeſſ.* 7. *can.* 13. definivit anathema eſſe dicentem receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni ſacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos aut contemni, aut ſine peccato à miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe. Sic Henriq. *lib.* 1. *de Sacram. cap.* 21. *num* 4. Ægid. de Coninch. *quæſt.* 66. *num* 99. *& quæſt.* 71. *num.* 3. Bonac. *diſp.* 1. *quæſt. ult. punct. un. in fin.* Suar. *diſp.* 15 *ſect.* 3. *circa finem.*

5. Ex quo fit per ſe peccatum mortale eſſe non ſervare præſcriptas cæremonias, ritum, & ordinem præſcriptum ab Eccleſia in ſacramentorum adminiſtratione, quia uſu, conſuetudine, & Conciliorum decretis, & Doctorum authoritate conſtat horum obſervationem præceptam eſſe ſicuti probavimus loquentes de ſingulis Sacramentis. Aliquando tamen continget ſolum veniale eſſe, ſi mutatio prudentis judicio levis eſſe judicetur. Sic Suarius *diſput.* 16. *ſect.* 2. *circa finem.* Valen. *tom.* 4. *diſp.* 3. *quæſt.* 1. *punct.* 4. Henriqu. *lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 4. Bonac. *diſp.* 1. *de Sacram. quæſt. ult. punct. unico, num.* 4. & alii communiter.

TRACTATUS XIX.

ET

DISPUTATIO UNICA,

DE SACRAMENTO BABTISMI.

Explicatis in ſupradicto Tractatu iis, quæ omnibus Sacramentis communia ſunt, ſingulorum ſacramentorum explicationem aggredimur, incipientes à Baptiſmo utpotè janua reliquorum, & vitæ ſpiritualis fonte, ac radice.

Punctum I.

De Baptiſmi nomine, ejúſque definitione.

1. *Expenditur nomen baptiſmi.*
2. *Definitio baptiſmi explicatur.*

1. HOc Sacramentum, quo à peccato originali mundamur, & in domeſticos Chriſti ſigillamur, univerſi Patres, & Doctores baptiſmum appellant, eò quòd per immerſionem, vel affuſionem aquæ præſtetur. Baptiſmi namque vox Latinè idem eſt quod immerſio, vel intinctio teſte Ambroſ. Calepino *verbo Baptiſmus*. Ob varios tamen ſacramenti effectus aliis etiam nominibus hoc Sacramentum Patres nominaverunt, ut videre eſt apud D. Thom. *quæſt.* 66. *art.* 1. *ad* 1. Bellarmin. *lib.* 3. *de ſacrament. cap.* 1. Suar. *quæſt* 66. *art.* 1. *in comment.* Vaſqu. *diſp.* 140. *cap.* 1. Præcipua ſunt eſſe ſacramentum regenerationis, fidei, doni, ſeu gratiæ, unctionis, illuminationis, indumenti, & ſigilli. His utitur Gregor. Nazianzen. *orat.* 40. *in ſanctum Baptiſma non longe à principio.* Chryſoſtom. *homil. ad baptizandos, tom.* 5. Tertullian. *lib. de Baptiſmo.* Baſil. *in exhortat. de baptizan.* Cyril. *Catech.* 3. & 17. Clem. Alexandr. *lib.* 1. *pædagogiæ, cap.* 6. Ambroſ. *lib* 2. *de ſacr. in fine, & lib.* 3. *in prin.* & alii Patres. Dicitur ſacramentum *regenerationis*, quia eo denuò naſcimur & regeneramur. Juxta illud Joan. 3. niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. *Fidei* Sacramentum appellatur, quia in eo fit prima, & ſolemnis fidei profeſſio. *Gratiæ ſeu doni*, quia in eo gratia prima abſque ullo noſtro merito liberaliſſimè confertur, integraque peccatorum quoad culpam, & pœnam remiſſio. *Unctionis*, quia Spiritus ſancti gratia ungimur participes regni, & ſacerdotii Chriſti. *Illuminationis*, quia fide accepta in cognitionem Dei illuminamur. *Indumenti*, quia nuditas per peccatum contracta gratia hujus ſacramenti tollitur. *Sigilli*, quia in oves Chriſti primò ſigillamur. Inſuper ſolet vocari *Circumciſio Chriſti non manu facta, ad Coloſſ.* 2. quia loco corporalis circumciſionis antiquæ hæc ſpiritualis circumciſio ſucceſſit. Deinde appellatur, *crux & ſepultura*. Ad Roman. 6. quia baptiſmo vetus homo moritur, & quaſi ſepelitur, novúmque induimus, qui ſecundùm Deum creatus eſt. Denique dicitur, *principium & janua ſacramentorum*, quia eo redditur baptizatus aptus ad reliqua ſacramenta ſuſcipienda.

2. Baptiſmi nomine explicato. Doctores ſequentes Mag. *in* 4. *diſt.* 3. definiunt, ut ſit ablutio corporis exterior facta ſub præſcripta forma verborum. Cui definitioni ut recta ſit, ſubintelligi debet cum debita intentione. Nam ſtare optimè poteſt ablutio corporis ſub forma verborum pro baptiſmo præſcripta, non tamen fieri Baptiſmum, eo quod deficiat legitima intentio. Hac enim ratione ſi aliquem ablueres proferens baptiſmi formam præſcriptam abſque intentione illum regenerandi, ſed animo tantum repræſentandi quod ab Eccleſia Catholica fit, baptiſmum non conficeres. Benè tamen poſſes ludens & repræſentans Eccleſiæ Baptiſmum aliquem baptizare, ſi animo regenerandi ablueres ſub præſcripta forma baptiſmi. Qualiter Athanaſio contigit, qui etſi ludens & repræſentans Eccleſiæ baptiſmum, quia tamen verum animum & intentionem faciendi quod Eccleſia faciebat, habuit, verum baptiſmum pluribus non baptizatis contulit. Sicuti teſtatur Ruffin. *lib.* 1. *hiſtor. cap.* 14. Sozomen. *lib.* 2. *c.* 16. & *refert. in cap. Spiritus ſanctus,* 1. *q.* 1. Eſt ergo baptiſmi definitio non ſolùm ablutio corporis ſub præſcripta verborum forma, ſed cum debita intentione facta. Quapropter Catechiſmus Romanus, 2. *punct. cap.* 2. dixit. Baptiſmus eſt ſacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ. *Sacramentum* conſtituit loco generis; *regenerationis per aquam in verbo vitæ* loco differentiæ. Nam baptiſmus differt à reliquis ſacramentis, eò quòd diverſam habeat materiam, & formam phyſicam, diverſamque ſignificationem. Habet namque pro materia aquam non utcumque, ſed corpus lavantem; pro forma phyſica verba à Chriſto Domino inſtituta, quæ verba comparata ad ablutionem, quia eam determinant, ſunt forma. At quia ex prolatione illorum verborum & ex ablutione cum intentione regenerandi baptizatum integrà ſignificatio ſacramenti conſurgit, ea de cauſa ablutio, & prolatio verborum habet ſe ut materia ſacramenti, ſignificatio vero ut forma, quæ ullo verbo regenerationis indicata eſt à Catechiſmo Romano. Hoc enim ſacramento Chriſto regeneramur, quia ejus virtute primam ſpiritualem vitam conſequimur. Sic explicat Suar. *Baptiſmi definitionem* 3 *p. q.* 66. *art.* 1. *in comment* junctis iis qua dixerat *diſp.* 2. *ſect.* 1. Ægid. de Coninch. *ibi* Vaſq. *diſp.* 140. *c.* 1. *n.* 2. Bonac. *diſp.* 2. *de baptiſmo q.* 2. *p.* 1. *n.* 1.

Punc-

PUNCTUM II.

De tempore, quo hoc Sacramentum institutum est, & de differentia ejus à Joannis baptismo.

1. *Fuisse à Christo hoc sacramentum institutum post resurrectionem qui defendant, & qualiter probent.*
2. *Ante mortem ejus fuit hoc sacramentum institutum.*
3. *Satis fit oppositis rationibus num. 1. relatis.*
4. *Quo die fuerit institutum hoc sacramentum? Incertum est. Plures censent post plures dies à Joannis baptismo.*
5. *Probabilius est eo die, quo fuit Christus à Joanne baptizatus baptismum instituisse.*
6. *Fit satis fundamentis num. 4. adductis.*
7. *Qualiter baptismus à Christo institutus differat à Joannis baptismate.*

1. QUod ad institutionem hujus sacramenti attinet, fide tenendum est esse à Christo Domino institutum, sicuti de omnibus sacramentis definit. Trid. *sess. 7. can. 1.* Quo autem tempore institutum sit, non ita certum est. Nam aliqui gravissimi doctores docent fuisse institutum post resurrectionem, cùm Apostolis dixit. *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti,* sic docuit expressè *Tertullian. lib. de baptismo cap. 11. n. 86. Rupert. lib. 4. in Ioan. c. 3. Chrysost. hom. 28. in Ioan. Theophylact. Ioan. 3. in illa verba:* Post hæc venit Jesus. *Leo. 1. in epistola 4. decretali ad universos Episcopos Siciliæ, cap. 1. & satis indicat D. Thom. quæst. 7. 3. art. 5. ad 4. in priori solut.* & probabilem reputat *Canus lib. 6. de locis cap. 11. §. quarto si longiorem.* Moventur primò, quia nullibi legitur Dominum formam baptismi expressisse, neque utendam designasse, nisi post resurrectionem. Immo potius *Luc. 10.* mittens discipulos suos ad annunciandum regnum Dei, varias potestates concessit ejiciendi dæmonia, & curandi infirmitates, si autem baptismus institutus esset, moveret illos, sicuti post resurrectionem fecit, ut docerent gentes, & in nomine Trinitatis baptizarent. Secundò probant ex illo *Ioannis 7.* ubi Evangelista testatur nondum Spiritum datum esse, quia Jesus nondum erat glorificatus, hoc est, quod nondum erat mortuus, & resuscitatus. Si autem baptismus, quia Spiritus sanctus confertur, esset ante Christi passionem, & ejus gloriosam resurrectionem institutus, Spiritus sanctus datus esset. Signum ergo est baptismum non fuisse. Tertiò probant, quia *Ioann. cap. 4. initio* expressit Christum Dominum non per se, sed per discipulos baptizasse, cujus expressionis nulla excogitari rationabilis causa potest, nisi quia ejus discipuli baptizabant Joannis baptismo, cujus usus Christum non decebat. Tandem, quia baptismus habet ex se januam regni cœlestis aperire. At hæc aperta non est, quousque Christus Dominus morte sua integrè satisfecit nostrorum peccatorum debito. Ergo ante hanc plenam satisfactionem non fuit institutus.

2. Cæterùm tenendum est cùm communi, longéque probabiliori sententia Christum Dominum ante mortem suam baptismum instituisse: sic docuit *Cyrill. lib. 2. in Ioan. cap. 7. Nazianzen. orat. 39. August.* variis in locis, præcipuè *tract. 13. & 15. in Ioan. cap. 57. D. Thom. quæst. 66. artic. 1. Magist. in 4. dist. 3.* & pluribus relatis firmant *Suar. disp. 19. sect. 1. concl. 1. Vasq. disput. 140. cap. 3. Ægid. de Coninch. quæst. 66. artic. 2. Bonac. disput. 2. de baptismo quæst. 2. punct. 1. Paul. Layman. lib. 5. sum. tract. 2. cap. 2. num.* Probatur, quia ante passionem Christi Domini ejus discipuli baptizabant, ut expressè habetur *Ioan. 4.* ibi audierunt Pharisæi, quòd Jesus plures discipulos facit, & baptizat quàm Joannes, quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus. At non est credibile eos baptizare baptismo Joannis, neque alio baptismo ab eo, qui nunc est. Ergo baptismus ante passionem Christi fuit institutus. Minorem, in qua est difficultas, sic probo. Et in primis, quod discipuli Christi non baptizarent baptismo Joannis videtur manifestum. Tum quia non diceretur Christus mediis illis baptizare, sed potiùs Joannes, cujus erat baptismus. Tum quia discipuli Joannis non conquererentur, quod Christi discipuli baptizarent, si baptismo Joannis uterentur, imo potius gaudere deberent, quod sui magistri baptismus à Christo, ejusque discipulis approbaretur. Tum denique, quia ipse Joannes dixit se baptizare in aqua, Christum Dominum baptizaturum in Spiritu sancto *Joann. 1. & Matth. 3.* ob quam causam plures ad Christum baptizandi concurrebant. Quod verò discipuli Christi non baptizarent alio baptismo ab eo, qui nunc est, inde probatur, quia ex scriptura constat Christum Dominum, ejusque discipulos baptizasse in Spiritu sancto, & igni, hoc est baptismo conferente Spiritum sanctum, animum inflammante, & tanquam ignis à rubigine peccatorum purgante. *Ioan. 1. Matth. 3.* nec de alio baptismo constat, nec Christum, ejusque discipulos docebat. Sed baptismus, vi cujus Spiritus sanctus per gratiam, & charitatem communicatur, est baptismus, qui nunc est in Ecclesia. Ergo nullo alio Christus Dominus, ejusque discipuli usi fuerunt. Secundò probo, quia ante passionem Christi institutum est Eucharistiæ sacramentum, & discipulis ministratum, ipsique discipuli ordinibus initiati sunt. At non est credendum prius Eucharistiam participasse, & ordinis sacramentum recepisse, quàm baptismum, cùm baptismum, omnium sacramentorum janua sit, & initium. Fingere autem Christum Dominum in hac parte dispensasse, & sacramentorum dispositionem mutasse incongruum est, cùm nulla sit hujus fictionis necessitas, nec fundamentum. Adde plures Patres testari Christum Dominum suis manibus aliquos baptizasse, nam baptizasse Petrum testatur *Nicephor lib. 2. historiæ, cap. 3. & Nazianzen. orat. 39.* Beatam Virginem, & utrumque, *& Theophyl. in cap. 3. Ioann.* imo noster doctissimus *Maldonat. Ioann. 3.* quem sequitur *Vasq. quæst. 66. artic. 2. disp. 140. cap. 5.* affirmat Christum Dominum suis manibus plures baptizasse, tametsi non frequenter; frequenter enim per discipulos faciebat. Sic explicant locum *Ioann. 4.* ubi dicitur Christum non baptizasse, sed discipulos ejus, cùm tamen *Ioann. 3.* dixisset Christum baptizasse; ut sit sensus Christum non baptizasse frequenter, benè tamen aliquoties, sed rarò.

3. Ex his facile est rationibus oppositis satisfacere. Ad primam nego nullibi esse indicatam à Christo Domino ante suam passionem formam baptismi: satis enim indicata fuit, cùm à Joanne fuit baptizatus, & præcipuè cum ejus Apostoli baptizarent baptismo à Joanne prænunciato, quo Spiritus sanctus communicaretur. Neque enim credendum est Apostolos sub alia forma, quàm Trinitatis baptismum ministrasse, aliàs diversum sacramentum esset, præcipuè cùm mysterium sanctissimæ Trinitatis sæpè Christus Dominus declaraverit, & ad communicandam hominibus illius notitiam carnem assumpserit. Fateor tamen post suam resurrectionem illud mysterium sub verbis expressis proposuisse & solemniter publicasse, non quia discipuli illud ignorarent, cùm plenè jam essent instructi Spiritu sancto, sed ut omnibus constaret ab eo tempore baptismum sub nomine Trinitaais Patris, & Filii, & Spiritus sancti collatum medium esse ad salutem necessarium, illiusque mysterii notitiam omnes habere debere. Quod verò

Lucæ 10. mentionem non fecerit baptiſmi, cùm diſcipulos ad prædicandum miſit, ideo fuit, quia paulo ante data fuerat diſcipulis baptizandi poteſtas, ac proinde opus non erat eam repetere. Deinde quia non paſſim omnes baptizandi erant, ſed qui in Chriſtum crederent, quos ſciebat ante ejus mortem non ita plures futuros eſſe. Ad ſecundum ex illo *Joann.* 7. reſpondeo Spiritum ſanctum viſibili forma, & abundantiori non eſſe datum, quia Ieſus glorificatus non erat. At datus erat inviſibiliter, aliàs Magdalenæ remiſſa eſſent peccata; neque Euchariſtia conferens gratiam inſtituta. Ad tertium, ex illo *Ioam.* 4. ſatisfactum eſt in probatione noſtræ concluſionis. Ad ultimum concedo januam regni cæleſtis apertam non eſſe ante Chriſti paſſionem, & glorioſam reſurrectionem, quia uſque ad illud tempus noſtrorum peccatorum debitum ſecundùm divinam ordinationem non erat integrè perſolutum. Sed non inde infertur Baptiſmum inſtitutum non eſſe efficax ad gratiam communicandam. Nam illam ante paſſionem communicabat tum ob merita infinita Chriſti Domini, quæ illius inſtitutionem præceſſerant. Tum ob merita futura ſuæ paſſionis. Et licèt illa gratia non illico baptizatum morientem perduceret ad regna cœlorum, hoc non proveniebat ex defectu gratiæ, & baptiſmi, ſed ex eo quod divina ordinatione ſtatutum erat nemini regnum cælorum aperiendum eſſe, quouſque Chriſtus Dominus plenè, & integrè debitum humanæ naturæ perſolveret.

4. Sed quo die ante mortem Chriſti fuerit baptiſmus inſtitutus, incertiſſimum eſt. Plures doctores cenſent non fuiſſe inſtitutum eo tempore, quo Chriſtus Dominus fuit à Joanne Baptiſta baptizatus; ſed poſt aliquos dies cum diſcipulos collegit, & partim ipſe, partim, & frequentius per ſuos diſcipulos turbas baptizaverit. *Sic Scotus in* 4. *diſt.* 3. *q.* 4. *Gabr. q. unica art.* 3. *dub. ult. Barth. ab Angelo de ſacr. baptiſmi dialogo.* 2. §. 7. Ægid. de Coninch. *q.* 66. *art.* 2. *n.* 14. Paul. Laymann. *tr.* 5. *ſum. tract.* 2. *c.* 2. *n.* 2. *fin.* nec diſſentit Suar. *diſp.* 19. *ſect.* 2. *circa finem.* Moventur, quia eo tempore, quo Chriſtus Dominus baptiſmum à Joanne ſuſcepit, non legiſlatoris perſonam, ſed potius pœnitentis geſſit. At inſtitutio ſacramenti baptiſmi ad officium legiſlatoris pertinet. Deinde eo tempore nondum diſcipulos habeat, nec prædicationem inchoarat; at non eſt credendum inſtituiſſe ſacramentum ante inchoatam prædicationem, & diſcipulorum collectionem. Non enim decebat inſtitutionem ſacramenti hominum utilitatem reſpicientis, & per diſcipulos adminiſtrandi ſecretam eſſe, ſed manifeſtam. Præterea ex eo quòd Chriſtus baptizatus fuerit, & ex omnibus, quæ ibi contigerunt, colligi non poteſt, baptiſmi inſtitutio, ſed ad ſummum adumbrari, & præfigurari. Nam baptiſmi inſtitutio formaliter importat, quod Chriſtus Dominus perpetua lege ſtatuerit illius materiam, & formam ut ſignum gratiæ ſanctificantis. At ex eo, quod ipſe baptizatus fuerit non infertur hanc legem tuliſſe, neque ex eo quòd Pater æternus ſuum eſſe filium publicaverit, & Spiritus ſanctus in figura columbæ apparuerit, quia hæc omnia ſolùm deſignant ſacramenti formam, non vero conſtituunt, contingere enim poterat, quin eſſet aliqua ſacramenti inſtitutio. Ergo dicendum eſt ſacramentum baptiſmi non fuiſſe inſtitutum tempore quo Chriſtus fuit baptizatus. Reſtat ergo ut poſtmodum fuerit, nempe quando Chriſtus diſcipulos collegit, & poteſtatem baptizandi turbas contulit.

5. Cæterùm probabilius exiſtimo eo die, quo Chriſtus Dominus in Jordane baptizatus fuit ſacramentum baptiſmi inſtituiſſe: ſic docent communiter Patres Eccleſiæ, *Ambroſ. Auguſt Hieron. Nazianzen. Damaſc. & alii apud* Vaſq. *diſp.* 140. *cap.* 6. Suar. *diſput* 19. *ſect.* 2. traduntque communiter ſcholaſtici cum D. Thom. *q.* 66. *art.* 2. *& Mag. in* 4. *diſt.* 3. *nbi. Domini. Scotus, Ledeſma, & alii*, quos refert, & ſequitur Vaſq. *dicto cap.* 6. *Sayrus de ſacram. lib.* 2. *c.* 2. *q.* 3. *art.* 1. Bonac. *diſp.* 2. *de baptiſmo q.* 2. *punct.* 1. *n.* 2. Moveor quia ſæpè Patres, & doctores, quos plena manu refert Vaſq. 3. *p. q.* 66. *art.* 2. *diſp.* 140. *cap.* 6. *poſt. initium* dicunt Chriſtum Dominum ſuo baptiſmo aquas Jordanis. & in ipſo reliquas omnes ſanctificaſſe, & conſecraſſe. At ſi tunc ſolùm baptiſmus eſſet promiſſus, & adumbratus, incongruè dicerentur aquæ ſanctificatæ, & conſecratæ, illiuſque noſtra peccata mundari, ſed deberent dici ſanctificandæ, & conſecrandæ, noſtráque peccata illis mundanda, ſicuti ex promiſſione Petro facta de poteſtate clavium, *Matth* 16. non dicitur Petrus Chriſti Vicarius conſecratus, & ſanctificatus, ſed ſuo tempore conſecrandus, & ſanctificandus. Adde ex ſolo baptiſmo Joannis, & promiſſione ab eo facta de baptiſmo Chriſti futuro dici poſſent aquæ conſecratæ, & ſanctificatæ, ſicuti dicuntur Chriſto baptizato, ſi Chriſtus Dominus eo tempore baptiſmum non inſtituit, ſed ſolùm promiſit, & præfiguravit, quia baptiſmus Ioannis etiam fuit umbra, & figura baptiſmi à Chriſto inſtituendi, inſuperque nomine Dei ejus inſtitutionem promiſit. Ergo ſi ob ſolam promiſſionem futuri baptiſmi, & illius figuram dicuntur aquæ conſecratæ, & ſanctificatæ, cum hanc promiſſionem, & umbram habeant ex baptiſmo Ionnis, & promiſſione futuri Chriſti baptiſmi, eodem modo conſecratæ, & ſanctificatæ, & noſtrorum peccatorum lavacrum dici debent. Quod nullo modo Patres concedunt. Signum ergo eſt conſecratas, & ſanctificatas fuiſſe, quia eo tempore fuit baptiſmus inſtitutus. Quòd ſi dicas ſanctificatas, & conſecratas eſſe, non ſolùm quia eo tempore baptiſmum Chriſti inſtituendum præſignabant, ſed etiam quia Chriſti contactu ſacratæ fuerunt, & dignæ factæ, ut in lavacrum peccatorum noſtrorum aſſumerentur; Obſtat, quia contactu Chriſti non aquæ abſolutè, ſed illæ numero aquæ Jordanis, quæ ipſum tetigerunt, eſſent ſanctificatæ. At Patres Eccleſiæ affirmant baptiſmo Chriſti aquam abſolutè ſanctificatam eſſe. Igitur non de ſola ſanctificatione per contactum, ſed de ſanctificatione per baptiſmi inſtitutionem intelligendum eſt. Addeſæpè Chriſtum Dominum in vita ſua aquas tetigiſſe, ob cujus contactum dignæ erant, ut in lavacrum noſtrorum peccatorum aſſumerentur, ſed non obinde à ſanctis Patribus ſacratæ, & ſanctificatæ cenſentur, ſicuti cenſentur in hac occaſione baptiſmi: Ergo ob baptiſmum ibi inſtitutum.

6. Supereſt ſatisfacere fundamentis num. præcedenti adductis ex quorum ſolutione noſtra ſententia firmior exiſtet. Ad primum concedendo Chriſtum Dominum ſuſcipientem Ioannis baptiſmum perſonam pœnitentis geſſiſſe, at poſtmodum inſtituentem baptiſmum, & Joannem inſuper baptizantem perſonam geſſiſſe legiſlatoris. Neque obſtat nondum inchoaſſe prædicationem ſuam, neque diſcipulos collegiſſe. Voluit namque ab ea inſtitutione inchoare, ut inde probaret baptiſmum vitæ ſpiritualis radicem, & fundamentum eſſe. Neque illa inſtitutio ſecreta, & occulta fuit, ſed ſatis publica, ſicuti fuit baptiſmus Ioanni collatus, quem ex pluribus Patribus teſtatur Maldonat. *in illa verba Matth.* 3. ſine modo, quémque ſequitur Vaſq. *dicta diſput.* 140. *cap.* 6. *circa finem num.* 45. Fateor tamen ex ſolo baptiſmo Ioannis Chriſto collato, & myſterii Trinitatis manifeſtatione non ſatis colligi hujus ſacramenti inſtitutionem. At ex authoritate Patrum affirmantium eo baptiſmo aquas ſanctificatas, & conſecratas eſſe in noſtrum peccatorum lavacrum optimè colligi, præcipuè cùm paulò poſt diſcipuli Chriſti baptizarent non baptiſmo Joannis, ut probatum eſt.

ſed

ſed Chriſti baptiſmo. Neque appareat quo tempore illius fuerit inſtitutio.

7. Quod ſi inquiras diſcrimen noſtri baptiſmi à baptiſmo Joannis? Breviter, & optimè illud expendit Paul Layman. *lib. 5. ſum. tract. 2 cap 2. num. 3.* Inquit enim: Baptiſmus Joannis differt à baptiſmo Chriſti, primò in inſtitutione; quia baptiſmus Joannis non fuit inſtitutus in ſacramentum, hoc eſt in cæremoniam ſtabilem ad hominum ſanctificationem, ſed ſolùm in diſpoſitionem, & figuram noſtri baptiſmi, quo inſtituto, & promulgato ceſſarit. Secundò differt in forma, quia baptiſmus Joannis non conferebatur ſub invocatione ſanctiſſimæ Trinitatis, ſicuti noſter baptiſmus confertur. Tertiò quoad effectus, quia non conferebat gratiam ſanctificantem ex opere operato, neque caracterem imprimebat, quod ſecus in noſtro baptiſmo contingit. Ex quo naſcitur quarta differentia ſcilicet baptiſmum Joannis inſufficientem fuiſſe ad ſalutem, illoque baptizatos indiguiſſe Chriſti baptiſmo. Quinto differt in miniſtro, quia baptiſmus Joannis à ſolo Joanne miniſtrabatur, at noſter baptiſmus à quolibet miniſtrari valet. Tandem differt in neceſſitate, quia Joannis baptiſmus nec neceſſitate medii, nec fortè præcepti fuit ad ſalutem neceſſarius, ſecus noſter.

Punctum III.

De materia remota baptiſmi.

1. *Aqua naturalis apta ad abluendum eſt materia remota.*
2. *Quæ excludantur à materia baptiſmi.*
3. *Aqua inepta ad abluendum excluditur.*
4. *Aquam eſſe maris, fluminis, vel fontis frigidam, vel calidam per accidens eſt.*
5. *Uti aqua turbida & impura ad baptiſmum abſque gravi neceſſitate peccatum eſt mortale.*

1. FIdes docet pro materia baptiſmi aquam naturalem, ſeu elementarem aptam ad abluendum deſignatam eſſe à Chriſto Domino. Sic definitum eſt in *Concilio Lateranen.* relato in *cap. firmiter de ſumma Trinit. & in Concilio Florent. in decreto Eugenii 4. de Armenis*; & *in Trident. ſeſſ. 7. canon. 2.* colligiturque apertè *ex illo Joannis 3.* Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto; &c. & tradunt omnes Catholici. Ratio hujus inſtitutionis creditur eſſe, quia hoc Symbolum aptiſſimum eſt ad ſignificandam animi munditiem, & ex alia parte ob ejus redundantiam omnibus pervium, ut ſacramentum ita neceſſarium facilè adminiſtrari poſſet.

2. Hinc fit non eſſe materiam hujus ſacramenti ſudorem, lac, urinam, lachrymas, ſputum, ſeu ſalivam, aquam roſaceam, ſeu ex viti, aliiſque herbis, & floribus expreſſam. Item ex ſale reſolutam, cerviſiam; & juſculum, ſi ſatis decocta ſint, quia nec cenſentur, nec ſunt aqua naturalis, ſeu elementaris. Sic docent cum D. Thom. *q. 66. art. 4* ferè omnes doctores teſte Vaſquez *diſp. 141. cap. 1. circa finem.* Suar. *diſput. 20. ſect. 1.* Ægid. de Coninch. *quæſt. 66. art. 4.* Paul. Layman. *lib. 5. ſum. tract. 2. cap. 3.* Bonac. *diſp. 2. quæſt. 2. punct. 3.* Verùm quia aliqualiter probabile eſt liquores ex herbis expreſſos, ſalivam, aquam ex ſale reſolutam, cerviſiam, & juſculum, &c. non differre ſpecie ab aqua elementari, non audet Ægid. de Coninch. condemnare eum, qui ſupradictis in extrema neceſſitate uteretur, quia extrema neceſſitas hujus ſacramenti honeſtat uſum materiæ ita dubiæ.

3. Notanter dixi materiam hujus ſacramenti eſſe aquam aptam ad abluendum: quia hoc ſacramentum in ablutione conſiſtit: eaque de cauſa lutum, glacies, & nix niſi reſolvantur, materia hujus ſacramenti non ſunt; quia eſto ab aqua elementari non differant phyſicè, differunt moraliter quoad uſum ob ineptitudinem, quam ad lavandum habent. Sic Ægid. de Coninch. *quæſt. 66. art. 4. num. 17.* Suar. *diſput. 20. ſect. 25. atque hinc obiter.* Bonac. *diſput. 2. quæſt. 2. punct. 3. num. 6.* Laym. *lib. 5. tract. 2. cap. 3. concl. 2. corol. 1. & alii.*

4. Quòd verò aqua ſit fluminis, fontis, vel maris, frigida, vel calida parum intereſt, imo quod per terram ſulphuream, vel cineres calefactos tranſierit, & turbida ſit, non obinde deficit à materia hujus ſacramenti: quia eſt vera aqua naturalis apta ad abluendum, eſto ad bibendum apta non ſit. Sic D. Thom. *qu. 66. ad 4.* Vaſquez *diſp. 141. cap. 1. num. 9.* Bonac. *d. punct. 3. num. 6.* Paul Layman. *lib. 5. tract. 2. cap. 3. concl. 1. in corol.*

5. Adverte tamen uti aqua impura & turbida ad baptiſmum conficiendum abſque neceſſitate gravi peccatum mortale eſſe ſacrilegii; nam eſto ſit hujus ſacramenti materia certa, eſt tamen aliena ab uſu Eccleſiæ, & contraria reverentiæ ſacramenti. Adde uti alia aqua præter aquam benedictam, quæ in fonte baptiſmali ad hunc effectum ſervatur, peccatum grave eſt, ut ſatis colligitur ex *Clement. unica de baptiſmo*: ob neceſſitatem tamen urgentem cujuſvis aquæ uſus licet: ſic notavit Ægid. de Coninch. *q. 66. art. 4. Reginald. lib. 27. num. 13.* Henriq. *lib. 2. cap. 6.* Bonac. *diſp. 2. q. 2. p. 3. n. 6. & alii.*

Punctum IV.

De materia proxima Baptiſmi.

1. *Ablutio eſt materia proxima.*
2. *Fieri poteſt immerſione, aſperſione, vel effuſione. Sed in his ſervanda eſt diœceſana conſuetudo.*
3. *Qualiter formam baptiſmi proferre debes conficiens ſacramentum trina immerſione.*
4. *Minimam guttam aquæ, ſi minimam corporis partem tangat eſſe ſufficientem ad ſacramentum baptiſmi, qui defendant, & qualiter probent.*
5. *Probabilius eſt aliquam partem corporis principem abluì debere, & non una, ſed pluribus guttis.*
6. *Aqua immediatè tangere debet corpus baptizati ſucceſſivo motu.*
7. *Satis eſt probabile te eſſe baptizatum, ſi lavaris in capillis.*
8. *Idem dic, ſi lavaris corio, ſeu pelle ſecundina circundatus.*
9. *Immerſione; qua quis ſuffocatur, baptiſmum non conficit plures defendunt.*
10. *Contrarium eſt probabilius.*
11. *Rationes num. 9. adducta diſſolvuntur.*
12. *Semper eſt illi ita ſupradicta baptiſmi miniſtratio.*
13. *Non eſt ſecanda mater etiam proximè moritura, ut infans baptizetur.*
14. *Bene poteris miniſtrare baptiſmum infanti, eſto cognoſcas inde mortem accelerandam aliqualiter eſſe.*

1. SUperiori puncto dixi materiam remotam eſſe aquam, ut indicarem aliam eſſe proximam, ſcilicet ablutionem per ipſam, juxta illud *ad Epheſ. 5.* mundans lavacra aquæ & *Matth. ult.* baptizantes eos, id eſt lavantes. Ratio eſt manifeſta. Nam illa eſt proxima, & immediata ſacramenti materia, quæ per formam illius determinatur; at forma ſacramenti baptiſmi non aquam ſecundùm ſe, ſed aquæ uſum, ſcilicet ablutionem determinat. Id enim ſignificat verbum *baptizo*, quod latinè eſt abluo ſeu lavo. Sic ferè omnes doctores.

2. Hæc ablutio, quæ in contractu ſucceſſivo aquæ ad corpus baptizati conſiſtit, fieri poteſt per immer-

ſionem corporis in aquam, vel per aſperſionem, ſeu effuſionem aquæ in corpus, quomodocumque hoc fiat, verum ſacramentem conficitur, quia verè quis ablutus cenſetur. Ut tamen licitè miniſtretur ſervanda eſt Eccleſiæ diœceſanæ conſuetudo: nam in aliquibus Eccleſiis adeſt conſuetudo baptizandi per immerſionem, in aliis per effuſionem. Non tamen caret probabilitate peccatum mortale non eſſe, ſed veniale tantùm uti effuſione aquæ in conficiendo baptiſmate, tametſi conſuetudo ſit, ut per immerſionem conficiatur, quia poſtquam ceſſavit præceptum trinæ merſionis, cenſetur mutatio levis nec aliena ab uſu Romanæ Eccleſiæ, maximè in adultorum baptiſmo. *Sic docuit* Sotus *in* 4. *d ſt.* 10. *quæſt. unica art.* 8. *concluſ.* 3. Bartholom. ab Angelo *de Sacram. baptiſmi dialogo.* §. 2. 92. Valent. *tract.* 4. *diſput.* 4. *quæſt.* 1. *punct.* 2. *col.* 4. Notandum verò eſt tempore naſcentis Eccleſiæ confici hoc ſacramentum trina merſione, ut ex multis comprobat Vaſq. *quæſt.* 66. *art.* 8. *diſput.* 145. *cap.* 1. tum ut expreſſius triduana ſepultura Chriſti Domini ſignificaretur. Tum ut myſterium Trinitatis non ſolùm verbis, ſed facto exprimeretur. Tum præcipuè contra errorem Eunomitarum, aliorúmque hæreticorum affirmantium debere unica merſione fieri in nomine Chriſti, excluſa Trinitatis invocatione. At hujus trinæ merſionis uſus non tanquam ritus eſſentialis & à Chriſto inſtitutus, ſed tanquam ab Apoſtolis emanans præſcriptus erat, eaque de cauſa Pelagius Papa relatus *in cap.* multi ſunt *de conſecrat. diſp.* 4. Dixit eſſe Evangelicum præceptum trina uti merſione, id eſt præceptum Evangelio conforme & *can. Apoſt.* 49. deponitur qui aliter baptizaverit. Sed jam hoc præceptum ceſſante errore Eunomitarum abolitum eſt; pluribus enim in locis unica tantum merſione conficitur baptiſmus, ut conſtat ex Gregor. Papa relato *incap. de trina de conſecrat. diſt.* 4. *& ex Concilio Tolet.* 4. *cap.* 5. & ſic licitè fieri poteſt. Ægid. de Coninch. *quæſt.* 66. *art.* 8. Paul. Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 2. *cap.* 3. *in fine.*

3. Quòd ſi aliquis conficiens baptiſmum trina merſione intentionem haberet non conficiendi ſacramentum, quouſque trina merſio perficeretur, oporteret uſque ad illud tempus formæ prolationem differri. Nam ſi ante ſecundam, vel tertiam merſionem formam integrè proferret cum intentione conficiendi ſacramentum, ſine dubio conficeret, quia de eſſentia baptiſmi non eſt trina merſio, ſed ablutio, quæ unica merſione perficitur. Quod ſi expreſſè vellet non conficere ſacramentum unica merſione, ſed triplici (quod de nemine credendum eſt,) ſacramentum non perficeretur, quouſque trina merſio perfecta eſſet, non quidem ex defectu materiæ, & formæ, ſed ex defectu intentionis, ſic pluribus firmat Bonac. *diſp.* 2. *q.* 2. *p.* 3. *in fine.*

4. Difficultas eſt qualis debeat eſſe merſio, ſeu aquæ infuſio, ut baptiſmus perfici cenſeatur? Qua in re certiſſimum eſt eam merſionem, ſeu affuſionem aquæ in corpus baptizati ſufficientem, & neceſſariam eſſe, quæ ſufficit, ut quis ablutus dicatur. Sed qualiter hæc ſit? non conſtat inter doctores. Plures non infimæ notæ cenſent ex parte aquæ minimam guttam aquæ ſufficientem eſſe, ſi ſucceſſivo motu corpus tangat, quia vera eſt ablutio. Ex parte baptizati minimam illus partem ſufficere, quia eo ipſo ablui dicitur. Sic docent aliis relatis Henriq. *lib.* 2. *c.* 7. *n.* 2. *& c.* 21. *n* 4. Vaſq. *diſp* 145. *c.* 4.

5. Nihilominus probabilius eſt requiri baptiſmum fieri in aliqua parte corporis principe. v. g. in capite, pectore, ſcapulis, brachio, aut pede; factum verò in digitis, vel in ſola manu inſufficientem eſſe: ſic pluribus relatis firmat Bonac. *diſp.* 2. *q.* 2. *pun.* 3. *n.* 24. Paul. Laym. *lib* 5. *ſum. tract.* 2. *cap.* 3. *concl* 2. *corol.* 3. Ægid. de Coninc. *quæſt* 66. *art* 7. *dub* 2. *Tolet. lib.* 2. *c.* 18. *n.* 8. Ratio eſt, quia juxta communem modum loquendi non dicitur quis lotus ex eo quod digitus tantum abluatur, tametſi vulneratus dicatur, eſto in digito tantùm vulnus acceperit. Verum eſt tamen baptiſmum miniſtrandum eſſe infanti ex utero matris egredienti in manu vel digito, ſi in alia parte corporis miniſtrari non poteſt, ob periculum moriendi abſque baptiſmo, quia ſaltem eſt probabile baptiſmum in ea parte corporis factum validum eſſe, repetendus tamen poſtea eſt ſub conditione.

Deinde probabilius cenſeo unam, vel duas aquæ guttas corpus tangentes etiam ſucceſſivo motu inſufficientes eſſe ad baptiſmum conficiendum, quia ex illis ſolùm aſperſus, & aqua tactus, ſed non lotus diceris ſecundum vſitatum loquendi modum. Sic Tolet. Bonac. Paul. Laymann. Ægid. de Coninch. *locis citatis.*

6. Illud indubitatum eſt debere aquam ſive in minima, ſive in magna quantitate corpus baptizati immediatè tangere contactu ſucceſſivo, quia alias propriè lotus dici non poſſet. Unde non eſt baptiſmus, ſi veſtibus, corio, vel utre contectus abſque carnis penetratione aqua perfundaris, quia propriè non tu, ſed tuæ veſtes, & indumentum aqua perfunduntur. Sic. Bonac. *diſp.* 2. *q.* 2. *pun.* 3. *num.* 22. Paul. Laymann. *lib.* 5. *ſum tract.* 2. *cap.* 3. *concl.* 1. *corol.* 1.

7. An verò ſi lavaris in capillis, cenſearis abſolutè lotus, & baptiſmus confectus? Variant doctores. Bonac. *loco citato* negat ex communi quia ſententia, quia capilli non ſunt partes hominis, ſed illius excrementum, neque animo rationali vivificari. Non igitur ex eorum lotione lotus dici poteſt, & animus rationalis ſanctificatus. Nihilominus contrarium eſt ſatis probabile, quia capilli dum corpori adhærent cenſendi ſunt partes hominis illum ornantes: & ita tradit Vaſq. *diſput.* 145. *cap.* 4. *num.* 31 Ægid de Coninch. *quæſt.* 69. *art.* 7. *dub.* 2. *num.* 77. Tolet. *lib* 2. *cap.* 18. *num.* 10. Valent. *tract.* 4. *diſp.* 4. *quæſt* 5. *punct.* 2. *verſ. ſexto ſequitur.* & alii, quos refert Bonacina *ſupra. num.* 22.

8. Idem quod dictum eſt de baptiſmo facto in capillis, dicendum eſt de baptiſmo illius, qui recenter natus eſt, & pelle ſecundina circundatus, quia dum hæc pellis corpori adhæret, cenſetur pars hominis eſſe, ac proinde ſufficiens, ut ejus lotione homo lotus eſſe dicatur. Sic Vaſq. & Ægid. *ſupra.* Paul. Laymann. *lib* 5. *tract.* 2. *cap.* 3. *quæſt.* 2. Nunquam tamen extra neceſſitatem licet tibi ſic miniſtrare baptiſmum, quia nunquam extra neceſſitatem potes uti materia dubia, cùm certam ſumere poſſis, baptiſmuſque ceſſante neceſſitate eſt omnino ſub conditione repetendus, ut eſt compertum apud omnes.

9. Superèſt diſcutienda illa quæſtio an in ea immerſione, qua ſuffocatur infans, baptiſmus confici poſſit? Negant Scotus *in.* 4. *diſt.* 5. *quæſt.* 3 Silveſt. *verbo baptiſmus.* 4. *n.* 8. Tabiena 5. *n.* 7. Armilla *n.* 29. Tolet. *lib.* 2. *c.* 18. *n.* 9. Sotus *in* 4. *diſt.* 3. *art.* 8. *quæſt. unica propoſit.* 2. & alii plures. Moventur primò, quia ea immerſio non eſt vera ablutio, de cujus ratione eſſe videtur, ut in aquam immerſum ex aqua educas. Secundò quia ſolùm ſignificat Chriſti mortem, non ejus reſurrectionem, cùm tamen baptiſmo utriuſque ſignificatio competat. Tertiò illa immerſio potius eſt occiſio, quam vivificatio: non igitur eſt ſufficiens baptiſmi materia.

10. Cæterum eam merſionem ſufficientem eſſe ad baptiſmum tenendum eſt ut probabilius cum Panormit. *in cap. non ut apponeres n.* 4. *de Baptiſmo.* Valen. *t.* 4. *diſp.* 4. *q.* 1. *p.* 2. *verſ. ſeptimo ſequitur.* Vaſq. *diſp.* 145. *cap.* 3. *n.* 19. Coninch. *quæſt.* 66. *art.* 7. *dub.* 1. *n.* 68. Bonac. *diſp.* 2. *quæſt.* 2. *pun.* 3. *n.* 27. Suar. *diſp.* 20. *ſect.* 3. *verſ. qua propter.* Paul. Laymann. *lib.* 5. *tract.* 2. *c.* 3. *q.* 4 & alii apud ipſos. Ratio eſt, quia lavari, & mundari potes ſupradicta merſione, antequam ex aqua

educaris, & moriaris. Ergo eductionis privatio, & ſuffocatio lotionem non impedit. Ergo nec impedit baptiſmum, qui in lotione ſub præſcripta verborum forma conſiſtit. Antecedens probo, quia ea merſione te aqua tangit ſucceſſivo motu de ſe ſufficiente ad ſordes corporis mundandas. Ergo eſt vera lotio. Et confirmo. Si miniſter cùm conficit baptiſmum ſe in flumen projiciendo voluntatem haberet ex aqua educendi, nullus negaret eam merſionem eſſe veram lotionem ad baptiſmum ſufficientem, tametſi caſu contingeret, ut ex ejus manibus lapſus ſubmergaris, ut benè ipſemet Sotus pro contraria ſententia relatus concedit; ſed intentio eductionis merſionem non immutat: Ergo ſi uno caſu vera lotio ſufficiens ad baptiſmum, etiam in alio debet eſſe. Confirmo ſecundò, ſi animo tum baptizandi, tum occidendi infantem aqua ferventi perfundas, abſque dubio baptiſmum conficis: quia occiſio lotioni non obſtat. Ergo ſimiliter ſuffocatio lotioni factæ per immerſionem non obſtabit.

11. Neque rationes contrariæ urgent. Ad primam conſtat ex probatione noſtræ ſententiæ: negamus enim eductionem pertinere ad eſſentiam ablutionis, tametſi communiter eductio cum merſione conjuncta ſit. Ad ſecundam concedo baptiſmum ſignificare Chriſti mortem, ejuſque reſurrectionem, quatenus baptizatus eo baptiſmo ſuſcepto veterem Adam ſepelit, & novum induit, moritur peccato, & Chriſto vivit, ad cujus ſignificationem ſola immerſio, quæ corpus abluat ſufficiens eſt. Ad tertiam admitto baptiſmum vivificare, ſed nego per ſe vivificare corpus, ſed animum per gratiam, & charitatem: cui vitæ non obſtat corporalis vitæ privatio ſuccedens.

12. illud vero eſt omnino certum hanc baptiſmi miniſtrationem projiciendo baptizandum in flumen vel puteum, eſſe illicitam, & grave peccatum homicidii, tametſi alia via infanti miniſtrari baptiſmus non poſſit, & timeatur ſtatim moriturus: quia ea immerſio æquè per ſe, & directè tendit ad occiſionem, ac ad infantis ablutionem, imo potius ad ablutionem per accidens dirigitur ex ſola intentione mergentis, ad occiſionem autem per ſe, & directè. Unde hic caſus eſt longè diverſus ab eo, qui oppugnans civitatem bellicum tormentum projicit, quo cognoſcit ibi aſtantem innocentem eſſe occidendum, & ab eo qui fugiens mortem ſibi imminentem, puerum in via poſitum pedibus equi conculcat, & à muliere prægnante, quæ potionem ſumit, ex qua prævidet infantem in utero moriturum: quia mors ex his eventibus contingens contingit per accidens; cum per accidens ſit eo loci innocentem, quo bellicum tormentum projicis, & qua mortem tibi ab inimico imminentem fugis. Neque enim ex bellici tormenti projectione, neque ex fuga, neque ex ſumptione potionis ad ſalutem convenientis mors alicujus per ſe infertur, ſed ſolùm per accidens. Secus eſt ex immerſione infantis in flumen, vel puteum: ex hac enim per ſe directè, & neceſſario mors infantis ſuccedit. Non igitur eſſe poteſt licita. Et ita ſuſtinent *ex communi ſententia* Suar. *diſp.* 20. *ſect.* 3. Vaſq. *diſp.* 145. *cap.* 3. *in fine.* Ægid. de Coninch. *quæſt.* 66. *art.* 7. *dub.* 1. *num.* 75. Paul. Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 2. *cap.* 3. *q.* 4.

13. Hinc infertur non eſſe ſecandam matrem aliàs proximè morituram, ut infanti in utero illius exiſtenti miniſtrari baptiſmus poſſit, quia nemini licet homicidium perpetrare, tametſi inde bona naſcantur. Sic Ægid. de Coninch. *dicto dub.* 1. *num.* 75. affirmans eſſe omnium.

14. Ex his conſtat, quid dicendum ſit, an tibi liceat baptiſmum infanti proximè morituro miniſtrare, ex cujus miniſtratione cognoſcis mortem acceleran-dam eſſe? Reſpondeo primo cum doctoribus ſtatim referendis caſum mortaliter eſſe impoſſibilem: nam cum baptiſmus minima aquæ tepefactæ effuſione confici poſſit; vix credi poteſt ex ea mortem acceleran-dam eſſe. Sed gratis admiſſo accelerari, reſpondeo baptiſmum adminiſtrandum eſſe. Tum quia non per ſe, ſed per accidens ex illa actione mors ſuccedit, cum per accidens ſit prædictæ baptiſmi adminiſtrationi baptizandum in ea eſſe diſpoſitione, ut actio ita humana, & temperata illi nocere poſſit. Tum quia nocumentum illud ita leve contemnendum eſt, ne baptizandus in æternum pereat. Sic tanquam certum tradit Vaſq. *diſp.* 145. *cap.* 3. *in fine.* Ægid. de Coninch. *q.* 66. *art.* 7. *dub.* 1. *n.* 76. *in fine.* Paul. Laym. *aliis relatis, lib.* 5. *ſum. tract.* 2. *cap.* 3. *q.* 4.

Punctum V.

De forma Baptiſmi.

1. *Statuitur forma baptiſmi.*
2. *Opus eſt ad baptiſmum exprimi perſonam baptizantem.*
3. *Negat Vaſq. exprimi ſufficienter, ſi dicas: baptizet te Deus, vel baptizeris à Deo.*
4. *Probabilius eſt oppoſitum.*
5. *Secundo ad baptiſmum requiritur expreſſio perſonæ baptizandæ.*
6. *Ex unitate perſonæ baptizandæ unitas baptiſmi deſumitur.*
7. *Qualiter poſſunt plures unum baptizare.*
8. *Tertio requiritur expreſſio ablutionis.*
9. *Quarto neceſſaria eſt expreſſio unitatis, & Trinitatis divinæ.*
10. *Sufficiatne implicitè Trinitatem exprimere? Affirmant plures.*
11. *Probabilius eſt oppoſitum.*
12. *Explicantur aliqua loca ſcripturæ, quæ contrarium ſuadere videntur.*
13. *Explicatur Nicolaus in cap. à quodam de conſecrat. diſt.* 4.
14. *Affirmant plures ſub nomine genitoris, geniti, & procedenti ab utroque baptiſmum valide confici poſſe, tametſi non licitè.*
15. *Probabilius eſt oppoſitum.*
16. *Fit ſatis oppoſitis rationibus, n.* 12. *adductis.*
17. *Quæ variatio formæ eſſentialis ſit, quæ non late expenditur.*
18. *Variatio formæ conſuetudini diœceſanæ adverſa illicita eſt.*

1. FOrma baptiſmi, qua Eccleſia Latina utitur hæc eſt. *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti.* Sic Alexand. 4. *in cap.* 1. *de Baptiſmo, Concilium Florent.* in decreto Eugenii. Trid. *ſeſſ.* 7 *can.* 4. & ſumitur ex illo Matth. *cap. ult. Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Sic omnes doctores. Ex qua forma manifeſtè colligitur quatuor exprimi neceſſario debere, primò baptizantem, ſecundò baptizatum, tertiò actionem baptizandi, quartò unitatem, & Trinitatem divinarum perſonarum.

2. Circa primum certum eſt ad baptiſmi eſſentiam opus eſſe exprimi perſonam baptizantis, non tamen eſt neceſſarium, ut expreſſè, & formaliter exprimatur, ſufficit implicitè, ſicuti manifeſtè probat uſus Græcorum baptizantium ſub ea forma. *Baptizetur ſervus Chriſti in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, quam eſſe veram formam baptiſmi docent omnes Catholici. Adde ſi omiſſo pronomine *Ego*, dicere, *te baptizo*, non eſt dubium veram formam baptiſmi proferre, quia ſatis apertè ſub verbo baptizo ſignificatum pronominis ſubintelligitur. Hoc pronomen etſi numquam omittendum ſit in Eccleſia Latina

ob conſuetudinem præſcriptam, non videtur culpam venialem excedere ſecluſo contemptu, ejus omiſſio, *teſte* Soto *n.*4. *diſt.*3. *q.unic. art.*5. §. *quod ſi.* Vaſq. *diſp.*14. *num.*30. Ægid. de Coninch. *quæſt.*66. *art.*6. *dub. un. numero* 45.

3. Sed dubium eſt, an ſufficienter miniſter baptizans ſe exprimat, ſi dicat: *baptizet te Deus*, vel *Chriſtus*, *baptizeris à Deo*, vel *Chriſto?* Negat Vaſq. *diſput.*142. *cap.*2. *num.*19. *& cap.*3. *n.*27. Movetur primò, quia ibi ſolum exprimit Chriſtum, vel Deum baptizare, non tamen ſe illius nomine baptiſmum conferre. Secundò, quia forma baptiſmi non deprecativè, ſed imperativè proferenda eſt: at in Deum imperium dirigi non poteſt, ergo nequit miniſter imperando dicere *baptizet te Deus.* Item ineptè Deus baptizare poteſt in nomine Patris, id eſt, authoritate Patris, &c. ſed id miniſtro convenit. Non igitur per illam formam validus baptiſmus confici poteſt.

4. Cæterum oppoſitum probabilius cenſeo cum Soto in 4. *diſt.*3. *q. unica*, *art* 5. *colum.*5. Henriq. *lib.*2. *cap.*8. *n.*3. Suar. *diſp.*21. *ſect.*2. *concl.*2. Ægid. de Coninch. *q.*66. *art.*6. *dub. unic. n.*38. Paul. Laym. *lib.*5. *ſum. tract.*2. *cap.*3. *verſ. quapropter.* Nempe ſupradicta forma ſtante actione baptizandi ſufficienter exprimi perſonam miniſtri, verumque confici baptiſmum. Etenim cum poteſtas delegata ſit à Chriſto Domino docendi gentes, & baptizandi eas in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, exprimens miniſter, ut Deus eas baptizet clarè denotat, ut Deus per illum eam ablutionem exercentem tanquam per ſuum miniſtrum baptizet: ſicuti ſi à principe quis accepit poteſtatem diſtribuendi aliquam pecuniam, quibus vellet, & cum illam diſtribuit, diceret, hanc pecuniam princeps tradit vobis, ſanè non ſolum ſui principis donationem, ſed ſuam propriam miniſterialem traditionē ſignificaret. Ex qua ratione conſtat imperium hac forma ſignificatum, quod propriè imperium eſſe non poteſt. Sed uſus abſolutus poteſtatis conceſſæ circa creaturas irrationales non ad Deum, ſed ad ablutionem, & effectum per ipſam ſignificatum dirigitur, præſtatque hunc ſenſum, abluaris à Chriſto tanquam à principali cauſa, & ſacramentorum authore & à me tanquam ejus miniſtro. Secundùm hunc ultimum ſenſum non ineptè dicitur Deum in nomine ſuo baptizare, quantus ſcilicet baptizat medio miniſtro per poteſtatem illi collatam.

5. Secundum ad eſſentiam baptiſmi requiſitum eſt expreſſio perſonæ baptizandæ: ſi enim illam nec ſpeciatim, neque generatim exprimas, directè nullus eſt baptiſmus. Quia nulla eſſet formæ determinatio, ſicuti, ſi diceres Ego baptizo in nomine Patris. Ad baptiſmum enim neceſſario requiritur ea expreſſio, & determinatio perſonæ baptizandæ, vt ea expreſſione ſatis conſtet neminem ſe ipſum, ſed alium à ſe diſtinctum baptizare. Quod fieri non poteſt, niſi ſpeciatim ſeu generatim, directè tamen perſona baptizanda exprimatur. Exprimitur autem ſpeciatim, ſi dicas. *Ego te baptizo*, *Ego baptizo Caium generatim*, ſi ſub forma Græcorum baptiſmum conficias, ut ſi dicas: *baptizo ſervum Chriſti; ſervus Chriſti baptizetur.* Sic teſtantur ex communi ſententia Vaſq. *diſp.*132. *c.*3. Suar. *diſp.*21. *ſect.*2. *concl.*3. Henriq. *lib.*2. *cap.*8. *num.*4. Paul. Layman. *lib.*5. *tract.*2. *cap.*4. *n.*2. *verſ. ſecundò accidit.* Bonac. *diſp.*2. *quæſt.*2. *punct.*4. *n.*2. ſumiturque ex illis verbis *Math. ult.* Baptizantes eos, & clarè colligitur, *ex Concilio Florent. & Trident. locis ſæpè citatis.*

6. Advertendum eſt vnitatem baptiſmi potius ex vnitate perſonæ baptizandæ, quàm baptizantis deſumi: ſi enim ſub unica Trinitatis invocatione plures aqua perfunderes, plura baptiſmata conficeres, quia ſunt plures ablutiones, & licèt phyſicè, & formaliter unicam Trinitatis invocationem feceris, virtualiter feciſti multiplicem, multiplicemque formam baptiſmi conſtituiſti. Secus vero eſt ſi te ipſum plures baptizarent, quia eo caſu unicus tantùm baptiſmus conficeretur, quia unica eſt ablutio, *ſic.* Vaſq. *diſp.*148. *c.*7. *num.*52. Bonac. *diſp.* 2. *quæſt.*2. *pun.*4. *num.*22. Paul. Lymann. *lib* 5. *ſum. tract.* 2. *cap.*4. *verſ. ex quo.*

7. Sed non caret difficultate, qualiter poſſent plures unum baptizare? Etenim ſi inter eos actiones dividantur, ita ut unus abluat, alter formam proferat, manifeſtum eſt baptiſmum confici non poſſe, de cujus eſſentia eſt, ut ab eo, qui profert formam ablutio fiat. Si vero uterque & formam proferat, & aqua baptizandum perfundat; ſubdiſtinguendum eſt ſi uterque independenter ab altero baptiſmum conficere intendit, ſicuti contingit in ordinatione, cum plures ſacerdotes ſimul cum Epiſcopo verba conſecrationis proferunt, uterque conficiet eundem baptiſmum, ſicuti eandem hoſtiam conſecrat, ſi uterque verba formæ in eodem inſtanti perficit: quod rarò contingere poteſt. At ſi poſterius perficit formam, nihil faciet, quia inventit jam baptimum ab alio confectum, ſicuti contingit in eo, qui poſterius verba conſecrationis perficit, hic enim materiam non conſecrat, cùm eam conſecratam inveniat. Verùm ſi uterque intendat non conficere ſacramentum, niſi dependenter ab alio, nullo modo baptiſmum conficere poſſunt, quia ſenſus formæ à Chriſto inſtitutæ mutatur. Non enim eſt verum te baptizare, ſed te cum alio baptizare. Neque eſt verum tuam ablutionem, & formæ prolationem eſſe ſufficientem, ſed potius eſſe inſufficientem, niſi alterius ablutio, & prolatio formæ concurrat. Quæ omnia contraria ſunt inſtitutioni Chriſti determinationis unius ablutione, & formæ prolatione baptiſmum confici poſſe: ſic docent D. Thom. *q.*67. *art.*6. *& ibi* Coninch. *dub.* 1. Vaſq. *cap.*5. *n.*39. Valent. *diſp.*1. *quæſt.*2. *pun.*2. Suar. *de ſacram. diſp.*23. *ſect.*3. Bellarm. *de baptiſm. cap.*3. Bonac. *aliis relatis*, *diſp.*2. *q.*2. *punct.*4. *n.*25. Paul. Lyman. *lib.*5. *tract.*2. *cap.*7. *quæſt.*2.

8. Tertium quod diximus ad baptiſmum requiri, eſt expreſſio actus ablutionis à miniſtro provenientis legitima intentione facti, juxta illud Chriſti, *baptizantes eos*: niſi enim exprimeres ablutionem intentione ſaltem virtuali baptizandi, ſeu conficiendi ſacramentum, baptiſmum conficere non poſſes. Unde baptiſmus non eſt, ſi exprimeres te puerum lavare refrigerandi cauſa abſque ullo animo baptizandi: ſic ex omnium ſententia tradit. Vaſq. *diſp.*142. *cap* 2. *n.*10. Ægid. de Coninch. *quæſt.*66. *art* 6. *dub.*1. *concl.*1. *n.*42. Paul. Laymann. *lib.*5. *ſum. tract.*2. *quæſt.*2. *pun.*4. *n.*4. & alii apud ipſos colligiturque apertè ex Concilio Florent. *decreto de Armenis*, & tradidit Alexand. 3. *cap.*1. *de baptiſmo.* Supradicta intentio baptizandi ſatis exprimi cenſetur, ſi exprimas ablutionem ſub invocatione Trinitatis.

9. Quartum, & præcipuum requiſitum ad baptiſmum eſt expreſſio unitatis, & Trinitatis divinæ juxta illud *Matth. ult.* baptizantes eos in nomine Patris, & Filii; & Spiritus Sancti. Etenim cum dicis in nomine, unitatem perſonarum exprimis, cum ſubjungis Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, perſonarum Trinitatem declaras. Neque aliter collatus baptiſmus validus eſſe poteſt, ut colligitur manifeſtè *ex canon.*49. Apoſtol. *& ex cap. ſi revera. cap. multi ſunt. cap. in ſynodo de conſecrat. diſt.*4. & pluribus exornant Vaſq. *diſp.*143. *c.*3. Suar. *diſp.*21. *ſect.*3. Ratio ſumitur ex Chriſti inſtitutione, congruentia ex eo quod baptiſmus ſit janua, per quam in Eccleſiam Chriſti ingredimur. Decuit ergo præcipuum fidei myſterium in eo exprimi, ſiquidem neceſſarium eſt explicitam Trinitatis notitiam haberi.

10. Sed an hæc expreſſio unitatis, & Trinitatis ita ſit neceſſaria, ut baptiſmus collatus ſub forma

implicitè Trinitatem, & unitatem significante validus sit? Difficultate non caret, nam gravissimi Patres, & doctores Ecclesiæ censent validum esse baptismum sub nomine Iesu Christi, vel Dei ministratum: sic Ambros. *lib.1. de Spiritu sancto cap.3. & ex eo* Nicolaus.1. *respons.104. ad Bulgaros*, & refertur, *in cap. à quodam Iudæo de consecrat. dist.4* ibi, si hi in nomine Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in actis Apostolorum legimus baptizati sunt (unum quippè, idemque est, ut S. Ambros. exponit) constat eos non esse denuò baptizandos. Idem tradidit expressè Bernard. *epist.340.* Beda *in c.10.* Actor. Mag.4. *d st.3.* Hugo de sancto Victore. *lib.2. de sacram. p.6. c.2.* Adrian. *de baptismo q.2. vers. ad rationes.* Caiet.2.2. *q.66. art.5. & 6.* Moventur ex eo quod Apostoli in nomine Christi baptismum conficiebant, ut dicitur *actor.2. n.38. & cap.8. n.12. & cap.10. n.48.*

11. Verum contraria sententia multo verior est scilicet invalidum esse, & semper fuisse baptismum collatum absque expressione unitatis, & Trinitatis divinæ: sic docent plurimi patres, quos plena manu recensent Vasq. *disp.143. cap.2. & 3.* Suar. *disp.21. sect.3.* Bellarm. *de baptism. cap.3.* & colligitur apertè tum ex verbis Christi *Matth. ult.* baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ut quid enim Christus Dominus unitatem, & Trinitatem expressit, si hæc expressio necessaria non esset? Tum *ex cap. si re vera, cap. in synodo & aliis de consecrat. dist.4.* Notanter dixi *invalidum esse, & semper fuisse*, ne consentirem opinioni asserenti tempore nascentis Ecclesiæ ministratum esse baptismum ex dispensatione in nomine Iesu ob illius commendationem: sicuti docuit D. Thom. *q.66. art.6. ad 1.* Altisiodoren. Alexand. Bonavent. Ruar. Duran. Paludan. Maior Gab. relati à Vasq. *dicta disp.143. cap 1. n.3.* Nam materia, & forma sacramentorum variationem non suscipiunt; aliàs sacramenta non essent ritus firmi, & permanentes. At si tempore Apostolorum baptismus sub diversa forma ministraretur, ac modò ministratur baptismus à Christo institutus firmus, & stabilis non perstitisset. Quod si eo tempore sub expressione Trinitatis, sicut & modò ministrari posset, & etiam sub expressione Iesu Christi tantum; non unicus baptismus sed duplex esset institutus, quod nullatenus est dicendum.

12. Quocirca cum in actibus Apostolorum dicitur Apostolos in nomine Iesu Christi baptizasse, non inde colligitur Patrem, & Spiritum sanctum excluisse sed baptizasse in nomine Patris, & Filii (expresso nomine Jesu Christi) & Spiritus sancti. Aliàs cum Paul. 1. Corinth. 12. dixit: in uno Spiritu omnes baptizati sumus, colligi possent solo invocato Spiritu sancto absque invocatione Patris, & Filii baptismum ministratum esse quod est falsissimum. Et confirmari potest satis probabiliter hæc doctrina ex illo *actor.19.* ubi Paulus credens aliquos baptizatos esse, eosque interrogans an Spiritum sanctum accepissent per impositionem manuum alicujus Apostoli in sacramento Confirmationis, ipsisque respondentibus, neque si Spiritus sanctus est, audivimus, subjungit Paulus miratus, in quo ergo baptizati estis? Quasi diceret, si baptismo Christi, & non Ioannis baptizati estis, quomodo Spiritus sancti notitiam non habetis, cùm baptismus à Christo institutus sub nomine Spiritus sancti conferatur? Sensit ergo Paulus baptismum Christi nemini conferri posse, nisi expressa unitate, & Trinitate divinarum personarum. Neque obstat baptismum sub nomine Dei, vel Trinitatis collatum eundem sensum, eandemque significationem habere, ac collatum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ut inde colligas hanc Trinitatis, & unitatis expressam significationem non esse de substantia baptismi. Nam esto in aliis sacramentis id verum habeat, in hoc sacramento non procedit, sed modum etiam significandi ad essentiam pertinere censemus ob authoritatem Ecclesiæ sic interpretantis verba Christi. Matth. *ult.* Neque ratio congruens deficit, cum hoc sacramentum sit Ecclesiæ ostium in cujus introitu expedit professionem fidei claram, & expressam fieri.

13. Neque obstat authoritas Nicolai relati *in cap. à quodam*, cui variè Doctores respondent. Sed ea explicatio germanior est, quæ asserit Nicolaum, ut Pontificem solùm definire baptismum collatum à Judæo sub debita forma repetendum non esse, eo quod à Judæo fuerit collatus, quia de hæc quæstione interrogatus fuerat. Quod vero sub expressione Trinitatis, vel Christi baptismus collatus sufficiens fuerit non decidit, sed supponit opinioni Ambrosii, & aliorum doctorum adhærens, immemor definitionum Pelagii, & Zachariæ Pontificum, quæ referuntur, *in cap. si re vera, cap. multi, cap. in synodo de consecrat. dist.4.*

14. Quæstio igitur satis inter doctores controversa est, an ad baptismi essentiam sufficiat exprimi Trinitatem sub verbis æquipollentibus, v. g. sub nomine genitoris, geniti, & procedentis ab utroque? Affirmant & satis probabiliter Caiet. *quæst.66. art.6. &* Victoria *de baptismo quæst.14.* Ledesm. *1. p.4. quæst.6. art.5. dub. ult. propos.2.* eámque probabilem reputant saltem speculativè lequendo ferè omnes doctores in secunda sententia referendi. Moventur, quia Trinitas iis vocibus significatur, & eodem modo ac significatur Patris, Filii, & Spiritus sancti, si quidem non confusè, sed explicitè Trinitatem declarant, ergo constituunt verum baptismum. Quod verò minùs clarè iis Trinitas exprimatur, in causa esse non potest, ut verum baptismum non constituant; quandoquidem in re significata, & in modo significandi explicito, & non confuso conveniunt cum vocibus Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Aliàs baptismus non esset, si loco Filii nomen Verbi, aut Jesu Christi exprimeres, & loco Spiritus sancti nomen Paracleti. Et loco Patris nomen principii, & originis totius Trinitatis. Item non esset baptismus, si lingua ignota audientibus Trinitatem proferres, quæ admittenda non sunt. Ergo ad essentiam baptismi sufficit Trinitatem exprimi verbis æquipollentibus.

15. Nihilominus secunda sententia negans sufficere ad essentiam baptismi Trinitatem exprimi verbis aliis aliqualiter æquipollentibus, qualia sunt prædicta verba genitoris, geniti, & procedentis ab utroque, utpote communis, & tuta omnino amplectenda est. Etenim negari non potest iis vocibus, utpote inusitatis non æquè explicitè personas Trinitatis significare ac vocibus Patris, Filii, & Spiritus sancti, quia non tam significant ipsas personas secundùm earum institutionem, quam secundùm earum originem. Potuit autem Christus Dominus velle baptismum non alia forma conferri, validumque esse, quam collatum sub vocibus communiter notis, & personas Trinitatis directè, & formaliter significantibus. Ergo potuit velle, ut baptismus collatus sub nomine genitoris, geniti, & procedentis ab utroque invalidus esset, utpotè collatus sub vocibus notis tantum hominibus aliàs doctis, & eruditis. neque formaliter personas Trinitatis, sed earum origines, & notiones significantibus. Quod vero sic factum sit, evidenter constare non potest. At probabilissimè colligitur tum ex eo quod Christus Dominus Math. *ult* præcipit sub vocibus illis notis Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptismum conferri, aliàs superfluè eas voces exprimeret, si necessariæ non essent; poterat enim præcipere baptizare gentes sub nomine trium personarum divinarum. Tum quia baptismus est sacramentum Fidei, quo baptizati in fide initiantur, eamque profiten-

tur. Expediebat ergo proponi eam fidei profeſſionem ſub vocibus vulgaribus, & communibus, & æquè indoctis, ac doctis notis. Ergo baptiſmus ſub alia forma collatus invalidus eſt. Et ita ſuſtinet D. Thom. 2. 2. *q.* 66. *art.* 5. & 6. quem ſequuntur ferè omnes expoſitores teſte Suar. *diſp.* 21. *ſect.* 4. Henriq. *lib.* 2. *cap.* 9. *ad finem.* Vaſq. *diſp.* 144. *cap.* 2. & 3. Ægid. de Coninch. *q* 66. *art.* 6. *dub. un. concl.* 4. *n.* 54. Bonac. *diſp.* 2. *q.* 2. *p.* 4. *n.* 12. Paul. Layman. *lib* 5. *ſum. tract.* 2. *c.* 4. *n.* 4.

16. Neque obſtant rationes prioris ſententiæ oppoſitæ Nam eſto voces genitoris, geniti, & procedentis ab utroque conveniant tum in re ſignificata, tum in modo explicito, ſignificandi cum vocibus Patris, Filii, & Spiritus ſancti, quia tamen illa convenientia non eſt perfecta, ſiquidem non æquè explicitè ſignificant ob ea, quæ nuper diximus, ea de cauſa à forma ſacramenti baptiſmi excluduntur. Neque inde fit baptiſmum, miniſtratum ſub voce Jeſu Chriſti (quidquid dicat Vaſq. *diſp.* 144. *cap.* 4. *n.* 15.) invalidum eſſe; quia vox Jeſu Chriſti ſatis explicat tum perſonam Filii, tum ejus humanam, & divinam naturam. De illis vocibus Verbi, Paracleti, & Principii idem exiſtimo dicendum ac de vocibus genitoris, geniti, & procedentis ab utroque, quia videntur æquè ignotæ, neque perſonas Trinitatis formaliter ſignificare, ſed earum origines. Quod vero nomina perſonarum Græca lingua, Hebræa, Latina, alióve idiomate proferantur, nullatenus pertinet ad eſſentiam baptiſmi. Quia baptiſmi eſſentia tantum petit ejus formam proferri ſub illis vocibus, quæ eo idiomate, quo proferuntur ſumptæ expreſsè, & diſtinctè perſonas Trinitatis ſignificent.

Illud eſt certum baptiſmum miniſtratum ſub forma genitoris, geniti, & procedentis ab utroque eſſe ad minus dubium, ac proinde ſub conditione repetendum. Sic Vaſq. Suar Bonac. Laym. *locis allegatis.*

17. Ex ſupradictis deciditur, quæ variatio formæ eſſentialis ſit, & irritativa baptiſmi, quæ non? Equidem variatio formæ, ob quam non ſatis unitas, & Trinitas exprimitur eſſentialis eſt, & irritativa. Unde ſi ſub nominibus, & non ſub nomine trium perſonarum baptiſmum conferas, invalidè baptizas, quia non exprimis divinam unitatem. Sic communiter doctores. Dubium eſt, ſi dicas. Ego te baptizo ſub nomine Patris, & ſub nomine Filii, & Spiritus ſancti, an ſatis exprimas unitatem trium perſonarum? Negat Bonac. aliis licèt falsò relatis *diſp.* 2. *quæſt.* 2. *punct.* 4. *n.* 5. quia tacitè indicat ſub nominibus Patris, & Filii, & Spiritus ſancti baptiſmum conferri: illa enim repetitio nominis illius multiplicationem denotat. Sed contrarium verius cenſeo, quia illa repetitio non potius multiplicitatem, quam unitatem, & identitatem denotat. Sed æquè eſt indifferens, ſicuti cum repetis nomen Dei, cum ſingulas perſonas divinas pronuncias, non obinde deitatem multiplicat. Sic Ægid. de Coninch. *quæſt.* 66. *art.* 6. *dub. unic. concluſ.* 5. *n.* 58. Paul. Laymann. *lib.* 5. *ſum. tract.* 2. *cap.* 4. *n.* 5. *quæſt.* 3. Suar. *diſp.* 21. *ſect.* 3. *verſ. ſed quid.* At ſi loco nominis apponeres nomen virtutis, & authoritatis, baptizareſque in virtute Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, incertum eſt, an baptiſmus eſſet, quia nomen virtutis, authoritatis, & potentiæ non ſatis unitatem eſſentiæ ſignificare videtur, latiuſque patet vox illa *In nomine*, quam vox in virtute, majeſtate, & authoritate. Illud verò certum eſt baptiſmum miniſtratum ſub ea forma, ſcilicet cum Patre, Filio, & Spiritu ſancto invalidum eſſe, quia ſola Trinitas, non unitas exprimitur. Secus eſſet, ſi baptizares in uno Deo Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, vel in unum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, vel per unum Deum Patrem, &c. quia iis vocibus & unitas & Trinitas divina ſatis exprimitur. Vaſq. *diſp.* 143. *cap.* 5. *circa finem.* Paul. Layman. *lib* 5. *ſum. tract.* 2. *cap.* 4. *q.* 3.

Deinde ſi Trinitas ſanctiſſima perſonarum in forma baptiſmi non exprimitur vel non exprimitur diſtinctè, hoc eſt ſub nominibus vulgaribus, & communibus Patris, Filii, & Spiritus, probabilius eſt baptiſmum non confici, ut dictum eſt. Quocirca ſi diceres: Ego te baptizo in nomine Trinitatis, vel in nomine Dei unius, & trini nequaquam baptizares. Idem ſi diceres in nomine Patris, Filii, & Gratiæ Spiritus ſancti. Sicuti audivi quandam obſtetricem ſæpius infantes baptizaſſe: quia gratia Spiritus ſancti unitatem non habet cum Patre, & Filio, neque cum ipſo Spiritu Sancto. Sed eſt res creata ab ipſis diſtincta.

Quando autem per tranſpoſitionem verba mutantur retento eodem ſenſu, ut contingit in hac oratione. *In nomine Patris, Filii, & Spiritus ſancti ego te baptizo*, manifeſtum eſt accidentalem eſſe mutationem, neque obinde valorem baptiſmi impediri: quia eſt idem planè ſignificatum, & modus ſignificandi. At idem eſt, ſi diceres. *Ego te baptizo in nomine Spiritus ſancti, Patris & Filii.* Quia & Trinitatem, & unitatem vulgaribus vocibus exprimis. Sed huic dicto non acquieſco; potius crederem hanc mutationem ſubſtantialem eſſe, quia non ſignificas. Spiritum ſanctum, qualis ipſe eſt, ſed qualis non eſt. Significas enim Spiritum ſanctum eſſe Patris, & Filii principium, cum tamen à Patre & Filio procedat. Laymann. *lib.* 5. *ſum. tract.* 2. *cap.* 4. *n.* 6. *verſ. Porrò in fine.* Denique ex dictis tract. præcedenti petendum eſt, quando aliæ mutationes ex interruptione, additione, vel mutilatione verborum irritum ſacramentum reddat Quia generalis doctrina huic ſacramento ſpecialiter applicanda eſt.

18. Hucuſque de nullitate baptiſmi ob variationem formæ locuti ſumus, at ſi de licito vſu loquamur, certum eſt quamlibet variationem conſuetudini, & uſui Eccleſiæ adverſam grave peccatum eſſe, & præcipuè ſi inde oriatur dubium valoris ſacramenti. Solum adverto abſque gravi peccato, imo ſæpè abſque ullo adminiſtrari poſſe hoc ſacramentum vulgari lingua; nam eſto conſuetudine introductum ſit, ut omnia ſacramenta lingua Latina adminiſtrentur, hoc tamen ſacramentum, quia ſæpè ob ejus neceſſitatem à faminis rudibus, & indoctis adminiſtratur, ceſſat obligatio illud lingua Latina adminiſtrandi, & vulgari lingua adminiſtrari poterit, & ſic convenientius eſt, ut periculum erroris abſit. Sic Sotus *in* 4. *diſt.* 1. *quæſt. art. circa* 4. *concluſ. verſ. in mutatione.* Victoria *de ſacram. q.* 18. Bonac. aliis relatis *diſp.* 2. *punct.* 4. *n.* 17. Paul. Lyman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 2. *cap.* 4. *n.* 6.

Punctum VI.

De ſubjecto Baptiſmi.

1. *Homo viator extra vterum matris exiſtens eſt ſubjectum capax baptiſmi.*
2. *Non eſt ſecanda mater, ut infans baptizetur. Excipe niſi ſecundum leges morte eſſet digna, & crederetur ſectio infanti profutura.*
3. *A puncto nativitatis quilibet eſt capax baptiſmi.*
4. *Non excluditur monſtrum, dummodo homo ſit.*
5. *Filiis infidelium rationis uſum habentibus, ſi portant baptiſmum, concedi debet parentibus renventibus.*
6. *Si dubium ſit de rationis uſu baptiſmus differendus eſt.*
7. *Baptiſmus quacunque ratione conferatur iis validus eſt.*
8. *Infantes etiam per injuriam baptizati ſegregandi ſunt à parentibus infidelibus adveniente rationis uſu.*
9. *Filiis hæreticorum miniſtrandus eſt baptiſmus,*

10. *Procedit conclusio, casu quo separari à parentibus possunt.*
11. *Consentiente quolibet ex parentibus infidelibus baptizari infans potest.*
12. *Proponitur ratio dubitandi, qualiter Filii infidelium renuentibus parentibus baptizari possint.*
13. *Tenenda est communis sententia negans.*
14. *Excipi debet primo casus extremæ necessitatis.*
15. *Secundo excipi debet perpetuò amens.*
16. *Neque is baptismus omittendus, est, tametsi parens ægre ferat. Non tamen est vis parenti inferenda.*
17. *Tertio excipitur Filius à parentibus segregatus.*
18. *Quartò Filius servus, seu parentis servi.*
19. *In his eventibus, quibus licitè potes supradictis filiis ministrare baptismum, affirmat* Vasq. *te obligatus esse.*
20. *Contrarium est probabilius non semper te esse obligatum.*

1. NEmini est dubium subjectum baptismi solum esse hominem viatorem, quia pro solis illis sacramenta sunt instituta. Debet tamen extra uterum matris natum esse saltem secundùm aliquam sui partem, ut baptismi capax existat, quia dum ibi est inclusus, ablui immediate, & in seipso non potest, quod ad baptismum necessarium est, ut benè docet *D. Thom. ferè ab omnibus receptus quæst.68. art.11.* Quod si inde inferas Deum pro his infantibus nullum statuisse remedium facilè respondeo, negando nullum statuisse, si quidem martyrio salvari possunt. Secundò admitto nullum remedium pro iis secundùm illum statum instituisse. Neque hoc est inconveniens, quia Deus obligatus non fuit, neque decuit singulis hominibus pro omni tempore, & conditione, qualibetque occasione, & circunstantia remedium salutis providere, aliàs amentes in peccato mortali existentes remedium habere deberent.

2. Neque ob horum à regno cælesti exclusionem vitandam secanda est mater aliàs morte non digna, ut sic secta baptismus ministrari possit. Quia non sunt facienda mala, quale est homicidium, ut inde proli eveniant bona. Quod si mater ad mortem damnata sit, timeaturque si differatur supplicium usque ad partum prolem in utero morituram, poterit eo casu servato juris ordine mater secari, quia nec matri irrogatur injuria, cum non authoritate privata, sed publica occidatur, & proli summum concedatur beneficium. Sed sic casus est moraliter impossibilis, si quidem ex occisione matris majus periculum proli imminet, quàm immincre potest ex partus expectatione. Adde vix cognosci posse hoc mortis infantis periculum, ob quas causas legibus statutum est excutionem sententiæ mortis mulieris prægnantis differendam esse usque ad partum. *leg. prægnantis. ff. de Pœnis, & pluribus exornat Covarruv. 4. variar. cap.4.* Matre vero occisa, vel mortua, si creditur infans vivere, aperienda est, & infanti, si vivus extiterit, baptismus ministrandus. Atque ita docent Suar. *3. punct quæst.68. art.11.* Ægid. de Coninch. *ibi.* Bonac. *disp. 2. quæst.2. punct.6. a principio.* Paul. Layman. *lib 5. tract 2. cap.3. quæst.1.*

3. Præterea stabilitum est quemlibet hominem, quomodocunque ex utero matris prodeat, statim capacem esse baptismi, quia capax est ablutionis sub præscripta forma verborum. Neque opus est expectare rationis usum. Sic definit Trident. *sess.7. canon.3.* colligiturque ex illo Joann.3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei. Quæ verba communia sunt infantibus, & adultis. *Item Actorum 16 num 15.* dicitur Paulum Lydiam, & domum ejus baptizasse *&* 1. Corinth. 1. *num.16.* baptizavi Stephanæ domum, seu familiam: in quibus verisimile est plures infantes fuisse, & consequenter baptizatos esse. Adde consuetudine Ecclesiæ id firmatum esse. Ratio ea est, quia Christus Dominus quantum est ex se vult omnes homines salvos fieri, illisque sua merita, & passionem applicari. At hæc voluntas comparatione infantum effectum obtinere non potest, nisi medio baptismo, siquidem voluntatem propriam non habent. Credendum ergo est baptismum pro infantibus ante usum rationis institutum esse. Neque enim decebat divinam bonitatem legisque gratiæ benignitatem omnes infantes ante usum rationis à regno cælesti exeludi, cùm tempore legis naturæ, & scriptæ exclusi non fuerint, sed remedium peccati originalis habuerint. Quod si objicias, Christus Dominus præcipiens baptismum ministrare præcipit Apostolis baptizandos instruere, dixit enim: Docere omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & filii & Spiritus sancti. Sed ante usum rationis nemo institutionis capax est. Ergo neque est capax baptismi suscipiendi? Facile respondetur Christum Dominum non præcepisse quoslibet baptizandos instituere, sed instruere qui capaces instructionis extiterint. Deinde præcipit instruere populum, & prædicare Evangelium ante ullam baptismi administrationem. Nam cum tunc omnes gentes essent gentiles, vel Judæi, neque ipsi, neque eorum Filii patribus renuentibus baptizari poterant, debebant parentes prius in fide instrui, ut sic instructi & ipsi sacramentum susciperent, & permitterent Filiis ministrari. Sic omnes doctores Catholici apud Bellarmin. *lib. de b ptismo cap.8.* Suar. *disp.25. sect.1.* Ægid. de Coninch. *quæst.68. art.9.* Vasq. *disp.154. per totam.* Valent. *tract.4. disp 4. q.3. punct.1.*

4. Neque ab hoc beneficio ita necessario excludendum est monstrum, si certò constet hominem esse, hoc est animam rationalem habere, sed absolutè eo casu baptismus est ei ministrandus, quia verè homo est, si vero dubium sit, sitne homo, sub conditione baptismus ministrandus est. Quod si certo constet hominem esse, dubium tamen, an sint duo, vel unus tantum, eo quod sub duobus capitibus unum pectus existat, in singulis capitibus est baptismus ministrandus primò absolutè, secundò sub conditione. Vide Navarr. *lib.3 conf.5. aliàs 3. de baptismo.* Paulum Comitol. *lib.1. respons. moral. quæst.8.* Filliuc. *tract.1. cap.6. quæst.10. num.150.* Paul. Layman. *lib.5. sum. tract.2. cap.6. quæst.6.* Bonac. *disp.2. q.2. punct.6. num.5.* His positis.

5. Quæstio celebris est, qua ratione liceat filios infidelium etiam invitis parentibus baptizare? In qua quæstione illud est certum, si Filii infidelium usum rationis habeant baptismumque suscipere velint, posse, & debere illis ministrari etiam parentibus renuentibus. Quia in iis, quæ ad salutem animæ pertinent, quilibet sui juris est. Adde omnes adultos rationis capaces obligatos esse divino præcepto baptismum suscipere, utpote medium ad salutem necessarium: nequeunt ergo parentes impedire, D. Thom. *q 66 art.10.* Vasq. *ibi disp.155. cap.1. in prin.* Coninch. *art.10. in prin.* Paul. Layman. *lib.5. t.2. c.6. q.5. vers. quarto.* Bonac. *pluribus relatis disp.2. q.2. p.5. num.12.*

6. Quod si dubium sit, an rationis usum attigerint, credo probabilius differendum esse baptismum quousque cessat dubium, nisi periculum adsit decedendi sine baptismo. Etenim hac dilatione vitatur tum periculum retrocedendi à fide, cum non sit satis voluntariè suscepta, tum injuria parentum, quibus filii dum propriam voluntatem non habent, in suscipienda religione subduntur. Si tamen adest periculum mortis, baptismus conferendus est, quia ob conservationem juris paterni non est permittenda perpetua filiorum damnatio. Sic Vasq. *disp.155. cap.3. num.36.* Ægid. de Coninch. *qu.66. art.10. n.61.*

7. Secundo eſt certum baptiſmum quacumque ratione collatum filiis infidelium ante uſum rationis validum eſſe, & firmum. Quia ad baptiſmi valorem ſolum requiritur in parvulis materia, forma, & debita intentio miniſtri. Nam propria ſuſcipientium voluntas non expoſtulatur, nam loco illius ſuccedit voluntas Chriſti, & Eccleſiæ, non parentum: ſi enim abſque proprio, vel parentum conſenſu potuerunt ii parvuli peccato originali infici ob ſolam Adæ voluntatem, quid mirum ut poſſint ab eo peccato mundari ob ſolam voluntatem Chriſti abſque propria, vel parentum voluntate? Et ita tenendum eſt ſic fuiſſe à Chriſto ſtatutum, uti latius ex D. Thom. Antonin. Auguſtin. & aliis probat Vaſq. *diſput.* 155. *cap.* 6. Ægid. de Coninch. *q.* 66. *art.* 10. *dub. unic. n.* 63. Suar. *diſp.* 25. *ſect.* 2. *per totam* Bonac. *diſp.* 2. *q.* 2. *punct.* 6. *n.* 11. contra Duran. Marſil. Paludan. relatos à Vaſq. & Suar. ſupra.

8. Tertiò eſt certum infantes etiam per injuriam baptizatos ſegregandos eſſe à parentibus adveniente uſu rationis, ſi periculum adſit perverſionis, ut regulariter adeſt. Quia ſuſcepto baptiſmo Eccleſiæ ſubduntur, illiúſque ſunt membra, poteſt ergo Eccleſia, & debet eos à perverſione defendere: ergo poteſt, & debet eos à parentibus ſegregare, cum aliter à perverſionis periculo liberare non poſſit. Sic docuit Ægid. de Coninch. *dicta q.* 68. *art.* 10. *dub. unico*, *n.* 83. Paul. Layman. *lib* 5. *ſum. tract.* 2. *cap.* 6. *quæſt.* 5. *concl.* 3. colligiturque apertè ex Concilio Tolet. 4. *can.* 55. *&* 58. *& ſeqq.*

9. Quartò certum eſt baptiſmum ritu Catholico miniſtrari poſſe, & deberi filiis hæreticorum fidem in baptiſmo ſuſceptam deſerentium, ſicuti deciditur in concil. Tolet. 4. *cap.* 57. *relato in cap. de Judæis diſt.* 45. Quia hæretici præceptis ſubduntur. Unum autem ex Eccleſiæ præceptis eſt, ut filios ad Eccleſiam baptizandos deferant. Ergo ſi huic obligationi non ſatisfaciant, poteſt Eccleſia eos punire, & eorum negligentiam ſupplere, ac proinde poteſt eorum filios baptizare, & baptizatos ab eorum conſortio ſeparare, ſi periculum adſit perverſionis, ut verè adeſt. Sic Paul. Layman. *lib* 5. *ſum. tract.* 2. *c.* 9. *concl.* 4. Ægid. de Coninch. *q.* 68. *art.* 10. *num* 81. Vaſquez *diſput.* 155. *c.* 1. *in princ.*

10. Hæc concluſio procedit caſu, quo filii ſeparari poſſint à parentum hæreticorum conſortio. Nam ſi neceſſariò in poteſtate parentum relinquendi ſunt, difficultate non caret, an poſſis extra extremam neceſſitatem eos baptizare ob mortale periculum in parentibus irridendi fidem à filiis ſuſceptam, & ob periculum filiorum illam deſerendi, cum ad rationis uſum pervenerint. Ne quis ergo caſu ſupradicto filios baptizare, ne ſacramento ſuſcepto irreverentia fiat, neve baptizati damnum gravius ſuſcipiant ex futura apoſtaſia, quam utilitatem ſuſceperunt ex ſuſcepto baptiſmo. Et ita ſuſtinent Suar. *diſp* 15. *ſect.* 5. *circa medium.* Ægid. de Coninch. *quæſt.* 68. *art.* 10. *dub. unico num.* 81. Contrarium nec improbabiliter defendit Paul. Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 2. *cap.* 6. *quæſt.* 5. *circa finem.* Ea conſideratione motus, quia ſupradictum periculum incertum eſt, cùm ſæpè ii infantes ante uſum rationis moriantur. Quod ſi vivant facilius in fide Catholica inſtruuntur ſcientes baptizatos eſſe, quam ſi baptiſmum non recepiſſent, & eſto prava doctrina imbuantur, & pertinaces hæretici non exiſtunt, ſed ignorantia difficulter vincibili laborant, ac proinde, fidei donum retinent, & contritione de peccatis commiſſis ſalvari poſſunt. Idem quod dictum eſt de filiis infidelium baptizatorum dicendum eſt etiam ſi unus tantum ex parentibus infidelibus baptizatus extiterit, quia eo ipſo Eccleſiæ præceptis ſubditur, & obligationem habet offerendi filium baptiſmo, & conſequenter non impediendi, cum ab Eccleſia baptizatur. Bonac. *diſp.* 2. *quæſt.* 2. *punct.* 6. *num.* 12. *verſ. tertio.*

11. Quinto eſt certum conſentiente quolibet ex parentibus infidelibus te poſſe ejus filium baptizare. Quia in nutriendis filiis, ſecumque retinendis, & gubernandis maximè circa neceſſaria ad ſalutem æquale jus patri, ac matri competit, ac proinde conſentiente matre, eſto pater renuat, filius baptizari poterit; quia pia voluntas in prolis favorem impiæ præferenda eſt: debet tamen abeſſe mortale periculum perverſionis, quod veroſimile eſt abfuturum, ſi parens, qui baptiſmi cauſa fuit curet ſegregare Filium à conſortio parentis reluctantis. Ad hanc enim ſeparationem obligatur: ſic docent ex communi ſententia Paludan. *in* 4. *diſt.* 4. *quæſt.* 4. *in fine*, Azor. *tract.* 1. *lib.* 8. *cap.* 25. *quæſt.* 3. Suar. *diſp.* 25. *ſect.* 3. *verſ. duo.* Vaſq. *diſp.* 155. *cap.* 3. *num.* 46. Ægid. de Coninch. *quæſt.* 68. *art.* 10. *dub. unic. num.* 82. Saà *verbo baptiſmus num.* 11. Paul. Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 2. *cap.* 6. *quæſt* 5. *verſ. tertio.* Bonac. *diſput* 2. *quæſt.* 2. *punct.* 6. *verſ. tertio.* Bonac. *diſput.* 2. *quæſt.* 2. *punct.* 6. *verſ. reſpondeo.* 5. colligiturque apertè ex concilio Tolet. 4. *cap.* 62. *relato in cap. Judæi* 28. *quæſt.* 1. *&* *cap. ex litteris de converſ. infidel.* Advertendum tamen eſt hujuſmodi conſenſum debere eſſe ob finem mundandi filium à peccato originali, quia hic conſenſus ſecurum reddit ſacramentum ab irreverentia, & filium ab apoſtaſia: nam ſi parens conſentiat filium baptizari, non quia credit baptiſmum ad ſalutem animæ prodeſſe, ſed quia exiſtimat eo liberandum eſſe à corporis ægritudine, vel dæmonis vexatione, non videtur ſufficiens, ut baptiſmus filio concedatur, ſi filius parentibus reſtituendus eſt, quia ex illo conſenſu non removebitur periculum perverſionis, & irriſionis fidei, ſicuti benè docet Filliucius, *tract.* 2. *cap.* 6. *quæſt.* 8. *n.* 145. Bonac. *diſp.* 2. *q.* 3. *punct.* 6. *n.* 12. *verſ. tertio.* Paul. Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 2. *cap.* 6. *q.* 5. *concl.* 2. *verſ. quamobrem* Iis pro certo ſtatutis.

12. Controverſia eſt an licitum ſit baptizare filios infidelium non baptizatorum utroque parente renuente, ſeu non conſentiente. Ratio difficultatis eſt, quia parentibus nec jure naturali, nec divino conceſſum eſt removere filios à via ſalutis æternæ, ſed potius tenentur divino præcepto in viam ſalutis dirigere, & media neceſſaria eis concedere; ac proinde tenentur eos baptizandos offerre. Ergo eos baptizans nullam parentibus injuriam irrogat, ſed eorum officium ſupplet, & obligationi ſatisfacit. Et confirmo, ſi parentibus renuentibus injuriam faceres eorum filios baptizans, haberent ipſius denegandi filiis baptiſmum. At hoc non habent, ſi quidem tenentur eis baptiſmum concedere. Ergo nullam injuriam in eo baptiſmo conferendo irrogare potes. Ergo poteris eos baptizare, dummodo poſſis ab eorum conſortio eos removere. Sic Sotus *in* 4. *diſt.* 4. *quæſt. ult.* Gab. *quæſt.* 2. *art.* 3. *dub.* 5. *poſt medium.*

13. Nihilominus communis ſententia negat hos infidelium filios authoritate privata vel publica alicujus principis baptizari poſſe. Sic D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 12. *&* *quæſt.* 68. *art.* 10. Suar. *ibi diſput.* 25. *ſect.* 3. *concluſ.* 1. Vaſq. *diſput.* 155. *cap.* 2. *à num.* 10. Ægid. de Coninch. *quæſt.* 68. *art.* 10. *dub.* 1. *concl.* 2. *num.* 69. Paul. Layman. *lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 3. *quæſt.* 5. *concluſ.* 2. Bonac. *diſput.* 2. *quæſt.* 2. *punct.* 6. *num* 12. & alii apud ipſos. Ratio eſt, quia nequis hos filios baptizare, niſi ſeparando eos à conſortio parentum infidelium, aliàs cederet baptiſmus in contumeliam creatoris; tum ob irriſionem fidei, quæ juſte timeri poteſt à parentibus facienda; tum ob periculum perverſionis, quod ipſis baptizatis imminet ex parentum infidelium ſocietate. At nemini data eſt poteſtas ſeparandi hos filios à parentum tutela, cum ipſis parentibus jure naturæ conceſſa ſit poteſtas eos alendi, nutriendi, & regendi

præcipuè dum propriam voluntatem non habent. Ergo licitum non est eos baptizare. Neque obstat ipsos parentes obligatos esse offerre filios baptizandos, ut inde inferas te posse eos baptizare ipsis parentibus renuentibus. Nam etiam ipsi parentes obligati sunt se baptizandos offerre; non tamen obinde eos cogere potes. Etenim obligatio, quam parentes habent offerendi filios baptismo ex jure divino nascitur, constituit illius transgressorem reum religionis, & pietatis filiis debitæ, non justitiæ. Quod delictum solùm Deum vindicem habet, nullúsque alius efficaciter corrigere potest. Adde non esse improbabile inquit Coninch. *duo. unico num.73.* parentes infideles obligatos non esse baptizare filios ante usum rationis, vel necessitatem extremam; quia ex sola lege Ecclesiastica & consuetudine recepta; quibus non arctantur infideles videtur hæc obligatio nasci. Secluſa autem obligatione parentum certissimum est nulla authoritate filium parentibus invitis baptizari posse. Neque ab hac doctrina excipiendi sunt filii infidelium, qui Christiano principi civiliter sunt subjecti, quia hæc subjectio non tollit à parentibus jus gubernandi filios; & secùm retinendi neque transfert in principem, sicuti benè tradiderunt Vasquez, Suarez, Bonacina, Layman. *& alii locis allegatis.*

14. Attamen excipi debet primò casus extremæ necessitatis; si enim infans in periculo mortis sit constitutus baptizandus est etiam invitis parentibus, ne perpetuo pereat: ob æternam enim salutem pueri contemnenda est levis illa læsio juris paterni, præcipuè cum ex illa nullum mortale periculum apostasiæ immineat. Sic Valent. 4. *disp.4. q.3 p.3. vers.3.* Coninc. *q.68. art.10. dub. un. n.77.* Vasq. *disp.155. c.3. n.22.* Bonac. *disp.2. quæst.2. punct.6. n.12. vers. utrum vero.* Paul. Layman. *lib.5. tract.2. cap.6. q.5. vers. dixi.* Suar. *disp.25. sect.3.* Henriq. *cap.27. n.2.* & alii.

15. Secundo excipitur ferè ob eandem rationem perpetuò amens, hic enim invitis parentibus infidelibus baptizari potest ob ejus extremam necessitatem, aliàs remedio salutis esset omnino destitutus. Neque obstat parentes jus habere gubernandi filium amentem, eumque dicandi Deo, cum sibi placitum fuerit, quominus eum possis baptizare parentibus negligentibus invitis; quia bonum, quod ex collato baptismo filio provenit proferendum est levi læsionis juris paterni cedentis in æternum filii interitum. Sic Paul. Layman. *dicto lib.5. tract.2. cap.6. vers. quinto.*

16. Sed si quid timeas patrem ægrè laturum filium baptizari, & sacrilegiis, ritibus, & cæremoniis filium contaminaturum, potérisne, in supradicta extrema necessitate illum baptizare? Respondeo posse, debes tamen, si commodè potes dicta sacrilegia parentis impedire subtrahendo filium ab ejus consortio. At si nequis filium à parentis cura separare, non obinde omittes baptismum sed sacrilegium paternum permittes, quia ea permissio necessitate extrema baptismi honestatur, ut benè notavit Ægid. de Coninch. *dicta quæst 68. art.10. dub. unic. num.77.* Nunquam tamen licet tibi maximè authoritate privatâ utenti vim parenti inferre, ut ejus filios baptizes, quia parens denegando baptismum peccat tantum contra legem divinam supernaturalem, cujus delictum solum Deum vindicem habet, cum Ecclesiæ subditus non sit: filiis nullam injuriam irrogat spectato jure naturæ, ob cujus causam defensio locum habere possit. Nequis ergo parenti impedienti baptismum filiorum vim inferre, quia solum eam vim inferre posses vel in punitionem delicti commissi, vel innocentium filiorum defensionem. Atque ita sustinent Vasquez *disput.135. cap.3. num.26.* Ægid. de Coninch. *quæst.68. artic.10. dub. un. num.77.*

17. Tertio excipitur filius segregatus à parentibus, cujus nulla spes subest in eorum consortium fore redditurum, quia eo casu nulla parentibus fit injuria, cum jus quod habent gubernandi filium exercere non possint. Adde ea ratione filio in parentum potestate constituto denegatur baptismus, quia baptismo posito subtrahendus est à parentum consortio, ne parens baptismum irrideat, & ne filius in apostasiam pravis parentum consiliis incidat. At hæc ratio omnino cessat filio extra curam parentum existente, baptizari ergo potest. Neque consulendus est parens, esto id fieri possit, quia necessarius non est ejus consensus. Sic latius probant Suar. *disput.25. sect.4. vers. secundò est certum.* Ægid. de Coninch. *quæst.68. art.10. dub. un. n.77.* Vasq. *disp.155. cap.3. num.29.* Azor. *tract.1. lib.8. cap.25. quæst.4.* Paul. Layman. *lib.5. sum. tract.2. cap.6. quæst.5. vers. secundò.*

18. Quartò excipitur filius servus, seu parentis servi, quem ex consensu Domini baptizare poteris. Etenim cum Dominus potestatem habeat donandi, vendendi, mittendi servum quò voluerit, potestatem, habet separandi eum à filio, quia separatione posita nihil impedit, quominus filius baptizari possit. Adde omnia jura servi domino subjecta esse ob dominium in personam, ergo jus quod habet servus parens gubernandi filium, secumque retinendi domino ejus subjicitur, ac proinde poterit Dominus filium sui mancipii gubernare, secumque retinere, & baptizandum offerre. Sic Suar. *disp.25. sect.4. concl.2.* Ægid. de Coninch. *quæst.68. artic.10. dubio unico num.86.* Vasq. *disput.155. cap.4. per totum.* Paul. Layman. *lib.3. sum. tract.2. cap.6. quæst.5. vers. porrò eadem assertio.* Bonac. *disput.2. quæst.2. p.6. n.12. in fine.*

19. Sed dubium est, an tenearis invitis parentibus filium baptizare, illis eventibus, quibus diximus licitè te facere posse; Affirmant, & latè probat Vasq. *disput.155. cap.7.* motus ea consideratione, quia charitate, quam in proximum habere debes, obligatus es bono illius consulere quoties commodè possis. Nullum autem est bonum proximo maximè ante usum rationis æquè necessarium, ac baptismus, quo à peccato originali mundatur, & viam salutis ingreditur. Ergo teneris baptismum illi concedere, si facilè possis. Quod si difficultates, & inconvenientia adsint, quæ te ab obligatione eximant, eo ipso videntur te astringere, ne possis baptismum concedere, quia ea inconvenientia, quæ te à supradicta obligatione eximunt, præponderare debent utilitati, quæ ex baptismo nasci poterat. Quo posito nequis baptismum conferre, quia nequis unius bono cum gravi alterius, & fortè reipublicæ jactura consulere. Ergo potestas ministrandi baptismum semper cum obligatione illius conjungitur, & cessante cessat potestas.

20. Nihilominus probabilius censeo sæpè te posse ministrare baptismum filiis infidelium, non tamen ad id teneri. Potes namque ministrare baptismum parvulo indigenti, non tamen teneris, si ob eam causam grave periculum vitæ, honoris, imo & fortunæ tibi immineat. Deinde sæpè inconvenientia, quæ ex collato baptismo timentur incerta sunt, & dubia, ob quorum incertitudinem sub opinione esse potest, an præponderent utilitati, quæ ex baptismo provenit, in quo casu & baptismum concedere, & ab illo abstinere potes. Præterea consuetudine introductum est sæpè parvulos Sarracenorum, imo hæreticorum captivos vendi, & restitui parentibus nullo collato baptismo, ne ab ipsis Catholicorum filii captivi detineantur cum gravi apostasiæ periculo, & tamen eo casu baptismus conferri poterat supradictis Sarracenorum, & hæreticorum filiis. Non igitur quoties tibi licet baptismum infantibus prædictis concedere, ad id obligaris, & ita sustinet Suar. *disp.25. sect.6. per totam.* Ægid. de Coninch. *q.68.*

q.68. art.10. dub. unico in fine, n.88. Paul. Layman. lib.5. tract.2. c.6. q.5. concl. 2. in fine; n.10. Henriq. lib.2. cap.25. n.1. & 8. Bonac. diſp.2. q.2. p.6. n.14.

PUNCTUM VII.

Quæ diſpoſitio in ſuſcipiente baptiſmum requiratur.

1. *Si Baptizandus eſt parvulus, nulla diſpoſitio eſt ex parte ipſius requiſita.*
2. *In adultis requiritur intentio, ſeu voluntas ſuſcipiendi baptiſmum. Et qualis eſſe debeat.*
3. *Requiritur præterea fides, ſeu Trinitatis, & incarnationis notitia. Itemque divinorum præceptorum.*
4. *Denique requiritur contritio, ſeu attritio de peccatis commiſſis.*

1. BAptiſmus miniſtrari poteſt tum parvulis, tum adultis uſum rationis habentibus. Si de parvulis loquamur conſtat nulla ex parte ipſorum diſpoſitionem prærequiri, ut validè, & licitè baptiſmus miniſtretur. Nam Chriſtus, & Eccleſia eorum voluntatem, & intentionem ſupplet. Sicuti latè docet D. Thom. ab omnibus receptus, q.68. art.12.

2. At ſi adultis baptiſmus conferatur, triplicem in illis diſpoſitionem expoſtulat, ut validè, & licitè conferatur, nempè intentionem ſaltem habitualem ſuſcipiendi baptiſmum, fidem unius Dei, & Trini, & contritionem, ſeu attritionem de peccatis commiſſis. Expendamus ſingula. Primò requiritur intentio, ſeu voluntas baptiſmum ſuſcipiendi, ut validè conferatur. Non enim expediebat Chriſtum involuntarios milites habere, ſuiſque præceptis renuentes obſtringere. Hæc tamen voluntas, ſeu intentio neceſſario præſens actualiter eſſe non debet, ſed ſatis eſt fuiſſe, neque eſſe retractatam: colligitur ex conſuetudine Eccleſiæ ab Innocent. III. *in cap. majores de baptiſmo* declarata. Neque obſtat hanc voluntatem inſufficientem eſſe pro baptiſmi adminiſtratione, quia minor voluntas ad recipiendum baptiſmum, quam ad illum miniſtrandum requiritur. Unde ebriis, dormientibus, vel amentibus tempore ſanæ mentis baptiſmum expoſtulantibus validè miniſtratur, quia cenſentur in voluntate prius habita perſeverare. Sic ex communi ſententia docet Suar. diſput.24. ſect.1. Bonac. diſput.2. quæſt.2. p.6. num.8. Paul. Layman. lib.5. ſum. tract.2 cap.6. quæſt.2. concl.1. Ægid. de Coninch. quæſt.64. artic.8. dub.5. Debet tamen hæc voluntas libera eſſe, aliàs non erit rationalis. At quia metus etiam cadens in conſtantem virum ſimpliciter libertatem non tollit, tametſi illam diminuat, ea de cauſa valorem ſacramenti non impedit, ſicuti decidit Innocent. in *dicto cap. majores de baptiſmo*, & concilium Tolet. 4. *cap.*55. & pluribus exornat Suar. Henriq. Layman. Bonac. allegatis. Nunquam tamen licet amentibus, dormientibus, ebriis, & coactis baptiſmum miniſtrare extra caſum neceſſitatis, tum ob reverentiam ſacramenti, tum ob diminutam, & imperfectam ſuſcipientium voluntatem Bonac. *dicta diſput. 2. quæſt.2. punct.6. num.21.*

3. Secunda diſpoſitio pro baptiſmo licitè ſuſcipiendo eſt fides juxta illud Matth. *ult.* Baptizantes eos, prius enim præcipit doceri, qui doctrinæ capaces extiterint, quam baptizari. Et Marc.11. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Qui vero non crediderit (ſubjunge, tametſi baptizatus fuerit) condemnabitur, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, & remiſſionem peccatorum obtinere. Hæc fides eſt, quædam virtus ſupernaturalis infuſa, qua myſteriis revelatis aſſentimur, quam ut adulti obtineant debent actu ſupernaturali credere Deum eſſe unum, & Trinum, & ſuorum operum remuneratorem, juxta illud Pauli, Accedentem ad Deum oportet credere, & quia eſt, & quia remunerator ſit. Et inſuper debent credere in Jeſum Chriſtum, quia hæc eſt vita æterna, & cognoſcere Deum Patrem, & Jeſum Chriſtum miſſum. Præterea quilibet baptizandus, niſi neceſſitas urgeat, inſtitui primum debet quæ ſint præcepta, quibus obſervandis per baptiſmum aſtringitur, tum ne ab eorum obſervatione deficiat, tum ne ſe deceptum alleget, ideoque Chriſtus Dominus præcipiens baptiſmum promulgari præcipit Apoſtolis, ut gentes docerent ſervare à ſe mandata. Matth. *ult.* Quapropter extra mortis periculum peccatum mortale eſſet quemlibet baptizare, quin notitiam myſteriorum fidei, Trinitatis, incarnationis, & paſſionis Chriſti Domini, & præceptorum tum decalogi, tum Eccleſiæ ſaltem in genere haberet, ut benè aliis relatis probat Thom. Sanch. *lib.1. in decal. cap.3. in fine num.24* Præterea debet credere virtutem baptiſmi, ut illius effectum ſperare poſſit, & ſe ad illum ſuſcipiendum diſponere.

4. Tertia diſpoſitio pro licita baptiſmi ſuſceptione eſt contritio, ſeu attritio de peccatis commiſſis; quia in adultis nulla fit peccatorum actualium remiſſio abſque pœnitentiæ virtute juxta illud actor.2. Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrûm; colligiturque ex concil. Cartagin. *cap.*85. & Trident. *ſeſſ.6. can.6.* & tradit S. Thom. *3.p. quæſt.*86. *art.*4. Vaſq. *diſp.*168. *cap.*4. Suar. *diſp.*28. *ſect.*2. Valent. *t.*4. *diſp.*4. *q.*3. *punct.*3. *concl.*4. Bonac *diſp.*2. *q.*2. *p.*6. *n.*25. Dixi *neceſſariam eſſe contritionem, ſeu attritionem*, quia ad ritè baptiſmum ſuſcipiendum ſufficit attritio, eo quod baptiſmus ad remittenda peccata per ſe inſtitutus ſit. Non igitur expoſtulat neceſſariò diſpoſitionem, quæ peccati remiſſionem operetur: ſicuti benè docent ſupradicti doctores. Quod ſi aliquando contingat (quod rarò eveniet) ſuſcipientem ſacramentum baptiſmi nullo peccato mortali actuali infectum eſſe, obligatus non eſt habere attritionem, quia hæc peccatorum deteſtatio peccata propria voluntate commiſſa ſpectat. Sic Henriq. *lib.*2. *cap.*24. *num.*3. & *cap.*27. *n.*1. Suar. *diſput.*18. *ſect.*1. Bonac. *diſp.*2. *de baptiſm. q.*2. *p.*6. *n.*27. vide quæ diximus *tract. præced. punct.*15.

PUNCTUM VIII.

Qualiter baptiſmus neceſſarius ſit ad ſalutem.

1. *Extra caſum martyrii parvulis neceſſarius eſt baptiſmus in re ſuſceptus.*
2. *Adultis baptiſmus, ſeu votum illis eſt ad ſalutem neceſſarium.*
3. *Qualiter ex divino præcepto baptiſmus neceſſarius ſit tum parvulis, tum adultis.*
4. *Quando hoc præceptum comparatione parvulorum aſtringat parentes, ſeu tutores.*
5. *Adulti eo aſtringuntur, cum primum commodè poſſint ſuſcipere, ſi benè inſtructi ſint.*
6. *Ex gravi cauſa differri baptiſmus poteſt.*
7. *Eccleſia non poteſt determinare tempus ſuſcipiendi baptiſmum imponendo obligationem baptizandi, benè tamen declarando obligationem, quam jure divino habent.*

1. PArvulis, & adultis baptiſmus neceſſarius eſt, ſed diverſo modo. Parvulis, ſeu rationis uſu carentibus extra caſum martyrii eſt neceſſarius in re ſuſceptus, ad ſalutem conſequendam. Conſtat ex Innocent. I. *epiſt.*26. ad Concil. Milevitan. & ex concil. Carthagin.5. *cap.*6. *relato in cap. placuit de conſecrat. diſt.*4. & ex Innocent. III. *in cap. majores de baptiſmo*, & clarius ex Trident. *ſeſſ.*5. *decreto de peccato*

peccato originali, *& ſeſſ.7. can.5. de baptiſmo*, & pluribus exornant Bellarm. *lib.1. de baptiſmo cap.4.* Vaſq. *diſp.154. cap.1.* Suar. *diſput.25. ſect.1. & 2.* præcipuè ex Auguſt. pluribus in locis, præcipuè *lib.3. de anima cap.9.* dicente: Noli credere, noli dicere infantes antequam baptizentur morte præventos pervenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum, ſi vis eſſe Catholicus. Ratio eſt Chriſti inſtitutio indicata illis verbis Joann.3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei, quæ verba manifeſtè probant regenerationem per baptiſmum parvulis ſimpliciter ad ſalutem neceſſariam eſſe. Etenim carentes rationis uſu nequeunt propriis actibus remiſſionem peccati obtinere; debent ergo medio aliquo à Chriſto Domino inſtituto eam remiſſionem conſequi. At nullum aliud eſt præter baptiſmum, eſt igitur illis baptiſmus ſimpliciter neceſſarius.

Dixi extra *caſum martyrii*. Nam ob martyrium ex ſpeciali Dei privilegio parvulis originale remittitur, & ſalus æterna conceditur. Neque enim decebat occiſos in odium Chriſti à Chriſto ſeparari, & animam perdere, cum veritas dixerit Marc.8. Qui perdiderit animam ſuam propter me ſalvam faciet eam.

2. Adultis, ſeu ratione utentibus baptiſmus, ſeu votum illius eſt ſimpliciter ad ſalutem neceſſarius. Eſſe quidem neceſſarium conſtat ex concilio Florent. *in litteris unionis*, ibi. Niſi ex aqua & Spiritu ſancto renaſcimur non poſſumus (inquit veritas) in regnum cælorum introire, & ex Trident. *ſeſſ.7. can.5.* dicente. Si quis dixerit baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt non neceſſarium ad ſalutem anathema ſit. Quod vero adultis ſufficiat illius votum, cum baptiſmus ſuſcipi non poſſit; decidit Trident. *ſeſſ.6. cap.4.* illis verbis. Tranſlatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ in ſtatum gratiæ & adoptionis Filiorum Dei per ſecundum Adam Jeſum Chriſtum ſalvatorem noſtrum poſt Evangelium promulgatum, ſine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non poteſt, ſicut ſcriptum eſt: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto non poteſt introire in regnum Dei. Ratioque eſt manifeſta: nam ante ſuſceptum baptiſmum poteſt quis media contritione, ſeu dilectione Dei ſuper omnia gratiam conſequi, qua obtenta ſi moriatur baptiſmo non ſuſcepto, eo quod fuerit impoſſibilis vitam æternam conſequetur; ſicuti definit Innocent. III. *cap. debitum de baptiſmo. & cap 2. de preſbytero non baptizato*, & comprobat Auguſt. *lib.4. de baptiſmo, cap.22. & lib.8. de civit. Dei*, D. Bernard. *epiſt.77.* ad Hugonem de S. Victor. Ergo baptiſmus in re ſuſceptus medium non eſt neceſſarium adultis ad ſalutem. Quod vero in illa contritione, ſeu dilectione Dei ſuper omnia contineatur votum, ſeu propoſitum baptiſmi ſuſcipiendi inde probatur, quia in ea contritione, ſeu dilectione continetur votum ſervandi divina præcepta. Unum autem ex divinis præceptis eſt de ſuſcipiendo baptiſmate, cum commodè fieri poſſit, ut ſtatim dicemus. Ergo ſaltem baptiſmi votum in contritione, vel dilectione Dei incluſum eſt adultis ad ſalutem neceſſarium. Dices inde inferri baptiſmum non eſſe magis neceſſarium adultis, quàm neceſſaria eſt cujuſlibet præcepti obſervatio, ſiquidem hujus votum, ſeu propoſitum in qualibet contritione, ſeu dilectione juſtificante imbibitur. Reſpondeo negando ſequelam: quia aliter baptiſmus adultis neceſſarius eſt, quam cujuſlibet præcepti obſervatio. Etenim baptiſmus inſtitutus eſt per ſe ad peccati originalis, & actualis ante ipſum commiſſi remiſſionem, quod nullatenus competit cujuſlibet præcepti obſervationi. Ex qua differentia contritio, ſeu dilectio Dei ſuper omnia quatenus in ſe imbibit votum baptiſmi peccata remittit, & ſalutem confert, non vero quatenus imbibit votum cujuſlibet præcepti conſervandi. Nam cujuſlibet præcepti obſervatio non eſt pretium (ut ita dicam) ſignatum à Chriſto Domino pro peccati remiſſione, benè tamen baptiſmus, eaque de cauſa vi juſtificationis per contritionem obtentæ non obligaris ad cujuſlibet præcepti obſervationem, obligaris tamen ad baptiſmum ſuo tempore ſuſcipiendum, utpote ad exhibendum pretium, virtute cujus remiſſionem peccati per contritionem emiſti.

3. Ex dictis infertur baptiſmum neceſſarium eſſe omnibus ex divino præcepto, omnibus enim præceptum eſt tum jure naturali, tum divino poſitivo media ad ſalutem neceſſaria apponere. At baptiſmus unicum medium eſt à Chriſto inſtitutum pro peccati originalis, & mortalis ante ipſum commiſſi remiſſione. Ergo omnibus ex divino præcepto baptiſmus neceſſarius eſt. Hoc autem præceptum diverſimodè parvulos, & adultos reſpicit. Parvulos namque aſtringere non poteſt, quia ob defectum rationis capaces eſſe non poſſunt illius præcepti, eaque de cauſa non ipſos, ſed eorum parentes vel tutores, Eccleſiæque paſtores aſtringit. Adulti verò eo aſtringuntur à puncto, quo baptiſmus ab Apoſtolis act.2. promulgatus fuit illis verbis, *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum.* Neque obſtat Chriſtum Dominum ante ſuam mortem dixiſſe Joan.3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto non poteſt introire in regnum Dei*; ut inde inferas ante ejus mortem homines ad baptiſmum ſuſcipiendum aſtringi. Nam etiam dixit; *niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in nobis*; & tamen ſacramentum Euchariſtiæ eo tempore ſuſcipi non poterat, cùm non eſſet à Chriſto inſtitutum. Sed illis verbis ſignificavit Chriſtus neceſſitatem baptiſmi, & Euchariſtiæ ſuſcipiendi, cùm illorum ſacramentorum publicatio facta fuerit, ideòque dixit Concil. Trident. *ſeſſ.6. cap.4.* Tranſlationem ab ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ poſt Evangelium promulgatum fieri non poſſe ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto, tacitè indicans ante Evangelii promulgationem quæ die Pentecoſtes facta fuit poſſe homines, ab ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ ſine lavacro regenerationis, vel ejus voto transferri. Neque item obſtat poſt illam ſolemnem Evangelii publicationem plures ignorantia invincibili laborare hujus ſalutiferi remedii, quominus ab eo puncto omnes eo præcepto ſuſcipiendi baptiſmum teneantur, tenentur namque eo præcepto quantum eſt ex ſe, tametſi ob ignorantiam ab ejus tranſgreſſione culpabilis excuſentur.

4. Difficultas ergo eſt quo tempore dictum præceptum obliget miniſtrari parvulis baptiſmum, & adulti teneantur illum ſuſcipere? Et quidem in periculo mortis manifeſta eſt obligatio, ne carens baptiſmo in perpetuum condemnetur, & à regno cæleſti excludatur. Extra periculum mortis obligantur parentes, ſeu tutores ſub gravi culpa præcepto Eccleſiæ non ſcripto, ſed conſuetudine introducto, ne diu differant filiis parvulis baptiſmum, quia alienum eſt à parentum pietate, & charitate diu conſervare filios mancipia diaboli, cum facilè poſſint membra Chriſti, & Eccleſiæ efficere, & regni cæleſtis heredes conſtituere. Quod ſi ipſi parentes, vel tutores negligentes extiterint, paſtores Eccleſiæ ratione officii obligantur illorum negligentiam emendare. Sicuti benè notavit Suar. *diſp.31. ſect.1. circa finem.* Quæ autem ſit diuturna dilatio ſufficiens ad peccatum mortale, arbitrio prudentis judicanda eſt, teſte Suar. *diſput.25. ſect.2. §. ad quæres.* Henriq. *lib.2. cap.4. num.3.* Crederem autem ſecluſa gravi cauſa ultra menſem à nativitate diuturnam eſſe dilationem, quia eſt dilatio contra communem praxim & periculo ſcandali ſatis expoſita. Srante vero cauſa

gravi, qualis forte eſt, ut baptiſmus majori cum ſolemnitate fiat, permitti poteſt dilatio ultra menſem unum, ſed non duos, adhibita tamen ſpeciali diligentia, ne parvulo periculum contingat decedendi ſine baptiſmo. Sic Suar. & Henriq. locis allegat. Ægid. de Coninch. *quæſt.* 68. *artic.* 3. Paul. Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 2. *cap.* 6. *quæſt.* 4. *concl.* 2. Numquam tamen licitum eſt extra periculum mortis baptiſmum abſque ſolemnitate miniſtrare, eaque de cauſa graviter peccant parentes, ſeu tutores, qui filios domi baptizant extra caſum urgentis neceſſitatis credentes Eccleſiæ ſatisfacere, ſi poſtmodum filios ad Eccleſiam deferant pro cæremoniis baptiſmi ſuſcipiendis. Eſt enim abuſus hic omnino exterminandus, utpotè adverſus Eccleſiæ præceptis, ut ſatis colligitur ex Clement. un. *de baptiſmo.* & tradit Laym. Saà verbo *baptiſmus num.* 3. Armilla *num.* 45. Bonac. *diſp.* 2. *quæſt.* 2. *punct.* 7. *num.* 19. Paul. Laym. *lib.* 5. *ſum. tract.* 2. *c.* 6. *q.* 4. *infine.*

5. Adulti ſi in fide perfectè inſtructi ſint obligantur baptiſmum ſuſcipere, cum primum commodè poſſunt, ut ex Clement. Romano, Baſilio, Nazianz. Chryſoſt. Nizeta, & aliis firmat Vaſq. *diſp.* 149. *cap.* 4. Ægid. de Coninch. *q.* 68. *art* 3. *dub. un. concl.* 1. *n.* 37. Suar. *diſp.* 31. *ſect.* 2. Paul. Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 2. *c.* 6. *q.* 4. *in princ.* Henriq. *lib.* 2. *cap.* 4. Bonac. *diſp.* 2. *de baptiſmo*, *q.* 2. *punct.* 2. *n.* 4 Ratio à priori ſumitur ex fine ad quem baptiſmus fuit à Chriſto Domino inſtitutus. Etenim inſtitutus eſt non ſolum in peccati originalis remiſſionem, ſed in ſignum, quo fideles congregentur in unum, unamque Eccleſiam viſibilem conſtituant participeſque fiant reliquorum ſacramentorum, & ſacrificii fructus. Sed huic fini graviter obſtat qui baptiſmum longo vitæ tempore abſque ſufficiente cauſa ſuſcipere recuſat. Ergo graviter peccat utpote qui viam ſalutis negligit, ſe à Chriſto, & ejus Eccleſia, in qua eſt vera ſalus, ſeparando. Deinde baptiſmus inſtitutus eſt ad fidem ſolemniter profitendam, eaque de cauſa ſub explicita Trinitatis invocatione miniſtratur, & fidei ſacramentum dicitur. At renuens credere fidei ſufficienter propoſitæ in jurius illi eſt, indicat enim non eſſe dignam creditu. Ergo renuens ſuſcipere baptiſmum ſibi ſufficienter propoſitum profeſſioni fidei in jurius erit. Atqui omnes tenentur non ſolum interius credere, ſed fidem exterius profiteri ritu aliquo publico, & ſolemni, quo unitas fidei & Eccleſiæ demonſtretur. Ergo tenentur baptiſmum ſuſcipere, quo indicatur hæc fidei, & Eccleſiæ unitas. Denique ab inconvenienti probari poteſt concluſio. Si enim adulti ſufficienter in fide inſtructi non obligantur ſtatim nacta occaſione divino præcepto baptiſmum ſuſcipere, nullum tempus extra mortis periculum ſignari poterit, quo obligentur; quia nulla eſt major ratio de uno, quàm de alio, atque adeo poterit quis abſque peccato ſeparatus à Chriſto, & ejus Eccleſia, & ſacramentorum uſu uſque ad finem vitæ perſeverare, quod eſt abſurdum. Quod ſi objicias antiquum uſum, quo plures uſque ad maturiorem ætatem, vel extremum vitæ baptiſmum differunt? Reſpondeo vel ex rationabili cauſa factum eſſe, vel ex ignorantia excuſari, ideoque eos imitari non debes, ut benè probat Nazianz. *orat.* 40. *in ſanctum baptiſma*, & Baſil. *hom. exhortat. ad baptiſm.* At ſi iterum objicias textum *in c. duo tempora*, *& ſequentib. de conſecrat. diſt* 4. quo miniſtris Eccleſiæ præcipiebatur ſolum vigilia Reſurrectionis, & Pentecoſtes baptiſmum miniſtrari extra caſum neceſſitatis? Reſpondeo creſcente populo, & occaſione miniſtrandi baptiſmum, conſuetudine ſupradictum decretum abolitum eſſe & quovis tempore baptiſmum miniſtrari poſſe, ut latè expendit Vaſq. *diſp.* 150. *cap.* 3. *per tot.*

6. Notanter dixi te in fide ſufficienter inſtructum obligatum eſſe ſuſcipere baptiſmum ſtatim, ſi commode potes, ut indicarem ob gravem aliquam cauſam differri poſſe. Quæ autem hæc ſit arbitrio prudentis relinquitur. Crederem autem ex parte baptizati ſufficientem eſſe ob periculum grave tum honoris, tum vitæ, tum fortunæ ei imminens ex baptiſmo eo tempore ſuſcepto. Item abundantiorem fructum, qui dilato baptiſmo creditur percipiendus. Ex parte verò aliorum fidelium eſt ſufficiens cauſa, ſi in eorum utilitatem cedat, ſicuti ceſſit dilatio baptiſmi S. Sebaſtiani. Sic Vaſq. *diſp.* 149. *c.* 4. *num.* 40. Ægid. de Coninch. *quæſt.* 68. *art.* 3. *dub. un. num.* 40. illud eſt certum quo major fuerit dilatio graviorem cauſam ad ſui honeſtatem expoſtulare, ut docent præcitati doctores.

7. Sed inquires, an Eccleſia potuerit determinare tempus, in quo baptiſmus ex obligatione ſuſcipiendus ſit: Reſpondeo nullatenus poſſe imponendo obligationem, quam aliàs baptizandi non habent, benè tamen poſſe declarare obligationem jure divino illis impoſitam. Sic Ægid. de Coninch. *dicta q.* 68. *art.* 3. *dub. unico à num.* 41. Vaſq. *diſp.* 150. *cap.* 2. *&* 3. Suar. *diſp.* 31. *ſect.* 2. Paul. Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 2 *c.* 6. *q.* 4. *ver/ dubitant.* Ratio prioris partis eſt, quia Eccleſia juriſdictionem non habet in non baptizatos, ſicuti definit Trident. *ſeſſ.* 14 *cap.* 4. dicens: Eccleſia in neminem judicium exercet, qui non prius in ipſam per baptiſmi januam fuerit ingreſſus, quæ definitio ſumitur ex Paulo, 1. *ad Corinth.* 5 De his, inquit, qui foris ſunt, (id eſt extra Eccleſiam) nihil ad nos. Si autem Eccleſia poſſet non baptizatos obligare ad baptiſmum ſuſcipiendum eo tempore, quo aliàs ex divino præcepto non tenebantur, juriſdictionem, & judicium in non baptizatos exerceret contra D. Paulum, & Trident definitionem. Quod verò poſſit Eccleſia declarare quibus circunſtantiis, & occaſionibus præceptum divinum de ſuſcipiendo baptiſmo obliget, inde probatur, quia per hanc declarationem nullam in non baptizatos juriſdictionem exercet, ſed ſolum exercet clavem ſcientiæ à Chriſto Domino conceſſam pro rebus dubiis diſſolvendis, & difficilibus declarandis.

Punctum IX.

De miniſtro Baptiſmi.

1. *Quilibet rationis compos eſt validus miniſter baptiſmi.*
2. *Abſque juriſdictione nequit licitè miniſtrari, tametſi Sacerdos ſit.*
3. *Qualiter religioſis Societatis conceſſa ſit facultas baptiſmum miniſtrandi.*
4. *Inferiores clerici, & diaconi non ſunt ex officio ad hoc miniſterium deputati.*
5. *Ad concedendam diacono facultatem hoc ſacramentum miniſtrandi non requiritur extrema neceſſitas.*
6. *Extra periculum mortis nequit ſacerdos, & à fortiori alii clerici miniſtrare baptiſmum abſque ſolemnitate.*
7. *Nequit domi baptiſmus ſecluſa neceſſitate miniſtrari*
8. *Nullus alius à Sacerdote, vel diacono ex commiſſione Sacerdotis miniſtrare baptiſmum ſolemniter poteſt.*
9. *In extrema neceſſitate digniori cedit minus dignus.*
10. *Eſt peccatum mortale inverſio hujus ordinis, tametſi contrarium ſentiat Sotus.*
11. *Quid ſi præſente clerico non Sacerdote laïcus miniſtret? Affirmant plures eſſe culpam venialem. Probabilius eſt vel nullam eſſe, vel eſſe mortalem.*
12. *Excipitur pagani, vel hæretici adminiſtratio præſente fideli Catholico.*

13. *Secun*

13. *Secundo excipitur, si præsente diacono, laicus vel inferior clericus ministret.*
14. *Qualiter unius baptismi plures ministri esse possint.*
15. *Qualiter plures simul baptizare posses.*
16. *Qualiter ablutio prolationi formæ sit conjungenda.*

1. DUpliciter sumi potest baptismi minister, primo quoad valorem sacramenti, secundo quoad licitum illius usum. Si de valore Sacramenti loquamur quilibet sive Sacerdos, sive laicus, sive vir, sive fœmina, sive baptizatus, sive non baptizatus Sacramentum ministrare potest, ut firmum, & ratum existat. Conclusio est certa de fide definita ab Eugen. 4. *in Concil. Florent. post. ult. sessionem*, §. *primum*. ibi in causa necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laïcus, vel mulier, imo etiam paganus, & hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, & facere intendat id quod facit Ecclesia. Idem sumitur ex *cap. firmiter de summa Trinitate*, *cap. in necessitate*, *cap. Romanus de consecrat. dist.* 4. *cap. ad limina.* 30. *quæst.* 1. & aliis traditque D. Thom. ab omnibus receptus *quæst.* 67. *art.* 3. Ratio à priori est institutio Christi usu, & consuetudine Ecclesiæ declarata congruentia, necessitas hujus sacramenti, ob quam congruum erat sub materia communi & omnibus obvia, & sub forma facilè perceptibili esse institutum, concedique potestatem cuilibet ratione utenti illud administrandi. Neque his obstat textus in *cap. quos à paganis de consecrat. dist.* 4. ubi Gregor. secundus decidit baptizatus à paganis rebaptizandos esse; quia hi baptizati erant ritu pagano, & non Ecclesiastico, ut satis colligitur ex eo quod subjunxerit rebaptizandos esse in nomine Trinitatis, indicans sub hoc nomine antea baptizatos non esse. Vid Vasq. *disput.* 147. *cap.* 1. & 2.

2. Si vero de licita baptismi administratione loquamur, certum est baptismum licitè administrari non posse, nisi minister jurisdictionem, & Potestatem habeat illum administrandi vel immediatè à Christo Domino, vel mediis Ecclesiæ pastoribus. Nam cum baptizatus medio baptismo in congregationem Ecclesiæ adscribatur, & fiat Christi membrum, participesque omnium sacramentorum, nullus nisi potestate à Christo accepta hæc alicui communicare poterit. Hinc fit summum Pontificem hanc à Christo plenam habere potestatem. Cum enim penes ipsum sit potestas visibilem Ecclesiam gubernandi, penes ipsum est potestas in Ecclesiam admittendi quos judicaverit expedire. Prælati vero inferiores, quales sunt Episcopi, aliique Abbates jurisdictionem quasi Episcopalem habentes hac potestate gaudent à Pontifice derivata comparatione eorum, qui in sua diœcesi existunt. Nam cum ipsis competat suarum diœcesum regimen, competere necessario debet in illius diœcesis communitatem admissio. At baptismo admittitur baptizatus in membrum universalis Ecclesiæ, & singulariter illius communitatis diœcesanæ in qua baptismum suscepit. Ergo solis Prælatis potestatem habentibus regendi communitatem competit baptizare. Reliqui vero Sacerdotes ex commissione ab Episcopo accepta hac potestate gaudent, Parochi ex officio, & jure ordinario, eo ipso que in Parochos eliguntur; qua potestate absque causa privari ab Episcopis non possunt, quia habent illam ex approbatione juris; alii Sacerdotes eam potestatem habent ex Episcopi, vel Parochi delegatione. Nam esto quilibet Sacerdos in ordinatione factus sit idoneus minister constituendi corpus Christi mysticum, quod fit baptismi administratione, indiget tamen ad licitum usum, ut sibi jurisdictio, & regimen Ecclesiæ concedatur, aliàs injurius Ecclesiæ est, si in illius membrum quamlibet adscribat nullam in Ecclesiam jurisdictionem habens, sicuti latius expendit Vasq. *disp.* 147. *cap.* 3. Unde mortaliter peccat Episcopus, vel Parochus, qui residentem in alia Ecclesia sine licentia Episcopi, vel Parochi illius baptizat, quia aggregat baptismum Ecclesiæ, cujus nullum regimen sibi commissum est, colligiturque ex *c. interdicimus.* 16. *quæst.* 1 & tradit Ægid. de Coninch. *quæst.* 67. *art.* 5. *d.* 1. *n.* 11. Paul. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 2. *c.* 6. *concl.* 2. Bonac. *disp.* 2. *de bapt. q.* 2. *pun.* 5. *n.* 10. Eman. Sà *verb. bapt. n.* 6.

3. Dubium nonnullum est, an religiosis præcipuè Societatis Jesu delegata sit à Pontifice facultas baptismum ministrandi: Videtur namque esse, quia Paul. 3. in sua. 3. aliàs 1. bulla Societati concessa anno 1545. quæ incipit. *Cum inter cunctas sollicitudines.* inquit facultatem concedimus singulis Societatis Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & alia Ecclesiastica sacramenta sine alicujus præjudicio ministrandi, Diœcesanorum locorum, rectorum Parochialium, & aliarum Ecclesiarum aut quorumvis aliorum licentia desuper minimè requisita, &c. Ergo ex vi hujus privilegii baptismum, & Extremam-Vnctionem ministrare possunt, aliàs superfluerent illa verba; Et alia Ecclesiastica sacramenta, si præter Pœnitentiam, & Eucharistiam nullum aliud valent ministrare.

Pro prædicti dubii explicatione supponendum est baptismum concedi posse in terris Fidelium, vel infidelium. Si in terris fidelium concedatur, certissimum est non posse Religiosos extra casum necessitatis baptismum ministrare, quia esset ministratio cedens in præjudicium Episcopi, & Parochi, quibus regimen illius loci commissum est. Neque privilegium in hac parte aliquid operatur, ut satis colligitur ex compend. Privile. Soc. *vers. fac.* & notavit Suar. *t.* 4. *de relig. lib.* 9 *de* Soc. *c.* 4. *n.* 4. Si vero baptismus in terris infidelium concedendus sit, tunc subdistinguendum est, vel ibi sunt Ecclesiæ fundatæ, vel non. Si Ecclesiæ fundatæ sint, nequeunt Religiosi non Pastores extra necessitatem baptismum ministrare, videtur enim hæc ministratio in Pastorum illius regiminis præjudicium cedere. Nam esto baptizandus nec parentum, quia sunt infideles, Parocho subjectus sit quoad vim coërcivam, detur tamen subjectus esse quoad ingressum in Ecclesiam, ut scilicet non possit in Ecclesiam ingredi nisi ex licentia Parochi illius regionis. Eo namque ipso, quòd Pontifex illius regionis infidelium Episcopum, vel Parochum designavit, vices suas illis commisit admittendi in Ecclesiam infideles. Ergo Religiosi non Parochi admittentes, Parocho, & Episcopo proprio præjudicarent, ut tanquam securius docent Suar *dicto lib* 9. *cap.* 4. *n.* 8. Probabile tamen existimant n. 7. iis posse per privilegium prædictum Pauli. 3. baptismum ministrari, quia cum baptizandus ejusque parentes, utpote infideles proprie non sint subjecti Parocho, & Episcopo illius regionis, privilegium concedens baptismi administrationem sine præjudicio, non de hoc præjudicio, sed de præjudicio proprio, quale est cum baptismus, aliudve sacramentum ministratur ei, qui vel ratione sui, vel parentum est alteri specialiter subjectus intelligendum est. Verum si Ecclesia fundata non est eo loci, quo baptismus est à Religiosis ministrandus, poterunt Religiosi ex vi præfacti privilegii baptismum ministrare. Quia ministrant sine alterius præjudicio. Adde ibi Religiosos mitti, ut Ecclesiam fundent, ergo ut volentes ingredi recipiant, & tradit Suar. *dicto t.* 4. *de relig. lib.* 9. *cap* 4. *n.* 5.

4. Inferioribus verò Clericis etiam Diaconis nullatenus baptismi administratio ex officio competit, ut definit Eugen. 4. *in decreto fidei Concil. Florent. post. ultimam sessionem*, ibi, minister hujus sacramenti esto Sacerdos, cui ex officio competit baptizare, tacitè innuens aliis à Sacerdote non competere, & docuit Isidor. *lib.* 2. *de divinis officiis, c.* 30. *de baptismo, &*

refertur in cap. conſtat de conſecrat. diſt.4. ibi conſtat baptiſma ſolis Sacerdotibus eſſe traditum, ejúſque myſterium, neque ipſis diaconis explere licitum eſt abſque Epiſcopis, vel Presbyteris, niſi illis procul abſentibus ultima languoris cogat neceſſitas, quod & laicus fidelibus plerumque permittitur. Idem traditur à Gelaſio Papa, epiſt. ad Epiſcopum Lucaniæ, relato in cap. *Diaconos, 93. diſt.* & Clemens Roman. *lib.8. conſtit. Apoſtolicar. c.46.* Neque his obſtat quod ait Tertullian. *lib.de baptiſmo, cap. 17.n.114* dum ait: dandi quidem (ſcilicet baptiſmum habet jus ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus, dein Presbyteri, & Diaconi non tamen ſine Epiſcopi authoritate propter Eccleſiæ honorem, & Hieronym. in dialogo contra Luciferian. *num* 20. inquit, ſine Chriſmate & Epiſcopi juſſione, neque presbyteri, neque Diaconi jus habent baptizandi. His namque verbis ſolum denotatur neque Diaconos, neque presbyteros ſimplices conferre baptiſmum poſſe, niſi intercedente Epiſcopi facultate. Diverſimodè tamen hæc facultas Diaconis concedi poteſt, ac presbyteris. Nam presbyteris concedi poteſt hæc facultas abſque ulla ſpeciali neceſſitate, quia per ordinationem conſtituti ſunt apti quibus hæc poteſtas concedatur, at Diaconis concedi non poteſt, niſi deficientibus Sacerdotibus, qui velint, vel poſſint baptiſmum miniſtrare, eo quod non ſunt conſtituti miniſtri baptiſmatis, niſi in Presbyterorum defectum, illis tamen deficientibus non ſolum baptiſmus privatus, ſed ſolemnis concedi poteſt, ut ſatis colligitur ex Pontificali Romano, ubi Epiſcopus ad electos in Diaconos, inquit: Diaconum oportet miniſtrare ad altare; baptizare, & prædicare. Signum ergo eſt ordinati, ut tanquam Presbyterorum miniſter, & in illorum defectum baptizet non quidem tantum privatè, hoc enim etiam laïcis competit, ſed ſolemniter, aliàs nihil ſpeciale Diaconus haberet. Et ita ſuſtinet Caiet. *q.67. art.5.* Ægid. *ibi, dub.1. n.13. & dub.3. n 26.* Suar. *diſput.23. ſect.2. in fine.* Vaſq. *diſput.147. c.4. n.14. & ſeqq.* Paul. Layman. *lib.5. ſum. tract.2. cap.7. q.1. concl.3.* Bonac. plures referens, *diſp.2. q.2. pun. 5. n.3.*

5. Neque ad hanc facultatem Diacono concedendam requiritur extrema neceſſitas, ſed ſufficit rationabilis cauſa, qualis eſſet, ſi ob infirmitatem, vel excommunicationem, vel baptizandorum multitudinem, aliúdve legitimum impedimentum non poſſit Sacerdos baptiſmum conferre. Quia id videtur expoſtulare officium Diaconi, quod eſt Sacerdotibus inſervire. Sic Ægid. Vaſq. Suar. Laymann. *locis allegatis.* Secluſa autem ſpeciali commiſſione probabilius eſt non poſſe Diaconum ſolemniter baptizare etiam in extrema neceſſitate, quia ſecluſa commiſſione non habet majorem poteſtatem, quàm laïcus, ut colligitur ex *cap. Diaconos. 93. diſt.* ibi: abſque Epiſcopo, vel Presbytero baptizare non audeant, niſi prædictis Ordinibus fortaſsè longius conſtitutis neceſſitas extrema compellat. Aliàs ſi ſolemniter baptizare poſſet, non vt Presbyterorum miniſter, ſed jure proprio baptizaret, cum tamen Diaconus ſemper ut Presbyterorum miniſter ſe gerere debeat. Sic Ægid de Coninch. *q.67.art.5. dub 3.* Paul. Laymann. *lib.5. tract.2. c.7. q.1. concl.5.* Suar. *diſp 31. ſect.4. verſ. ultimo dicendum.* Aliis verò Clericis inferioribus nullatenus ſolemnis baptiſmus committi poteſt, niſi à Pontifice ſummo in jure Eccleſiaſtico diſpenſante, ut docent omnes Doctores teſte Ægid. de Coninch. *dub.3. num.24.* Suar. *diſp.23. ſect.2.* Neque etiam privatus baptiſmus illis committi poteſt præſente Sacerdote, vel Diacono, qui velint, & poſſint miniſtrare, quia non ſunt miniſtri conſtituti, niſi in Sacerdotis, vel Diaconi defectum.

6. Pro ſuperioribus eſt advertendum primò grave eſſe peccatum Sacerdotis, qui extra mortis periculum baptiſmum ſine ſolemnitate, & ritibus Eccleſiæ miniſtrat, quia textus *in Clement. unica de baptiſmo* id rigide præcipit. Sic aliis relatis tradit Vaſq. *diſp.147. cap.5. num.30.* Paul. Laymann. *lib.5. ſum. tract.2. cap.7. q.1. concl 2.* Ægid. de Coninch. *q.67.art.5.n.3.* Quod à fortiori procedit ſi alii Clerici inferiores, & laïci extra mortis periculum baptiſmum miniſtrent, quia ſolùm eo periculo poſito, & Sacerdote deficiente conceſſa illis eſt baptiſmi miniſtratio, ſicuti latius probat Vaſq. *dicta diſp.147. c.5.*

7. Hinc conſtat nullum Sacerdotem, Clericum vel laïcum extra mortis periculum miniſtrare poſſe baptiſmum domi, quia eſt contra ſolemnitatem, & ritum ab Eccleſia obſervatum. Solum excipiuntur. filii, ſeu nepotes (ut tradit Gloſſa ſtatim alleganda) regis, & principis, qui ſervatis aliis ſolemnitatibus domi baptizari poterunt, ut habetur expreſsè *Clement. unic. de baptiſmo, & ibi* Gloſſa *verbo Liberi, & notavit.* Ægid. de Coninc. *q.67. art.5.n.3.* Eman. Sà *verbo baptiſ. num.13.*

8. Secundò adverte neminem alium à Sacerdote, vel Diacono ex commiſſione Sacerdotis miniſtrare baptiſmum ſolemniter poſſe, quia uſurpant alienum officium ſibi non competens, ob cujus uſurpationem Clerico impoſita eſt irregularitas, ſic pluribus firmat Bonac. *diſp.2. q.2. pun.5. n.3.* Vaſq. *diſp 147. c.5. n.33.* Ægid. de Coninch. *q.67. art.5. dub.5. n.24.* affirmans eſſe omnium. Paul. Laymann. *lib.5. tract.2. cap.7. q.1. concl.2. & 3.*

9. Tertio adverte ſtante extrema neceſſitate hunc ordinem ſervandum eſſe in baptiſmi miniſtratione, ut minus dignus dignioti cedat, Sacerdoti cedat Diaconus, Diacono Subdiaconus, Subdiacono alii Clerici inferiores & Clericis laïcus, & viro fœmina, niſi in miniſtrando baptiſmate expeditior exiſtat, & baptizato non baptizatus, & laïco non excommunicato, Clericus, imo Sacerdos nominatim excommunicatus. Sic cum D. Thom. *q.67. art.4.* communique ſententia docent Ægid. de Coninch. *dub.2.* Suar. *diſp.23. ſect.2. & diſp.31. ſect.5.* Vaſq. *diſp.147. cap.5. diſp.2. q.2. pun.5. n.11.*

10. Solùm eſt dubium, an ſupradicti ordinis inverſio in baptiſmo privato ſit peccatum mortale? Negat Sotus, *d ſt.4. q. unica, art.2.* indicans ſolùm eſſe culpam venialem. Moveri potuit, quia eo caſu omnibus data eſt poteſtas à Chriſto Domino baptiſmum miniſtrandi. Quod verò dignior minus digno ſit præferendus, nullibi conſtat præceptum eſſe. Ergo ſolum ex quadam decentia, & honeſtate id præſtandum, eſt: non igitur erit mortale illius omiſſio. Cæterùm communis ſententia docet peccatum mortale eſſe, ſi præſente Sacerdote, nec renuente baptiſmum inferior Clericus, vel laïcus miniſtret, quia ſacramento irrogatur injuria, ſi conferatur à laïco, cùm poſſit à miniſtro ad id minus deputato, & conſecrato conferri. Neque conſenſus Sacerdotis hanc injuriam impedire poteſt, cùm ſita ſit in uſurpatione officii & miniſterii contra Chriſti voluntatem, & ſacramenti reverentiam. Sicut certum tradunt Vaſq. *aliis relatis, diſput. 147. cap.5. n.33.* Suar. *diſp.31. ſect.4. verſ. ſecunda, & ſeqq.* Bonac. *diſp.2. q.2. pun 5. n.11.* Paul Laymann. *lib.5. ſum. tract.2. cap.7. q.1. cæca finem.* Ægid. de Coninch. *q.67. articul.5. dub.2. numero 18.*

11. At ſi præſente Clerico laïcus miniſtret, & præſente viro erudito fœmina, plures Doctores cenſent ſolum eſſe culpam venialem, quia non omittitur miniſter ad id munus deputatus. Sic docent Suar. *diſp.31. ſect.4 verſ. unde tertio.* Bonac. Laymann. Ægid. de Coninch. ſupra Eman. Sà verbo baptiſmus *num.7.* Cæterum probabilius cenſeo cum Vaſq. ſupra vel nullam eſſe culpam, vel eſſe mortalem. Etenim negari non poteſt ſacramenti adminiſtrationem gravem materiam eſſe; ſi igitur divino præcepto mandatum eſt

laïco,

laico, ne præsente Clerico ministret, & fœminæ præsente viro, & pagano præsente fideli, sine dubio grave peccatum committent, si hoc præceptum transgrediantur. Quod si divino præcepto id mandatum non est, sed potius à Christo Domino æqua est omnibus data facultas in extremo vitæ baptismum absente Sacerdote ministrandi (ut probabilius appareat) nullum erit peccatum, si minus dignus digniori se præferat, quia in ea ministratione non est minus dignus, sed æqualis. Præceptum autem Ecclesiasticum hujus ordinis servandi nullum invenitur. Ergo nullum erit peccatum hujus ordinis transgressio.

12. Ab hac doctrina excipiunt aliqui paganum, vel hæreticum ministrantem baptismum præsente fideli Catholico, dicuntque peccare mortaliter in tali administratione ob irreverentiam sacramento factam. Sic Vasq. *dicta disput.* 147. *cap.* 5. *circa finem.* Suar. *disput.* 31. *sect.* 4. §. *sed objicies* Ægid. de Coninch. *quæst.* 67. *art.* 5. *dub.* 2. *circa finem.* Paul. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 2. *cap.* 7. *quæst.* 1. *in fine.* Et quidem de hæretico cùm sit excommunicatus, certum est ratione excommunicationis, si administrationi, quæ per alium fieri potest, se ingerat. At de pagano non est ita certum, cùm nullum adsit speciale præceptum, quo obligetur abstinere à baptismi administratione in periculo mortis, Catholico præsente. Credo tamen vix excusari posse à mortali, qui relicto fideli paganum ad sacramenti administrationem invitaret, ut rectè notarunt Suar. & Ægid. supra, tum ob scandalum fidelibus datum, tum ob periculum, quod credi potest adesse ministraturum baptismum cum errore in fide, & prava intentione.

13. Secundo excipiunt baptismum, quem laïcus, vel Clericus inferior ministraret in extremo vitæ periculo præsente Diacono, & potente, nec renuente concedere, quia Diaconus est specialiter consecratus ad baptismi ministrationem Sacerdote deficiente, sicuti constat ex verbis, quæ proferuntur in ejus ordinatione, & ex Gelasio Papa *in cap.* Diaconos. 93. *dist.* At ob hanc causam, si laïcus, vel Clericus omisso Sacerdote sacramentum ministraret, peccaret mortaliter, sicuti ex communi sententia probatum reliquimus. Ergo etiam peccare debet, si ministrat omisso Diacono. Et sustinet Ægid. de Coninch. *quæst.* 67. *artic.* 5. *dub.* 2. *conclus.* 3. & indicat Suar. *disput.* 23. *sect.* 2. *in fine.* Et placet mihi exceptio hæc, tametsi contrarium doceant expressè Suar. *disp.* 31. *sect.* 4. *vers. inde tertio.* Paul. Layman. *lib.* 5. *sum. tr.* 2. *cap.* 7. *quæst.* 1. *vers. arbitratur*, ea consideratione moti, quia Diaconus ex officio ad hoc ministerium deputatus non est, si quidem solum ex commissione solemniter baptizare potest, & seclusa commissione privatim. Sed hæc ratio non urget, esto ex officio, & quasi jure ordinario Diacono baptismi ministratio commissa non sit, est tamen illi commissa jure extraordinario, stante scilicet aliqua causa rationabili, ob quam Sacerdos commodè non possit baptismum ministrare. Quapropter jure divino est consecratus baptismi minister non ordinarius, sed extraordinarius, tum ad baptismum solemniter faciendum ex commissione, tum ad baptismum privatim concedendum absentibus Presbyteris in extrema necessitate. Et licet aliis Clericis inferioribus ea occasione baptismus permittitur, at Diacono jure divino conceditur, & ad illius ministrationem consecratur, ac proinde illius omissio, sicuti omissio Sacerdotis peccatum mortale inducit.

14. Superest inquirendum, an unius baptismi plures ministri esse possint? Sed huic quæstioni *punct.* 5. satisfecimus, affirmantes unius baptismi plures ministros esse posse, si absolutè, & nulla inter se constituta dependentia baptizandum abluant, & formam proferant, eâmque perficiant, eodem puncto, & instanti: quia eo casu non se invicem impediunt, sed potius coadjuvant, sicuti cùm duæ causæ totales ad eundem effectum concurrerent, quarum una deficiente alia effectum produceret. Secus vero si intentionem haberent inter se dependentem, eo quod unusquisque nollet ablutionem, & formæ prolationem à se factam effectum habere, nisi simul alterius ablutio, & formæ prolatio effectum habeat: quia ea intentio obstat Ecclesiæ institutioni per Ecclesiam declaratæ. Etenim Christus Dominus sic baptismum instituit, ut unius ministri ablutio, & formæ prolatio sufficiens sit ad illius constitutionem. Si ergo velles baptismum ex tua, & alterius ablutione, & formæ prolatione confici, manifestè institutioni Christi repugnares, & gravissimum peccatum committeres. Quinimo velle simul cum alio concurrere in ministratione baptismi etiam intentione independenti grave peccatum est, quia est contra usum, & consuetudinem Ecclesiæ, & periculo manifesto expositum nihil efficiendi, sicuti nihil fit, si post socii ablutionem & formæ prolationem tuam perficis. Neque obstat plures Sacerdotes, cùm ordinantur ad consecrandum simul cum Episcopo concurrere. Quia id factum est ab Ecclesia, ut indicaret venerabile Eucharistiæ sacramentum esse per modum convivii, in quo plures concurrunt, institutum. Nulla autem specialis causa est, ob quam permittat plures ad unum baptismum concurrere. Sic sustinent Doctores communiter cum D. Thom. *quæst.* 67. *artic.* 6. teste Vasquez *disput.* 148. *per totam.* Ægid. de Coninc. *dub.* 1. Paul. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 2. *cap.* 7. *quæst.* 1. Suar. *disput.* 23. *sect.* 3.

15. Secundo inquires, an plures simul baptizare possis: Cui quæsito etiam *supradicto punct.* 5 satisfeci affirmans te posse simul plures baptizare, si plures abluas, & formam omnes comprehendentem proferas, sicuti si plures abluendo diceres: Ego vos baptizo, quia ablutio non est unica, sed multiplex juxta multiplicitatem subjectorum, qui abluuntur; forma vero esto videatur physicè una moraliter, multiplex est, quia eundem sensum præstat ea forma. Ego vos baptizo, super plures prolata, ac si super singulos diceres: Ego te baptizo, ideoque non unum sacramentum, sed plura ibi conficiuntur, ut benè probat Vasquez *disput.* 148. *cap.* 7. *num.* 51. Ægid. *quæst.* 67. *artic.* 6. *dub.* 2. *conclus.* 3. Bonac. *disput.* 2. *q.* 2. *punct* 4. *num.* 22. Numquam tamen extra gravissimam necessitatem, licitum est hoc modo baptismum ministrare. Et licet Sotus *in* 4. *dist.* 4. *quæst. uni. a artic.* 4. §. *secundo arguitur*, censeat solùm esse peccatum veniale nulla necessitate intercedente sic baptizare, cui favet Valent. *quæst.* 3. *punct.* 2. Reginald. *cap* 30. *n.* 46. At verius censeo peccatum grave esse, quia est contra ritum, quem communiter Ecclesia servat in baptismi administratione. Sic Ægid. de Coninch. *quæst.* 67. *artic.* 6. *dub.* 2. Vasquez *aliis relatis. disput.* 148. *cap.* 7. *num.* 50.

16. Tertio inquires, qualiter ablutionem cum prolatione formæ conjungere debeas, ut ritè baptismum ministres; Respondeo sic debere conjungere, ut formæ prolatione ablutionem significes. Significare autem eam potes sive ante, sive post formæ prolationem, ablutionem facias, si una alteri immediatè, succedat. Ut pluribus exemplis declarat Sotus *in* 4 *dist.* 3. *quæst. unica artic* 8. & *ex illo.* Vasquez *disput.* 148. *cap.* 7. Henriq. *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 10. Paul. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 2. *cap.* 7. *quæst.* 3.

Punctum X.

De effectibus Baptiſmi.

1. *Triplex effectus Baptiſmi.*
2. *Baptiſmus ex ſe confert gratiam peccati originalis, & actualium remiſſivam.*
3. *Eſt æqualis hæc gratia in parvulis, in adultis abundantior, ſi abundantiori diſpoſitione ſe preparent.*
4. *Remittit baptiſmus, pœnam omnem pro peccatis debitam.*
5. *Non tollit pœnalitates.*
6. *Imprimit characterem.*
7. *Suſcipienti baptiſmum ſolent ſpeciales gratiæ concedi.*

1. TRes ſunt præcipuè effectus Baptiſmi. Primus eſt gratia habitualis remiſſiva originalis, & actualis ſi fortè ante ipſum baptiſmum commiſſum ſit. Secundus eſt remiſſio totius pœnæ tam æternæ, quàm temporalis debitæ pro peccato. Tertius eſt caracter indelebilis, quo baptizatus incapax redditur denuò Baptiſmum ſuſcipiendi.

2. Circa primum effectum fide certum eſt baptiſmum non ponenti obicem conferre gratiam peccati originalis, & quorumlibet actualium remiſſivam. Nam eſto olim non fuerit hæc veritas declarata, ſed in utramque partem agitabatur quæſtio, ut conſtat ex Innocent. 3. *in cap. majores. §. 1. in fine de baptiſmo, & ex Clement. 5. in concil. Vienn. Clement. unica de ſumma Trinit. & fide Cathol. §. ad hoc baptiſma.* At poſt Concilium Florent. & maximè Trident. jam non dubitare licet. Nam Eugen. 4. *in conc. Florent. decreto de Armenis.* generaliter definit ſacramenta novæ legis gratiam cauſare ex opere operato. Trident. verò idem definit. *ſeſſ. 7. de ſacram. in genere, can. 6. confeſſ. 6. can. 7.* loquens de juſtificatione quæ fit per baptiſmum, & pœnitentiæ ſacramentum, inquit: In ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Jeſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem, &c. At gratia, & charitas eſſe non poteſt cum peccatis. Ergo in baptiſmo infunditur gratia omnium peccatorum remiſſiva. Sed ſpecialiter id ipſum declaravit Trident. *ſeſſ. 5. in decreto de peccato origin. §. 5.* dicens: Si quis per Jeſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in baptiſmo confertum reatum peccati originalis remitti negat, anathema ſit. Et ſtatim ſubjungit Concil. In renatis nihil odit Deus, quia nihil eſt damnationis iis, qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per baptiſma in mortem. Eſt ergo illa gratia, quæ per baptiſmum confertur non ſolùm remiſſiva originalis peccati, ſed cujuſlibet actualis, ſi forte exiſtat. Aliàs aliquid eſſet in renatis damnationis, quod Deus odio haberet. Adde per baptiſmum infundi gratiam non ſolùm peccati originalis, & actualis mortalis remiſſivam, ſed etiam cujuſlibet venialis, cujus baptizatus complacentiam non habet. Sicuti ex eodem loco concilii colligitur, quatenus aſſerit baptizatos veterem hominem exuere, & induere novum, qui ſecundùm Deum creatus eſt, efficique Innocentes, immaculatos, puros, innoxios, ac Deo dilectos, hæredes Dei, & cohæredes Chriſti, ita ut nihil prorſus eos ab ingreſſu cœli remoretur. Si autem gratia, quæ per baptiſmum infunditur peccata venialia baptizatorum non remitteret, non ita puri, innoxii & immaculati redderentur, quin ab ingreſſu Eccleſiæ retardarentur. Deinde *ſeſſ. 14. cap. 1.* inquit Concilium. Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum eſſet, ut juſtitiam in baptiſmo ipſius beneficio, & gratia ſuſceptam conſtanter tuerentur, non fuiſſet opus aliud ab ipſo baptiſmo ſacramentum ad remiſſionem peccatorum eſſe inſtitutum. Supponit ergo concilium peccata etiam venialia per baptiſmi gratiam remitti, aliàs opus eſſet ſacramento alio ad illorum remiſſionem. Notanter dixi infundi gratiam in baptiſmo peccatorum quorumlibet remiſſionem, non remittentem actu, quia contingere poteſt adultum ſuſcipientem baptiſma eſſe ita diſpoſitum contritione, ſeu dilectione Dei ſuper omnia, ut ei ſint peccata remiſſa. Quo caſu gratia per baptiſmum infuſa non remittit peccata, quia ea remiſſa invenit, eſt tamen de ſe omnium peccatorum remiſſiva.

3. Hæc gratia, quæ per baptiſmum parvulis, ſeu rationis uſu carentibus infunditur, æqualis omnibus eſt, quia tam ex parte ſacramenti, quam ex parte ſuſcipientium nulla eſt diverſitas, in adultis verò pro digniori diſpoſitione, qua ſe ad ſuſcipiendum baptiſmum præparant, abundantior gratia confertur, ut latius dixi, *tract. præced. punct. 8. n. 8.*

4. Secundus effectus baptiſmi eſt remiſſio totius pœnæ æternæ, & temporalis debitæ pro peccatis, colligitur manifeſtè ex illo loco Trident. *ſeſſ. 5. §. 5. de peccato origin.* Si quidem inquit Concilium, baptizatos ita hæredes Dei, & cohæredes Chriſti per baptiſmum effici, ut nihil prorſus eos ab ingreſſu cœli remoretur. At ſi baptiſmus omnem pœnam debitam pro peccatis non remitteret, aliquid eſſet quod baptizatum ab ingreſſu Eccleſiæ remoraretur. Expreſſius docuit *ſeſſ. 6. cap. 14.* dicens: in juſtificatione, quam lapſi poſt baptiſmum obtinent ſæpè remanere obligationem ſolvendi aliquam pœnam pro peccatis debitam, quia ut ſacræ litteræ docent, non tota ſemper, ut in baptiſmo fit dimittitur. Et *Concil. Florent. dicto decreto de Armenis* inquit: Hujus ſacramenti effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipſa culpa debetur, propterea baptizatis, nulla pro peccatis præteritis injungenda eſt ſatisfactio. Ratio ſumitur ex Chriſti inſtitutione, congruentia ex ſimilitudine, quam habet baptiſmus cum Chriſti morte, juxta illud *ad Rom. 6. n. 4.* Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus. Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, ſed Chriſtus Dominus ſua morte perfectè vicit peccatum. Ergo baptiſmus, qui morti Chriſti aſſimilatur, peccatum baptizati plenè vincit. Ergo non ſolum ſecundum culpam, ſed etiam ſecundum pœnam illud delet. Et ita tradit D. Thom. *ab omnibus receptus. quæſt. 68. art. 5. & q. 69. art. 2.*

5. Pœnalitates, quæ ex peccato originali conſequuntur, qualis eſt infirmitas, mors, concupiſcentia ſeu rebellio carnis contra Spiritum, baptiſmo in hac vita teſte experientia non tolluntur, quia nec ſunt peccata, neque pœnæ propriæ peccatorum, ſiquidem in ſtatu puræ naturæ contingerent. Et inſuper ad patientiæ exercitationem, & virtutum augmentum non leviter conducunt. Vide D. Thom. *q. 69. art. 3.*

6. Tertius effectus baptiſmi eſt character, quo baptizatus redditur incapax denuò baptiſmum ſuſcipiendi, ſicuti docuit Concil. Florent. decreto de Armenis, & Trident. *ſeſſ. 7. de baptiſmo*, ideóque in Symbolo Nicæno, fatemur unum baptiſma in remiſſionem peccatorum. Congruentia hujus inſtitutionis deſumitur ex eo quòd baptiſmus ſit quædam ſpiritualis regeneratio, cùm autem nemo vix naſci poſſit, decuit nec bis poſſe renaſci. Cùm autem ſæpè contingat ſuſcepto baptiſmo baptizatum Chriſto non renaſci, eo quod indebitè baptiſmum ſuſceperit. Non obinde baptiſmus iterandus eſt, quia valor baptiſmi, & characteris infuſio non pendet ex prava ſuſcipientis diſpoſitione ad gratiam, & charitatem per baptiſmum obtinendam. Sublata autem hac prava diſpoſitione ex vi baptiſmi prius ſuſcepti baptizatus renaſcitur. Sed qualiter

ter hæc omnia contingant explicui. *tract. præced. punct. 9. 10. & 11.*

7. Præterea ſuſcipientibus baptiſmum ſolent aliquando concedi ſpeciales gratiæ, & beneficia, ut miraculoſa ſanitas, ſicuti Conſtantino Imperatori conceſſa fuit. At hi non ſunt effectus annexi ex divina promiſſione baptiſmo: alias omnibus ritè baptiſmum ſuſcipientibus concederentur. Sed ſunt effectus divina liberalitate ob ſingularem aliquem finem à divina providentia præordinatum.

PUNCTUM XI.

De Patrinis in Baptiſmo adhibendis.

§. I.

Quod ſit patrini munus, & obligatio, & qui in patrinos deſignari poſſint.

1. *Eſt obligatio ſub gravi culpa in baptiſmo ſolemni adhibendi patrinum.*
2. *Obligatus eſt patrinus baptizatum inſtruere fide, & bonis moribus, ſi indigeat.*
3. *Quilibet baptizatus rationis compos patrinus eſſe poteſt.*
4. *Excipiuntur monachi, & qui ſub monachi nomine comprehenduntur.*
5. *Monachus validè patrinus eſſe poteſt.*
6. *Excipiuntur pœnitentes publici.*
7. *Tertio excipiuntur hæretici.*
8. *An poſſis Hæreticum in patrinum admittere, cùm Catholicum commodè reperire nequis? Affirmat Layman.*
9. *Qualiter ſupradicta ſententia approbanda ſit.*
10. *An poſſis eſſe patrinus baptiſmi ritu hæretico collati, tametſi ſub forma, & materia ab Eccleſia præſcriptas.*

1. OBligationem eſſe in baptiſmo ſolemni adhibendam aliquam perſonam præter baptizantem, qui baptizatum levet de ſacro fonte, & illum ſub ſui tutelam, & fidem ſuſcipiat doctrina, & bonis moribus inſtruendum, antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudine ſtabilitum eſt, ut conſtat ex Tertulliano *lib. de baptiſmo cap. 3. & 18* & ex Dionyſio *cap. 2. de* Eccleſiaſt. Hierarchia, & ex Auguſt. *epiſt. 23. & lib. 1. de peccator. meritis. c. 34. & ſerm. 163. de tempore & ſerm. 215. & alibi ſæpè*, & ſupponitur, *c. vos autem. cap. plures. cap. in catechiſmo, de conſecrat. diſt. 4. & toto tit. de cognat. Spirit. & cap. quamvis eodem tit. in 6.* & à Trident. *ſeſſ. 24. cap. 2. de reformat.* Qua obligatione præcipuè aſtringitur parochus baptizans, ipſe enim (ut inquit Trident.) inquirere diligenter debet, qui ſit à parentibus, ſeu tutoribus baptizandi deſignatus, ut baptizatum levet de ſacro fonte; neque ad baptiſmum procedere debet, quouſque hic deſignatus ſit. Rationem hujus inſtitutionis optimè tradidit D. Thom. *quæſt. 67. art. 7.* ex ſimilitudine, quam habet baptiſmus cum carnali generatione: nam ſicut parvulus nuper natus indiget nutrice, & pædagogo, ſic ſpiritualiter natus per baptiſmum indiget aliquo, qui fungatur vice nutricis, & pædagogi informando, & inſtruendo eum quaſi novitium in fide de his, quæ pertinent ad fidem, vitam Chriſtianam. Non enim qui parvulo baptiſmum miniſtrat, & ſpiritualiter gignit, poteſt ſemper hoc munus per ſeipſum obire, eaque de cauſa decuit alium deſignari, qui ſimul hanc obligationem ſuſciperet. Ad declarandam ergo hanc obligationem variis nominibus Patres, & doctores hoc munus obeuntem appellarunt. Nam D. Thom. quem reliqui ſcholaſtici ſequuntur, pædagogum nominavit, quia puerum inſtituere debet in fide, ejuſque veſtigia dirigere. Neque ab hac appellatione longè fuit Auguſt. *epiſt. 23. ad Bonifacium.* appellans eum fidei doctorem, quia docere debet baptizatum fidem, quam in baptiſmo profeſſus eſt. Alii Patres cum ipſo Auguſtino vocant ſupradictum Suſceptorem, quia de manu baptizantis baptizatum ſuſcipit erudiendum. Sic Auguſt. *relatus in cap. vos ante omnia de conſecrat. diſt. 4.* & ſpecialiter Concilium Colonien. ſub Paulo. 3. *punct. 7. cap. 4.* & Concilium Auguſtinianum. *cap 16.* & alibi. Alii, ut Dionyſ. Areopag. *lib. 2. de Eccleſiaſt. Hierarch. &* Auguſt. *Serm. 1[illegible]. & 163. & 215.* fidejuſſorem appellarunt. Tertullian. *lib de baptiſmo cap. 18.* ſponſorem, quia levando baptizatum de ſacro fonte tacite fidejubet, & reſpondet illius curam habiturum. Denique appellatur communiter Compater, ſeu patrinus, uti fecit Hyginius Pontifex relatus *in c. in catechiſmo de conſecrat. diſt. 4.* & Auguſt. *ſerm. 106.* quia ſimul cum baptizante ſpiritualis pater eſt baptizati, illumque in fide gignit.

2. Ex ſupradictis manifeſtè conſtat ſuſceptorem, fideijuſſorem, ſponſorem, ſeu patrinum abſolutè obligatum eſſe ſub gravi culpa baptizatum in fide, & doctrina Chriſtiana inſtruere, aliàs muneri, quod ſuſcipit, non ſatisfaciet, colligiturque ex *cap. vos ante omni de conſecrat. diſt. 4 cap. ita diligere. 30. quæſt. 1.* & expreſſè ex Leone 3. *in Concil. Moguntiaco cap. 47.* ibi *Deinde præcipimus, ut unusquisque compater, vel proximi ſpirituales Filios ſuos Catholicos inſtruant*, traditque D. Thom. receptus ab omnibus. *quæſt 67. art. 8.* Huic tamen obligationi plenè ſatisfacies, ſi baptizatum ſemel in fide, & doctrina Chriſtiana inſtituas, tametſi poſtea comperias oblitum eſſe, quia non eſt credendum hanc obligationem toto vitæ decurſu durare, ſed tempore quo baptizatus rudis exiſtit, & quaſi parvulus pædagogo indiget. Sic Ægid. de Coninch. *quæſt. 67. art. 8.* Paul. Layman. *lib. 6. ſum. tract 2 cap. ult. num. 1.* Verum ab hac obligatione docendi puerum excuſaris, ſi probabiliter credis illum à ſuis parentibus, magiſtris vel dominis diligenter eſſe erudiendum, quia hoc præceptum utpote affirmativum ſolùm te aſtringere poteſt, dum baptizatus tua cura, & inſtructione indiget. Quocirca raro hac obligatione tenentur patrini in regionibus fidelium, quia vix præſumere poſſunt baptizatum non eſſe à parentibus, ſeu tutoribus, vel magiſtris ſufficienter inſtruendum. Secus vero eſt in regionibus infidelium, ſeu hereticorum, & maximè ſi parentes illius infideles, ſeu hæretici exiſtunt. Sic D. Thom. *q. 67 art. 8.* Suar. & Ægid. de Coninch. *ibi &* Layman, *ſupra* Valent. *c. 4 diſp. 4. q. 2. p. 3.* Eman. Saa. *edit. Romana, verbo baptiſmus n. 15.*

3. Quilibet baptizatus rationis compos, ſive vir, ſive fœmina ſit patrinus, ſeu ſuſceptor eſſe poteſt. Primò debet eſſe baptizatus, quia aliàs ineptus cenſetur ad inſtruendum in fide qui fidem in baptiſmo non ſuſcepit, ſicuti habetur in Concil. Moguntien. *cap 47. relato in cap. in baptiſmate de conſecrat. diſt. 4.* Secundò debet eſſe rationis compos, aliàs fide jubere, neque ſpondere pro baptizato poterit, neque munus inſtructoris ſuſcipere, & illius obligationi ſatisfacere, eaque de cauſa in Concil. Pariſien. 1. *lib. 1. cap. 54.* dicitur hujuſmodi patronos debere & vim tanti Sacramenti, & quid pro aliis ſpoponderint intelligere. Nullibi tamen habetur certam ætatem requiſitam eſſe: ſic ex communi ſententia tradit Navar. *lib. 4. conſ. 1. aliàs 2. de cognat. ſpirituali & conſecrat. 3. alias 4 eodem. titulo.* Henriq. *in ſum. lib. 12. cap. 11. num. 2.* Sanch. *lib. 7. de matr. diſput. 61. num. 3. &* 4. Baſil. Ponce, *lib. 7. de de matr. cap. 37. num. 5. in fine.* Paul. Layman. *lib. 5. ſum. tract. 2 cap. 9. num. 2.* Dixi *ſive vir, ſive fœmina*, quia eſto dedeceat præcipuè in baptiſmo adultorum viri baptizati fœminam ſuſceptorem eſſe; Non tamen id eſt ſpecialiter prohibitum, ut ſatis colligitur ex *cap. Vos ante. cap. non plures de conſecrat. diſt. 4. & cap. quod autem. 30. quæſt. 4. & cap. quamvis de cog-*

nat. ſpirit. in 6. & ex Trident. ſeſſ.24. cap.2. de reformat. & tradit Suar. quæſt.67. art.7. circa finem. Baſil. Ponce, lib.7. de matr. cap.37. num.3.

4. Ab hac generali regula excipiuntur monachi, quibus munus ſuſceptoris interdictum eſt, eo quod non deceat eos cum parentibus baptizari cognationem ſpiritualem contrahere, & familiaritatem habere. cap. non licet el.1. cap. monachi de conſecrat. diſt 4. cap pervenit el.1. 18. quæſt.2. Quod ſi objicias monachos baptiſare, & cognationem ſpiritualem ex collato baptiſmo contrahere cap. docto, 16. quæſt 1. & cap. omnes.30. quæſt.1. & tradit Gloſſ. dicto cap. non licet. & cap. pervenit. & ibi Turrecrem. Reſpondeo hanc cognationem ex baptiſmo collato permitti: tum quia baptiſmi miniſtratio magis eſt neceſſaria, tum quia minor eſt familiaritas, quæ ex collatione baptiſmi, quam quæ ex ſuſceptione baptizati naſcitur. Sed non caret difficultate, an ſub nomine monachi omnes religioſi tam mendicantes, quàm canonici regulares veniant, ita ut à ſupradicto munere ſint excluſi? Affirmat Paul. Laymann. lib.5 ſum. tract.2. cap.9. num.3. eo quod ſi dedeceat religioſos clauſtra habitantes familiaritatem habere præcipuè cum fœminis, ac dedecet monachos, quæ fuit ratio, ob quam munus ſuſceptoris monachis interdicitur. Contrarium verius exiſtimo cum Ægid. de Coninch.3.punct. quæſt.67. art.7. num.56. Quia eſto eadem ratio prohibitionis procedat in religioſis mendicantibus, & canonicis regularibus, ac in monachis, inde ſolùm infertur poſſe prohibitionem ad omnes extendi, non tamen de facto extenſam eſſe. Non enim ſub nomine Monachorum veniunt mendicantes, & canonici regulares in decreto prohibitivo, odioſo, correctorio. Neque item eadem ratio adæquatè in mendicantibus, canonicique regularibus, ac in monachis procedit: nam monachis magis indecens eſt familiaritatem habere cum parentibus baptizati: eo quod ſibi ſoli vivant à ſæcularium converſione, & communicatione ſeparati. At mendicantes, canonicique regulares paſſim cum ſæcularibus communicant, ob quam cauſam monachi facti Epiſcopi, tametſi non deſinant eſſe religioſi, à munere ſuſceptoris non excluduntur, quia in eo ſtatu conſtituti, non ſibi tantum vivunt, ſed aliis; ideoque non dedecet compaternitatem tum baptizando, tum levando contrahere, ut docent Gloſſa cap. ſtatutum verbo abſolvit.18. quæſt.1. Cardinal. Turrecrem. Gregor. Lopez, & alii, quos refert, & ſequitur Sanch. lib.7. de matr. diſpu.60. num.21. & lib.6. moral. cap.6. num.24. Paul. Laymann. lib.5. ſum. tract.1. caput 9. numer.3. verſ. ſed contrarium, in fine.

5. Si vero contingat monachum, vel ex ignorantia, vel malitia ſuſceptorem in baptiſmo conſtitui, validè hoc munus ſuſceptoris ſuſcipit, veramque cognationem ſpiritualem contrahit. Nam eſto in ſupradicto cap non licet. cap. pervenit, & aliis relatis ſeverè monachis dictum munus ſuſceptoris interdicatur; nullum eſt tamen verbum, quo factum irritetur, ſicuti docent pluribus relatis Sanch. lib.7. de matr. diſp.60. num.21. Poſſevi. de oficio Curati. cap.6. num 27. verſ. ſecundo. Barboſa 2.punct. de poteſt. epiſt. alleg.30. n.36. tametſi contrarium cenſeat Baſil. Ponce lib.7. de matr. cap.37. num.15.

6. Secundo excipiuntur pœnitentes publici, & moribus infames, donec peracta pœnitentia reconcilientur ex Concil. Parienſ.1. lib.1. cap.54. quia non cenſentur ab Eccleſia idonei ad munus ſuſceptoris exequendum; ſi tamen de facto deſignentur, munus ſuſceptoris validè ſuſcipiunt, & cognationem contrahunt, quia in dicto concilio non irritatur factum, eſto prohibeatur. Sic Barboſa. Paul. Layman, adverſus Baſil. Ponce ſupra.

7. Tertio excipiuntur à munere ſuſceptoris hæretici & merito, quia illis utpote à veritate deviantibus fidere Eccleſia non poteſt ritè ſuſceptum fore inſtructuros. Sic Suarez quæſt.67. art.7. in comment. Ægid. de Coninch. ibi Barboſa alleg.30. num.35. & alii communiter. Si tamen de facto deſignentur, valida eſt deſignatio, ut ex omnium ſententia tradit Sanch. lib.7. de matr. diſp.60. n.2.

8. Dubium tamen eſt, an poſſit hæreticum in patrinum admittere, quando Catholicus commodè reperiri non poteſt, ut contingit in regionibus hæreſi infectis, in quibus ob hæreticorum multitudinem vix invenies patrinum Catholicum, qui baptizatum levet de ſacro fonte. Ergo eo caſu hæreticorum vocare potes, ne baptiſmo ſolemni ea cæremonia graviter ab Eccleſia præſcripta deficiat. Et urgetur caſus, ſi in aliqua parochia expulſo Miniſtro hæretico Sacerdos Catholicus præficiatur, cum parentes hæretici filium baptizandum offerunt, deſignato patrino hæretico, dictus Sacerdos admittere patrinum hæreticum poterit, ne parentes offendantur, neve filium Miniſtro hæretico baptizandum deferant omiſſo Sacerdote Catholico. Neque obſtat hæreticum patrinum ineptum eſſe ad inſtruendum baptizatum in fide Catholica, ac proinde ad ſponſionem hujus inſtitutionis faciendam: quam ipſo facto patrinus præſtat, cum baptizatum levat de ſacro fonte. Nam eſto regulariter ineptus ſit, non tamen eſt ſimpliciter incapax. Tum quia poteſt ad fidem converti, cum opus fuerit baptizatum inſtruere. Tum quia eſto in hæreſi perſeveret, fidem Catholicam docere poterit, ſicuti poteſt peccator perſuadere virtutem, etſi à virtute ipſe alienus ſit. Ergo poteſt patrinus hæreticus levando baptizatum de ſacro fonte legitimam inſtructionem promittere. Quod maximè verum habet, ſi Sacerdos (ut debet) moneat parentes, & patrinum de obligatione inſtruendi baptizatum in fide Catholica per baptiſmum ſuſcepta: ſic praxi eſſe receptum à viris piis, & doctis in Germania teſtatus. Paul. Laymann. lib.5. ſum. tract.2. cap.9. quæſt.3. in fine.

9. Ego verò ſupradictam praxim approbarem, ſi Sacerdos timet probabiliter parentes baptizati graviter eſſe oſtendendos ob patrini hæretici repulſam, vel timet delaturos eſſe filium Miniſtro hæretico baptizandum. Quia eo caſu Sacerdos minus malum permittit, ut graviora evitet. Verum ſi abſque gravi offenſione parentum poteſt Sacerdos Catholicus baptiſmum expulſo patrino hæretico miniſtrare, nullo tamen adhibito patrino, quia Catholicum adhibere non poteſt, crederem potius debere miniſtrare baptiſmum abſque patrino quam patrinum hæreticum admitrere. Qui præceptum Eccleſiæ de patrino adhibendo procedit, ſi patrinus aptus, & idoneus reperiri poteſt, qualis non eſt hæreticus, cùm ſit ab Eccleſia excluſus non tam jure ſcripto, & à ſe introducto, quam jure naturali, & divino, ſuppoſita inſtitutione ſacræ hujus cæremoniæ, quæ ad rectam inſtructionem baptizari ordinatur. Ergo eo caſu, quo nullus alius patrinus præter hæreticum reperiri poſſet, ceſſat præceptum Eccleſiæ de patrino adhibendo. Ex alia parte urget præceptum naturale, & Eccleſiaſticum vitandi familiaritatem cum hæreticis, cùm commodè potes. Ergo ſtante neceſſitate conficiendi baptiſmum, nullo patrino adhibito, vel adhibito hæretico, potius eligere debes miniſtrare abſque patrino, quam patrinum hæreticum adhibere: colligitur ex Navarr. lib.2. conſil. tit. de Conſtitution. conſ.1. num.67. Azor. tract.1. inſtit. moral. lib.8. cap.11. quæſt.9.

10. E contra dubitabis, an poſſe eſſe patrinus baptiſmi à miniſtro hæretico ſecundum ritum hæreticorum miniſtrari? Ratio dubitandi eſt, quia videtis miniſtra-

tioni

trationi hæreticali assentire, & sponsionem facere de instructione in fide facienda juxta voluntatem, & intentionem ministri hæretici baptizantis. Non igitur tibi licet eo casu patrinum esse. Et ita docet *Navar. & Azor locis allegatis*, & sic absolutè tenendum est. Verum aliquando id licitè præstare poteris, videlicet si grave tibi, vel tuæ familiæ damnum immineat eo munere non suscepto. Et insuper declares te eo facto nolle ministrationem hæreticalem approbare, neque juxta illius ritum sponsionem facere, sed juxta Ecclesiæ Romanæ morem, solumque ob ejus præceptum de patrino adhibendo servandum te patrini munus suscipere. Hac igitur protestatione facta censeri non potes ministrationem hæreticalem approbare, neque sponsionem facere de instructione fidei facienda juxta hæreticum ritum. Deinde stante periculo gravis nocumenti excusaris à cooperatione hæreticalis administrationis, & solum illius permissor existis, præcipuè cùm occasio sis susceptoris officium assumens, ne hæreticus assumatur. Sic sustinet Paul. Laymann. *lib. 5. sum. tract. 2. cap. 9. quæstiunc. 2. num. 6.*

§. II.

Quot patrini designandi sunt, & qualiter se gerere debent.

1. *Unus, vel ad summum duo, vir, & fœmina debent esse patrini.*
2. *Episcopus nequit in hac parte dispensare.*
3. *Debet patrinus baptizatum immediatè de manu baptizantis suscipere.*
4. *Insuper debet intentionem habere hoc munus subeundi.*
5. *Si leves filium Petri, credens esse Joannis, es verus filii Petri patrinus, esto contra plures sentiant.*
6. *Non est opus verbis, vel factis in catechismo respondere.*
7. *Debet esse designatus à parentibus, seu ab illis, qui curam baptizati gerunt.*
8. *Hanc designationem esse simpliciter necessariam plures affirmant.*
9. *Probabilius est oppositum.*
10. *Et satis objectioni ex Tridentino desumptæ.*
11. *Cum plures designantur, neque à Parocho repelluntur, omnes sunt patrini.*
12. *Requiritur baptismum esse solemnem.*
13. *Proponuntur objectiones, & dissolvuntur.*
14. *Debet nomine proprio suscipere, seu tenere.*
15. *Per seipsum, & non per procuratorem debet suscipere secundùm plurium sententiam.*
16. *Probabilius est oppositum.*
17. *Dissolvuntur opposita fundamenta.*

1. EXplicationem, quibus officium susceptoris competere possit, superest explicandum, an unus tantùm, vel plures futuri sint, & qualiter se gerere debeant, ut veri patrini constituantur. Circa primum de numero susceptorum stat decisio Hyginii *c. in catechismo.* & Leonis 1. *cap. non plures de consecrat. dist. 4.* ne plures, quam unus susceptor sit. Id ipsum confirmavit Metense concilium sub Steph. 5. *can. 3.* dicens: Infantem nequaquam duo, vel plures, sed unus à fonte baptismatis suscipiat, quia in hujusmodi secta Diabolo datur locus, & tanti ministerii reverentia vilescit. Nam unus Deus, unum baptisma, unus qui à fonte suscipit debet esse pater, vel mater infantis. Postea successu temporis plures adhibiti fuerunt, colligitur ex *cap. quamvis de cognat. spirituali in 6.* sed concilium Moguntinum sub Paulo 3. & novissimè Trident. *sess. 24. c. 2.* juxta pristina constituta statuerunt, ut unus tantum sive vir, sive fœmina designetur, & ad summum duo, vir & fœmina, qui baptizatum de baptismo suscipiant, præcipiturque Parocho sub pœna ab ordinario infligenda, ne ad conferendum baptismum accedat, quin prius diligenter suscitetur ab iis, ad quos spectat, patrinorum designatio (qui sunt parentes baptizandi) vel Parochus in eorum defectu, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, & cum, vel eos tantum ad suscipiendum admittat, & in libro eorum nomina describat, doceatque eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant. Quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahunt. Sic concilium. Ex quibus verbis manifestè constat nec posse parentes plures fœminas, aut plures viros in patrinos designare, nec Parochum eos admittere, sed necessariò designandus est, & admittendus unus tantum vir, aut fœmina, vel ad summum duo, vir, & fœmina. Quod si secus actum fuerit, credo grave esse peccatum, eo quod saltem sub opinione multiplicentur cognationes spirituales, & matrimonii impedimenta, & susceptorum incertitudo, quæ summopere concilium vitare intendit. Neque obstat jure antiquo spectato solam culpam venialem esse plures patrinos admittere, ut pluribus firmat Sanch. *lib. 7 de matr. disp. 57. num. 1.* ut inde inferas Trident. renovans supradictam prohibitionem solum culpam venialem inducere. Nam illam prohibitionem renovat graviori præcepto, ut satis colligitur ex eo quod Parochum admittentem plures puniendum Ordinario subjiciat, quod ob levem culpam non præciperet. Et ita esse peccatum mortale sustinet ut probabilius Ægid de Conin. *q 67. art. 7. in fine.* Barbosa plures relati, *2. p. de potest. Episc. allegat. 30. n. 44.* Basil. Ponce. *de matr. lib. 7. cap. 39. n. 12.* tametsi contrarium censeat Sanch. *lib. 7. de matr. disp. 57. n. 7.* cum Ludovic. Lopez *p. 2. instruct. cap. 51. col. 4.*

2. Episcopus autem nequit dispensare adversus dictam constitutionem. Nam esto in Conciliari, & Pontificia lege aliquando dispensare possit, id tamen est urgente necessitate, & quando ad ipsum Pontificem non patet aditus. At nulla excogitari potest necessitas, imo nec convenientia, ut plures fœminæ, vel plures viri designentur, cum potius expediat unicum tantum esse patrinum. Ergo nullus est casus, in quo Episcopus adversus dictum Trident. decretum dispensare possit. Et ita docet Sanch. *lib 7. de matr disp. 57. n. 7.* Rebel. *de oblig. instit. 2. p. in append. ad lib. 4. n. 89.* Barbosa aliis relatis *2. p. de potest. Episc. alleg 30. num. 41.*

3. Quoad secundum qualiter se gerere debeat patrinus, ut verè, & propriè talis sit spiritualemque cognationem contrahat? decidendum est ex pluribus textibus 30. *q. 1. 3. & 4. & cap. unicum de cognat. spirituali, & cap. fin. eodem. tit. in 6.* & specialiter ex Trident. *sess. 24 c. 2. de reformat.* Ex quibus constat non sufficere assistentiam, sed necessarium esse, ut patrinus de manu baptizantis baptizatum, & vestibus indutum immediatè suscipiat, vel illum teneat, cum baptizatur, quia textus hoc munus declarantes, & cognationem spiritualem statuentes iis verbis utuntur, *tenet, suscipit, levat, tangit.* Quas actiones optimè exercere potest patrinus circa baptizatum vestibus indutum, ut pluribus firmat Sanch. *lib. 7. de matrim. disp. 56. n. 6.* Basil. Ponce, *lib. 7. de matr. impediment. c. 39. n. 9.* Dixi debere immediatè tangere, seu tenere baptizatum, cum baptizatur, vel de manu baptizantis immediatè suscipere. Unde si de manu alterius levantis suscipit, patrinus non est, nec cognationem spiritualem contrahit, quia non levat de sacro fonte, sed levatum ab alio suscipit, sic testantur, & decisum referunt pro Episcopatu Abulensi à sacra

Congre-

gatione Sanch. *lib.7. de matr. diſp.56 num.3.* Baſil. Ponce, *l.7. de matr. c.39. n 9.*

4. Secundo debet eſſe hæc extentio, ſeu ſuſceptio formalis, id eſt animo, & intentione obeundi hoc munus ſuſceptoris ab Eccleſia præſcriptum. Quare ſi ſolum gratia commoditatis, ne baptizatus humi ſit, vel ut patrinum ſenem juvet, vel ob aliam cauſam baptizatum ſuſtineat, patrinus non eſt, nec cognationem contrahit, ut aliis relatis probat Sanch. *diſp. 38. num.4. & 5.* Baſil. Ponce *dicto c.39. num.9.* Dictam tamen cognationem nullatenus impedire poterit patrinus, ex eo quod noluerit eam contrahere, ſi tamen intentionem habeat patrini munus exercendi, quia hæc cognatio officio patrini annexa eſt jure Eccleſiaſtico, cujus efficaciam patrinus impedire non poteſt, ut pluribus firmat Sanch. *lib.7. de matrim. diſp.58 num.4.*

5. Solum eſt dubium, an ſi per errorem leves filium Petri, cum tamen ſit filius Joannis, ſis verus Patrinus filii Joannis, & cum ipſo contrahas ſpiritualem cognationem? Negat Sanch. *lib.7. de matr. diſp 58. num.7.* cum Abbate, Alexand. de Nero *cap.2. de cognat. ſpirit.* & aliis, ducitur ex dicto *cap.2.* ubi deciditur conjugem, quæ per ignorantiam levavit filium mariti non arceri à debiti petitione. Ergo error impedit cognationem ſpiritualem, & conſequenter munus patrini. Neque obſtat baptizantem per errorem filium Pauli, qui erat Joannis filius, verum baptiſmum conficere, veramque cognationem ſpiritualem contrahere cum filio Joannis, ejúſque patre, quia miniſtrans baptiſmum obligatus eſt intentionem habere conferendi Sacramentum præſenti, quicumque ſit, ad quam tamen intentionem habendam non videtur obligatus patrinus, cum eligatur ad perſonam determinatam, pro qua docenda obligationem ſuſcipit. Nihilominus verius cenſeo ſupradictum errorem non impedire officium patrini, neque cognationem ſpiritualem ex eo conſurgentem. Sic docent plures relati à Sanch. *lib.7. de matr. dicta diſp.58. n.6.* Baſil. Ponce *lib.7. de matr. cap.39. num.9.* Moveor, quia levans filium de ſacro fonte videtur obligatus intentionem habere levandi præſentem quicumque ſit, ſicuti obligatur baptizans baptizare præſentem quicumque ſit, ne baptiſmo illa ſacra, & ſolemnis cæremonia deficiat. Quod vero mulier per errorem levans mariti filium non impediatur à debiti petitione non probat verum ſuſceptoris officium non geſſiſſe, ſed ſolùm probat ex juris diſpoſitione impedimentum petendi debitum illi ſublatum eſſe, & merito, quia hoc impedimentum cum adveniat matrimonio contracto, non decebat contrahi abſque culpa. Quæ ratio nullatenus procedit in levante per errorem filium Petri, qui eſt Joannis. Unde & verus patrinus eſt, veramque cognationem ſpiritualem impedientem matrimonium contrahit, Adde exceptionem *dicti cap.2.* firmare regulam in caſibus aliis non exceptis.

6. Tertiò requirunt plures, quorum meminit Sanch. *lib.7. de matr. diſp.56. à num.7.* præter dictam tentionem ſeu ſuſceptionem, ut patrinus verbis, vel ſaltem ſignis pro baptizato in catechiſmo reſpondeat, eo quod videatur ad hoc munus aſſumi. Sed contrarium omnino tenendum eſt cum eodem Sanch. *dicta diſp.56. num.10.* quia textus cognationem ſpiritualem inducentes ſolius tentionis, vel ſuſceptionis meminerunt. Adde reſponſionem illam pro parvulo non ad baptiſmum, ſed ad catechiſmum pertinere, baptiſmus enim ſine ulla interrogatione, vel reſponſione conficitur. Quo circa cum pro catechiſmo, & baptiſmo idem patrinus eſt (quod non erat neceſſarium) ex ſolo baptiſmo impedimentum cognationis oritur, non ex catechiſmo.

7. Quarto requiritur, ut patrinus deſignatus ſit à parentibus, ſeu ab illis, qui curam baptizati gerunt. Quod ſi illi non deſignaverint, deſignetur ab eo, qui Sacramentum miniſtrat, quia ipſi incumbit, ne baptiſmus abſque ſolemnitate ab Eccleſia præſcripta celebretur, ac proinde abſque patrino.

8. Sed an hujuſmodi deſignatio ita ſit neceſſaria ut ea deficiente levans baptizatum de ſacro fonte verus patrinus non ſit, nec cognationem ſpiritualem contrahat? non conſtat inter doctores. Affirmant Gallego. Vega. Eman. Sayro, & alii, quos referunt, & ſequuntur Sanch. *lib.7. de matr. diſp 57. num.12.* Gutierr. *lib. de matr. cap.100. num.7.* Moventur quia Trident. *ſeſſ.24. cap.2. de reform. matrim.* impedimentum cognationis ſpiritualis, & conſequenter munus patrini ſuſtulit ab omnibus illis, qui deſignati non fuerint, ut colligitur ex illis verbis: Quod ſi alii præter deſignatos teneant, aut ſuſcipiant, non contrahunt cognationem. Deinde ſic cum nullus eſt deſignatus, & plures ſimul concurrerent ad levandum baptizatum de ſacro fonte, omnes eſſent patrini, cognationemque ſpiritualem contraherent, quia nulla eſt major ratio de uno, quam de alio. Hoc autem adverſatur fini, & intentioni Tridentini volentis reſtringere impedimentum cognationis ſpiritualis jure antiquo inductum. Ergo credendum eſt deſignationem neceſſariam eſſe. Addit verò Suar *q.6. art.8.* non quamlibet deſignationem ſufficientem eſſe, ſed neceſſariò requiri deſignationem. Trident. conformem, ſcilicet unius tantum viri, vel fœminæ, vel ad ſummum duorum viri, & fœminæ. Unde ſi plures viri, vel plures fœminæ in patrinos deſignentur, ſicque à Paracho admittuntur, exiſtimat neminem illorum eſſe patrinum, véramque cognationem ſpiritualem contrahere, quia non ſunt deſignati, qualiter Trident. ſtatuit. Trident. namque excluſit à patrini munere, cognationiſque impedimento omnes illos, qui baptizatum ultra deſignatos tetigerint, ultra deſignatos inquam legitimè.

9. Nihilominus probabilius exiſtimo deſignationem parentum, ſeu tutorum baptizati neceſſariam non eſſe, ut verus patrinus ſis, veramque cognationem ſpiritualem contrahas. Et imprimis neceſſaria non eſt, quando unus tantum aſſumitur, qui tamen à parentibus baptizati deſignatus non ſit. Contingere enim poteſt parentes baptizandi Petrum in patrinum deſignare. Parochum verò eo illegitimè repulſo te in patrinum admittere, tunc eo caſu verus patrinus es, veramque cognationem ſpiritualem contrahis, ut rectè docuit Ludovic. Vega 2. *p. caſuum conſcient. caſu 4. verſ. alterum.* Henriq. *lib.12. de matr. cap.11. n.3.* Quia nullus eſt textus eam ſuſceptionem irritam reddens; neque credendum eſt Eccleſiam velle eo caſu baptiſmum ſine fide uſſore celebrari. Deinde ſi nullus eſt à parentibus, vel Parocho deſignatus, vel ex malitia, vel ex ignorantia, tu vero munus ſuſceptoris obeas quis negare poterit te verum eſſe patrinum, ſiquidem intentioni Eccleſiæ te conformas. Neque præſumi poteſt voluiſſe Concilium baptiſmum ſolemniter celebrari ſine patrino. Ob quam cauſam exiſtimo cùm nullus eſt à parentibus deſignatus, & plures ſimul baptizatum ſuſcipiunt omnes patrinos eſſe, utramque cognationem ſpiritualem contrahere: quia ex duobus malis minus eſt eligendum. Etenim cum eo caſu unum de duobus debeat contingere, vel baptiſmum ſolemnem celebratum eſſe abſque patrino, vel omnes ſuſpicientes patrinos eſſe, fatendum eſt Eccleſiam velle hoc ſecundum, ne baptiſmus ſolemnis contra conſuetudinem à tempore Apoſtolorum probatam de patrino adhibendo celebretur, præcipuè cùm hæc intentio conformis ſit antiquis ſacrorum canonum inſtitutis. *Cap. non plures de conſecrat. diſt 4. & cap. fin. de cognat. ſpirituali in 6.* à quorum deciſione recedendum non eſt, niſi novis ſtatutis derogatum ſit. *Leg-*

præ-

præcipimus, Cod. de appellationib. Sed novo Trident. decreto derogatum non est quoad hanc partem textus *in cap. fin. de cognat. Spirituali.* siquidem Concilium solum à patrini munere, cognationisque spiritualis impedimento excluſit eos qui ultra deſignatos baptizatum tetigerint, ſupponens manifeſtè deſignatos tangere, & veram cognationem ſpiritualem contrahere. De illis verò, qui baptizatum tangerent nullis deſignatis tangentibus Concilium nihil expreſſit. Ergo de illis judicium eſt ferendum juxta antiquorum canonum inſtituta, ac proinde affirmandum veros patrinos eſſe, veramque ſpiritualem cognationem contrahere. Et ita ſuſtinent Navarr. *ſum. cap.22. num.39.* Jacob. de Graffis, *1.p.lib.2. cap.85. num.4.* Henriq. *lib.2. cap.11. num.3.* Ægid. de Coninch. *de Sacram. cap.2. diſput.32. num.37.* Rebello *de obligat. juſtit.2. punct. lib.3 quæſt.6. num.5. & in append. ad lib.6. num.95.* Baſil. Ponce. *lib.7. de matr. cap.56. num.12.* Paul. Laymann. *lib.5. tract.2. cap.9. num.4.* Barboſa *1. punct. de poteſt. Epiſc. alleg.30. num.11.* Plures referens, teſtaturque ipſe cum Rebello, Baſilio, & aliis ſic à ſacra Congregatione deciſum eſſe.

10. Neque obſtat voluiſſe Trident. impedimentum cognationis ſpiritualis reſtringere, ut inde inferas, cum plures nullis deſignatis ſimul concurrunt, non contrahere cognationis impedimentum. Quia in hac parte nullam hujus impedimenti reſtrictionem irritativam fecit, ſed tantum prohibitivam, prohibendo, ne plures, quam unus, vel ad ſummum duo vir, & fœmina deſignentur, reſtrictionem vero irritativam fecit quoad eos tantùm, qui non deſignati baptizatum tetigerint, deſignatis tangentibus. Inſuperque ipſum impedimentum reſtrinxit, ne ultra patrinum cum baptizato, ejuſque patre, & matre, & ultra baptizantem, & baptizatum, ejuſque patrem, & matrem, procederet omnibus inter alias perſonas ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis.

11. Ex quibus manifeſtè conſtat adverſus Suar. *dicta quæſt 67. art.6.* cum plures viri, vel fœminæ à parentibus in patrinos deſignantur, nec à Parocho repelluntur omnes eſſe patrinos, cognationiſque impedimentum contrahere, ſi ſimul baptizatum de ſacro fonte levent. Quia Trident. à munere patrini, & cognationis impedimento ſolum excluſit eos, qui ultra deſignatos tetigerint, neque addidit, cùm facilè poſſet ultra legitimè deſignatos, imo eſto ſic intelligendum eſſet, non inde infertur plures illegitimè deſignatos nullis, legitimè deſignatis tangentes excluſos eſſe. Non enim ſunt excluſi, niſi caſu quo ultra legitimè deſignatos tangentes, ipſi illegitimè deſignati tangerent. Sic docent Navarr. *ſum. cap.22. num.39.* Sanch. plures referens *lib.7. de matr. diſp.57. num.13. & 14.* Ægid. de Coninch. *diſp.32. num.37.* Baſil. *lib.7. cap.39. num.12.* Rebellus *de obligat. juſtit. lib.3. quæſt.6. num.6. & in append. ad lib.4. ſect.4. num.96.* adducitque ſacræ Congregationis deciſionem. Notanter dixi plures eſſe patrinos, contraherèque cognationis impedimentum, ſi ſimul concurrant ad levandum puerum de ſacro fonte. Nam ſi ſucceſſivè unum poſt alium ſuſcipiat, credo probabilius ſecundum ejuſdem ſexus patrinum non eſſe, nec cognationem ſpiritualem contrahere, quia munus patrini ab Eccleſia pro baptiſmo ſolemni præſcriptum prioris ſuſceptione completum eſt. Unde poſterioris ſuſceptio ad patrini munus illegitima eſt, quippe eſt ab Eccleſia repulſa. Sic Suar. *q.67. art.8.* Sanch. *lib.7. de matr. diſp.57. num.14.*

12. Quinto requiritur baptiſmum eſſe ſolemnem, aliàs verus patrinus non es, nec cognationem ſpiritualem contrahis, quia hæc patrini deſignatio cæremonia eſt ab Eccleſia inſtituta non pro quocumque baptiſmo, ſed pro ſolemni, ut ejus ſolemnitatem juvet, ſicuti colligitur tum ex uſu Eccleſiæ nullum patrinum in privato baptiſmo expoſtulante. Tum ex Trident. *ſeſſ.24. cap.2. de reformat.* præcipiente parocho, ut diligenter antequam ad baptizandum accedat inquirat ab iis ad quos ſpectat, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant, & eum, vel eos tantùm ad ſuſcipiendum admittat: & in libro eorum nomina deſcribat, doceatque eos quam cognationem contrahant. Quæ in baptiſmo privato qui ſæpè à laicis, & à fœminis miniſtratur, non contingunt. Ergo munus patrini, & impedimentum ex eo proveniens ſolum in baptiſmo ſolemni locum habet. Atque ita docent Sotus *in 4. diſt.42. quæſt.1. art.2.* Sanc. aliis relatis *diſp.62. num.14.* Gaſpar Hurtardo, *diſp.18. de matr. difficult.6.* Quod verum eſt, ut benè dicit Sanch. & Hurtado, tametſi ſuſceptor in baptiſmo privato vellet munus patrini exercere, quia adhuc non exercebit illud, qualiter ab Eccleſia præſcribitur ad cognationem ſpiritualem contrahendam. Non enim in ſuſceptoris voluntate conſtitutum eſt extra baptiſmum ſolemnem ſolemni ritu ſuſcipere baptizantem, quia id eſt impoſſibile. At munus patrini, ex quo obligatio docendi filium baptizatum, & impedimentum cognationis oritur, ſuſceptioni ſolemni, non privatæ, id eſt non in privato baptiſmo, ſed ſolemni factæ nititur.

13. Sed objicies jura ſtatuentia impedimentum cognationis ſpiritualis æque de baptiſmo ſolemni, ac privato loquuntur, ut conſtat ex *cap.1. & fin. de cognat ſpirit. in 6.* Etenim baptizatus privatim æquè indiget inſtructore, ac baptizatus ſolemniter. Deinde baptizans privatim cognationem ſpiritualem contrahit cum baptizato, ejuſque patre, & matre. Ergo ſimiliter contrahere poterit ſuſceptor in eo baptiſmo. Ob has rationes hanc ſententiam defendunt Navar. *ſum. cap.22. num.40.* Ægid. de Coninch. *diſp.32. de de matr. num.59.* Baſil. Ponce, *lib.7. cap.40. num.5.* Sed hæc non urgent, ut recedamus à communi ſententia. Nam eſto jura æquè de baptizante, ac de ſuſcipiente loquantur quoad impedimentum cognationis, intelligi debent, ſingula ſingulis tribuendo, de baptizante, quoties fuerit baptiſmus, quia baptiſmus ſolemnis & privatus formaliter, & in ſeipſis non differunt, ſed in cæremoniis extrinſecis, & accidentalibus, ideoque baptizans ſive baptizet ſolemniter, ſive privatim cognationem ſpiritualem contrahit. At ſuſceptor ſolemnis, & privatus formaliter differunt, quia eſſe ſuſceptorem habetur ex Eccleſiæ inſtitutione, quæ de ſuſceptore privato vix unquam contingente mentionem fecit, ſolum de ſuſceptore ſolemni, ſeu pro baptiſmo ſolemniter facto.

14. Sexto requiritur, ut ſuſceptor nomine proprio munus ſuſceptoris obeat. Quocirca ſi nomine alieno baptizatum levaret de ſacro fonte, nequaquam patrinus eſſet, qualiter ab Eccleſia præſcribitur. Tum quia caret animo, & voluntate ſe in patrinum conſtituendi, qui animus & voluntas ad hoc munus ſuſcipiendum omnino neceſſarius eſt. Tum quia non vult ex illo munere obligationem ſubire baptizatum inſtituendi, ſed omnem eam obligationem in deſignantem refundere intendit. Tum quia ipſe non eſt in patrinum deſignatus, ſed qui eum in procuratorem conſtituit. Neque obſtat baptizantem ex licentia, & commiſſione alterius cognationem ſpiritualem contrahere, quia hic verè baptizat nomine proprio tanquam verus Chriſti miniſter juriſdictione ab alio accepta. Sic pluribus firmat Sanch. adverſus Tolet. Ludovic. Lopez, Man. Petrum de Ledeſm. & alios *lib 7. de matr. diſp.59.n.12.* Ægid. de matr. *diſp.32. num.4.* Baſil. Ponce, *lib.7. de de matr. cap.59. num.10.* Gaſpar. Hurtado *diſp. 8. de matr. difficult.5. n.18.* Barboſa *de poteſt. Epiſc.2. punct. alleg.30. n.50.*

15. Septimo plures doctores requirunt, ut per ſe ipſam baptizatum levet de ſacro fonte. Unde ſi medio

proc-

procuratore hanc exerceat actionem affirmant verum patrinum non eſſe. Moventur, quia textus de hoc munere loquens actionem denotant perſonalem, qualis eſt tangere, ſuſcipere, tenere ut colligitur expreſſè *ex cap. de his* 30. *q* 1. ibi de his, qui filiaſtros ſuos ad confirmationem coram Epiſcopo tenent, id eſt qui filios uxoris ſuæ, dum chriſmantur, ſuper ſe ſuſtinent. Et ex *cap. ad limina eadem cauſa, & quæſt.* ibi propriis manibus retinendo ſuſcepit. Secundo quia cognatio naturalis non conſurgit abſque perſonali parentum actione. Ergo neque cognatio ſpiritualis conſurgere debet abſque perſonali actione ſpiritualium parentum, ſiquidem cognatio ſpiritualis, & carnalis æquantur *in c. debitum d. baptiſmo.* Tertio cognatio legalis contrahi non poteſt adoptando per procurationem *Leg. poſt mortem. 25. §. neque adoptare ff. De adopt.* Sed ſpiritualis cognatio legalem imitatur. Ergo, Quartò impedimenta matrimonii inducenda non ſunt abſque expreſſo textu, & ratione. At nullus eſt textus ſignificans cognationem ſpiritualem matrimonium impedientem contrahi poſſe per procuratorem, imo contrarium relati textus ſignificant. Ergo contrahi non poteſt. Quintò conſtituens procuratorem, ut nomine ipſius baptizet, nullatenus ſpiritualem cognationem contrahit, ergo neque conſtituens procuratorem ad ſuſcipiendum, cum eadem in utroque caſu videtur eſſe ratio. Et ideo hanc ſententiam ſuſtinent Covarruv. 4. *decret.* 2. *p. cap* 6. §. 4. *n.* 6. Henriq. *lib.* 12. *de matr. cap.* 11. *n.* 1. & alii innumeri, quos refert, & ſequitur Thom. Sanch. *lib.* 7. *de matr. diſp.* 59. *num.* 4.

16. Nihilominus verius cenſeo medio procuratore te patrinum eſſe, veramque cognationem ſpiritualem matrimonium impedientem contrahere poſſe. Sic docent plures relati à Sanc. *dicta diſp.* 59. *n.* 2. Baſil. Ponec, *lib.* 7. *de matr. c.* 39. *n.* 10. Ægid. de Coninch. *diſp.* 32. *de matr. n.* 4. Rebellus 2. *p. l.* 3. *de oblig. juſt. q.* 6. *& in append. ad lib.* 4. *n.* 95. *&* 96. Barboſa 2. *p. de poteſt Epiſc. alleg* 30. *n.* 50. & alii apud ipſos. Moveor præcipuè authoritate ſacræ Congregationis ſæpè decidentis hanc partem, teſte Navarr. *lib.* 5. *conſil. in fine.* 2. *edit.* Rebello. *n.* 95. Franc. Leone *in theſaur. fori Eccl* 2. *p. cap.* 9. *n.* 63. & aliis. Item authoritate ſacræ Rotæ ſic cenſentis, ſicuti referunt Aloyſ. Riccius in praxi fori Eccleſiaſt. reſolvit. 630. *in* 2. *edit. Veral. d. c.* 47. *pun.* 3. Calet. *in Margarita caſuum conſcientiæ verbo cognatio.* At credendum non eſt ſacram Congregationem & Romanam Rotam in re tam gravi errare, & impedimenta conſtituere, ubi nullum eſt impedimentum. Ergo aſſerendum eſt medio procuratore & officium patrini, & impedimentum cognationis contrahi poſſe. Ratio autem qua ſacra Rota, & Romana Congregatio moveri potuerint hæc videtur eſſe. Quia jure firmatum eſt quemlibet medio procuratore præſtare poſſe, quæ poteſt per ſe ipſum, cum alias prohibitus non eſt. *leg.* 1. §. *Rurſus ff. de Procuratorib. & reg. qui poteſt. de Regul. Juris in* 6. At nullibi eſt prohibitum ſignare procuratorem ad patrini munus exercendum, ut conſtabit diſſolvendo fundamenta oppoſitæ ſententiæ. Ergo. Deinde moveri potuerunt ex uſu, & conſuetudine ſignandi procuratorem ad munus hoc exercendum, præcipuè in baptiſmo principum, ut aliis relatis teſtatur Sanch. *lib.* 7. *dicta diſp.* 59. *n.* 6. Qui uſus ſuſtinendus non eſſet, ſi medio procuratore patrinus eſſe non poſſet. Quia eſſet uſus celebrandi baptiſmum ſine patrino. Qui uſus nullatenus eſt ab Eccleſia permiſſus, ſed potius contrarius uſus præceptus.

17. Neque fundamentum oppoſitæ ſenientiæ urgent. Ad primum nego tangere, tenere, ſuſcipere, levare, neceſſario perſonalem actionem indicare, eſto id frequenter contingat. Et ad probationem reſpondeo, textum *in cap. de his, & cap. ad limina* expri-

mere quid factum fuerit, non tamen legem ferre, aliter fieri non poſſe. Ad 2. concedo cognationem naturalem contrahi actione perſonali parentis, & non aliter, quia fundatur in phyſica, & naturali generatione, quæ alteri non poteſt committi. At tentio, & ſuſceptio baptizati, actiones ſunt, quæ alteri committi poſſunt, & medio commiſſario præſtari, ut etiam ipſemet Sanch. fatetur. Unde mirum non eſt cognationem naturalem indigere neceſſariò perſonali actione parentum, ſecus verò cognationem ſpiritualem. Neque textus *in cap. debitum d. baptiſmo* his contrarius eſt. Solùm enim æquat generationem ſpiritualem naturali in diſtinctione generantis, & geniti, probatque neminem ſeipſum ſpiritualiter generare poſſe, ſicuti non poteſt carnaliter. Ad 3. concedo neminem adoptare poſſe per procuratorem, quia ſic legibus ſtatutum eſt: at ſtatutum eſt ſuſceptorem baptiſmi medio procuratore conſtitui non poſſe. Ergo ex cognatione legali ad ſpiritualem argumentum in hac parte fieri non poteſt. Neque obſtat cognationem ſpiritualem imitari legalem, quia non imitatur in omnibus, aliàs non poſſet eſſe cognatio ſpiritualis niſi ſuſcipiens longe major eſſet, quam ſuſceptus, ſicuti non eſt cognatio legalis, niſi adoptans major ſit adoptato, ita ut illum generare poſſit. §. *minorem natu. inſtit. de adoptionib.* Ad 4. concedo impedimenta matrimonium impedientia conſtitui non poſſe abſque manifeſto textu & ratione, nego tamen nullum eſſe textum quo probetur impedimentum cognationis ſpiritualis per procuratorem contrahi poſſe. Nam eo ipſo, quo ſuſceptio baptizati non prohibeatur per procuratorem fieri, deciſum eſt impedimentum annexum ſuſceptioni contrahi medio procuratore poſſe. ex *reg. qui poteſt. de Reg. Iuris in* 6. Ad 5. admitto conſtituentem procuratorem, ut nomine ſuo baptizet, non ipſum, ſed baptizantem, contrahere cognationem, quia in baptiſmo conſtitui procurator non poteſt. Nequit enim nomine alterius à Chriſto concedi.

PUNCTUM XII.

De ritibus, & cæremoniis in baptiſmo ſolemni ſervandis.

1. *Qui de his latè agant.*
2. *Qua de cauſa plures in adminiſtratione baptiſmi, quam alterius ſacramenti ritus aſſignentur.*
3. *Deſignatio patrini, & conſecratio baptiſmalis fontis prærequiruntur.*
4. *Tertio prærequiritur petitio baptiſmi, & qualiter.*
5. *Quarto trina exſufflatio in faciem baptizandi.*
6. *Quinto ſignatio crucis in fronte.*
7. *Sexto impoſitio manus ſuper baptizandum.*
8. *Septimo exorciſmus.*
9. *Octavo impoſitio ſalis ori cathecumeni.*
10. *Nono iterum Sacerdos imponit manum, & ſignat baptizandum.*
11. *Decimo impoſita manu iterum benedicit.*
12. *Undecimo abrenunciatio catechumeni.*
13. *Duodecimo inunctio pectoris, & ſcapularum.*
14. *Decimo tertio profeſſio fidei.*
15. *Quo tempore baptiſmus miniſtrandus ſit.*
16. *Quo loco, & quomodo.*
17. *Chriſmate ungitur caput baptizati.*
18. *Veſtis candida qualis ſit uſus.*
19. *Datur cereus acceſſus.*
20. *Aliæ cæremoniæ antiquæ ceſſarunt.*
21. *Ab his cæremoniis poſtmodum adhibendis non excuſatur ob baptiſmum prius in neceſſitate receptum.*
22. *Quid de baptiſmo ab hæreticis facto.*
23. *Baptiſmo invalidè miniſtrato ſolemniter, negant plures cæremonias eſſe repetendas.*

24. *Probabilius eſt oppoſitum.*
25. *Fit ſatis oppoſitis rationibus.*

1. QUa brevitate potuero explicabo cæremonias, & ritus tum antiquitus, tum in præſenti in adminiſtratione baptiſmi obſervatos, illorum explicatio petenda eſt præter antiquos patres à D. Thom. *q.71. art.1.2. & 3.* ejuſque expoſitoribus præcipuè Valent. *diſp.4. q.1. p.4.* Vaſq. *diſp.166. per totam.* Suar. *diſp.30. ſect.1. & 2.* Item à Bellar. *lib. de baptiſmo cap.24. & 25.* Henriq. *lib.2. cap.18. & 15* Reginald. *lib.27. cap.5.* Paul. Layman. *lib.5 ſum. tract.2. c.8.* & aliis Neotericis.

2. Eccleſia, ut conſtat ex rituali Romano plures cæremonias, & ritus inſtituit obſervandos in baptiſmi adminiſtratione, potius quam in adminiſtratione aliorum ſacramentorum ob ejus ornatum, & ſplendorem. Tum quia erat reliquorum ſacramentorum janua. Tum quia materia vulgari, & communi conſtabat, ob idque rudibus hominibus contemptui expoſitus. Tum quia ſpeciales effectus operabatur quos oportebat tum verbis, tum rebus ſignificari. Hi ritus, (ut ex relatis doctoribus conſtat) alii antecedunt baptiſmum, alii comitantur, alii ſubſequuntur.

3. Tredecim ritus, & cæremoniæ baptiſmum antecedentes olim in Eccleſia obſervati modo ex parte obſervantur. Primus ritus enumerari poteſt deſignatio patrini, de quo ſatis pun. præcedenti dictum eſt. Secundus conſecratio aquæ baptiſmalis cum trina infuſione chriſmatis in modum crucis, cujus meminit Dionyſ. *cap.2.* Eccleſiaſt. Hierarch. *pun.2.* Ambroſ. *lib.1. de ſacram. cap.5.* Raban. *relatus cap. deinde de conſecrat. diſt.4.* Unde peccatum mortale eſt extra neceſſitatem aqua non benedicta baptiſmum miniſtrare: ſic tradit relato Didaco Nunez Bonac. *diſp.2. q.p.7. num.19.*

4. Tertius eſt baptiſmi petitio, etenim baptizandus nomen ſuum paſtoribus Eccleſiæ olim dabat, quo judicabant & baptiſmum petere, & novo nomine ſe inſigniri velle, cujus cæremoniæ meminit Clemens epiſt.3. Accedat (inquit) qui baptiſmum vult ad Sacerdotem, & nomen ſuum det. Et Cyrillus Hieroſolymit. catecheſi 1. intraſti eo loco dignus habitus, nomen tuum ſcriptum eſt. Auguſt. ſæpè hujus ritus mentionem fecit, præcipuè *lib. de fide, & operib. cap.6. & lib. de cura pro mortuis agenda cap.12. & l.9. confeſſor. c.6.* & Concilium Carthaginen. 4. *cap.85. relatum in cap. baptizandi de conſecrat. diſt.4.* Qua cæremonia ab adultis facta baptizandi competentes vocabantur, quia ſimul cum aliis erant petentes baptiſmum. Antiquitus enim tria genera catechumenorum, diſtinguebantur, ut colligitur ex Auguſt. loco allegato. Primum erat illorum, qui exhortationes ad fidem audiebant ideoque auditores, ſeu audientes vocabantur, de quibus loquitur Cyprian. *epiſt.17. aliàs.13. lib.3.* Tertullian. *lib. de pœnitent. cap.6.* & Iſidor. *l.2. de* Eccleſiaſt. *offic. cap.2.* Secundum erat illorum, qui exhortationibus aſſentientes baptiſmum petebant, ideoque petentes appellabantur, quorum meminit Iſidor. *dicto cap.21.* Hieronym. *in epiſt. ad* Pamachium, *quæ eſt 61. in ordine.* Pacianus *ſerm. de baptiſmo.* Auguſt. *ſerm.116. de tempore & lib. de fide, & operib. cap.6. & lib.9. confeſſ. cap.6.* & Dionyſ. lib.2. de Eccleſiaſt. Hierarchia, & alii Patres. Simul autem ac baptiſmum petebant, nomen ſuum dabant ſcribendum, ut expreſſius de voluntate baptiſmi ſuſcipiendi Paſtoribus Eccleſiæ conſtaret juxta textum, legum Eccleſiaſt. earum 2. *quæſt.1.* Nomen autem, quod ab iis petentibus baptiſmum dabatur, erat nomen, quo poſt ſuſceptum baptiſmum appellari volebant. Quod regulariter erat novum diſtinctum ab eo, quo dum erant gentibus utebantur, ut ſic nomen cum nova profeſſione conveniret. Facta petitione baptiſmi, & nomine dato inſtruebatur à Paſtoribus Eccleſiæ tum in rebus fidei, tum in iis, quæ ad mores pertinent, juxta illud Matth. ult ubi bis repetit Chriſtus gentes baptizandas docendas eſſe primo de rebus ad fidem pertinentibus. Secundo de præceptis ſervandis. Ex his autem, qui benè erant inſtructi eligebantur à paſtoribus Eccleſiæ baptizandi utpote jam apti, & diſpoſiti ad baptiſmum recipiendum, eaque de cauſa electi vocabantur, quod erat tertium genus, & præcipuum catechumenorum, quorum meminit Leo magnus *epiſt.4. cap.5. & 6.* Sed ante hanc electionem ſepties examinabantur catechumeni, an rectè in fide, & præceptis obſervandis eſſent inſtructi. Quod examen præcedentibus jejuniis, & variis cæremoniis fiebat, ut colligitur ex Leone magno *epiſt.4. cap.6. in fine.* Ruperto. *lib.4. de offic. Eccleſiaſt. cap.18* Aug. *lib. de fide, & operib. cap.9.* Tertull. *lib. de baptiſmo cap.20.* Hujus cæremoniæ uſus tam pro baptiſmo adultorum, quam parvulorum ex parte ab Eccleſia retinetur: cum enim baptizandus adultus eſt inſtruitur in doctrina Chriſtiana, & cum plenè, & perfectè conſtat inſtructum eſſe, ad Eccleſiam accedit baptiſmum ſuſcepturus, & ſtans in foribus Eccleſiæ interrogatur à miniſtro quo nomine inſigniri velit, reſpondetque ipſe, ſi adultus eſt, ſin minus reſpondet loco ipſius patrinus: Petri, vel Joannis nomine vocari volo.

5. Quo facto ſuccedit quartus ritus, qui eſt trina exſufflatio in faciem baptizandi in modum crucis ad abigendos dæmones, ne baptiſmum impediant, neve ſuis tentationibus vexent baptizandum, & à gratia per baptiſmum recipienda faciant deficere. Meminit hujus cæremoniæ Aug. *de Eccleſiaſt. dignitat. c.31.* dicens. Ex ſufflationibus clericorum ſpiritum immundum abigi tam à parvulis, quam ab adultis. Et *lib.6. contra Iulian c.5.* inquit: Eccleſia filios fidelium neque exorcizaret, neque exſufflaret, ſi non eos de poteſtate tenebrarum, & à principe mortis eruret. Conſentit iis Cœleſtin. Papa in epiſt ad Epiſc. Galatiæ *cap.12.* & Rab. *l.1. de inſtit. cleric. c.27.* relatus. *poſt quam de conſ diſt.4.* exſufflatur inquit, ab eo ſæva poteſtas, ut per pium Sacerdotis miniſterium Spiritui ſancto cedat fugiens ſpiritus malignus.

6. Quintus eſt ſignatio crucis in fronte, & in pectore baptizandi juxta antiquiſſimum uſum ab Auguſt. relatum, *lib. de catechizandis rudibus cap.20.* Crucis, inquit, ſigno in fronte, hodiè tanquam in poſte ſignandus eſt. Idem tradit Ambroſ. *lib. de his qui initiantur. cap.4.* & ante ipſum Dionyſ. de Eccleſiaſt. Hierarch. *cap.2. & 5.* Finis hujus cæremoniæ, ut ex Aug. conſtat, eſt ad ſignificandum baptizato crucis virtute incolumitatem à dæmone eſſe habiturum; ſicuti Iſraëlitæ, quorum poſtes erant ſanguine Agni ſignati, incolumitatem habuerunt ab Angelo percutiente. Eaque de cauſa dixit Raban. *lib.1. de inſtit. cleric. cap.27. & refertur cap. poſtea de conſecr. diſt.4.* baptizandus ſignatur ſignaculo ſancto crucis tam in fronte, quàm in corde, ut ab eo tempore ipſe apoſtata diabolus in vaſe ſuo priſtino ſuæ interruptionis cognoſcens ſignaculum, jam ſibi deinceps illud ſciat eſſe alienum. Deinde ſignatur in fronte, & in pectore, ut intelligat quòd non ſolùm interius in corde, ſed exterius palam, & manifeſtè crucem Domini Jeſu Chriſti creditur us, & adoraturus ſit.

7. Sextus, impoſitio manus ſuper baptizandum reſtituta oratione in Romano Rituali præſcripta, qua finita Sacerdos apprehendit baptizandi manum, & ſic eum in Eccleſiam introducit. Antiquiſſimus fuit hic ritus, ut conſtat ex Dionyſ. lib.2. de Eccleſiaſt. Hierarch & Clement. Romano, *lib.7. conſtit. cap.40.* & ex Concil. Carthaginen. 4. *c.85* & Auguſt. *lib.2. de peccator. merit. & remiſſ. cap.26.* credique poteſt hanc cæremoniam deſumptam fuiſſe ex facto Chriſti Matth.19. & Apoſtolorum uſu relato in *cap.8. 9.*

& 13. *actu Apoſtolorum.* Hæc cæremonia ad duplicem effectum ſignificandum aſſumitur; primò ad impetrandam perſeverantem ſanctificationem baptizando, ob quam cauſam dixit Auguſt. *dicto lib. 2. de peccator. merit. cap. 26.* Catechumenos ſecundùm quemdam modum ſuum per ſignum Chriſti, & orationem, manuſque impoſitionem ſanctificari. Secundò per hanc manus impoſitionem orationi adjunctam præcluditur via dæmoni, ne ſemel expulſus ad baptizandum redeat. Sicuti dixit D. Thom. *q. 70. art. 2. in cor.*

8. Septimus, introductum in Eccleſia exorcizat Sacerdos ſicuti etiam olim fiebat teſte Cyrillo Hieroſolymit. catecheſi 1. Dionyſ. *cap. 2. de Eccleſiaſt. Hier.* Ambroſ. *lib. 1. de ſacr. cap. 5.* Cœleſtino Papa epiſt. ad Epiſcopos Galliæ, *cap. 12.* & Auguſt. *lib. 6. contra Iulian. cap. 5. & lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. c. 34. & alibi ſæpè.* Fit autem hæc cæremonia ad arcendam virtutem dæmonis, ejuſque fugandam incurſionem, ſicuti deciditur *cap. ſicut noſtris de conſecrat. diſt. 4.* Eſt enim exorciſmus quædam immundi Spiritus increpatio quam ipſe, utpote ſuperbus ſuſtinere recuſat.

9. Octavus. Imponit Sacerdos ori catechumeni ſalem prius à ſe benedictum in ſignum cæleſtis ſapientiæ, quam recepto baptiſmum guſtare debet. Quo ſapientiæ ſale conditus fœtore careat iniquitatis; & à vermibus peccatorum ultra ne putrefiat, ut dixit Raban. *de inſtitut. cleric. lib. 1. cap. 27. & refertur cap. ex hinc de conſecrat. diſt. 4.* Vſus hujus cæremoniæ antiquiſſimus fuit, colligitur ex concilio Carthagin. 3. *cap 5.* & ex Beda relato in *cap. ſal. cæleſtis de conſecr. diſt. 4.* & ex Petro Damiano *epiſt. 15. cap. 20.* Iſidoro *lib. 2. de Eccleſiaſt. offic. cap 20.*

10. Nonus. Iterum Sacerdos imponit manum, & ſignat catechumeni frontem ſigno crucis, & exorcizat, quibus finitis illius aures, & nares ſaliva tangit, dicens. Epheta, quod eſt adaperire, quia prædicta cæremonia optat, ut aures baptizandi aperiantur ad ſermonem & eloquium Sacerdotis. Nares vero ut bonum odorem accipiant pietatis æternæ, ſitque in eo fidei, & devotionis plena fragrantia, ſicuti dixit Ambroſ. *lib. 1. de ſacram. cap. 1.* Raban. *de inſtitut. clericor. lib. 1. c. 27. & refertur c. poſtea de conſecrat. diſt. 4.*

11. Decimus. Impoſita manu iterum benedicit Sacerdos baptizandum, ut ſic adverſus diaboli inſidias magis munitus exiſtat.

12. Undecimus. Abrenunciat catechumenus, (ſi adultus eſt, ſin minus loco ipſius electus patrinus) ſathanæ, & operibus ejus, & pompis. Sicuti tradidit Clemens, *lib. 7. conſtit. Apoſtolic. cap. 4. & 42.* Dionyſ. 2. *part. de cæleſti Hierar. cap. 2.* Terull. *lib. 2. de ſpectaculis. cap. 1. & lib. de corona militis, cap. 3.* Cyprian. Origen. Cyrill. Chryſoſt. Ambroſ. Auguſt. Hieronym. & alii patres prout refert Vaſq. *dicta diſp. 166. cap. 3.* Suar. *q. 71. art. 1.* Ex quibus Patribus maximè ex Dionyſ. Cyrillo, Ambroſ. & Hieronymo colligitur antiquitus hanc abrenunciationem fieri à catechumeno verſus ad occidentem, & renunciatione facta converti ad orientem, ut indicaretur baptizatum ſpreto dæmone tenebrarum patre, Chriſtum, qui lux eſt, intueri debere.

13. Duodecimus. Inungit Sacerdos catechumeni pectus, & ſcapulas oleo benedicto, cujus cæremoniæ meminit Cyrill. Hieroſolymit. *catecheſi 2. myſtagog.* Chryſoſt. *in cap. 2. epiſt. ad Coloſſenſ. homo. 6.* Baſil. *lib. de Spiritu ſancto cap. 27.* Iſidor. *lib. 2. de offic. Eccleſiaſtic. cap. 20.* Alcuin. *in epiſt. ad Oduinum de bapt. ſimi cæremon. in 3. t. bibliotheca ſacræ* Finis, & ſignificatio hujus cæremoniæ, ſicuti colligitur ex Raban. *lib. 1. inſtit. clericor. cap. 27. relato in cap. deinde conſecrat. diſt. 4.* eſt, ut ſacrum baptiſma cum fide accepta cuſtodiatur, ungitur enim illius pectus de oleo ſanctificato cum invocatione ſanctæ Trinitatis, ut nullæ reliquiæ latentis inimici in eo reſideant, ſed in fide ſanctæ Trinitatis, mens ejus confortetur. Vngitur & inter ſcapulas de eodem oleo, ut undique muniatur, & ad bona opera facienda per Dei gratiam roboretur. D. Thom. *q. 66. art. 10. ad 2* inquit baptizandus ungitur oleo ſancto & in pectore, & in ſcapulis quaſi athleta Dei, ut Ambroſ. *dixit lib. 1. de ſacram. c. 2. & lib. 3. cap. 1.* Sicuti pugilli inungi conſueverunt. Innocent. *c. unico. §. quia vero de ſacra unctione* dixit Baptizandus in pectore inungitur, ut per ſancti Spiritus donum abjiciat errorem, & ignorantiam, & fidem rectam ſuſcipiat, quia juſtus ex fide vivit. Inter ſcapulas autem inungitur, ut per Spiritus ſancti gratiam excutiat negligentiam, & torporem, & bonam operationem exerceat, quia fides ſine operibus mortua eſt, ut per fidei ſacramentum ſit munditia cogitationum in pectore, & per operis exercitium fortitudo laborum in ſcapulis.

14. Decimus tertius. Fidem interrogante Sacerdote catechumenus profitetur, vel per ſe ipſum, ſi adultus eſt, vel per patrinum ſi ſit parvulus, ideòque vocatur baptiſmus ſacramentum fidei, quia in eo primo fidem Chriſti ſolemniter profitemur. Hujus profeſſionis mentionem fecit Clemens Romanus *lib. 7. conſtitut. Apoſtolicar cap. 41.* Dionyſ. *cap. 2. de Eccleſiaſt. Hierar.* Hilarius in *c. 15. Matthæi ſuper illa verba.* Jeſus autem convocatis. Iſidor. *lib. 1. de officio cap. 26.* Alcuin. *lib. de divinis offic. cap 15. in 3. t. bibliotheca ſacræ.* Hieron. *in dialogo adverſus Luciferian. num. 24.* Auguſt. *lib. 8. confeſſion. c. 2.* & alii paſſim. Ratio hujus cæremoniæ eſt, ut baptizandus, ſi adultus eſt, plenam fidei notitiam habeat, & Eccleſia conſtet. Si vero ſit parvulus, patrinus agnoſcat ſe obligatum eſſe ad inſtruendum infantem, cum opus fuerit, eaque de cauſa manum ejus capiti imponat, & nomine ipſius ſymbolum, & orationem Dominicam recitat. Et inſuper fit, ut omnibus conſtet tam parvulos, quam adultos obligatos eſſe ad fidem, & religionem Chriſtianam conſervandam, neque obſtare, quod aliena voluntate eam ſuſceperint. Quod ſi petas qualiter prædicti ritus ſuos effectus operentur? Reſpondeo non infallibiliter, & ex divina promiſſione, aliàs eſſent ſacramenta, ſed ex Eccleſiæ impetratione, & merito utpote gratiſſima Deo frequenter obtinet petita. Vide Ægid. de Coninch. *q. 71. art. 3. dub. unico.*

15. Cæremoniæ, ſeu ritus baptiſmum comitantes ſunt. Tempus, locus, & modus ablutionis, prolationiſque formæ. Quoad tempus. Eſto olim fierent baptiſma tantum ita profeſto Paſchæ, & Pentecoſtes celebranda, ut tradit D. Thom. ab omnibus receptus *q. 66. art. 10.* & conſtat ex *cap. baptizandi. cap. de catechumenis. cap. duo tempora. cap. ſi qui cap. non ratione & aliis de conſecrat. diſt. 4.* Attamen jam quolibet tempore celebrari poſſunt. Si enim parvulus baptizandus eſt, quolibet die poſt nativitatem baptizari poteſt. Si adultus, cum primum in fide fuerit convenienter inſtructus, ut benè ex Gregor. Nazianzen. *orat. 40.* Baſil. *in exhortat. ad baptiſm.* notavit Suar. *quæſt. 71. art. 1. diſp. 30. ſect. 2.* in prima circunſtantia.

16. Quoad locum. Tempore naſcentis Eccleſiæ nullus erat determinatus, ſed in fluminibus, fontibus, privatiſque domibus adminiſtrari poterat, ut conſtat ex actibus Apoſtolorum *cap. 2. 8. 10. & 16.* Poſtmodum fuerunt loca deſignata ſeparata ab Eccleſiis, quæque baptiſteria vocabantur, quorum meminit Cyrill. Hieroſolymit. *catecheſi 1. myſtagogica* Nazianzen. *orat. 40.* Paulin. *epiſt. 12.* & concil. Antiſiodorenſe ſub Pontifice, Deus dedit *cap. 14.* Sed jam uſus, & conſuetudo obtinuit, ut in qualibet Eccleſia

Pro

Parochiali vas quoddam lapideum consecratum habeatur, quod fons baptismalis appellatur, cujusque meminit Origen. *hom. 12. in Num.* Ambros. *lib. 1. de sacram. cap 5. & lib. 2. c. 5. in princ.* Raban. *lib. de instit. Clericor. cap. 28.* Et specialiter extant apud Gratianum ex concilio Meldensi, seu Illedensi hæc verba, relata in *cap. omnis presbyter. de consecrat. dist. 4.* omnes presbyter, qui fontem lapideum habere nequiverit, vas conveniens ad hoc solumodò officium baptizandi habeat, quod extra Ecclesiam non deportetur. Vnde in Concilio Vienen. id severè præcipit Clemens, V. sicuti refert in *Clement. unica de baptismo.* Quapropter grave peccatum committeret secluſa necessitate, qui extra Ecclesiam in privatis oratoriis hoc sacramentum solemniter ministraret. Excipiuntur Regum, & Principum liberi, id est filii, & nepotes tam naturales, quàm legitimi supremorum principum, hoc est illorum, qui alteri subjecti non sunt, sicuti explicuit Glossa in *dicta Clement.* & tradit Eman. à *verbo baptismus, num. 13.* Vasq. *disp. 166. cap. 2. num. 7.* Paul. Laym. *lib. 5. sum. tract. 2. cap. 8. n. 8. vers. inter cæremonias.* Ægid. de Coninch. *q. 17. art. 2. dub. 1. n. 15.* Suar. *disp. 30. sect. 2. vers. secunda circunstantia.*

De modo ablutionis, an per immersionem, an per affusionem debeat fieri, & de formæ prolatione satis diximus, cum de materia, & forma hujus sacramenti sermonem fecimus, semper enim in his retinenda est diœcesana consuetudo. Quod ad ministrum attinet satis constat ornatum esse debere sacris vestibus, ad minus superpelliceo, & stola, uti cavetur in rituali Romano.

17. Ritus subsequentes baptismus juxta antiquum usum sunt, unctio chrismatis in vertice baptizati, vestis candida, cereus accensus, osculum pacis, & lactis, & mellis gustatio, lotioque pedum. Vnctio chrismatis in vertice baptizati, quæ modo servatur cæremonia fuit antiquissima, ut colligitur ex concilio Arausicano *cap. 1.* dicente. Nullus ministrorum, qui baptizandi recipit officium sine chrismate unquam debet progredi, quia inter nos placuit semel in baptismate chrismari. Idem ex Dionys. *cap. 2. de Eccles. hierarch.* Nazianzen. *orat 40.* Ambros. *lib. 3. de sacram. c. 3. & lib. de iis qui initiantur. cap. 6. &* aliis. Adverte chrisma recens esse debere, hoc est illo anno in die cœnæ Domini consecratum. Aliàs secluſa necessitate grave peccatum esse videtur, ut colligitur ex *cap. de oleo de consecrat. dist. 4.* Inquit enim textus. Quod si quis contrarium tentaverit propria temeritate ipse in se suæ damnationis protulisse sententiam manifestatur, ob quam causam Glossa in *cap. quoniam de Sentent. excommunic. in 6. verbo dubium.* Sacerdotem delinquentem in hac parte deponendum esse decidit. Et ita tradit Navarr. *cap. 22. num. 7. & cap. 25. num. 75.* Suar. *quæst. 71. artic. 3. in comment.* Ægid. de Coninch. *artic. . dub. unico. num. 17.* Eman. à *verbo baptismus, num. 15.* Bonac. *disp. 2. quæst. 2. pun. 7. num. 20.* Laul. Layman. *lib. 5. sum. tract. 2. cap. 8. num. 9.* Finem hujus cæremoniæ optimè explicuit catechismus Romanus. *2. p. num. 57.* dicens hac cæremonia significari baptizatum ab eo die Christo capiti tanquam membrum conjunctum esse, atque ejus tempori insitum, & ea re Christianum à Christo, Christum vero à Chrismate appellari. Et Justin. *lib. quæstion. & responsion. qu. 137.* inquit nos in baptismo ungi chrismate ex oleo, & balsamo confecto, ut uncti, & Christi dicamur, & in recordationem, Dominicæ sepulturæ. Gregor. Nazianzen. *orat 40.* asseverat baptizatos capite inungi in signum regiæ, Sacerdotalisque dignitatis.

17. Secunda cæremonia olim ab Ecclesia usitata, quæque ex parte retinetur est vestis candida in signum puritatis ex baptismo susceptæ. ut tradit D. Thom. *quæst. 71. art. 3. ad 4.* Ambros. *lib. de his qui initiantur. cap. 7.* Augustin. *serm. 157. de tempore* Raban. *lib. 1. de instit.* Cleric. *cap. 29. & lib. 2. cap. 39.* quam vestem portabant baptizati à die Paschæ, quo baptizati erant usque ad Dominicam sequentem, quæ ea de causa in albis vocata est, quia candida vestimenta eo die deponebant. Vsus hujus cæremoniæ observantur Romæ pro baptismo adultorum Sabbatho Paschæ facto, sed non alibi: est tamen in quocumque baptismo tam parvulorum, quam adultorum quoddam illius vestigium, siquidem finito baptismo Sacerdos caput baptizati veste candida tegit.

19. Tertia cæremonia nunc observata ab Ecclesia est cereus accensus baptizati manui impositus in signum quod expulsis errorem, & peccatorum tenebris lumen fidei & gratiæ receperit usque ad finem vitæ conservandum, bonisque operibus augendum, ut sic Christo sponso à nuptiis revertenti, & pulsanti confestim possit aperire. Sicuti dixit Gregor. Nazianz. *orat. 40. in sanctum baptisma*, & ibi Nicetas, & Alcuin. *de divinis officiis capit. de Sabbatho sanct.*

20. Præter dictas cæremonias aliæ tres antiquitus usitatæ prorsus invaluerunt. Prima erat osculum pacis datum à fidelibus in signum quod baptizatus frater illorum factus sit; de qua mentionem fecit Cyprian. *l. 3. epist. 8. aliàs 59. ad Fidum.* Secunda lactis, & mellis gustatio ad significandam infantiam, quam ex recenti baptismo, & spirituali illius generatione habebant: sicuti dixit Tertullian. *lib. 1. adversus Marcionem cap. 14. num. 95. & lib. de corona militis cap. 3. n. 30.* Hieron. *dialogo contra Luciferanos*, & *in princ. cap. 55. Isaiæ.* In cujus confirmationem canit Ecclesia, Quasimodo geniti infantes lac concupiscite, &c. & licèt mellis mentio facta non fuerit, ea causa fortè fuit quia loco illius aliquando vinum propinabatur, teste Hieronymo in locum Isaiæ. Tertia, quæ neque antiquitus fuit usu firmata, erant lotio pedum in subsidium sanctificationis, ut inquit Ambros. *lib. de his, qui mysteriis initiantur. c. 6. & 3. de Sacram. cap. 1.* Etenim cùm Adamus supplantatus fuerit à dæmone, ejus calcaneo insidiante, opus fuit, ut recedens baptizatus ea lotione pedum muniretur, ne illius insidiis à recepta gratia deficeret. Verum quia hæc lotio pedum dignitatem baptismi minuere videtur, eo quod denotat baptizatum non esse plenè, & perfectè mundatum, sed indigere nova illa lotione juxta illud Joann. 13. Qui lotus est non indiget, nisi ut pedes lavet. Ecclesia Romana hanc cæremoniam nunquam admisit, sicuti testatur Ambros. *supra.* eamque, concilium Eliberitanum *can. 48.* penitus abrogavit, ut probat Vasq. *disp. 166 cap. ult. circa finem.*

21. Notant vero Doctores neminem excusari ab iis cæremoniis adhibendis, eo quòd baptismum privatim urgente necessitate receperit, sed obligatum esse, si adultus sit, sin minus ejus parentes, seu tutores supradictas cæremonias adhibere. Quia ad expulsionem dæmonis, illiusque insidias dissolvendas, & tentationes superandas, & ad fidem, & gratiam receptam conservandam æquè conducere possint, ac si simul cum baptismo factæ fuissent. Neque obstat dæmonem baptismo expulsum esse, siquidem peccatum remissum est, insidias illius, & tentationes pro impediendo baptismo dissolutas, & superatas, quominus exorcismi effectum habeant, siquidem Ecclesia mediis illis intendit à Deo impetrare perfectam, & perseverantem dæmonis expulsionem casu quo expulsus sit, & consequenter ne illius tentationibus, & insidiis superatus fidelis à Fide, & Charitate deficiat, & locum diabolo præbeat. Possunt ergo exorcismi, & à fortiori reliquæ aliæ cæremoniæ suam significationem, & effectum habere. Igitur omitti non debent. Sic docent Richard. *in 4. dist. 9. art. 6. quæst. 1.* Vival. *in candelab. de baptismo.*

cap. ult. num. 18. Victoria *eodem n.* 38. Eman. Saà *verbo baptiſmus n.* 5. Bonac. *diſp.* 2. *q.* 2. *pun.* 7. *n.* 21. Paul. Laymann. *lib.* 5. *ſum. tract.* 2. *cap.* 8. *num.* 10. Ægid. de Coninch. *q.* 66. *art.* 9. *n.* 99. Colligiturque apertè ex *cap. hanc regulam.* 1. *quæſt.* 1. *& cap.* 1. *de Sacram. non iterand.* & ex uſu, & conſuetudine recepta, & à Romano Rituali approbata.

22. Paul. Laymam. loco allegato teſtatur baptizatum ab hæreticis in infantia, cùm jam adultus ad fidem convertitur non eſſe ſolitum in Germania deferri ad Eccleſiam, ut ſolemnitates in baptiſmo omiſſæ adhibeantur, ne baptiſmum ab hæreticis miniſtratum videatur Eccleſia Romana ut minus validum judicare. At ſi timor hujus ſuſpicionis, alteriuſve ſcandali ceſſaret, credit ipſe & benè nullam eſſe legitimam cauſam, ob quam prædictæ cæremoniæ omittendæ eſſent.

23. Sed quid ſi conſtaret baptiſmum ſolemniter miniſtratum invalidè miniſtratum fuiſſe deberent ne repeti eo caſu ſimul cum baptiſmo ritus, & cæremoniæ? Negat Henriquez *lib.* 3. *c.* 2. *de confirmat. num.* 1. *litt. N.* Bonac. *diſp.* 2. *q.* 2. *pun* 7. *in fine. num.* 22. Suar. *diſput.* 31. *ſect.* 6. §. *ſeptimo inquiri poteſt.* Ægid. de Coninch. *q.* 66. *art.* 9. *dub.* 1. *num.* 99. Moventur, quia eſto hæ cæremoniæ ab Eccleſia inſtitutæ ſint, ut honorificentius baptiſmus miniſtretur, at ſæpè neceſſarium non eſt, ut ſimul cum baptiſmo adhibeantur, ut contingit cum baptiſmus ob neceſſitatem abſque illis miniſtratur. Illæ ergo cæremoniæ poſtmodum miniſtratæ ob relationem ad præcedens baptiſma cenſentur moraliter cum ipſo conferri, & quaſi ipsum ornare. Ergo id ipſum præſtare poterunt cæremoniæ antecedentes. Confirmatur, ex Innocent. III. *cap* 1. *de Sacram. non iterandis*: ubi Innocent. inquit. In ſacramento imprimentibus characterem non eſſe iterationem faciendam, ſed cautè ſupplendum defectum. Cùm ergo ſolùm in ſubſtantialibus, & non in accidentalibus defectus contigerit, ſolum defectus ſubſtantialis, & non accidentalis ſupplendus eſt. Deinde benedictiones in matrimonio invalidè contracto non repetuntur. Ergo neque hujuſmodi cæremoniæ repeti debent.

24. Cæterum ſi baptiſmus, ſecluſo ſcandalo, gravique baptizati damno publicè celebrari poteſt, exiſtimo probabilius cæremonias, & ritus repetendos eſſe, ne baptiſmo debitus cultus, & ornatus deficiat. Ob hanc enim cauſam præcipuè ſunt ab Eccleſia præſcripti, & imperati, & ita docent D. Anton. 3. *part.* 13. *cap.* 14 § 22. Barthol. ab Angelo *de Sacram. dialog.* 2. §. 69. Henriq. ſibi contrarius *lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 4. Reginald. *lib.* 28. *n.* 3. & alii.

25. Neque rationes in contrarium urgent. Ex eo namque quod baptiſmo in neceſſitate collato ſine cæremoniis cæremoniæ poſtea adhibeantur, nequaquam inferri poteſt baptiſmo repetito cæremonias repetendas non eſſe, quia cæremoniæ ſunt baptiſmo acceſſoriæ non utcunque, ſed debitam illius adminiſtrationem ornantes, & componentes, ac proinde eo repetito, repeti debent. Secus vero eſt in benedictionibus nuptialibus, quæ inſtitutæ non ſunt ad ornandum matrimonium, cum actu contrahitur, ſed ſupponunt contractum, illud que proficiunt. Minus urget textus in *c.* 1. *de Sacrament. non iterand.* Fateor namque iterandum non eſſe, quod ritè ſanctum eſt, niſi ſit acceſſorium illius, quod repeti debet. Cum autem cæremoniæ ſint acceſſoriæ baptiſmo, & propter illius legitimam adminiſtrationem inſtitutæ, eo repetito ſunt repetendæ.

PUNCTUM XIII.

De unitate Baptiſmi.

1. *Baptiſmus unus eſt unitate ſpecifica.*
2. *In ſingulis ſubjectis unus eſt numero, nec multiplicabilis.*
3. *Stante dubio rationabili de valore baptiſmi repeti poteſt.*
4. *Quale ſit hoc dubium.*
5. *Qualiter dubium rationabile cognoſcatur.*
6. *Quid dicendum de infante expoſito.*
7. *Quid de baptizato domi ab obſtetricibus.*
8. *Quid de infante nato, & educato inter fideles, vel infideles.*
9. *Vultus teſtis fide dignus baptiſmum probat.*
10. *In caſibus, in quibus repeti poteſt baptiſmus ex obligatione eſt recipiendus.*
11. *Adultus probabiliter dubitans de baptiſmo obligatur repetitionem procurare.*
12. *Qualiter baptiſmus repetendus ſit.*

1. QUæſtio eſſe poteſt de duplici unitate ſpecifica, & numerica. Si de unitate ſpecifica loquamur. Fide certum eſt Sacramentum baptiſmi unum eſſe unitate ſpecifica, atoma, ex illo Paul. ad Epheſ. 4. Vnus Deus, una fides, unum baptiſma. Sicuti explicat Hieronym. *ibi.* 6. & Chryſoſt. *ſerm.* 11. Ambroſ. *lib.* 2. *cap* 2. *de pœnitent.* Et conſtat ex Trident. decidente ſeptem tantum ſacramenta eſſe, cui definitioni obſtarent plura baptiſmata. Neque obeſt huic unitati, quod baptiſmus aliquando aſperſione, aliquando immerſione celebretur, quia hæc ſunt differentiæ accidentales ablutionis, cum corpus qualibet ex illis perfectè abluatur, & effectus ſignificatus, & cauſatus idem omnino ſit. Solum obſtare poteſt vulgaris illa diviſio in baptiſmum aquæ, fluminis, & ſanguinis, cujus meminit Thom. *quæſt.* 66. *art.* 11. & 12. Magiſter in 4. *diſt.* 4 & ibi ferè omnes expoſitores. Verum illa non eſt diviſio baptiſmi ſacramenti, ſed eſt diviſio baptiſmi ſeu ablutionis ut ſic, & non univoca, ſed analoga. Solum enim baptiſmus fluminis, ſeu aquæ eſt ſacramentum, reliqua vero ſacramenti non ſunt ſed baptiſmi ſacramenti vices gerunt, & illius defectum ſupplent, eaque de cauſa baptiſmata nuncupantur. Etenim impeditur ſuſcipere baptiſmum, ſi votum illius habeat in contritione, ſeu dilectione Dei ſuper omnia incluſum, gratiam, & remiſſionem cujuſcunque culpæ conſequitur, qui eſt effectus proprius ſacramenti baptiſmi, & à fortiori hunc effectum habebit, ſi vitam pro Chriſto poſuerit, juxta illud. Nemo majorem charitatem habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Ergo baptiſmus flaminis, ſanguinis vices baptiſmi ſacramenti gerunt, ipſa tamen ſacramenta non ſunt quia non ſunt ſigna à Chriſto inſtituta ad remittenda peccata, & gratiam conferendam. Baptiſmus enim flaminis, qui eſt contritio, vel dilectio Dei ſuper omnia neque eſt ſignum ſenſibile, neque à Chriſto inſtitutum ad peccatorum remiſſionem, ſed vi ſua peccata remittit, & gratiam confert. Baptiſmus vero ſanguinis, qui eſt martyrium non ex inſtitutione Chriſti, ſed ex privilegio ob excellentiam ipſius operis idipſum præſtat, ideoque baptiſmata appellantur, eſto ſacramenta non ſint, quod ſequenti puncto latius confirmabimus.

2. Si vero de unitate numerica baptiſmi ſermo ſit, conſtat multiplicatis ſubjectis baptiſma multiplicari: in ſingulis tamen unicum eſt, neque ulla ratione multiplicari poteſt. Sic definitum eſt in *can.* 47. *aliàs* 47. *Apoſt.* & à Leone. 1. *epiſt.* 37. *aliàs* 35. *cap.* 1. *ad Leonem Ravenantem*, & *epiſt.* 79. *aliàs* 77. *ad Nizetan*, & in concil.

Concil. Carthaginen. 1. *can.* 1. & ab Eugen. 4 in Concilio Florent. *decreto fidei.* §. *quinto Ecclesiasticorum*, & tandem à Trident. *sess.* 7. *can.* 9. & 11. Ratio hujus veritatis est Christi institutio. Congruentias expendit optimè D. Tho. *quæst.* 66. *art.* 9. illâsque desumit ex significatione, & effectu, quem habet baptismus. Etenim baptismus est spiritualis hominis regeneratio, qua peccatis mortuus justitiæ vivit. Cujuscunque autem hominis univa tantum est generatio carnalis. Ergo unica tantùm debuit esse spiritualis generatio. Deinde baptismus Christi mortem, & sepulturam significat, secundum illud ad Rom 6. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem : & ad Colossens. 2. consepulti ei in baptismo. At Christus Dominus semel tantum mortuus est, & sepultus, ergo baptismus semel tantum suscipiendus est. Aliàs bis baptismum suscipiens in semetipso rursus Christum crucifigeret. Denotans non semel tantum crucifixum esse. Neque obstat Eucharistiam repeti, tametsi Christi mortem significet, quia ut benè ait D. Thom. *dicto art.* 9. *ad* 5. Eucharistia non commemorat mortem Christi, per modum spiritualis generationis sicuti baptismus, sed per modum convivii. Cum autem convivium sepè repetatur, non item generatio. Baptismus repeti non potest, benè tamen Eucharistia. Item baptismo unimur Christo, & illius membrum efficimur, & sub tanto duce militamus, in cujus signum baptizato conceditur caracter. Non igitur eo concesso est locus repetitionis, aliàs repetens denotaret priori baptismo non esse perfectè Christo unitum & illius membrum effectum, in suamque militiam adscriptum. Denique baptismus ad remissionem peccati originalis per se primo institutus est, tametsi ex consequenti actualia, si extiterint, remittat. At in quolibet subjecto unicum est originale peccatum. Ergo unicum oportuit esse baptismum, qui licet aliquando ex incapacitate suscipientis remissionem illius peccati non operetur, id per accidens est, virtutemque sacramenti non diminuit, ac proinde attendi non debet, ex se tamen operari remissionem poterat, & de facto operatur fictione recedente.

3. Huic tamen unitati nullatenus obstat repetitio baptismi sub conditione stante dubio, an fuerit collatus, quia ut rectè dicitur in *cap. solemnitatis.* 1. *dist.* 1. *de consecrat.* talis trepidatio non facit iterationem, quoniam non monstratur esse iteratum, quod nescitur esse factum, & expressius *cap. veniens de presbytero non baptizato* ibi. Non intelligitur esse iteratum, quod ambigitur esse factum. Debet tantum dubium rationabile esse, id est rationi consonum, & homine cordato dignum : aliàs illicitè baptismum repeteres etiam sub conditione, utpote qui materiam, & formam illius dubiam, & incertam profers nulla existente necessitate, & insuper occasionem præbes suspicandi irrisoriè conditionem apponere, & baptismi repetitionem credere, & velle. Sic docent Ægid. de Coninch. *quæst.* 66. *art.* 9. *dub.* 1. *num.* 91. Suar. *disp.* 22. *sect.* 2. *vers. sed quæres.* Vasq. *disp.* 146. *cap.* 4. *à num.* 20. Paul. Laymann. *lib.* 5. *sum. tract.* 2. *cap.* 5. *num.* 3. Valent. *t.* 4. *disp.* 4. *q.* 1. *punct.* 4. *vers. quod si dubium*, Bonac. *de sacram. in genere. disput.* 1. *q.* 2. *p.* 1. *num.* 36

4. Hoc dubium rationabile duplex esse potest juris, & facti. Dubium juris est cum constat baptismum tibi esse collatum, sed sub dubia forma, vel materia, ut si collatus tibi esset baptismus sub nomine genitoris, geniti, & procedentis ab utroque, vel minima tantum corporis parte abluta, vel pelle secundina circundato, de quibus supra diximus sub opinione positum esse, an sint vera baptismata. Dubium facti est quando nescitur, an baptismus collatus sit, neque oportet dubium esse negativum, sed positivum sufficit contingens ex eo, quod rationes probabiles adsint persuadentes baptismum non esse collatum, vel non esse collatum sub debita forma, vel materia, quod idem est quoad præsens attinet. Quodcunque igitur ex his dubiis intercedat, baptismus esto conditione repetendus est, quia & proximo subvenitur in re maximè necessaria, & sacramenti reverentia non læditur. Sic testantur ferè omnes Doctores cum D. Thom. *quæst.* 66. *art.* 9. Vasq. *ibi disput.* 146 *cap.* 4. *num.* 9. Suar. *disput.* 22. *sect.* 2. *circa finem.* Ægid. de Coninch. *dub. unico*, *num.* 91. & alii passim, definiturque à Leone I. *epist.* 37. *ad Leonem Episcopum Ravenatem*, & in Concil. Carthagin. 5. *cap.* 6 & ab Alexand. 3. in *cap. de quibus de Baptismo.* Qui licèt de dubio facti loquamur, quia tamen eadem est causa repetitionis, cum est dubium juris, idem in utroque casu est dicendum, ut rectè Vasquez *supra.*

5. Quod si roges qualiter cognoscere possis rationabile dubium adesse an baptismus ministratus sit. Respondeo in dubio juris spectandum esse, an pro contraria parte sit opinio probabilis, ea enim stante probabiliter judicatur baptismum collatum non esse, & consequenter prudenter illius repetitionem fieri ad hanc dubitationem tollendam, & periculum removendum. De dubio facti nulla firma regula dari potest, sed prudentis arbitrio est judicandum, quando rationes, & conjecturæ adsint probabiliter persuadentes baptismum ministratum non esse. Place tamen expendere communiores casus, ex quibus alios decidere poteris.

6. Primus est de infante expositio, qui si reperiatur absque testimonio baptismi baptizandus est sub conditione, quia satis prudenter præsumitur baptizatum non esse, siquidem commune est his infantibus baptizatis testimonium habere. Sic Sotus *in* 4. *q.* 3. *dist. unica*, *art.* 9. §. *fit præterea.* Vasq. *disp.* 146. *cap.* 4. *num.* 26. Paul. Laymann. *lib.* 5. *sum. tract.* 2. *c.* 5. *vers. dubium juris.* Bonac. *disp.* 1. *de sacram. in genere q.* 2. *punct.* 1. *num.* 40. Limitat autem Sotus, & Vasquez nisi expositus esset in ea ætate, in qua omnes sunt baptizati, quia rationabiliter præsumi non potest à tanto beneficio reliquis omnibus concesso excluſus. Si verò expositus sit cum schedula testante baptismum, tametsi manu alicujus subscripta non sit, nequit baptismus etiam sub conditione repeti, quia testimonium illud moralem certitudinem inducit, neque enim rationabiliter credi potest parentes, seu tutores illius, qui Catholici esse præsumuntur, cùm inter Catholicos, & fideles reperiatur expositus, filium suum velle tanto sacramento privare : Secùs vero esset, si inter infideles esset expositus, vel aliqua adesset rationabilis conjectura à paganis, & hæreticis expositum esse. De his enim præsumi satis potest deceptio, ne baptismus ritu Catholico conferatur. Sic tradunt Sotus, Vasq. Paul. Layman. & Bonac. supra.

7. Secundus casus est de infante domi baptizato ab obstetricibus, aliisque rudibus personis, quæ si à Parocho examinatæ juxta decretum Catechismi Romani 2. *punct. cap.* 2. § 45. qualiter baptismum ministraverint, benè, & firmiter non respondeant, est baptismus omninò iterandus. Et idem credo, si obstetrices fuerint veneficæ, sagæ, seu maleficæ, quia satis prudenter præsumi potest baptismum malè fuisse administratum, ob quam causam non est facilè damnanda consuetudo aliquarum diœcesum maximè Antuerpiensis, præscribens omnibus iis infantibus ab obstetricibus baptizatis baptismum sub conditione repeti, quia regulariter adest periculum invalidè baptismum ministratum esse in regionibus hæresi infectis. Et in casu dubii semper in favorem parvuli inclinandum est. Seclusis verò supradictis rationibus dubitandi nequaquam baptismus repetendus est, ex eo quod fuerit ab obstetricibus collatus, quia hic modus

conferendi baptiſmum non præſtat ſufficientem dubitandi rationem de illius iniqua adminiſtratione. Sic Ægid. de Coninch. *quæſt.66. art.9. dub unico.n.94. & ſ qq.* Paul. Laymann. *lib.5. ſum. tract.2. cap.5. circa finem.* Bonac. *diſput. 1. de ſacram. in genere, quæſt.2. p.1. n.39.*

8. Tertius caſus eſt de infante nato inter fideles, arreptus tamen ab infidelibus, & ibi nutritus, qui ſi nullus adſit qui baptizatum eſſe teſtetur præſumi rationabiliter poteſt baptizatum non eſſe, ac proinde ſub conditione eſt baptiſmus repetendus. Eſt deciſio Gregor. 13. in *epiſt.4. ad Bonifac.* quæ refertur in *cap. parvulos de conſecrat. diſt.4.* & Concil. Carthagin.5. *cap.6. relati in cap. placuit eadem cauſa, & quæſt.* Secus vero eſt de eo, qui inter fideles educatus exiſtit, quia abſque graviſſimis indiciis, & conjecturis credi non poſtet ei non eſſe baptiſmum collatum, ſicuti definit Innocent. III. *in cap. veniens de præsbytero non baptizato.* Sic ſuſtinent Suar. *diſp.22. ſect.2. in fine* Ægid. de Coninch. Bonac. Vaſq. Laym. *locis allegatis.*

9. Adverto ſtante unico teſte omni exceptione major de baptiſmo teſtificante nullatenus baptiſmum eſſe repetendum: quia dum hoc teſtimonium contrariis indiciis, & conjecturis non infirmatur, moralem certitudinem inducit. Ob idque Leo I. *epiſt.37.* dixit baptizandum eum, qui cum generationis ſit cupidus, nec recordatur ſe baptizatum, nec aliter atteſtari de eo poſſit. Conſentit Gregor. III. relatus in *cap. parvulos de conſecrat. diſt.4.* & tradit Suar. *diſp.22. ſect.2. ſub finem.* Ægid. de Coninch. *q.66. art.9. n.97.* Bonac. *diſp.1. de ſacram. in genere, q.2. punct 1. in fine.* Vaſq. *diſp.146. cap.4. poſt n.14.* Paul. Layman. *lib.5. ſum. tract.2. cap.5. circa finem.* Quod non ſolùm in foro conſcientiæ, ſed etiam in exteriori verum habet. Quia recepta ſententia eſt in iis, quæ alteri non præjudicant unico teſte plenam probationem fieri. Sicuti tradit Maſcard. *de probationib. in proœmio, q.11. num.14.* Farinac. *in prax. crimin. q.63. num.26.* & in caſu præſenti docuit optimè Paul. Comitol. *reſponſ. moral. lib.1. q.1. n.5.* Neque his obſtat textus in *cap. placuit de conſecrat. diſt.4.* ex concilio Carthaginen. 5. *cap.6.* dicitur abſque ullo ſcrupulo eos eſſe baptizandos, quoties non invenientur certiſſimi teſtes, qui eos baptizatos eſſe ſine dubitatione teſtentur. Non enim inde inferri debet unicum teſtem inſufficientem eſſe. Nam Concil. dixit quid faciendum ſit pluribus teſtibus examinatis de baptiſmo non deponentibus, nihil tamen dixit, quando unus ex illis certo deponeret. Etenim cum nullus deponit, veriſſimum eſt certiſſimos teſtes non inveniri.

10. Sed an in ſupradictis caſibus, in quibus baptiſmus repeti poſſit, teneantur parentes infantis repetitionem procurare & Parochus requiſitus, vel eo deficiente quilibet alius Sacerdos concedere? Difficultate non caret. Satis enim videmur charitati proximi ſatisfacere, ſi in neceſſariis ad ſalutem medio probabili ſuccurramus, tametſi omnino certem omittamus, quia eo ipſo quo medium probabile ſit, ceſſat periculum mortale damnationis. Alias & ipſe baptizatus, ſi adultus eſt, obligaretur iterum baptizari, & ſacramentum pœnitentiæ à Sacerdote, in quo nulla eſſet incertitudinis ſuſpicio recipere. Nihilominus tanquam certum tenendum eſt in prædictis caſibus obligari parentes, ſeu tutores procurare baptiſmi repetitionem Parochumque requiſitum, vel eo deficiente quemlibet alium Sacerdotem concedere. Sic docuit Vaſq. *diſput.146. cap.4 à num.28.* Ægid. de Coninch. *quæſt.66.art 9. dub. uni concluſ.2. num.10.* Ratio ea eſt, quia ex charitate tenemur ſuccurrere proximo in graviſſima neceſſitate conſtituto, quando id commodè facere poſſumus. At in prædictis caſibus eſt proximus conſtitutus in graviſſima baptiſmi neceſſitate. Tum ne privetur fructu reliquorum ſacramentorum. Tum. ne in perpetuum damnetur. Si enim baptiſmus re ipſa collatus non fuit, reliquorum ſacramentorum fructum non ſuſcepit, & decedens abſque contritione damnatur. At hæc graviſſima damna prudenter timentur eo ipſo quo probabiliter judicatur baptiſmum collatum non eſſe Ergo ex Charitate obligantur parentes, & Parochi ſi dubitet baptizato ſuccurrere.

11. Ob eandem rationem adverſus Vaſq. exiſtimo adultum de ſuo baptiſmo probabiliter dubitantem obligatum eſſe baptiſmi repetitionem ſub conditione procurare, quoad fieri poſſit. Tum ob reverentiam ſacramentis debitam, cum præcipuè ob charitatem propriam. Quilibet enim tenetur pro ſacramentis ſuſcipiendis eſſe diſpoſitus diſpoſitione ab Eccleſia præſcripta. Una autem, & præcipua diſpoſitio pro ſacramentorum ſuſceptione eſt baptiſmus certus non dubius, & probabilis, ſiquidem ſtante dubio, & probabili præſcribitur repetendus. Ergo ob reverentiam ſacramentorum recipiendorum tenetur adultus dubitans probabiliter de ſuo baptiſmo iterum ſub conditione baptizari. Deinde hanc obligationem ſubiit ob charitatem propriam, adverſus quam videtur procedere ſe periculo probabili damnationis exponens; ut verè exponitur, ſi baptiſmus re ipſa collatus non ſit, nec contritionem habet. Neque percipio qualiter poſſit contritionem habere, ſi abſque gravi cauſa renuat incertitudinem ſui baptiſmi tollere, certum recipiendo. Sic docuit Ægid. de Coninch. *q.66. art.9. dub unico, circa finem, n.104.* Vide dicta *tract.1. de conſcient. diſp.2. p.5.* præcipuè *n.4. & tract.6. de charit. diſp.1. p.9.*

12. Qualiter autem baptiſmus repetendus ſit (caſu quo repeti debeat) traditur in *cap. de quibus.2. de baptiſmo* ibi. Si baptizatus es non te baptizo. Sed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo. Nullum autem exiſtimo eſſe peccatum, ſi ſolùm ultimam partem proferres, quia ſatis declaras te nolle baptiſmum conferre, ſi baptiſmus collatus fuit, imo ſi baptiſmus ſecretò adminiſtrandus eſt, ſufficit conditionem mente concipere, eſto expediat maximè verbis proferre. Sic tradit Abbas, aliique expoſitores in *dicto cap.* Et expreſſius Suar. *diſput.22. ſect.2. verſ. ſed. quares.* Vaſq. *diſput.146. cap.4. in princ.* Ægid. de Coninch. *q 66. art.9. dub. unic. num.98.* Paul. Layman. *Lib.5. ſum. tract.2. c.5.n.3. verſ. porrò.* In hac ſacramenti conditionata repetitione ſcandalum ſemper vitandum eſt quoad fieri poteſt. Quare ſi occaſio repetendi baptiſmum non ſit publica, ſed ſecreta, baptiſmus in Eccleſia foribus clauſis miniſtrandus eſt præſentibus tantum patrino, & parentibus, vel tutoribus, baptizatis quibuſque declaranda eſt à miniſtro cauſa repetitionis & baptiſmus ſub expreſſa conditione concedendus. Sic relato Zambrano *de ſacrament. cap. 1. dub.4.* & Ioanne Chapeaville *de modo adminiſtrandi ſacramenta temp. poſt. cap.1. q.1.* tradit. Layman. *lib.5. quam tract.2. cap.5. in fine.*

Punctum XIV.

De baptiſmo ſanguinis ſeu de Martyrio.

Diximus ſuperiori puncto martyrium baptiſmum nuncupari, quia vices baptiſmi gerit remiſſionem peccatorum martyri concedens. Videndum in præſenti eſt qualiter martyrium hæc operetur tum in parvulis, tum in adultis.

§ I.

Qualiter parvuli Martyrio justificari possint.

1. *Martyrium parvulos justificat à peccato originali.*
2. *Proponuntur quædam objectiones.*
3. *Fit illis satis.*

1. ET quidem, ut à facilioribus incipiamus Martyrium quod est mors pro Christo susceptа virtutem habet justificandi parvulos à peccato originali. Sic ex communissima sententia testantur D. Thom. 2.2. *q* 124. *art.* 1. *& quodlib.* 9. *art.* 4. Suar. *disp.* 19 *sect.* 1. Vasq. *disput.* 153. *cap.* 7. Ægid. de Coninch. *q.* 66. *art.* 12. *dub.* 1. *concluſ.* 1 ibique pluribus Patrum testimoniis exornant, præcipuè Leonis *l. serm* 1 de Epiphan. Cyprian. *serm. de Stella, & Magis circa finem.* August. *lib.* 2. *&* 3. *de symbolo ad Catechumenos c* 5. *& epist.* 18. ad Hieron. *post mea.* Bernard. *serm.* 66. *in Cant. post. med.* Ratio desumitur ex eo quod Ecclesia non solum ut justos, sed etiam ut martyres veneretur infantes ab iniquo Rege Herode interfectos in odium Christi Domini. Inde enim apertè colligitur occisum in odium Christi, ejusque fidem non solùm Deo charum esse, sed verè esse martyrem. Quod si dicas ideo martyres fuisse innocentes pro Christo occisos, quia circumcisione justificati erant, obstat, quia verisimile non est omnes circumcisos fuisse, cum plures ante 8. diem nativitatis creduntur occisi. Deinde non esset verum martyrium vices baptismi gerere, esseque illo præstantius, sicuti passim docent Patres teste D. Thom. *q.* 66. *art.* 11. *&* 12. Ergo Martyrium vim habet martyrem justificandi. Hanc autem vim obtinet martyrium ex speciali Dei privilegio tanto operi debito, ut colligitur ex illo Marc. Qui perdiderit animam suam propter me, & Evangelium, salvam faciet eam, & Lucæ 12. vivificabit eam. Et tradit Cyprian. *lib. de laud. b. Martyrij in fine.* Clemens *Apostolicar. constitut. lib.* 5. *cap.* 5. Augustin. *lib.* 13. *de civit. Dei cap.* 8. *& alibi.* Ex quo fit non solum infantem, jam natum sed etiam in utero matris existentem martyrio justificari posse, quia ibi constitutus perdere vitam propter Christum potest. Quia in re excedit martyrium baptismo, baptismum namque suscipere non potest in utero existens, quia nequit aqua tingi, benè tamen martyrium, quia potest occidi. Sic relatis Richard. Scoto, Gab. Paludan. docet Vasq. *disp.* 153. *cap.* 7. *circa finem.* Ægid. de Coninch. *q.* 66. *art.* 12. *dub.* 1. *n.* 123. Suar. *disp* 29. *sect* 1. *concl.* 2. Henriq. *cap.* 38. *num.* 7. Bonac. plures referens. *disp.* 2. *q* 1. *p.* 1. *num.* 7.

2. Obiicies Trident. *sess.* 6. *cap.* 4. definiens translationem à peccato ad gratiam sine lavacro regenerationis in re, vel voto fieri, eaque de causa *sess.* 7. *can.* 5. inquit. Si quis dixerit baptismum esse liberum, hoc est non necessarium ad salutem, anathema sit. At si parvuli ante usum rationis occisi martyrio justificentur, baptismus necessarius non est, ut à peccato ad gratiam fiat translatio, cum ipsi baptismi votum habere non possint. Secundò objicies martyrium sacramentum esse, quia est signum gratiæ justificantis ex divina promissione non uteunque sed practicum, & operativum saltem moraliter. Tertiò non apparet, quo tempore martyrium justificare parvulos possit, quia non potest justificare, quousque in suo esse sit constitutum. At non est constitutum, quousque mors succedat; ea verò succedente, extra viam parvulos constituitur, & consequenter incapax justificationis acquirendæ.

3. Sed hæc non urgent, ut à communi, receptaque sententia recedamus. Ad primum fateor sine lavacro regenerationis justificationem non esse via ordinaria, & communi, secus via extraordinaria, & privilegiata. Ad secundum nego esse sacramentum, quia sacramentum ex sententia Eugenii 4. *in concil. Florent decreto fidei post. ult. sess. §. quinto.* Constare debet materia, forma, & ministro ad sacramentum conferendum deputato. At martyrium non constat materia, forma & ministro, qui per Christum deputatus sit ad martyrium conferendum, cum tyrannus à diabolo, & non à Christo deputetur, & moveatur ad martyrem occidendum. Præterea non est remedium à Christo Domino in remissionem peccati institutum, siquidem non pro libito suscipi potest, sed est remedium peccati ex meritis Christi concessum casu quo aliquando contingat: ideoque à ratione sacramenti deficit. Cum verò urges esse signum saltem extraordinarium rei sacræ, ac proinde sacramentum. Respondeo non esse signum rei sacræ, quatenus à tyranno infertur, sed quatenus à Martyre suscipitur. Ad sacramentum vero requiritur necessariò, ut sit signum gratiæ sanctificantis, quatenus alicui per ministrum applicatur, quia ipse est, qui eo signo utitur ad gratiam significandam, & conferendam: non autem qui signum recipit, esto ad illud suscipiendum se disponat. Tertium argumentum petit quo tempore martyrium gratiam conferat? Et quidem si verum est dari ultimum instans vitæ, quo homo sit, & immediatè post desinat esse, manifestum est eo instanti martyrium operari suum effectum posse, quia eo instanti vita hominis terminatur. At quia in philosophia probabilius est non in tempore, sed in instanti dissolutionem animæ à corpore fieri, cum generatio novæ formæ substantialis non in tempore sed in instanti contingat necessariò martyrium, ut suum effectum operetur, non mortem hominis actu exercitam requirit, sed futuram. Sed qualiter debeat esse futura, non conveniunt Doctores. Plures existimant, si secundùm ordinarium cursum necessariò futura sit sufficere, ut martyrium suum effectum operetur, quia moraliter loquendo ut mortuus reputari debet, cum sit mortuus in causa, siquidem causam in se habet violentam, & necessariam mortis. Sic Lessius. *lib.* 3. *cap.* 1. *dub.* 5 *n.* 59. Suar. *disp.* 29 *sect.* 3 *vers. finem.* Henriq. *lib.* 2. *cap.* 59. *num.* 2. Bonac. *disp.* 2. *de baptismo quæst* 1. *punct.* 3. Sed hoc verum non existimo. Nam inde sequeretur martyrii effectum habere, & martyrem esse, qui secundum cursum ordinarium peccare mortaliter, & condemnari possit? siquidem posset longo tempore ante mortem vulnus lethale recipere, sicuti contigit uni ex 40. martyribus, qui in martyrio defecit, cum jam naturaliter vivere non potuit. Quod sine dubio est inconveniens. Quocirca crederem ad martyrium, illiusque effectum suscipiendum non solum requiri vulnus lethale acceptum esse, naturaliterque vivere hominem non posse, sed insuper esse necessarium, ut ex vulnere accepto sic usum sensuum, & libertatis amittat, ut extra miraculum nullatenus ea recuperari possit. Tunc enim verè, & propriè dici potest mortuus secundùm moralem æstimationem, quia rationali vita quoad usum caret. Sic Ægid. de Coninch. *quæstione. 66. articulo* 12. *dub.* 13.

§. II.

Qualiter adulti martyrio justificentur, & ad illud suscipiendum sint disponendi.

1. *Proponitur dubitandi ratio, ob quam adultis martyrium remittat peccata ultra meritum operantis.*

2. *Statuitur concluſio contraria.*
3. *Quid ſit pati propter Chriſtum.*
4. *Non requiritur ad martyrium actum charitatis, & dilectionis Dei ſuper omnia præcedere.*
5. *Satisfit cuidam objectioni.*
6. *In adultis debet præcedere libera acceptatio.*
7. *Probabile eſt nullam ſpecialem, & expreſſam acceptationem requiri.*
8. *Adultus juſtus mortem pro Chriſto ſuſtinens obtinet remiſſionem peccatorum venialium; & pœnarum, quæ pro peccatis debentur.*
9. *Qualiter adultus peccator ſe ad martyrium diſponere debet.*
10. *An attritio ſufficiat ad effectum martyrii obtinendum? Arguitur pro, & contra, & reſolvitur.*

1. DE adultis major eſt dubitatio, qua ratione martyrium in ipſis effectum baptiſmi operari poſſit. Nam ſi ſecluſo operantis merito ex vi martyrii ſuſcepti remittuntur peccata, & gratia confertur, obligatus non eſſet adultus peccator, cui occaſio martyrii offertur contritionem habere, neque ſua peccata confiteri, ſiquidem martyrio obtinere juſtificationem poteſt, ob quam obtinendam pœnitentia adulto peccatori neceſſaria eſt. Deinde ſi martyrium remittit peccata, & gratiam confert ultra meritum operantis, neceſſario eam virtutem habere debet ex divina promiſſione, at hæc promiſſio nullibi conſtat. Nam eſto Matth. 10. dixerit Chriſtus Dominus: Omnis qui confitebitur me, coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo; non de quacumque confeſſione, ſed de confeſſione, quæ fit amittendo vitam propter Chriſtum intelligi debet, ut ex verbis immediatè ſequentibus colligitur: Qui perdiderit animam ſuam propter me inveniet eam. Et Matth. 8. ſalvam faciet eam. Nullus autem propter Chriſtum vitam perdit, qui Chriſtum non diligit ſecundum illud Ioan. 13. Majorem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Ergo ſoli martyrio in charitate fundato ſalus, & animæ vivificatio conceditur, ac proinde non tam martyrio, quam charitati, quæ ei adjungitur. Confirmari poteſt ex 1. ad Corinth. 13. ubi Paulus commendans charitatem inquit. Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Ergo martyrium ſine charitate nullius eſt utilitatis. Ergo non ex ſe, ſed ex charitate peccata remittit, & gratiam confert.

2. Nihilominus dicendum eſt martyrium vim habere remittendi adultis peccata, & gratiam conferendi ultra meritum. Sic D. Thom. *q.* 68. *art.* 2. *ad* 2. *& qu.* 87. *art.* 1. *ad* 2. Ægid. de Coninch. *q.* 66. *art.* 12. *num.* 124. Suar. *t.* 3. *diſput* 29. *ſect.* 2. Valen. *diſp.* 4. *q.* 3. *p.* 4. *verſ. etſi vero.* Bellarmin. *de baptiſm. cap.* 6. Leſſius *lib.* 3. *cap.* 1. *dub.* 5. Bonac. *diſput.* 2. *quæſt.* 1. *punct.* 2. Gregor. de Valent. *tom.* 3. *diſp.* 8. *quæſt.* 2. *pun.* 2. & alii plures. Ratio deſumitur ex variis ſcripturæ teſtimoniis martyrio aliquod privilegium ſpeciale concedentibus, quam cuilibet alteri operi, tametſi eadem intentione, & fervore factum eſſet. Sicuti colligitur Matth. 10. *num.* 34. qui perdiderit animam ſuam propter me inveniet eam. Et Marc. 8. *num.* 35. & Luc. 8. *n.* 24. & Ioan. 14. *num.* 24. in vitam æternam cuſtodit eam. At ſi martyrium ſolam eam gratiam confert, quæ merito operantis debetur, nullum ſpeciale privilegium habet. Ergo dicendum eſt vi ſua ex divina promiſſione remittere peccata, & gratiam conferre. Deinde Patres martyrio concedunt vices baptiſmi, illumque excedere, ut videre eſt in Clement. Pont. *lib.* 5. *conſtit. Apoſtol. cap.* 5. *&* 7. Cyprian. *epiſt.* 73. Aug. *lib.* 13. *de civit. Dei cap.* 8. Ambroſ. *lib.* 1. *de pœnitent. cap.* 2. & præcipuè D. Thom. 3. *part. qu.* 87. *art.* 1. *ad* 2. & aliis pluribus relatis à Suar. *diſp.* 29. *ſect.* 2. *concl.* 1. *ad* 2. Atqui baptiſmus vim habet conferendi gratiam ultra meritum operantis. Ergo martyrium eandem vim habere debet. Quod ſi dicas id verum eſſe in parvulis non adultis, qui propriis actibus ſe ad juſtificationem diſponere poſſunt. Obſtat, quia relati ſcripturæ loci, & patrum teſtimonia æquè de adultis, ac de parvulis loquuntur. Et præterea privilegium martyrio conceſſum non nititur parvulorum neceſſitati, ſed operis dignitati, quæ eadem eſt, imo præſtantior in adultis, ac in parvulis. Quocirca difficultas ſolum eſt in explicando, quando cenſeatur adultis propter Chriſtum mortem ſubire, & qualiter ad eam ſubeundam diſpoſitus eſſe debeat, ut illius paſſio ſuum effectum operetur. Quo explicato rationes dubitandi num. præcedenti relatæ diſſolvuntur.

3. Propter Chriſtum mortem pateris, quoties in defenſionem fidei, charitatis, alteriuſve virtutis, ſiquidem in ejus honorem, & gloriam utpote qui author eſt totius virtutis, & honeſtatis hæc paſſio cedit. Illud enim propter Chriſtum non tam finem patientis, quam ipſius operis denotat, aliàs infantes non paterentur propter Chriſtum, quippè non ex affectu ad Chriſtum, qui nullus in eis eſſe poterat patiebantur. Sed quia mors in Chriſti odium illis illata fuit, propter Chriſtum paſſi cenſentur. Sic D. Thom. 2. 2. *q.* 124. *art.* 5. Suar. 3. *p. tom.* 3. *diſp.* 29. *ſect.* 1. *&* 2. Leſſius. *lib.* 3. *cap.* 1. *dub.* 3. Henriq. *lib.* 2. *cap.* 37. *numero* 2. Bonacina *diſp.* 2. *de baptiſmo. q.* 1. *p.* 1.

4. Hinc colliges evidenter ad martyrium opus non eſſe actum charitatis, & dilectionis Dei ſuper omnia præcedere. Nam eo actu ſecluſo ob Chriſtum, id eſt ob cauſam cedentem in Chriſti honorem mortem ſuſtinere poteris. Deinde ſuſtinere potes mortem in fidei, vel alterius virtutis defenſionem ne cœlum amittas, & inferno condemneris. Ob hunc enim finem ſe plures Martyres ad gravia tormenta ſuſtinenda præparabant, uti fecerunt 40. martyres ducti forte authoritate Chriſti Matth. 10. dicentis. Timete eum qui poteſt animam, & corpus perdere in gehennam. Sed hic finis non ex charitate, ſed ex virtute procedit. Ergo ad martyrium non eſt opus actum charitatis præcedere. Et ita docuit Suar *diſput.* 29. *ſect.* 3. Ægid. de Coninch. *quæſt.* 66. *artic.* 12. *dub.* 2. *concluſ.* 1. Henriq. *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 3. *& cap.* 33. *n.* 1. Bellarm. *cap.* 6. *de baptiſm.* Bonac. aliis relatis *diſp.* 2. *q* 1. *p.* 1. *num.* 8.

5. Neque his obſtant verba Chriſti Joann. 15. Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Solùm enim inde infertur neminem efficacius ſignum charitatis, & amoris in amicos præbere poſſe, quam ſi animam ſuam ponat pro eis. Non tamen ex illis infertur ad ponendam animam opus eſſe directione præparari, niſi fortè ob ſolam gratiam amici eam exponat. Neque item obſtant verba Pauli. 1. Corinth. 13. Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Nihil enim prodeſt ad ſalutem quorumcunque tormentorum paſſio, quæ diſſenſionibus, & multis inimicitiis involvitur, ſicuti involuti erant Corinthii, ad quos Apoſtolus ſcribet. Prodeſt tamen ad ſalutem ſi ex charitate procedat, vel charitati conjuncta ſit, ſicuti fides, ſpes, pietas, & miſericordia ad ſalutem proſunt, ſi cum charitate conjungantur, tametſi ex charitate non procedant.

6. Diſpoſitio autem, quam habere debet adultus ut martyrium ſuum effectum operetur, videtur eſſe voluntas ſaltem habitualis martyrium ſubeundi, quia ſecluſa hac voluntate non eſt opus liberum, & præmio dignum. Neque obſtat quod in infantibus non requiratur hæc libera acceptatio, quia Eccleſia nomine

ipsorum acceptat ob eorum impotentiam. At nullum est fundamentum, ut in adultis credamus hanc acceptationem. Tum quia adulti propriam voluntatem habent. Tum quia ad baptismum propria se voluntate disponunt, à fortiori ad martyrium se disponere debent, & ita videtur sustinere D. Thom. 2.2. *q.*124. *art.*1. & *ibi* Cajet. *art.*2. Henriq. *lib.*2. *cap.*34. *n.*2. *& cap.*36. *num.*1. Bonac. *disp.*2. *q.*1. *p.*1. *num.*5. Suar. *disp.*29. *sect.*2. *vers. in hac re, & sect.*3. *post. princ.* Paul. Laym. *lib.*3. *sect.*1. *n.*4.

7. Nihilominus censeo probabile esse nullam specialem, & positivam martyrii acceptationem voluntariam esse requisitam, sed ex eo tantum quod adultus martyrio subeundo non repugnaverit, credo martyrem esse, & martyrii effectum consecuturum. Moveor, quia sine expressa martyrii voluntate perdere vitam adultus potest propter Christum, sicuti perdit infans. Neque in scriptura est aliquod fundamentum, quo hæc voluntas in adultis potius quam in parvulis requiratur. Argumentum vero, quod ex baptismo desumitur inefficax est. Nam adultus per baptismum Ecclesiæ præceptis, subditur, & novum vitæ statum eligit. Congruum ergo erat ut voluntariè eligeret, cum voluntatem habeat. At martyr subeundo martyrium nec novum statum eligit, nec novis præceptis se subdit. Item baptismus in remedium tum peccati aliena voluntate commissi, quale est originale, tum propria quale est actuale institutus fuit. Conveniens ergo fuit ne effectum haberet in iis, qui propria voluntate peccata commiserunt, vel potuerunt committere absque ipsorum voluntate. At martyrium in remedium peccati institutum non est: tametsi ex liberalitate Dei in præmium tanti operis peccata remittantur. Non igitur propria voluntas expostulanda est. Et ita tradit Ægid. de Coninch. *q.*66. *art.*12. *dub.*2. *concl.*

8. Ex his manifestè colligitur adultum justum mortem pro Christo patientem remissionem omnium peccatorum venialium, & pœnas pro peccato debitas obtinere, tametsi dormiens occidatur, sicuti tradit expressè D. Thom. 3. *p. qu.*66. *art.*12. *& q.*87. *art.*1. *& q.*87. *art.*1. *ad* 2. & utrobique Caietan. Ægid. de Coninch. *quæst.*66. *art.*12. *dub.*2. *conclus.*4. colligiturque ex *c. cum Martha de celebr. missarum* §.3. Ratio est, quia cum nullius peccati complacentiam habeas, nullatenus obicem ponis gratiæ recipiendæ. Tum quia martyrium à sanctis Patribus baptismo comparatur, & anteponitur. At baptismus justo collatus remittit omnem venialem culpam, cujus complacentiam non habet, & pœnas pro peccatis debitas. Ergo idem est martyrio concedendum. Teneris tamen, si baptismum nondum recepisti baptizari, si commodè possis, quia baptismus est medium à Christo institutum in peccati originalis, & actualis ante ipsum commissi remissionem, quod nequis omittere absque gravi culpa ob præceptum divinum de illo suscipiendo impositum, tametsi, cognoscerès ex divina revelatione gratiam contritione obtinuisse. Sic Ægid. de Coninch. *q.*66. *art.*11. *dub.*2. *n.*127.

9. Si verò peccator sis, tuique peccati sis conscius, teneris imprimis pœnitentiæ sacramentum suscipere, non tamquam martyrii dispositionem, sed ut præceptum divinum impleas de peccatorum confessione in extremo vitæ periculo facienda. Sic Ægid. *loco allegato.* Si verò non sit locus sacramenti pœnitentiæ suscipiendi obligatus es sub gravi culpa ad contritionem conari, neque sufficit, si te ad martyrium attritione disponas: quia satis probabilis sententia est affirmans martyrium in adulto peccatore effectum non habiturum, nisi prius se per charitatem disposuerit, ut multis allegatis probat Vasq. *disp.*153. *c.*4. *&* 5. At satis imprudenter te gereres, & contra charitatem propriam, si martyrio subeundo te exponeres missa charitate, ex qua secundum probabilem opinionem est effectum habiturum, cum illius omissio te possit in interitum sempiternum constituere. Sic Ægid. *supra.* Quod si tui peccati conscius non sis, nullatenus martyrium effectum habere poterit, quin expressè, vel virtualiter illius detestationem habeas, quia pœnitentiæ virtus omni tempore fuit ad gratiam obtinendam necessaria, ut definivit Trident. *sess.*14. *cap.*1. & meritò; cùm enim propria voluntate à Deo averteris; æquum est, ut propria voluntate te ad illum convertas, attritione saltem, & proposito firmo, & absoluto nunquam peccandi. Quod propositum inclusum esse videtur in voluntate subeundæ mortis, ne Deum graviter offendas, ne ejus gloriam amittas, vel damnationem incurras, siquidem stante hoc proposito nullum committere peccatum mortale potes.

Sed an attritio, vel ea voluntas subeundæ mortis sufficiat, ut ad effectum martyrii suscipiendum censearis dispositus? Variant doctores. Negativam partem sustinet Vasq pluribusque exornat. *dicta disp.*153. *c.*3. 4. 5. *&* 6. Paul. Layman. *lib.*3. *summæ. sect.*3. *n.*6. eámque defendunt plures relati ab Henriq. Lessio, Suar. & aliis statim referendis. Mihi tamen probabilior est affirmativa sententia, quam sustinet Suar. *disp.*29. *sect.*3. *concl.*2. Bellarm. *cap* 6. *de baptismo.* Henriq. *lib.*2 *c.*34. *n.*3. *c.*36. *n.*1. Ægid de Coninch. *q* 66. *art.*12. *dub.*2. *conclus.*5. *n.*144. Lessius *lib.*3. *c.*1. *n.*48. Bonac. *disp.*2. *de baptismo quæst.*1. *p.*1. *n.*8. Et colligitur ex D. Thom. *in* 4. *dist.*4 *art.*3. *quæst.*4. Ratio ea est, quia sancti Patres, ut ex supradictis constat, concedunt martyrio vim efficaciorem in remittendis peccatis, gratiaque conferenda, quam baptismo. At baptismus sola attritione dispositis remittit peccata, & gratiam confert. Ergo martyrium id ipsum præstare debet. Neque inde fit sola attritione cognita, si conscius sis peccati mortalem, te esse ritè dispositum, sicuti esses ad baptismum suscipiendum. Quia eo casu ex præcepto divino ob periculum probabile æternæ damnationis teneris ad contritionem. Non enim ita certum est Martyrio remitti peccata attritis, sicuti per baptismum, & pœnitentiam, quæ sunt media à Christo Domino ad hunc effectum instituta.

TRACTATUS XX.

ET

DISPUTATIO UNICA,

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

PUNCTUM I.

An Confirmatio ſit Sacramentum novæ legis à Chriſto Domino inſtitutum.

1. *Confirmatio eſt Sacramentum novæ legis.*
2. *Eſt à Chriſto inſtitutum.*
3. *Quo tempore inſtitutum fuerit.*
4. *Uſus hujus Sacramenti incepit poſt Chriſti aſcenſionem.*

1. CONFIRMATIO ſic dicta, quia baptizatos confirmat in fide recepta, eſt Sacramentum novæ legis à Chriſto Domino inſtitutum. Sicuti docuit Trident. *ſeſſ.7. can.1.* anathemate, damnans eum, qui dixerit confirmationem baptizatorum otioſam cæremoniam eſſe, & non potius verum, & proprium Sacramentum. Apoſtoli namque ut Spiritum ſanctum baptizatis communicarent, tanquam ſigno, cui ex divina promiſſione gratia Spiritus ſancti annexa erat ut colligitur manifeſtè ex illo Actor. 8. ubi Petrus, & Joannes imponentes manus baptizatis, Spiritum ſanctum communicabant, quod cum vidiſſet Simon obtulit Apoſtolis pecuniam dicens: Date mihil hanc poteſtatem, ut cuicunque impoſuero manus accipiat Spiritum ſanctum. Apoſtolorum tempore viſibiliter Spiritus ſanctus per impoſitionem manus communicabatur, quia ad fundandam Eccleſiam, & propagandam Chriſti fidem expediebat. Poſtmodum inviſibiliter communicatur, ut optimè docuit Auguſt. *lib.3. de baptiſmo contra Donatiſtas, cap.16. & tract.6. in primum canon. Ioann. & lib.15. Trinit. cap.26.* Ergo impoſitio manus per chriſmatis in fronte unctionem ſacramentum eſt novæ legis, cum ſit ſignum ſenſibile, ſtabile, & perpetuum, cui gratia ſancti Spiritus annexa eſt. Vide Suar. *diſp.32. ſect.1.* hanc veritatem fidei pluribus exornantem.

2. Quod verò hoc Sacramentum fuerit à Chriſto inſtitutum conſtat ex eo, quod nullus alius poteſt ſigna ſenſibilia cauſativa gratiæ inſtituere præter eum qui poteſtatem habet gratiam conferendi, & docet Trident. *ſeſſ.7. can.1.* quatenus generaliter definit omnia ſacramenta fuiſſe à Chriſto inſtituta. Inſtituit autem Chriſtus hoc ſacramentum antequam ad cælos aſcenderet, quia eſt unum ex præcipuis Eccleſiæ fundamentis, quam Chriſtus Dominus ante Aſcenſionem ſuam plenè, & perfectè fundatam reliquit. Ergo reliquit hoc ſacramentum perfectè inſtitutum.

3. Sed quo tempore ante Aſcenſionem inſtitutum fuerit? incertum eſt. Probabilius videtur nocte cœnæ deſignatam & declaratam eſſe à Chriſto Domino materiam, & formam hujus ſacramenti, Apoſtoloſque edoctos eſſe, qualiter illud adminiſtrare deberent. Neque enim credendum eſt Chriſtum Dominum nocte cœnæ promiſiſſe divinum Spiritum Eccleſiæ daturum, ut in ea perpetuò maneret, quin ſimul declararet modum, quo ipſe Spiritus communicandus erat. Sic tradit expreſsè Fabian. Papa, *Epiſt.2. cap.1.* In illa (inquit) die Dominus Jeſus poſtquam cœnavit cum diſcipulis ſuis, & lavit eorum pedes (ſicut à ſanctis Apoſtolis prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt) Chriſma conficere docuit. Et fortè ob hanc cauſam eo die cœnæ, & non alio chriſma conſecratur. Verùm quia Apoſtoli non ſunt conſtituti Epiſcopi cum poteſtate dictum ſacramentum miniſtrandi, quouſque Chriſtus Dominus poſt Reſurrectionem ſuam dixit: Sicut miſit me vivens pater, & ego mitto vos, Joan.20. ideo uſque ad illud tempus non eſt hoc ſacramentum plenè, & perfectè inſtitutum, quia ad plenam, & perfectam ſacramenti inſtitutionem non ſolum deſignatio materiæ, & formæ, ſed etiam miniſtri requiritur. Cum vero Matth.19. parvulis Chriſtus Dominus manus imponebat, ad ſummum hoc ſacramentum adumbravit, ſed non inſtituit, cum illius materiam & formam non deſignaverit. Solùm enim imponebat parvulis manus, ut illos benediceret, & curaret, non in ſignum ſtabile, & perpetuum gratiæ ſanctificantis. Atque ita docent Suar. *diſp.32. ſect.2. circa finem.* Ægid. de Coninch. *qu.72. art.1. concil.2.* Paul. Laymann. *lib.5. ſum. tract.3. cap.1. in fine.* Bonac. *diſp.3. de Sacram. q. un. p.2. circa finem.*

4. Quod ſi inquiras, quando incepit uſus hujus ſacramenti? Reſpondeo incepiſſe poſt Chriſti Aſcenſionem; non enim expediebat divinum Spiritum perfectè alicui communicari, ſicuti per hoc Sacramentum communicatur, quin Jeſus glorificatus eſſet, juxta illud Joann.7. nondum erat Spiritus datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus, Jeſu autem glorificato Spiritus plenè Apoſtolis datus fuit non ſigno ſacramentali ſed extraordinario, & miraculoſo. Quo Spiritu accepto Apoſtoli aliis divinum Spiritum communicabant impoſitione manus. An verò cum impoſitione manus unctione chriſmatis uterentur, non ſatis conſtat, veroſimilius eſt utroque ſigno uſos fuiſſe. Aliàs diverſum eſſet ſacramentum ab eo quo nunc eſt

PUNCTUM II.

De materia remota Confirmationis.

1. *Materia remota eſt chriſma ex oleo, & balſamo confectum.*
2. *Plures doctores negant mixtionem ex balſamo eſſe neceſſariam neceſſitate ſacramenti.*
3. *Probabilius eſt oppoſitum.*

4. *Fit*

4. *Fit satis rationibus contrariis.*
5. *Chrisma necessario debet esse benedictum.*
6. *Aliqui existimant posse à simplici Sacerdote ex commissione Pontificis benedici.*
7. *Necessariò debet esse ab Episcopo benedictum.*
8. *Fit satis oppositis rationibus.*
9. *Modus consecrandi chrisma ex necessitate determinatus non est, bene tamen ex Ecclesiæ præscripto.*
10. *Quando chrisma consecrandum est, ubi, an veteris chrismatis usus sufficiat ad sacramentum conficiendum.*

1. MAteriam remotam sacramenti confirmationis esse chrisma definivit *concil. Florent. in decreto fidei &* Trident. *sess. 7. can. 2.* Chrisma autem ex oleo, & balsamo mixtum esse debet saltem ex Ecclesiæ præcepto, sed an ex necessitate, & Christi institutione difficultate non caret.

2. Plures Doctores negant hanc mixtionem esse necessariam sacramento, sed sufficere oleum: sic docent Caietan 3. *p. q. 72. art. 2.* Sotus *in 4. dist. 7. q. unic. art. 2.* Navar. *cap. 22. n 8. & consil. unico, de sacra unctione, num. 4. &* 8. Valen. *t. 4. disp. 5. q. 1. p. 2. vers. quæstio est.* Saa verbo confirmatio, *n. 7.* Barbosa 2. *p. de potest Episc. alleg. 31. n. 3.* & alii. Moventur primò, quia oleum benedictum sæpè à Patribus chrisma appellari solet, ut constat ex Cypriano *epist. 70.* & Basil. *de Spiritu sancto epist. 27.* & August. *lib. 5. de baptismo cap. 10.* & Innoc. I. *epist. 2. ad Decentium, cap. 3. &* Cyrillo Hierosol. *catechesi 3. mystagogica.* At chrisma est necessaria materia confirmationis. Ergo cum oleum benedictum absque balsami mixtione chrisma sit, sufficit pro hujus sacramenti materia. Secundo moventur ex *cap. Pastoralis de Sacrament. non iterandis* ubi Innocent. III. consultus, an ille qui solo oleo confirmatus fuit, debeat iterum confirmari, respondet in his sacramentis non esse iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum. Sentit ergo mixtionem balsami necessariam non esse ad sacramenti valorem, aliàs iterandum esset. Tertio non est credendum Christum Dominum instituisse pro Sacramenti materia rem, quæ nec facilè inveniri potest, nec inventa cognosci. At balsamum verum, & proprium difficilè invenitur, & inventum difficile cognoscitur, ut constat ex his quæ tradit Plinius, *lib. 12. cap 25.* Ergo balsamum non est materia necessaria sacramenti. Quarto mixtio balsami ita fit in modica quantitate, ut plures partes olei immixtæ maneant, quibus si ungitur confirmandus, balsamo non ungitur. At si balsamus necessaria materia esset hujus sacramenti, oporteret omnes partes olei misceri, ut sic ex oleo, & balsamo unctio conficeretur. Non igitur balsamus est materia hujus sacramenti

3. Nihilominus probabiliorem existimo sententiam affirmantem balsami mixtionem esse sacramento confirmationis materiam necessariam. Sic pluribus relatis docent Suar. *q. 72. disp. 33. sect. 1. concl. 1. 2 3. & 4.* Ægid. de Coninch. *dub. 1. concl. 1. &* 2. Paul. Layman. *lib. 5. sum. tract. 3. cap. 2. dub. 1.* Bonac. *disp. 3. de sacram. quæst. unica punct. 3. in princ.* Præcipuum hujus sententiæ fundamentum desumitur ex Concil. Florent. sub Eugenio IV. *decreto fidei, seu de Armenis.* Secundum (inquit) sacramentum est confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo quod odorem significat bonæ famæ per Episcopum benedicto. Ergo æquè balsamum, ac oleum definit concilium esse confirmationis materiam. Neque obstat in eodem decreto dicere concilium vinum aqua mixtum esse materiam Eucharistiæ, & actus pœnitentis, sub quibus satisfactionem comprehendit esse materiam pœnitentiæ, cum tamen aquæ mixtio, & pœnitentis satisfactio non sint materia necessaria supradictorum sacramentorum, quia diversimodè de his, ac de mixtione balsami concilium loquitur. Nequeenim dixit vinum aqua mixtum esse materia, sed vinum esse materiam, cuia qua misceri debet, tacitè innuens aquæ mixtionem ad materiam non pertinere. Deinde non dixit omnes actus pœnitentis esse materiam, sed actus pœnitentis esse quasi materiam ut eo termino comprehenderet non solum actus pœnitentis contritionem, & confessionem, qui propriè, & in rigore sunt materia pœnitentiæ, sed etiam, satisfactionem, quæ pœnitentiam integrat, & complet, ideoque quasi materia illius appellari potest. Adde, esto concilium dixerit actus pœnitentis esse materiam, subintelligendum erat de actibus pœnitentis præcedentibus sacramenti confectionem, non subsequentibus, qualis est satisfactio. At mixtum ex oleo, & balsamo præcedit confirmationem. Ergo æquè balsamum mixtum oleo est materia, ac est ipsum oleum. Deinde probari hæc veritas potest ex usu, & consuetudine Ecclesiæ à tempore Apostolorum, teste Fabiano Pontifice, *epist. 2. ad Episcop. Orient.* Nunquam enim hoc sacramentum confirmationis absque oleo mixto balsamo ministratum est. Signum igitur est illam esse materiam.

Cùm verò offerimus oleum esse hujus sacramenti materiam, oleum olivarum intelligimus, quia ex alia materia confectum, ut ex nucibus, vel grandi pisce, vulgo *ballena* oleum propriè non est, ideoque nec materia hujus sacramenti, sicuti tradit D. Thom. ab omnibus receptus *q. 72. art. 2. ad 3* Balsamum autem, quod misceri debet, non est solum balsamum, seu Syriacum, sed sufficit Indicum, quia verum balsamum est. Neque obest Paulum III. & Pium IV. concessisse Indis, ut balsamo illius regionis chrisma conficeretur, quia in hac concessione non privilegium concessit sed dubitationem sustulit declarando verum balsamum esse, ex quo chrisma confici possit, sicuti notarunt Suar *disp. 33. sect. 1. vers. atque in hunc modum.* Ægid. de Coninch. *q. 72. art. 3. dub. 1. n 41.*

4. Neque obstant rationes contrariæ. Ad primam nego oleum benedictum absque balsami mixtione appellari communiter, & frequenter chrisma, contrarium enim apertè colligitur ex Dionys. *cap. 4. de Eccles. hierarch., part. 2. circa finem & p. 3. circa finem.* Cyprian. *Serm. de unctione chrismat.* Fabiano Pontifice *epist. 2. ad Episcopos Orient.* & Innocent. III. *in cap. unico, de Sacra unctione,* D. Thom. *q. 72. art. 2. & 4. contra gentes c. 66.* Et licèt aliquando oleum benedictum sub nomine chrismatis fuerit appellatum, id factum est, quia præcipua pars illius mixti est oleum, non quia balsami mixtione careat.

Ad secundum ex cap. *Pastoralis.* respondeo non esse in sacramento ordinis, & confirmationis iterandum, sed caute supplendum, quod incautè fuerit prætermissum intelligi debere casu quo verum sacramentum confectum fuerit. Neque enim credibile est Pontificem voluisse negare sacramentum confirmationis absque balsami mixtione collatum iterandum non esse saltem sub conditione, cum manifestum sit ad minus sub opinione probabili invalidum fuisse. Neque item præsumi potest voluisse balsamo tantum ungi confirmatum, cùm nulla hujus unctionis sit in Ecclesia consuetudo. Quia tamen Pontifex non solum de defectu balsami in confirmatione, sed de defectu impositionis manus in ordine subdiaconatus fuit consultus, ea de causa utrique interrogationi respondit; hæc sacramenta iteranda non esse, subintellige, si verè collata sint. An vero fuerint eo casu verè collata noluit definire.

Ad tertium nego balsamum difficilè inveniri, & difficilè cognosci, siquidem tempore nascentis Ecclesiæ, & quando tyranni eam summo odio prosequebantur

quebantur; inveniebantur, & cognoscebantur. Neque obstat Plinii testimonium, loquitur enim non de suo tempore, sed de tempore antiquo, ut benè comprobat Suar. *d. disp. 33. sect. 1. circa finem.*

Ad quartum concedo opus non esse ut omnes partes olei balsamo mixtæ sint, sufficit si qualitates balsami, precipuè illius odorem receperint. Quia eo ipso totum chrisma ex oleo, & balsamo mixtum dicitur.

5. Gravior dubitatio est, an chrisma debeat necessario esse ab Episcopo benedictum, ut sit apta materia confirmationis? Conveniunt omnes doctores necessariò debere prius benedici, ut ea benedictione, & consecratione disponatur ad hujus sacramenti usum. Quare si oleo mixto balsamo absque ulla benedictione confirmares, sacramentum confirmationis nequaquam conficeres. Ratio hujus veritatis est Christi institutio usu, & consuetudine Ecclesiæ declarata, & pluribus conciliis comprobata. Congruentia desumitur ex eo quod expediens sit rem communem, & vulgarem priusquam ad sanctificandos homines assumatur, fieri sacramentum, & religiosam, ut rectè D. Thom. *quæst. 72. art. 3.* Et licet in sacramento baptismi ea sanctificatio aquæ requisita non sit ex necessitate, id factum est, quia est sacramentum summæ necessitatis, & quia Christus Dominus baptismum Joannis suscipiendo aquas omnes in ea figura sanctificavit; ob quam causam panis, & vinum in Eucharistia non est prius ex necessitate benedicendus; præterquam quod ipsa consecratione benedicitur, & consecratur.

6. Sed an hæc benedictio chrismatis necessariò facienda sit ab Episcopo, vel possit à simplici Sacerdote ex commissione summi Pontificis fieri. Difficultatem habet. Tum quia Pontifex simplici Sacerdoti committere potest (ut infra dicemus) administrationem sacramenti confirmationis. Ergo poterit committere Chrismatis consecrationem utpotè ad ipsam administrationem requisitam. Concesso namque uno conceduntur requisita ad illud *leg. ad rem mobilem. ff. de procuratorib. leg. si quando. Cod. de inofficioso testam. cap. præterea de officio delegati.* Tum etiam quia concil. Tolet. 1. can. 2. referens aliquibus locis, & provinciis presbyteros chrisma confecrasse, nullatenus declarat invalidam esse illam consecrationem, sed solùm statuit legem prohibentem, nec ex illo die ullus alius præter Episcopum chrisma conficiat. Indicat ergo concilium consecrationem valere, aliàs irritum esse declararet. Et ita sustinet Caietan. 3. *p. q. 72. art. 2.* & probabile reputat Barbosa, 2. *p. de potest. Episc. allegat. 31. n. 14.* Gregor. de Valen. *t. 4. disp. 5. quæst. 1. p. 2. col. ult.* Suar. *disp. 33. sect. 2. opin. tertia.*

7. Nihilominus certum est materiam hujus sacramenti necessario esse chrisma ab Episcopo benedictum: sic docent ferè omnes Doctores teste Suar. *disp. 33. sect. 2. vers. in hac re.* Ægid. de Coninch. *q. 71. art. 3. dub. 1. concl. 4.* Paul. Laymann. *lib. 5. sum. tract. 3. cap. 2. dub. 2.* Bonac. *disp. 3. q. unica pun. 3.* Sumiturque ex Concilio Rom. sub. Sylvestro *c. 3.* Tolet. 1. *cap. 10.* Carthagin. 2. *c. 3.* & Carthagin. 3. *c. 36.* sed præcipuè ex Florent. sub Eugenio IV. *in decreto fidei*, Vbi definiens materiam Confirmationis, inquit: Est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem conscientiæ significat, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ per Episcopum benedictum. Ergo materia hujus sacramenti Episcopali benedictione præparari necessariò debet. Hinc (meo judicio) evidenter infertur non posse simplici Sacerdoti committi à Pontifice chrismatis benedictionem, quia Pontifex nequit materiam ullius sacramenti mutare. At hujus sacramenti materia est chrisma Episcopali benedictione præparatum. Nequit Ergo Pontifex loco Episcopalis benedictionis Sacerdotalem subrogare. Deinde Episcopalis benedictio pro conficiendo chrismate ex institutione Christi habetur. Christus enim teste Fabiano *epist. 2. ad Episcop. Orient.* docuit Apostolos modo conficiendi chrisma, quem Ecclesia semper servavit. At Ecclesia nunquam simplici Sacerdoti chrismatis consecrationem commisit, tametsi aliquando commiserit confirmationis administrationem, ut notavit Concilium Florent. *loco allegato.* Ergo chrismatis consecratio ex institutione Christi Episcopis annexa est. Non igitur potest Pontifex id mutare, aut variare. Congruentia hujus institutionis fuit major dignitas materiæ sacramenti, in qua designanda decens erat, ut omnes à Prælatis Ecclesiæ, primisque Pastoribus dependerent.

8. Rationes contrariæ num. præcedenti adductæ facilè dissolvuntur. Illa enim est communis regula: Concesso uno conceduntur ea, quæ ad ipsum prærequiruntur, locum habet in subordinatis eidem potestati. At confectio chrismatis non subordinatur Pontifici, ut delegare eam possit simplici Sacerdoti, eo quod ex Christi institutione Episcopali ordini annexa sit. Neque est mirum, quod Christus Dominus reliquerit Pontifici potestatem communicandi Confirmationis ministrationem simplici Sacerdoti, non tamen reliquerit potestatem communicandi chrismatis confessionem; quia confirmationis ministratio sæpè expostulat fieri à simplici Sacerdote ob absentiam Episcopi. At chrismatis confectio raro; vel nunquam, cum unius chrismatis consecratio pluribus locis, imo diœcesibus possit deservire, & ex uno loco in alium facilè chrisma transferri. Argumentum vero sumptum ex concil. Volet. inefficax est. Non enim ex eo quod concilium omiserit declarare irritam esse chrismatis confectionem factam à Presbytero inferri potest validam esse, potius enim contrarium inferri debet ex eo quod factum prohibuerit lege perpetua declaranda id quod de se jure divino erat prohibitum, potius quam denuò aliquid prohibente.

9. Modus consecrandi chrisma jure divino signatus non est. Non enim credendum est omnem ritum, & cæremoniam, quam in consecratione observat in præsenti Ecclesia, semper fuisse observatum tanquam essentialem, & à Christo Domino institutum. Quapropter solum jure divino chrisma benedicendum, & consecrandum est divini Spiritus invocatione. Quo autem modo, seu forma sit consecrandum Ecclesiæ remissum est. Ipsa verò Ecclesia poterat sic statuere modum consecrandi chrisma, ut omnem alium irritum, & sacrilegum redderet. At quia de hac intentione non constat, nec conveniens erat, ideo quælibet benedictio chrismatis ab Episcopo facta sufficiens erit, ut materia disposita sit confirmationis sacramento, tametsi grave peccatum committatur omittendo ritum ab Ecclesia præscriptum. Sic Suar. *disp. 33. sect. 2. §. restat*, Ægid de Coninch. *quæst. 72. art. 3. dub. 1. n. 47.* Paul. Laymann. *lib. 5. sum. tract. 3. cap. 2. dub. 2. circa finem.* Bonac. plures referens, *disp. 3. de Sacram. quæst. unica, pun. 3. vers. observa secundo.*

10. Singulis annis in die Cœnæ Domini chrisma consecrandum est, & vetus servandum, ut tradit Fabian. Papa, *epist. 2.* & concil. Carthagin. 4. *cap. 56.* & habetur *cap. litteris de consecrat. dist. 3. & cap. omni tempore de consecrat. dist. 4. c. quoniam de sentent. excom. municat. in 6.* Quod si absens fuerit Episcopus, vel eo tempore sedes Episcopalis vacaverit proximus Episcopus adiri poterit, ut chrisma conficiat. Sic Glossa in *cap. si Episcopus, verbo spiritualibus de supplenda negl. gent. Prælator.* Unde Episcopus ministrans confirmationem chrismate veteri, seu præcedente anno benedicto graviter peccabit, ut colligitur ex supradictis decretis, & præcipuè ex *cap. si quis de alio de consecrat. dist. 4.* Sacramentum tamen conficiet, quia Florent. Concilium exactè describens hujus sacramenti materiam tantum expressit benedictionem Episcopi,

copi. Quod vero sit illa benedictio hoc, vel illo anno facta, quid extrinsecum est, & accidentarium non ex Christi institutione, sed ex Ecclesiæ præcepto. Sic Suar. *disp.33. sect.1. in fine.* Ægid. de Coninch. *q.72. art.3. dub.1. n.49.* Bonac. *disp.3. quæst. unica. pun.3. vers. observa primo.* Barbosa, *2. p. de potest. Episc. allegat.31. n.17.* Eman. Saà alios referens *verbo confirmatio, num.6. in edit. Romana.*

Punctum III.

Quæ sit materia proxima Confirmationis.

1. *Materia proxima est unctio chrismatis per Episcopum benedicti.*
2. *Facienda est unctio in figura crucis ex necessitate sacramenti.*
3. *Item in fronte confirmandi.*
4. *Facienda est unctio manu Pontificis immediatè, pollice ex necessitate præcepti.*
5. *Unctio in ea quantitate facienda est, quæ sufficiat, ut verè confirmandus unctus dicatur.*

1. Constat materiam proximam confirmationis esse unctionem ex chrismate per Episcopum benedicto, quia in his sacramentis, quæ in usu consistunt, usus materiæ remotæ est proxima illorum materia, quia est, quæ immediatè per formam significatur. Hæc autem unctio debet esse in figuram crucis in fronte confirmandi facta manu Episcopi, sicuti omnes doctores comprobant ex usu, & traditione Ecclesiæ, & ex variis conciliorum decretis, præcipuè ex Florent. sub Eugen. IV. *decreto de Armenis.*

2. Primo facienda est unctio in figuram crucis, neque satisfaciet Episcopus, si confirmandum signet cruce, & postmodum ungat; sed necessario ipsa unctio in figuram crucis facienda est, ut satis colligitur tum ex usu, & consuetudine Ecclesiæ. Tum ex Concilio Florent. in *suprad cto decreto de Armenis.* Tum ex Innocent. I. & Gregor. I. relatis in *cap. presbyteris de consecrat dist.4.* & ex Stephano Papa relato in *cap. numquid de consecrat. dist.5.* Neque deest congruentiam hujus institutionis. Etenim hac sacramenti unctione munimur ad crucem Christi palam confitendam. Decuit ergo eam unctionem sub figura crucis fieri, & ita tradit expressè D. Thom. *q.72. art.4. ad 3.* Suar alios referens, *disp.33. sect.3. post prin.* Ægid. de Coninch. *lib 1. n.60. & seqq.* Paul. Lay-mann. *lib.5. sum.3. tract.3. cap.2. n.4. concl.2.* bonac. *disp.3. de sacram q. unica pun.3. n.5.*

3. Secundò necessariò fieri debet prædicta unctio in fronte confirmandi, neque alibi facta tenet, colligitur manifestè ex usu Ecclesiæ ab antiquis Patribus comprobato, præcipue Tertulliano, *lib. de præscr ption. cap.40.* Dionysio *de Eccleſiast. Hierarch. cap.2. p.2.* Cyrillo Hierosolymit. *catech si.3. & 4. mystagogica.* Gregor. Turonen. *lib.2. de gestis Francor. cap.31.* August. *Ps.141.* super illa verba: *In via hac, qua ambulabam,* sed precipuè id constat ex Innocent. III. *in cap. ucico de Sacra unctione*, & ex Concil. Florent. decreto de Armenis, declarante hujus institutionis rationem. Ideo in fronte (inquit concilium) ubi verecundiæ sedes est, confirmandus ungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipuè crucem ejus, quæ Judæis est scandalum, gentibus autem stultitia secundum Apostolum. Propter quod crucis signo signatur. Et licet antiqui Patres expressè non dixerint hanc in fronte signationem esse essentialem, satis id indicarunt absque ulla varietate convenienter faciendam esse. Præterquam quod eodem modo requirunt unctionem in fronte, ac in figura crucis, sed unctionem in crucis figuram reputant essentialem. Ergo etiam in fronte reputare debent. Denique ex fine hujus sacramenti, qui est ad confitendum Christum absque ulla erubescentia, & timore, non leve argumentum desumitur ad probandum unctionem in fronte necessariam esse hujus Sacramenti valori. Sicuti comprobat D. Thom *q.72. art.9.* Et ita tradunt pluribus relatis Suar. *q.72. art.4. disp.33. sect.3. in medio.* Ægid. de Coninch. *art.3. dub.1. concl.5. n.53.* Paul. Layman. *l 5. sum. tract.3. c.2. n.4. circa finem.* Bonac. *disp.3. de Sacram. q.unic. p.3. num.5.*

4. Tertiò facienda est hæc unctio Episcopi pollice dextræ manus chrismate tincto, sicuti cavetur in Pontificali Romano, & ab Ecclesia est perpetuò observatum. Ob hanc enim causam præcipuè consecratur pollex Pontificis, ut dixit Durand. *lib.6. rationalis, c.84.* An autem hoc sit necessarium non solum ex necessitate præcepti, de quo non est dubium, sed etiam ob sacramenti valorem, difficultatem habet; facta enim unctione medio aliquo instrumento; utpote penicillo, seu calamo forma hujus sacramenti verificatur. Non igitur esse potest necessarium fieri manu Pontificis immediatè. Neque ex usu, & consuetudine Ecclesiæ ea necessitas colligi potest. Aliàs fieri pollice manus dextræ necessarium esset, Nihilominus dicendum est necessarium esse fieri unctionem manu Pontificis immediatè, quia impositione manus hoc Sacramentum à primis Ecclesiæ exordiis conficitur, ut constat ex Apostolorum usu. Quod vero fiat pollice dextræ manus, ex ritu præscripto ab Ecclesia habetur, non ex Christi institutione, & Apostolorum usu. Sic tradit Suar. *disp.33. sect.3. in fine.* Ægid. de Coninch. *q.72. art.3 dub.1. in fine.* Paul. Laymann. *lib.5. sum. tract.3. c.2. in fine.* Bonac. *disp.3. de Sacram. q. un. p.3. n.4.*

5. Quod si roges in qua quantitate hæc unctio facienda sit? Facilè respondetur fieri debere ea quantitate, quæ sufficiat, ut digito Episcopi ungatur confirmati frons in figuram crucis, quia eo ipso forma hujus sacramenti vera redditur. Suar. *disp.33. sect.3. vers. circa alteram partem.* Bonac. *disp.3. de Sacram. q. un. p.3. num.5.*

Punctum IV.

Vtrum hoc Sacramentum sub chrismatis unctione semper in Ecclesia ministratum fuerit?

1. *Præponitur dubitandi ratio.*
2. *Probabilius est Apostolos sola manus impositione Spiritum sanctum communicasse.*
3. *Probabilius est frequenter manus impositione chrismatis unctione communicasse.*
4. *In principiis tamen nascentis Ecclesiæ sola manus impositione utebantur ad communicandum divinum Spiritum impositione visibilibusque donis comitatum.*

1. Ratio dubitandi est; quia Apostoli, Actor.8. & 19. baptizatis Spiritum sanctum conferebant manus impositione absque ulla chrismatis mentione. Signum igitur est eo tempore sacramentum hoc ministratum fuisse absque chrismate.

2. Dicendum igitur est esse satis probabile Apostolos communicasse Spiritum sanctum baptizatis sola manus impositione absque chrismate, quia verisimile est Christum Dominum hanc illis potestatem tradidisse. Tum ut faciliori modo possent baptizatos confirmare in fide. Tum ut Apostolica dignitas fidelibus efficacius commendaretur. Ob quam causam specie visibili, & plurium donorum communicatione Spiritus sanctus concedebatur. Sic docent expressè Alen. *4 p. quæst.24. memb.1. &* Bonaven. *in dist.7. art.1. q.1. & 2.* Verùm esto ita factum fuerit nullate-

nus dicendum eſt ſacramentum confirmationis miniſtraſſe. Hoc enim ſacramentum ſub chriſmatis unctione miniſtrandum eſſe docuit Chriſtus Dominus, Teſte Fabiano *epiſt. 2. ad Epiſcopos Orient.* Non igitur ſola manus impoſitione unquam miniſtrari potuit. Adde communicationem divini Spiritus ſola manus impoſitione cum Apoſtolis ſpiraſſe, quia cum ipſis ſpiravit modus communicationis divini Spiritus ſub forma illa viſibili, & extraordinaria. Ergo illa manus impoſitio propriè ſacramentum non erat cum non eſſet cæremonia ſtabili lege inſtituta.

3. Probabilius tamen cenſeo Apoſtolos communiter, & frequenter non communicaſſe fidelibus divinum Spiritum ſola manus impoſitione abſque chriſmatis unctione, quia neque ex ſcriptura, neque ex Patribus contrarium colligi poteſt, neque eſt ulla ratio, quæ id perſuadeat. Ex ſcriptura namque ſolum colligitur contuliſſe Apoſtolos divinum Spiritum manus impoſitione. Sed inde non infertur unctionem non interveniſſe. Qui enim ungit, manus imponit. Et licet ſcriptura unctionem non declaraverit; quia tamen illam non negavit, aſſerenda eſt, ne diſpenſationes, & privilegia abſque firmo fundamento concedamus. Ex patribus autem nullus eſt qui aſſerat frequenter, & ordinariè Apoſtolos communicaſſe fidelibus divinum Spiritum ſola manus impoſitione abſque chriſmatis unctione. Potius contrarium indicant vocantes hoc ſacramentum tum chriſma, tum impoſitionem manus, tum Confirmationem, tum ſignaculum Domini, ut conſtat ex relatis *præcedenti pun.* & præcipuè ex Innocent. III. in *cap. un. de ſacra unctione.* ubi per frontis chriſmationem manus impoſitio deſignatur, quæ alio nomine Confirmatio dicitur. Deinde morem, quem nunc ſervat Eccleſia in fidelium confirmatione, & divini Spiritus communicatione ſervaſſe Apoſtolos teſtatur Cyprian. *epiſt.* 73. Euſebius Papa, *epiſt.* 3. *in fine.* Auguſt. 15. *de civit. Dei. c.* 18. ob quam cauſam Fabian. Papa. *epiſt.* 2. aſſerit Apoſtolos quotannis novum Chriſma conſecraſſe, & vetus combuſſiſſe. Igitur illa manus impoſitio, qua frequenter Apoſtoli Spiritum ſanctum communicabant unctioni chriſmatis conjuncta erat. Præterea nulla eſt ratio perſuadens Apoſtolos confirmaſſe fideles ſola manus impoſitione abſque chriſmate. Nam ſi id concedendum eſſet, eo quod eſſet modus facilior, cum plures excogitari poſſent faciliores, illis aſſerendum eſſet divinum Spiritum communicari poſſe. Deinde dignitatem Apoſtolicam non magis commendat uti ſola manus impoſitione, quam chriſmatis unctione ad communicandum Spiritum ſanctum. Cum hæc communicatio non ex ſigno ſecundum ſe, ſed ex promiſſione divinæ virtutis ortum habeat. Igitur nulla eſt ratio perſuadens Apoſtolos, ſine chriſmate confirmaſſe, quin potius contrarium perſuadet congruentia deſumpta à magiſterio, & exemplo. Etenim Apoſtoli conſtituti ſunt à Chriſto Domino magiſtri, & Doctores mundi verbo, & exemplo. Expediebat ergo ſacramenta omnia miniſtrare ritu per Chriſtum inſtituto, & in Eccleſia perpetuò duraturo. Ergo expediebat uti chriſmate in confirmatione fidelium. Ergo credendum eſt eo uſos fuiſſe. Et ita docent Suar. *diſp.* 33. *ſect.* 4. *poſt. med.* Ægid. de Coninch. *q.* 67. *artic.* 3. *dub.* 2. Bellarm. *lib.* 2. *de Sacram. cap.* 9. Paul. Layman. *lib* 5. *ſum. tract.* 3. *cap.* 2. *num.* 5. Bonac. *diſput.* 3. *de ſacram. q.* 1. *p.* 2. *num.* 6. *in fine.*

4. Notanter dixi Apoſtolos uſos fuiſſe chriſmate regulariter, & frequenter in Confirmatione fidelium, ut abſtinerem ab illa quæſtione, an aliquando communicaverint divinum Spiritum ſola manus impoſitione? Etenim ſunt plures Doctores aſſerentes Apoſtolos non uſos fuiſſe chriſmate in principio, cum Spiritus ſanctus viſibili forma, & cum dono linguarum, & Prophetiæ communicabatur, ſed tunc uſos fuiſſe ſola manus impoſitione ex ſpeciali Dei commiſſione. Ceſſante vero illa miraculoſa communicatione uſos fuiſſe chriſmate. Sic docent D. Thom. *q.* 72. *artic.* 2. *ad* 1. *& art* 4. *ad* 1. Paludan. *in* 4. *d.* 7. *q.* 2. *art.* 2. *n.* 12. & *art.* 3. *num.* 24. Sotus. *ibi art.* 2. *ad* 1. Duran. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 1. & alii relati à Suar. *diſp.* 33. *ſect.* 4. *verſ. tertia, & media ſententia.*

Punctum. V.

Quæ ſit forma Sacramenti Confirmationis.

1. *Statuitur forma confirmationis.*
2. *Proponitur dubium, an omnia contenta in forma ſint de neceſſitate ſacramenti.*
3. *Statuitur expreſſionem Trinitatis neceſſariam eſſe.*
4. *Crucis ſignaculum exprimi neceſſario debet.*
5. *Exprimi debet chriſmatis unctio.*
6. *Fit ſatis rationi dubitandi num.* 2. *adducta.*

1. Forma ſacramenti Confirmationis ea eſt. Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. Sic D. Thom. ab omnibus receptus *q.* 72. *art.* 4. conſtat ex concilio Florent. in *decreto fidei.* ſub Eugenio IV. uſuque & traditione Eccleſiæ perpetua Ratio ſumenda eſt ex Chriſti inſtitutione, congruentia ex fine, effectu, & cauſa efficiente, ſicuti explicuit optime D. Thom. *dicto art* 4. Cùm enim per hoc ſacramentum fideles deſignentur in Chriſti milites, accipiantque robur ad fidem, & gratiam in baptiſmo ſuſceptam retinendam, & abſque ullo timore, & verecundia confitendam, oportuit hæc omnia forma explicari. Verbis enim illis; Conſigno te ſigno crucis declaratur ſignaculum crucis fronti confirmandi appoſitum, ejuſque animæ charactere indelebili ſpiritualiter impreſſum. Robur verò acceptum exprimitur; cum dicis. Confirmo te chriſmate ſalutis. At quia robur hoc, & ſignaculum ſunt ad fidem Chriſti palam confitendam, decuit præcipuum fidei myſterium, quod eſt ſanctiſſimæ Trinitatis, exprimi, ſicuti exprimitur in forma baptiſmi.

2. Sed non caret difficultate, an hæc omnia ſint de neceſſitate ſacramenti. Tum quia ex ſcriptura non conſtat de ſupradicta forma, ſicuti conſtat de baptiſmo. Neque item ex uſu Apoſtolorum, qui vel ſola manus impoſitione, vel ſimul cum unctione chriſmatis Spiritum ſanctum communicabant. Neque item ex conſuetudine Eccleſiæ. Nam in libro, qui ſcribitur ordo Romanus in officio Sabbathi ſancti ſolum hæc forma ſtatuitur. Confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Et faver edictum Conſtantini referentis confirmationem à Sylveſtro factam, in quo nulla eſt chriſmatis mentio, nec confirmationis, ſed ſolùm ſignationis. Conſentit Duran. *in rational. divinorum officior. lib.* 6. *cap* 84 Alii patres quorum meminit Bellar. *lib.* 2. *c.* 19. Suar. *d. diſp.* 33. *ſect.* 5. *princ.* ſolius unctionis mentionem fecerunt, cui Pontificis oratio jungebatur. Non igitur ſupradicta forma quoad omnes ejus partes eſſentialis eſt.

3. Sed hæc non urgent, ut à Catholica veritate recedamus. Quare affirmandum eſt ſupradictam formam eſſentialem eſſe, etiam quoad omnes ſuas partes, ſiquidem Concilium Florentinum exactè formam hujus ſacramenti deſcribens ſupradicta verba ſtatuit, credit ergo eſſentialia eſſe, alias formæ partes non eſſent. Et imprimis neceſſaria eſt in hoc ſacramento ſicut in baptiſmo expreſſio Trinitatis, ideo enim in baptiſmo hæc expreſſio requiritur, quia cum baptizatus fidem in eo ſuſcipiat, expedit præcipuum fidei myſterium profiteri. At confirmatus ſuſcipit in confirmatione obligationem ejuſdem fidei

pro

pugnandæ eaque de cauſa inſtar miles ſui ducis in ſignitus Chriſti cruce ſignatur, & inſtar athletæ ad pugnandum diſpoſiti unctione chriſmatis exterius & interius Spiritus ſancti robore præparatur. Expediens ergo fuit præcipuum fidei myſterium exprimi. Adde hoc ſacramentum, ſicuti dicit D. Thom. receptus ab omnibus. *quæſt.* 62. *art.* 4. eſt baptiſmi perfectio. Ergo ſicut in baptiſmo fuit conveniens Trinitatem exprimi, etiam in hoc ſacramento conveniens eſt. Denique Sanctiſſima Trinitas eſt principalis cauſa roboris ſpiritualis hoc ſacramento ſuſcepti, ut ipſe D. Thom. notavit. Congruum fuit erga hanc cauſam in forma hujus ſacramenti exprimi. Et ita docent omnes Catholici Doctores apud Saul. *diſp.* 33. *ſect.* 5. *verſ. ſecundo dubitari poteſt.* Ægid. de Coninch. *q.* 72. *art.* 4. *n.* 69. Peſant. *ibidem.* Henriq. *lib.* 2. *cap.* 2. Bonac. *diſp.* 3. *q. unica. punct.* 3. *num.* 6. Paulo Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 3. *cap.* 3. & alii.

4. Secundo neceſſarium eſt exprimi crucis ſignaculum, neque enim ſatisfacies, ſi dicas, ſigno te, Confirmo chriſmate ſalutis. Nam eſto illo verbo *ſigno* facta cruce videaris ſignaculum crucis declarare, quia tamen verbo illo *ſigno* non declaras, & forma materiam declarare proximam declara, ideo omiſſo crucis ſigno forma nulla redditur, & ita plurib relatis firmat Suar. *dicta diſp.* 33. *ſect.* 5. *verſ. nihilomin.* Ægid. de Coninch. *quæſt.* 72. *art.* 4. *n.* 67. Adde te non ſatisfacere, ſi loco verbi *ſigno* apponeres *Confirmo*, dicereſque confirmo te ſigno crucis, & chriſmate ſalutis, quia ut rectè dixit Suar. *ſupra* ſignum crucis exprimi debet, ut actio miniſtri conſignantis. Quod verbo confirmo non exprimitur.

5. Tertiò exprimi debet chriſmatis unctio, quia eſt materia proxima hujus ſacramenti. Videtur autem ſolo verbo *Confirmo* ad juncta chriſmatis unctione ſatis explicari, ſicuti ſolo verbo baptizo exprimitur ablutio, favetque Rituale Romanum antiquum, cujus meminit Bellarm. *lib. de confirmat. c.* 10. in quo hujus ſacramenti forma in hunc modum deſcribitur. Signa eos Domine ſigno crucis: Ego te confirmo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Verius tamen exiſtimo cum D. Thom. Suar. Ægid. & aliis ſupra relatis ſolo verbo confirmo unctionem non exprimi, ſicuti exprimitur ablutio per verbum baptizo. Quia quocunque ſigno ſive crucis, ſive unctionis confirmatio fieret, verbo confirmo declarari poſſet, quippe verbum confirmo de ſe eſt indifferens, indiget enim alio verbo, ſeu nomine, quod ejus indifferentiam determinet. Adde ſi loco verbi confirmo, ungo, vel ſigno apponeres, formam eſſentialiter mutares, quia illis verbis non exprimeres præcipuum hujus ſacramenti effectum, qui eſt robur ad fidem palam confitendam, & propugnandam.

6. Reſtat rationibus dubitandi *n.* 2. adductis ſatisfacere. Ad primam nego ſupradictam formam ex ſcriptura non colligi: colligitur namque ex Paulo 2. Corinth. 1. Quia confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos Deus, & qui ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris, ſicuti explicarunt ibi Theodoret. Anſelm. Lyranus, & alii ibi., & Ambroſ. *de his qui myſteriis initiantur. c.* 7. Etenim verbo *confirmat.* effectum hujus ſacramenti deſignavit, unctionem exteriorem chriſmatis verbo *unxit* declaravit, ſignaculum crucis verbo *ſignavit.* Verum eſto concederemus ex ſcriptura non ſatis colligi ſupradictam formam eſſe à Chriſto traditam, ſufficit, ad id comprobandum perpetua Eccleſiæ traditio. Neque enim omnia in ſcripturis expreſsè contineri debent, cum plura Chriſtus Dominus circa ſacramentorum adminiſtrationem Apoſtolos docuerit, quæ ſola traditione conſtant. Ex uſu Apoſtolorum efficax argumentum deſumi non poteſt. Non enim conſtat, an uſi fuerint ſacramento ad fideles confirmandos. Doctores namque aſſerentes chriſmate uſos fuiſſe, conſequenter dicere debent formam hujus ſacramenti expreſſiſſe, cum nullum appareat fundamentum id negandi, ut benè expendit Suar. *dicta ſect.* 5. *in fine.* Ad teſtimonium adductum ex libro, qui inſcribitur *Ordo Romanus* (ſi fortè ſic ſe habet) reſpondeo, ibi non exprimi totam formam, ſed ſub verbis conceſſis confirmationem declarari, ſicuti idem eſt dicendum de edicto Conſtantini. Antiqui Patres formam hujus ſacramenti non ſatis expreſſerunt. Nam ut conſtat ex Innocent. *epiſt.* 1 *ad Decentium* §. 3. verebantur noſtræ fidei myſteria infidelibus manifeſtare, ne contemnerentur. Nullus tamen negavit aliquod verbum in ſupradicta forma relatum neceſſarium fuiſſe. Illud verò certiſſimum eſt, ſi formam hujus ſacramenti deprecativè proferres, omnino ſenſum, & ſignificationem illius mutares, utpote qui non ſignificares hujus ſacramenti effectum ut à te operatum. Quo circa indicativo, ſeu imperativo modo proferri neceſſariò debet, & notavit Suar. *dicta diſp.* 34. *ſect.* 5. *circa fin.*

Punctum VI.

Qui ſint Confirmationis effectus.

1. *Primus eſt gratiæ augmentum, ad quod ſuſcipiendum qualiter debeas eſſe diſpoſitus.*
2. *Secundus effectus eſt gratiæ auxilium ſuo tempore concedendum.*
3. *Tertius eſt character in ſignum reiterari hoc ſacramentum non poſſe.*
4. *Explicatur quidam difficilis locus Auguſtini.*

1. PRimus, & præcipuus confirmationis effectus ex omnium ſententia eſt augmentum gratiæ per baptiſmum receptæ. Hoc enim ſacramentum à ſanctis Patribus perfectio baptiſmi communiter appellatur, quia gratiam baptiſmi perficit, & intendit. Quapropter hoc ſacramentum per ſe expoſtulat ſuſcipientem in gratia eſſe conſtitutum argumento ex naturalibus deducto, ut quis augmentetur, & creſcat, vitam habere debet, ſic in ſpiritualibus, ut roboretur Spiritu; & gratiæ augmentum recipiat, gratiam, quæ eſt vita ſpiritualis, habere debet. Quocirca conſcius peccati mortalis contritione, vel attritione cum ſacramento pœnitentiæ ſe diſponere debet, ut ſic expulſo peccato, & gratia recepta apto exiſtat ad augmentum gratiæ, proprium hujus ſacramenti effectum, recipiendum. Præmittere vero confeſſionem ſacramentalem (etſi ſalubre conſilium ſit) non tenetur, quia neque ex natura rei, neque ex ullo præcepto divino, aut Eccleſiaſtico hæc obligatio colligi poteſt. Nam eſto in *cap. ut jejunii de conſecrat. diſt.* 5. caveatur ſuſcepturos hoc ſacramentum & jejunos eſſe debere, & præmiſſa confeſſione diſpoſitos, id tantum ex conſilio præſcribitur, non ex præcepto, ut notavit D. Thom. *receptus ab omnibus quæſt.* 72. *art.* 8. Quod ſi credens te eſſe contritum, cum tamen ſolum attritus ſis, accedas ad hoc ſacramentum recipiendum, recipies gratiam juxta opinionem ſatis probabilem, & piam aſſerentem ſacramenta vivorum aliquando primam gratiam conferre non ponentibus obicem. Qui enim attritione peccatum deteſtatur ad illius remiſſionem ſe diſponit, voluntatem peccati retractando. Ex alia parte ſacramentum ſuſcipit credens eſſe ritè diſpoſitum non igitur obicem ponit ſacramenti effectui. Ergo præſumi debet de divina bonitate non eſſe effectum ſacramenti negandum. Et ita ſuſtinet in præſenti Suar. *diſp.* 34. *ſect.* 2. *verſ. occurrit.* Paul. Layman. *lib.* 5. *ſum. t.* 3. *c* 4. Bonac. *diſp.* 3. *q. unica p.* 4. *n.* 7. & dixi *tract.* 18. *pun.* 7.

2. Secundus effectus confirmationis eſt ſpeciale auxilium ſuo tempore concedendum ad gratiam in baptiſmo receptam retinendam; & fidem abſque ullo timore, & verecundia cum opus fuerit confitendam. Hoc auxilium ut loco allegato dixi neque ſemper ex vi ſacramenti efficax conceditur, alias confirmatus nunquam fidem, & gratiam amitteret, imo neque omni tempore, & occaſione ex vi ſacramenti donatur, quia non eſt unde colligamus ſic eſſe à Deo promiſſum, ſed illud auxilium conceditur qualiter, & quando à divina bonitate præordinatum eſt. Vide dicta *tract.* 18. *punct.* .

3. Tertius, & præcipuus confirmationis effectus eſt character, qui eſt qualitas quædam ſpiritualis, & ſupernaturalis animæ inhærens, quo confirmatus in militem Chriſti munitum, & roboratum eſt inſignitus ut fidem ejus defendat. Semel autem animæ impreſſus indelebilis eſt, eaque de cauſa Confirmationis Sacramentum iterari non poteſt, ſicuti colligitur ex *cap. dictum eſt cap. de homine de conſecrat. diſt.* 5. & ex Trident. *ſeſſ.* 7. *can.* 9. *de Sacram. in genere.*

4. Solum obſtat huic Catholicæ veritati difficilis locus Auguſtin. *lib.* 3. *de baptiſmo cap.* 16. qui & refertur in *cap. manus* 1. *quæſt.* 1. ubi ait: Manus impoſitio, non ſicut baptiſmus repeti non poteſt, quid enim eſt aliud niſi oratio ſuper hominem. Quod autem per manus impoſitionem intelligat Auguſtin. Confirmationis ſacramentum, colligitur tum ex exordio illius capitis, ubi inquit: Spiritus ſanctus in ſola Catholica Eccleſia per manus impoſitionem datur. Tum ex verbis ſubſequentibus. Non enim ait, datur Spiritus ſanctus ſenſibilibus miraculis atteſtantibus per manus impoſitionem, ſicut antea dabatur. Nihilominus aſſerendum eſt ſermonem ibi non eſſe de impoſitione manus, quæ eſt Confirmationis ſacramentum, alias non ſolum Catholicæ veritati, ſed ſibi ipſi Auguſtinus repugnaret; ſi quidem *lib.* 2. *contra epiſtolam Petiliani cap.* 104. expreſſe aſſerit Confirmationem, ſicut & baptiſmum repeti non poſſe. Dicendum ergo eſt de alia manus impoſitione ab ea qua ſacramentum Confirmationis conficitur, loqui Auguſtinum. Etenim cum manus impoſitio, ut dicit gloſſa dicto cap. manus, multiplex ſit, videlicet confirmatoria, de qua actorum. 8. & 19. ad Hebr. 6. ordinatoria, cujus mentio fit. actor. 6. & 1. ad Timoth. 4. & 2. ad Timoth. 1. quæque repeti non poſſunt, quia ipſis ſacramentum confirmationis, & ordinis miniſtratur. Aliæ vero manus impoſitiones nec ſacramentum ſunt, nec repetitioni contradicunt. Primo eſt manus impoſitio, qua infirmi curabuntur, de qua Marc. *ult.* Super ægros manus imponent, & bene habebunt, cujuſque meminit Lucas actor. 9. & 28. Deinde eſt alia manus impoſitio deprecativa, de qua fortè loquitur Lucas actor. 13. cum dixit. Tunc jejunantes, & orantes, imponenteſque eis ſcilicet Paulo, & Barnabæ) manus dimiſerunt illos. Non enim illa manus impoſitio nec confirmatoria, neque ordinatoria fuit. Cum Paulus, & Barnabas & confirmati, & ordinati eſſent. Reſtat ergo, ut fuerit quædam ſalubris deprecatio, qualis eſt ea, qua cathecumenus ad baptiſmum recipiendum præparatur, de qua Auguſt. *lib.* 2. *de peccator. merit. cap.* 26. & qua etiam confirmandus orationibus Eccleſiæ diſponitur ad Confirmationem, quæ manus impoſitio, ut benè notavit Valent. *t.* 4. *diſp.* 5. *quæſt.* 1. *punct.* 1. Secundùm ſe ſpectata optimè repeti. Quod ſi de hac manus impoſitione Confirmationem antecedente loquatur. Auguſt. in dicto *cap. manus* mirum non eſt, quod negaverit repeti non poſſe, ſicut baptiſmus. Verum quia eo loci non videtur Auguſt. locutus de Sacramento Confirmationis, ideo probabilius exiſtimo ſupradictam manus impoſitionem non eſſe eam, qua confirmandus orationibus Eccleſiæ diſponitur Confirmationi recipiendæ. Dicendum igitur eſt loqui ibi Auguſtinum de manus impoſitione, qua hæretici pœnitentes reconciliantur, & divinus Spiritus in eorum favorem exoratur manus impoſitione, ut habetur *cap. pœnitentes cap. in cap. quadrageſimæ* 50. *diſt.* & de qua idem Auguſt. *lib.* 5. *de baptiſm. cap.* 23. Hæc enim manus impoſitio, ut benè Auguſt. quid eſt aliud, quam oratio ſuper hominem? Neque huic expoſitioni obſtat, quod initio illius capitis dixerit Spiritum ſanctum in ſola Catholica Eccleſia per manus impoſitionem communicari, quia id verum eſſe poteſt, etſi non communicetur ſacramentaliter prædicta manus impoſitione, ſed ſolum deprecativè. Sola enim Eccleſiæ Catholicæ oratio, & quæ à Catholicis fit, & Catholicis applicatur, communicare Spiritum ſanctum poteſt. Ex eo autem quod ſubdit hac manus impoſitione non communicari divinum Spiritum ſenſibilibus ſignis, ſicuti tempore Apoſtolorum communicabatur, non infertur hanc manus impoſitionem ejuſdem eſſe virtutis cum ea, qua Apoſtoli Actor. 8. & 19. utebantur: illa enim ex opere operato Spiritum ſanctum communicabat, hæc ſolum deprecatoriè, neque infallibiliter. Sic latius explicat Suarez *diſp.* 34. *ſect.* 1. *circa finem.* conſentit Ægid. de Coninch. *q.* 72. *art.* 5. Paul. Layman. *lib.* 5. *ſum. trnct.* 3. *cap.* 4.

Punctum VII.

Quibus confirmatio miniſtrari poſſit, & debeat.

1. *Omnibus baptizatis, & ſolis miniſtrari confirmatio poteſt.*
2. *Infantibus ante uſum rationis plures cenſent expedire Confirmationem concedi.*
3. *Alii contra aſſerunt expedire.*
4. *Expectandus eſt hodie rationis uſus, ſed non ultra differenda Confirmatio regulariter.*
5. *Explicatur prædicta doctrina.*
6. *Satisfit fundamentis oppoſitarum opinionum.*
7. *Plures negant amentibus qui ſic creduntur futuri perpetui, eſſe Sacramentum miniſtrandum.*
8. *Verius eſt oppoſitum.*
9. *De infantibus in extremo vitæ conſtitutis proponitur dubium an expediat Confirmationem miniſtrari.*
10. *Statuitur & poſſe, & debet illis miniſtrare confirmationem.*

1. OMnibus baptizatis miniſtrari ſacramentum Confirmationis poteſt, quia capaces ſunt hujus ſacramenti effectus. Cum enim ſint per baptiſmum ſpiritualiter gehiti creſcere, & roborari poſſunt, & ad fidem defendendam armari, tametſi actu ob ætatis defectum, aliudve impedimentum ad pugnam inepti ſint. Conſtat ex uſu antiquo Eccleſiæ hoc ſacramentum miniſtrantis omnibus baptizatis, & cujuſcunque conditionis exiſterent ſtatim poſt baptiſmum. Eaque de cauſa dixit Urban. Papa in *c. omnes* 1. *de conſecrat. diſt.* 5. Omnes fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum ſanctum poſt baptiſmum accipere debent, ut pleni Chriſtiani inveniantur. neque ad hoc ſacramentum, ſicuti neque ad baptiſmum requiritur neceſſariò propria ſuſcipientis voluntas, ſufficit Chriſti, & Eccleſiæ in iis, qui propriam non habent voluntatem. Dixi *Omnibus baptizatis.* Nam ante baptiſmum nemo hujus, neque alterius ſacramenti capax exiſtit. Cùm baptiſmus janua ſit Eccleſiæ, ejuſque charactere baptizatus diſponatur ad dona, quæ Chriſtus ſuæ Eccleſiæ in teſtamento reliquit ſuſcipienda. Et in Confirmatione eſt ſpecialis ratio, quam tradidit D. Thom. *q* 72. *ar.* 6. Confirmatione namque ſpititualiter creſcimus, & roboramur

baptiſmo,

baptismo gignimur. Nemo autem crescere, & roborari potest, qui prius genitus non sit. Ergo nemo potest confirmari, quin baptizatus existat. Neque his obstat tempore nascentis Ecclesiæ Spiritum sanctum datum esse non baptizatis, ut constat actor. 10. ubi refertur Spiritum sanctum in gentes visibiliter descendisse. Quia illa divini Spiritus communicatio non fuit sacramentalis, sed ex Dei benignitate, ut Judæi intelligerent, gentes capaces esse baptismi, & gratiæ per Christum. Neque ex illa divini Spiritus communicatione redditi sunt incapaces suscipiendi Confirmationis sacramentum, quia non constat ea communicatione characterem Confirmationis suscepisse, tametsi effectum Confirmationis primarium abundanter susceperint. Ob quam causam fortè postea Confirmati non fuerunt, tametsi fuerint baptizati.

2. Quibus vero expediat Confirmationis sacramentum ministrari. Constat omnibus baptizatis conveniens esse. Solùm de infantibus, de amentibus, & morituris, dubitant doctores. De infantibus plures affirmant expedire hoc Sacramentum illis ministrare, necesse expectandum rationis usum. Sic indicat D. Thom. *in* 4. *dist.* 7. *q.* 3. *art.* 2. *q.* 2. Bonav. *ibi art.* 3. *q.* 1. *ad argum.* Ricar. *artic.* 3. *q.* 2. Gab. *art.* 3. *dub.* 7. Alens. 4. *p. q.* 28. *memb.* 2. & 3. Petrus Sotus, *lect.* 1. *de Confirmat.* & alii, quibus favet usus antiquus Ecclesiæ concedentis confirmationem statim post baptismum receptum, hujus usus meminit Alcuin. *de Ecclesiast. Offic. cap. de Sabatho sancto*, Vvaldens. *lib. de Sacrament. cap.* 111. & pluribus relatis firmat Suar. *disp.* 35. *sect* 1. *in fine.* Neque in favorem hujus opinionis deest congruens ratio. Etenim cùm Confirmatio sit baptismi perfectio, expediens esse videtur statim post baptismum susceptum concedi. Cui perfectioni non obest infantia; & defectus rationis usus, sed potius juvat; & effectum Sacramenti securum reddit, quem tamen; peccatum, quod post rationis usum committi potuit, dubium facit. His consentit Anton. Genuens. *in praxi, cap.* 54. *n.* 3. quem refert, nec reprobat Barbosa; *allegat.* 20. *n.* 17. affirmans puerum trium annorum hodiè confirmari posse, quia malitia multum crevit, & quia diligenter nomina Confirmatorum describuntur.

3. Alii sentiunt convenientius esse ætatem puberem expectare. Sic *glossa in c. ut jejuni de consecrat. dist.* 5. ubi ut jejuni (inquit Concilium Aurelianense *c.* 3.) ad Confirmationem veniant perfectæ ætatis, ut moneantur confessionem facere prius, ut mundi donum sancti Spiritus valeant accipere. At ante puberem ætatem nemo videtur satis capax percipiendæ monitionis, neque confessionis præmittendæ. Ergo non debet Confirmationem recipere ante ætatem puberem.

4. Media via tenenda est, & affirmandum hodiè infantibus confirmationis sacramentum regulariter ante usum rationis, qui septennio præsumitur, conveniens non esse ministrari: stante verò rationis usu, statim ministrandum esse, nec differendum. Sic Sylvest. *verbo confirmatio*, *n.* 4. Paludan *in* 4. *dist.* 7. *q.* 4. *n.* 10. Soto *ibi art.* 8. Suar. *disp.* 35. *sect.* 2. *col.* 2. Ægid. de Coninc. *q.* 72. *art.* 8. *n.* 79. Paul. Laym. *lib.* 5. *sum. t.* 3. *c.* 5. *n.* 2. Bonac. *de Sacr. q. un. p.* 4. *n.* 5. Barbosa *allegat.* 30. *n.* 17. & præ omnibus Pius V. *in catechismo Rom.* 2. *p. cap.* 3. *n.* 14. ubi inquit: Illud etiam observandum est omnibus quidem post baptismum, confirmationis sacramentum posse administrari; sed minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri rationis usum habuerint, quare si duodecimus annus expectandus non videatur, usque ad septimum certè hoc sacramentum differre maximè convenit. Et sic usus Ecclesiarum obtinuit. Ratio vero, quare expediat rationis usum expectare ea est, quia sic decentius suscipitur, & cum majori fructu, & absque periculo reiterationis. Quod sæpè esset si in infantia regulariter hoc sacramentum ministraretur. Tum quia nemo præsumitur Confirmatus ex eo quod inter fideles commoretur, sicuti præsumitur baptizatus. Tum quia confirmatorum nomina non ita exactè scribuntur, sicuti baptizatorum. Expectare verò ætatem puberem nullatenus expedit, quia nemini convenit absque rationabili causa (quæ in præsenti nulla per se excogitari potest), privari sacramenti fructu, quo robur accipiat ad fidem, & charitatem retinendam, tentationesque superandas. Adde regulariter puerilem ætatem Deo gratam esse, quia fidem, & charitatem in baptismo receptam conservat, quæ tamen in adulta ætate facilè amittuntur, quam amissionem non leviter impediret sacramentum Confirmationis, utpote institutum ad roborandum Confirmatum adversus diaboli insidias.

5. Notanter dixi hodie expediens non esse ante rationis usum infantibus Confirmationem ministrare ut indicarem olim conveniens fuisse. Cùm enim ob penuriam Episcoporum, & paucitatem fidelium bis tantùm extra necessitatem baptismus ministraretur, *c. non ratione, & aliis de consecrat. dist.* 4. & ministrato baptismate statim Confirmatio ministrabatur, *c. omnes, cap. de his consecrat. dist.* 5. debuit Confirmatio pluribus ante usum rationis ministrari. At multiplicato Episcoporum, & fidelium numero cessavit prædicta consuetudo conjungendi Confirmationem cum baptismo, eaque bis tantum in anno ministrandi, & successit Confirmationis ministratio prout magis expedit tum reverentiæ sacramenti; tum fidelium utilitati. Suar. *disput.* 35. *sect.* 2. *vers. utraque.* Paul. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 3. *c.* 5. *q.* 1. Deinde dixi regulariter expedire rationis usum expectare pro hujus sacramenti ministratione. Aliquando namque expedit usum rationis prævenire, primò si ob absentiam Episcoporum, aliamve causam probabiliter timeatur longo tempore post usum rationis Confirmationem esse differendam, præstat enim tempus prævenire, quam supradicto periculo exponi. Suar. *disp.* 35. *sect.* 2. *vers. utraque* Ægid. de Coninch. *q* 72. *art.* 8. *num.* 81. Paul. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 3. *c.* 5. *quæst.* 1. Secundò si timeretur infans sine confirmatione decessurus, melius enim est carenti rationis usu Confirmationem concedi, quam perpetuò ea privari. Suar. Ægid. & Layman. supr. Tertiò, si consuetudo diœcesana adsit pueris ante usum rationis hoc sacramentum ministrandi. Satis enim gravis causa est præveniendi rationis usum à consuetudine diœcesana non discedere. Sic aliis relatis Paul. Layman. *dicto lib.* 5. *tract.* 3. *cap.* 5. *q.* 1. Quartò addit Suar. *dicta disp.* 35. *sect.* 2. *vers. utraque in fine.* Si Episcopus ob benevolentiam, aliamve similem causam puerum ante rationis usum confirmaret, graviter non peccaturum secluso scandalo: quia consuetudo expectandi rationis usum non videtur eo rigore introducta esse.

6. Ex his facile est oppositarum opinionum fundamentis satisfacere. Admitto namque plures congruentias esse pro antiqua consuetudine ministrandi hoc sacramentum statim post collatum baptisma, ideóque decuit sic eo tempore ministrari. At quia ex parte prædictæ rationes cessarunt, & plures efficaciores adsunt in præsenti suadentes tempus rationis usus non esse præveniendum, nec stante rationis usu ministrationem differendam, consuetudo Romanæ Ecclesiæ obtinuit statim post usum rationis hoc Sacramentum ministrari, & non antea nisi urgente aliqua causa. Textus vero *in cap. ut jejuni* non probat ætatem puberem esse expectandam, nihil enim de ætate decidit, sed supponens aliquos ad Confirmationem accedere in ætate perfecta monet, ut jejuni, &

præmiſſa confeſſione accedant. Adde ætatem perfectam ad Confirmationem recipiendam non eſſe ſolam puberem, ſed etiam impuberem rationis uſu præditam.

7. Secundo dubitatur de amentibus. Et quidem ſi ſpes adſit uſum rationis habituros confirmatio differenda eſt in tempus uſus rationis, ſicuti diximus de infantibus: Si vero creduntur futuri perpetui amentes Soto in 4. *diſt.7. quæſt.4. art.8.* & alii relati à Bartholomæo ab Angelo *dialog.3. §. 18.* negant illis Confirmationem eſſe miniſtrandam. Tum quia non adeſt hujus miniſtrationis conſuetudo. Tum quia ceſſat finis, ob quem hoc Sacramentum conferendum eſt. Etenim confertur, ut confirmatus robur accipiat ad propugnandam fidem, & conſervandam gratiam, & charitatem adverſus diaboli inſidias. At perpetuo amentes incapaces ſunt pugnæ & tentationis, amiſſioniſque gratiæ; non igitur illis debet hoc Sacramentum concedi.

8. Cæterum dicendum eſt non ſolum poſſe, ſed & deberi amentibus, de quibus apertè non conſtat eſſe in peccato mortali. Confirmationem miniſtrari, quia hi capaces ſunt præcipui hujus ſacramenti effectus, qui eſt gratiæ augmentum. Quod vero incapaces exiſtant auxilii ſpecialis ad fidem palam confitendam id per accidens eſt, & primarium hujus ſacramenti effectum non impedit. Nulla igitur cauſa adeſt iis Confirmationem negandi. Quod ſi dicas negandam eſſe, quia illius voluntatem nunquam habuerunt? obſtat, quia pro carentibus perpetuo uſu rationis ſufficit voluntas Chriſti, & Eccleſiæ, ſicut, in baptiſmo: pro his vero, qui aliquando uſum rationis habuerunt, ſufficit interpretativa voluntas, quæ cenſetur adeſſe in quolibet Chriſtiano ſuſcipiendi ſuæ ſalutis remedia, ſeu beneficia, dum voluntaria voluntate non conſtat. Neque in contrarium eſt aliqua conſuetudo, nec rationabilis eſſet? Nam eſto infantibus, quia carent uſu rationis hoc ſacramentum non miniſtretur, id eſt, quia creduntur rationis uſum habituri, quæ ſpes ceſſat in perpetuò amentibus. Eſt igitur illis Confirmatio miniſtranda. Sic D. Thom. *qu.72. art.8 ad 2.* Suar. *diſp.35. ſect.2. verſ. dicendum.* Bonac. *diſp.3. q.1. punct.4. num.6.* Barb. *2. p. de poteſt. Epiſc. alleg.30. n.21.* Ægid. *dicta q.72. art.8. n.83.* Paul. Layman. *lib 5. ſum. tract.3. c.5. quæſt.2.* Ubi addit parentes, & tutores à peccato excuſari, ſi amentes non adducant confirmandos in ea diœceſi, ubi non ſolent Epiſcopi his confirmationem miniſtrare.

9. Tertiò dubitatur de iis, qui in extremo vitæ ſunt conſtituti, maximè ſi ſint infantes. Rationem dubitandi intulit Melchiades Papa *in epiſt. ad Epiſcop. Hiſpaniæ, cap.2. relatus, in cap. Spiritus ſanctus de conſecrat. diſt.5.* ibi. Et quia in hoc mundo tota ætate victoris inter inviſibiles hoſtes, & pericula gradiendum eſt; in baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt baptiſmum confirmamur ad pugnam: in baptiſmo abluimur; poſt baptiſmum roboramur. Et quamvis continuò tranſituris ſufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen neceſſaria ſunt Confirmationis auxilia. Regeneratio per ſe ſalvat mox in pace beati ſæculi recipiendos, confirmatio armat, & inſtruit ad agones mundi hujus, & prælia reſervandos. Qui autem poſt baptiſmum cum acquiſita innocentia immaculatus pervenit ad mortem, confirmatur morte, quia non poteſt peccare poſt mortem. Ex quibus verbis colligi videtur morituros confirmandos non eſſe. Tum quia non ſunt præliaturi. Tum quia morte confirmantur. Tum quia ſic habet uſus, & conſuetudo.

10. Nihilominus dicendum eſt morituris confirmationem miniſtrari poſſe, & deberi, quia capaces ſunt recipiendi gratiæ plenitudinem, qua roborentur ad pugnam, ſi fortè fuerit. Quod vero futura non ſit, id eſt per accidens. Neque Melchiades Papa contrarium judicat. Solum enim dixit victuris neceſſaria eſſe Confirmationis auxilia, ſed non negavit morituris convenientia eſſe. Per accidens tamen excuſantur morientes ab hoc ſacramento recipiendo, eo quod ſingulos morientes adire Epiſcopis non vacet. Nam ut dixit Innoc. *epiſt.1. ad Decentium circa finem* de extrema unctione loquens. Epiſcopis occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non poſſunt. Cæterum ſi Epiſcopus aut poteſt, aut dignum ducit aliquem à ſe viſitandum, & benedicere, & tangere chriſmate ſine unctatione poteſt. Quæ in ſacramento Confirmationis æquè procedunt. Atque ita docent D. Thom. *q.82. art.8. ad 4.* & *ibi* Ægid. de Coninch. *num.37.* Suar. *diſp.35. ſect.2. in fine.* Paul. Layman. *lib 5 ſum. tract.3. c.q 3.* & alii.

Punctum VIII.

An, & qualis ſi obligatio ſuſcipiendi Confirmationem.

1. *Prima ſententia docet omnibus baptizatis impoſitam eſſe jure divino hanc obligationem.*
2. *Secunda agnoſcit hanc obligationem caſu quo fides coram tyranno confitenda eſſet.*
3. *Tertia admittit obligationem ſuſcipiendi confirmationem non ex jure divino, ſed ex præcepto Eccleſiaſtico.*
4. *Quarta admittit hanc obligationem, ſi ordo ſuſcipiendus ſit.*
5. *Verius eſt nullam per ſe eſſe obligationem ſuſcipiendi confirmationem.*
6. *Per accidens obligatio eſſe poteſt.*

1. DE obligatione ſuſcipiendi confirmationem quadruplex eſt ſententia minus vera. Prima aſſerit abſolutam obligationem impoſitam eſſe jure divino cuilibet baptizato, Tribuitur Scoto *in 4. diſt.7. q.2.* Vvald. *t.2. de Sacram c.111.* Sed hi ſolùm aſſerunt hoc ſacramentum contemnere eum, qui data opportunitate illud recipiendi, abſque cauſa omittit. Probari autem poteſt hæc ſententia ex fine, & inſtitutione hujus ſacramenti, qui eſt conſtituere baptizatum perfectè Chriſtianum, ut dixit Urbanus Papa, *epiſt.1. cap.7.* & traditur *cap.omnes de conſecrat diſt 5.* At quilibet tenetur verus & perfectus Chriſtianus eſſe. Ergo. Item ex vi hujus ſacramenti roboratur fidelis non ſolùm ad fidem coram tyranno confitendam, ſed etiam ad gratiam, & charitatem conſervandam adverſus diaboli inſidias, & mundi illecebras, & continua vitæ hujus pericula. At quilibet tenetur fidem, & charitatem conſervare, ergo tenetur illius conſervationis media aſſumere. Aliàs cenſebitur propriæ ſalutis contemptor, & dignus ut à Deo deſeratur, qui media ab eo inſtituta pro ſalutis conſervatione negligit. Ob quam cauſam credendum non eſt Chriſtum Dominum libertati hominum reliquiſſe hujus ſacramenti uſum, ſed obligationem impoſuiſſe, ex qua tantùm commodum proveniebat.

6. Secunda ſententia præcedentem limitat; ut procedat eo caſu quo publicè coram tyranno fides eſt confitenda, quia ſingulare periculum, ſingulare auxilium expoſtulat. At hoc ſacramentum ſpecialiter inſtitutum eſt ad roborandum fidelem, ut abſque timore, & verecundia fidem confiteatur. Tenetur ergo in prædicto periculo conſtitutus hoc ſacramentum ſuſcipere, ut eo munitus, & roboratus in fide confitenda perſeveret. Favetque huic ſententiæ præceptum latum Apoſtolis, Lucæ ult. ne è civitate exirent, donec induerentur virtute ex alto, hoc eſt, donec Spiritu ſancto munirentur. Sentit ergo Chriſtus neminem ob fidei publicam confeſſionem periculo vitæ eſſe exponendum, qui virtute Spiritûs ſancti armatus non ſit. Ergo qui ſacramentum Confirmationis non receperit,

receperit. Hoc enim sacramento Spiritus sanctus fidelibus invisibiliter communicatur loco illius communicationis, quæ in die Pentecostes Apostolis facta est. Atque ita sustinent Duran. *in 4. dist.1. quæst.1. art.2.* Marsil. *quæst.5. art.4.* Turrecrem. *cap.1. de consecrat. dist.5.*

3. Tertia sententia admittit obligationem hujus sacramenti suscipiendi non divinam, sed Ecclesiasticam. Sic tradit Alexand. Alens.4. *p. quæst.25. memb.* Bonav. *in 4. dist.7. art.3. quæst.2.* Paludan. *quæst.1.* Antonin. *3. p. tit.14. cap.14. §. 5.* Sylvest. *verbo Confirmatio num.2.* Moventur ex variis decretis de consecrat. dist.5. Nam Melchiades Papa relatus in *cap. Spiritus sanctus supra. dist.* expressè dixit quamvis continuò morituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria esse Confirmationis auxilia. Et cap. de his (inquit idem Pontifex) ita conjuncta sunt hæc duo sacramenta, baptismus scilicet & Confirmatio, ut ab invicem nisi morte interveniente nullatenus possint segregari, & unum sine altero ritè perfici non possit.

4. Quarta sententia limitat hanc obligationem, casu quo sacramentum ordinis recipiendum sit ex Trident. *sess 23. cap.4. de reformat.* Prima (inquit Concilium) tonsura non initientur qui Sacramentum Confirmationis non susceperint. Quæ verba licet ad conferentes primam tonsuram dirigantur, tacitè suscipientibus obligationem imponunt, ne absque Confirmatione tonsuram recipiant. Quo verò contineatur gravis obligatio colligitur, quia eodem modo prohibetur tonsuram concedi iis, qui sacramentum Confirmationis non susceperint, ac prohibentur qui fidei rudimenta edocti non fuerint, quippe legere, & scribere nesciant; & de quibus probabilis conjectura non sit eos non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent hoc vitæ genus elegisse. At ignorantibus fidei rudimenta, nescientibusque legere, & scribere. Ergo etiam est grave peccatum tonsuram concedere, eâmque suscipere. Ergo etiam est grave peccatum eam suscipere absque Confirmatione.

5. Cæterùm verior est sententia negans ullam per se obligationem esse, neque ex jure divino, neque Ecclesiastico suscipiendi Confirmationem. Sic D. Thom. *quæst.72. art.8. ad 4. & in 4. dist.7. quæst.1. art.1. quæstiunc.2.* Abbas *in cap. quanto, num 4. de consuetud.* Covarr. *lib.1. var. cap.10. num.5.* Henriq. *lib.3. cap.1. num.6.* Suar. *disp.58. sect 2. vers. quo circa.* Valent. *tract.4. disp.5. quæst.2. punct.3.* Ægid. de Coninch. *quæst.72. art.8. num.88.* Paul. Layman. *lib.5. sum. tract.3. cap.5. quæst 4.* Bonac. *disput. quæst. unica punct.2 in princ.* & alii plures. Fundamentum est, quia obligationes, & præcepta imponenda non sunt absque fundamento. At nullum est ex quo firmiter colligi possit prædicta obligatio. Ergo. Minorem probo quoad obligationem ortam ex jure divino. Nam esto confirmatio perfectum Christianum reddat, non reddit perfectum simpliciter, & quoad substantiam, sed quoad abundantiam Spiritus, & gratiæ plenitudinem, quia baptismo redditus est baptizatus perfectus quoad substantiam. Confirmatione autem solùm redditur perfectus quoad abundantiam Spiritus, & gratiæ plenitudinem, quia Confirmatio roborat, & munit confirmatum ad fidem Christi constanter defendendam, & gratiam in baptismo susceptam conservandam. At nemo tenetur ea abundantia, & plenitudine, Christianus esse, sufficit si verè & proprie, & simpliciter institutus Christianus sit. Ergo jure divino non tenetur confirmationem suscipere. Neque item hæc obligatio nasci potest ex hujus sacramenti institutione, nam etsi ad roborandam fideles pro fide, & gratia in baptismo susceptis conservandis institutum sit, quia tamen aliis mediis scilicet oratione, pœnitentia, continuo virtutum exercitio, & præcipuè Eucharistiæ susceptione, & frequentia illud robur obtinere possunt, non obligantur confirmationem suscipere. Neque exemplum Apostolorum urget; illis namque prohibitum est, è civitate exire, donec induerentur virtute ex alto. Tum quia debebant indui quodam stupendo miraculo non solum divino Spiritu, seu dono Prophetiæ, & linguarum in fidei confirmationem. Tum quia erant primi Ecclesiæ fundatores, quos nullatenus expediebat ministerium prædicationis aggredi, nisi scientia, virtute, aliisque donis supernaturalbus apprimè exornatos. Quod verò ex jure Ecclesiastico nulla sit obligatio, sic probo. Nam textus, in *cap. Spiritus sanctus* affirmans auxilia Confirmationis victuris necessaria esse, intelligi debet non de necessitate absoluta, & simpliciter, sed de necessitate secundùm quid, qualiter reputatur omne illud quod est maximè conveniens. Textus item in *cap. de his eadem dist* solum probat ritè, id est licitè baptismum sine confirmatione perfici non posse, quia olim præceptum erat confirmationem simul cum baptismo ministrari debere. Qua stante consuetudine dubium non est recipientem baptismum extra mortis periculum obligatum esse confirmationem recipere. Sed hæc obligatio non ex præcepti directo suscipiendi confirmationem nascebatur, si quidem susceptio baptismo in mortis periculo nulla erat postea obligatio suscipiendæ Confirmationis. Sed ea obligatio nascebatur ex præcepto, quo prælati Ecclesiæ tenebantur Sacramentum baptismi simul cum confirmatione ministrare, & non aliter. Adde si aliquod esset præceptum Ecclesiasticum suscipiendæ Confirmationis, esset tempus determinatum ab Ecclesia pro illius executione, sicuti cernitur in aliis sacramentis necessariis, nempe baptismo, pœnitentia, & Eucharistia. Item Ecclesia cogeret censuris fideles ad illud suscipiendum. Neque morituri ab illius susceptione excusarentur, si adesset Episcopus, qui ministrare vellet. Igitur asserendum est nullam per se esse obligationem Confirmationis suscipiendæ.

6. Notanter dixi *per se*. Nam per accidens peccare mortaliter potes confirmationem omittens. Primò ex contemptu omittas. Censeris autem ex contemptu omittere si omittas eo quod reputes confirmationem puerilem esse, & tua persona minus dignam. Si autem data occasione suscipiendi confirmationem omittas suscipere ex quodam animi corpore, & negligentia nullatenus contemnere censeris, alias venerabile Eucharistiæ sacramentum sæpè contemneres, omittens ex negligentia illud recipere cum facilè posses. Sic Suar. *dicta disput.58. sect.1. vers. quo circa.* Ægid. de Coninch. *quæst.72. art.8. dub. unico. num 87.* Paul. Layman. *lib.5. sum. tract.3. cap.5. quæstiunc.4.* Verum esto prædicta omissio non sit Confirmationis contemptus, est tamen illius diminuta æstimatio. Qui enim potens facilè confirmationem suscipere omittit, satis ostendit parvi pendere tum gratiæ plenitudinem, non auxilia, quæ ratione hujus sacramenti conceduntur ad fidem, & charitatem conservandam. Tum pericula assentiendi tentationibus, quod per se inducens esse videtur, ideoque rato hæc negligentia à peccato veniali excusari potest; ut docet Suar. *qu 72. art.8. disput.58. sect.1. circa finem.* Ægid. *dub. unico concl.3.* Secundò esse potest per accidens peccatum, & satis grave omissio Confirmationis ob scandalum datum. Si enim aliqualiter de fide suspectus sis, credi rationabiliter potes confirmationem contemnere, cum illam absque rationabili causa omittis. Sic Suar. *supra.* Ægid. *concluf.2.* Layman. *quæst.4.* Tertiò ratione propriæ conscientiæ, ut si firmiter crederes tibi periculum amittendi fidem, vel charitatem imminere, nisi confirmationem recipias, quia obligatus es

quantum commodè poſſis prædicta pericula vitare. Suar. & Ægid. *ſupra*. Quartò ſi primam tonſuram, alioſque ordines ſuſcepturus ſi ob decretum Trident. *ſeſſ 23. cap.4.* relatum pro quarta ſententia. Verùm ibi non contineri ſpeciale præceptum de Confirmatione præmittenda, ſed ſolum admonitionem docuit Navarr. *cap.22. num.9* Suar. *diſp* ,8. *ſect.1. in fine.* Ægid. de Coninch. *quæſt.72. artic.8. num.90.* Reginald. *praxi l b.28 num.22* Paul. Layman. *lib.5. ſum. tract.3. cap.5. quæſt.4* Verius tamen exiſtimo præceptum contineri ob ea quæ diximus in favorem quartæ ſententiæ, eaque de cauſa eſt grave peccatum veniale, ut dixit Layman. ſupra, ſuſcipere ordines non præmiſſa confirmatione. At non erit mortale, vel quia levis eſt materia, vel quia conſuetudine ſic præceptum temperatum eſt.

Punctum IX.

Quis ſit Confirmationis miniſter.

1. *Miniſter ordinarius ex Chriſti inſtitutione eſt ſolus Epiſcopus conſecratus.*
2. *Hæreticus, & degradatus validè, tametſi illicitè confirmationem miniſtrabit.*
3. *Ex delegatione ſolius Pontificis ſimplex Sacerdos eſſe poteſt.*
4. *Alteri à Sacerdote hæc poteſtas committi non poteſt, neque ab alio præter Pontificem.*
5. *Ad concedendam hanc facultatem debet Pontifex gravi cauſa duci, ut prudenter operetur, valida tamen erit conceſſio abſque cauſa.*
6. *Hanc facultatem poterit Pontifex electus, etſi non ſit ordinatus conferre.*
7. *Epiſcopus non debet aliòs præter ſibi ſubditos confirmare.*
8. *Deinde debet in propria diœceſi, non in aliena abſque licentia proprii.*
9. *Item debet uti chriſmate eo anno conſecrato.*
10. *Debet eſſe in gratia.*
11. *An debeat eſſe jejunus?*
12. *Obſervare debet cæremonias ab Eccleſia præſcriptas.*
13. *Si longo tempore Epiſcopus miniſtrare Confirmationem omittat, peccat mortaliter.*

1. Fide Catholica certum eſt Confirmationis miniſtrum ordinarium eſſe ſolùm Epiſcopum conſecratum. Sic habetur pluribus decretis *de conſec. diſt.5 & cap. preſbyteros de conſecrat. diſt.4. & in cap. quanto de conſuetud.* & in concilio Florent. in decreto Eugenii, & in Trident *ſeſſ.7. can.3. de confirmat.* dicente. Si quis dixerit ſanctæ Confirmationis ordinarium miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemlibet ſimplicem Sacerdotem anathema ſit. *Et ſeſſ.23. cap.4.* ſignatur ut proprium Epiſcoporum munus confirmationis miniſtratio, *& can.7.* anathema damnatur aſſerens confirmandi poteſtatem communem eſſe Epiſcopis, & Preſbyteris. Colligitur hæc veritas ex Azor. 8. *& 19.* ubi ſoli Apoſtoli leguntur fidelibus per manus impoſitionem Spiritum ſanctum communicaſſe. Ergo ſignum eſt nullum alium Sacerdotem hanc habuiſſe poteſtatem. Neque obſtat illam manus impoſitionem Sacramentum Confirmationis non eſſe, ſufficit loco illius Sacramentum Confirmationis ſucceſſiſſe. Ratio deſumitur ex inſtitutione Chriſti, uſu, & traditione Eccleſiæ declarata. Congruentiam explicuit D. Thom. *q.72. artic.11.* dicens: In quolibet opere ultima conſummatio ſupremæ arti, & virtuti reſervatur. Fideles autem Chriſti ſunt quoddam divinum opus ſecundùm illud 1. Corinth.3. Dei ædificatio eſtis. Sunt etiam quaſi quædam epiſtola Spiritu Dei ſcripta.2. Corinth.3. Hoc autem Confirmationis ſacramentum eſt quaſi ultima conſummatio baptiſmi, quia per baptiſmum homo ædificatur in domum ſpiritualem, & conſcribitur quaſi quædam ſpiritualis epiſtola, ſed per ſacramentum Confirmationis quaſi domus ædificata dedicatur in templum Spiritus ſancti, & qua epiſtola conſcripta crucis ſigno ſignatur, & ideo collatio hujus ſacramenti Epiſcopis reſervatur, qui obtinent ſupremam in Eccleſia poteſtatem. Deinde quia Epiſcopi ſunt Eccleſiæ duces, at ducibus convenit eligere, & conſignare milites. Ergo ad Epiſcopos pertinet Confirmationem, qua milites Chriſti conſignamur, miniſtrare. Quæ verò adverſus hanc doctrinam ex Patribus, & Conciliis objici poſſunt & facilia ſunt, & optimè diſſolvit Suar. *diſp.36. ſect.1. poſt medium.*

2. Epiſcopus verò etiamſi hæreticus, depoſitus, degradatuſque ſit, validè, tametſi illicitè Confirmationem miniſtrabit, quia characterem ordinis, à quo hæc provenit poteſtas, non amittit. Sic pluribus firmat Suar. *diſp.36. ſect.3. verſ. dicendum.* Bonac. *de Sacram. diſput.3. p.2. num.7.* Barboſa, *alleg.30. de poteſt. Epiſc. num.2.* & alii.

3. Dixi ordinarium miniſtrum eſſe ſolum Epiſcopum. Nam extraordinarius ex delegatione ſolius Pontificis ſimplex Sacerdos eſſe poteſt. Colligitur ex facto Gregorii *lib.3. epiſt 26.* & refertur in *cap. pervenit 95. diſt.* Hic enim Pontifex præcepit Preſbyteris inſulæ Sardiniæ Confirmantibus baptizatos, ne id facerent, ob cujus præceptum ſcandalum ortum eſt, quod cernens Gregor. inquit. Nos quidem ſecundùm uſum vererem Eccleſiæ noſtræ fecimus, ſed ſi omnino hac de re aliqui contriſtantur ubi Epiſcopi deſunt, ut preſbyteri etiam in frontibus baptizandos Chriſmate tangere debeant, concedimus. At non eſt credendum tantum Pontificem in re tam gravi bonum commune ſpectante erraturum. Ergo ex commiſſione Pontificis poteſt preſbyter Confirmationem miniſtrare. Conſentit concilium Florentin. in decreto Eugenii, ubi inquit. Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ ſedis diſpenſationem ex rationabili, & urgente admodum cauſa ſimplicem Sacerdotem chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe Confimationis Sacramentum. Supponitur in concilio Senonenſ. *in decretis morum cap.38.* & ſatis indicatur à Trident. aſſerente Epiſcopum eſſe ordinarium hujus ſacramenti miniſtrum. Cùm enim dicit ordinarium, ſupponit alium eſſe poſſe ex ſpeciali commiſſione, & delegatione. Quid enim prohibet Chriſtum Dominum Epiſcopos in miniſtros hujus ſacramenti abſolutè, & ſimpliciter deſignaſſe, preſbyteros vero non ſic, ſed facta Pontificis commiſſione? Etenim hic inſtitutionis modus convenientior eſt, ne ob defectum Epiſcoporum plures hoc Sacramento priventur. Affirmandum igitur eſt ex delegatione Pontificis preſbyteros miniſtros hujus ſacramenti eſſe. Et ita ſuſtinet D. Thom. *quæſt.72. artic.11. &* ibi Coninch. *num.104* Suar. *diſput.36. ſect.2. poſt princ.* Navarr. *cap.22. num 8.* Covarruvv. *lib1. var. cap.10. num.6. & 14.* Paul. Layman. *lib.5 ſum. tract.3. cap 6.* Bonac. *diſput.3. de Sacram. quæſt. un. punct.2. num.3.* & alii apud ipſos.

4. Laïcis verò, aliiſve clericis Sacerdote inferioribus nullatenus hæc poteſtas committi poteſt, imo nec Sacerdotibus ab alio præter Pontificem, conſtat ex uſu, & conſuetudine Eccleſiæ, qua inſtitutio Chriſti declaratur. Numquam enim legimus Sacerdotibus hanc poteſtatem Epiſcopos conceſſiſſe, neque Pontificem clericis Sacerdote inferioribus: Potius relati textus judicant ſummo Eccleſiæ Paſtori comparatione Sacerdotum hoc negotium reſervatum eſſe. Sic omnes doctores allegati.

5. Pon-

5. Pontifex autem ad concedendam hanc Sacerdotibus facultatem gravi causa duci debet, aliàs imprudenter operabitur, validè tamen teste Suar. *disp.36.sect.2. vers. tertia pars* Henriq. *lib.3. c.6. n.4.* Coninch. *q.72. art.11. dub. un. n.110.* Paul. Layman. *lib 5. sum.6. assertione, 2.* Quia Pontifex hanc Sacerdotibus facultatem concedens in lege Christi non dispensat, sed utitur potestate sibi à Christo relicta. Neque credendum est Christum Dominum suo Vicario hanc potestatem reliquisse pro solo casu urgentis necessitatis, quia esset grave periculum sæpè efficiendi irritum Sacramentum. Quod si objicias concilii Florentini decretum supponens ex dispensatione sedis Apostolicæ, & ex rationabili, & urgenti causa hanc administrationem Sacerdotibus concedi posse? Respondeo id verum esse de concessione, ut licite, & prudenter fiat, secus ut validè; concessio namque facultatis extraordinariæ, & præter communem usum sæpe dispensatio appellatur.

6. Poterit vero Pontifex hanc sacerdotibus facultatem præstare eo ipso quo electus sit, tametsi ordinibus careat: quia esto confirmare ipse non possit, confirmandi tamen potestatem concedere poterit. Hæc enim concessio non est actus ordinis, sed jurisdictionis; sicuti potest Parochus non Sacerdos jurisdictionem Sacerdoti delegare absolvendi à peccatis, quamvis ipse absolvere non possit. Sic Ægid. de Coninch. *quæst.72. art.11. dub.unico, num.109.* Suar. *disp.36. sect.2. vers. solet.* Paul. Layman. *lib.5. sum. tract.3. cap.6. concl.2. in fine.*

7. Plura requiruntur, ut prædictus ordinatus, vel extraordinarius minister licitè præstet suum officium. Primò non debet alios, quam sibi subditos confirmare. Quia ad cujuslibet sacramenti licitam administrationem jurisdictio in personam cui est sacramentum ministrandum expostulatur. Neque enim omnibus datum est alienas oves pascere. Sic ex omnium sententia testatur Sylvest. *verbo Confirmatio divina, num.5.* Suar. *disp.38 sect.2. in fine.* Bonac. *disput.3. de Sacrament. quæst. unica punct.2. num.10.* Ex præsumpta tamen voluntate proprii superioris possunt alieni subditi licitè confirmari, quia præsumuntur à proprio Superiore subjici. Unde autem hæc præsumptio colligatur arbitrio prudentis relinquitur. Et quidem si tibi ordinandum alienum subditum non Confirmatum remittit proprius Episcopus, dubium esse non potest, quin velit, ut ei Sacramentum Confirmationis concedas, siquidem Confirmatio ordinibus recipiendis præmitti debet ex Trident. *sess.23. cap.4.* sic Henriq. *lib.3. sum. cap.6. n.6.* Zambra *de confirmat. dub.2. num.3.* Paul Layman. *lib.3. sum. tract.3. cap.6. concluf.3.* An verò incolis, & peregrinis ministrare Confirmationem possis in tua diœcesi absque ulla sui Episcopi speciali concessione? Negant Petr. Ledesma, in *sum. tract. de confirmat. cap.9. concluf.7.* Bartholom. ab Angelo *Dialog.3. §.62.* Bonac. *disp.3 quæst. unica punct.2. num.10.* Moveri possunt, quia hoc Sacramentum non est necessitatis, sed utilitatis, aliàs & ordinare, & matrimonio conjungere eos posses. Neque item debes inquirere, an Confirmandi sint tui subditi, cum æquè non subditos, ac subditos possis confirmare. Contrarium verius existimo cum Henriquez *lib.3. cap.6. num.6.* Eman. Saà, *verbo Confirmation.2.* Paul. Layman. *lib.5. sum. tract.3. cap.6. Assert.3.* Barbosa *allegat. 30. de potest Episc. num.14.* Marc Antonin. Genuen: *praxi, cap.54. num.7.* Quia hoc Sacramentum licèt non sit absolutæ necessitatis, est tamen maximæ utilitatis, quia non est credendum velle Pastorem proprium suas oves esse privatas, præcipuè cùm inde nullum ei incommodum proveniat. Sicuti provenire potest ex Ordine, & matrimonio recepto. Et fortè ob hanc causam usu receptum est Episcopum in propria diœcesi confirmantem omnibus ad se confluentibus Confirmationem ministrare nulla inquisitione facta, an sint propriæ, vel alterius diœcesis. Secus vero procedit, cùm Ordinem ministrat.

8. Secundo debet in propria diœcesi Confirmationem ministrare, aliàs si in aliena diœcesi irrequisito proprio Episcopo ministraret hoc sacramentum etiam sibi subditis & peccaret mortaliter, & suspensionem ab exercitio Pontificalium incurreret. Ita ex Trident. *sess.6. cap.5. de reformat.* & ex declarat. Cardinal. tradunt Eman. Saà, *verbo Confirmatio. num.3.* Henriq. *lib.3. cap.6. num.6.* Barhos. aliis relatis, *2. p. de potest. Episc. allegat.30. num.15.*

6. Tertio uti debes chrismate eo anno consecrato, si enim veteri uteretur absque necessitate urgente, peccaret mortaliter, sicuti colligitur ex Fabiano Papa *epist.2.* & ex *cap. si quis de alio de consecr. dist.4. & cap. quoniam de sent. excommunicat. in 6.* Nam si in baptismo, ubi solum chrismatis unctio est quidam ritus ab Ecclesia præscriptus, nequit vetus chrisma deservire, sed novum apponendum est: à fortiori in Confirmationis sacramento, ubi chrisma est illius materia, id observari debet, ut benè notavit Suar. *disput.38. sect.2. in fine.*

10. Quarto debet esse in gratia, aliàs peccabit mortaliter, si confirmationem in mortali ministret, debetque intentionem virtualem habere prædictum Sacramentum conferendi, constat ex dictis *tract.18. de Sacram. in genere, p.5.* & *tract.19. de bapt. p.9.*

11. Quinto debet esse jejunus, ut cavetur *cap. ut jejuni, cap. ut Episcopi, de consecrat. dist.5.* Sed non est præceptum sed concilium, unde contrarium sæpè fit, præcipuè cum numerosus populus confirmandus est, quem Episcopus jejunus difficulter confirmare posset, eáque de causa post prandium hoc sacramentum sæpè ministrat Suar. *disput.37. sect.2. vers. quarto.* Ægid. *quæst.72. artic.12.* Layman. *lib.5. tract.3. cap. ult.*

12. Sexto observare debet cæremonias ab Ecclesia præscriptas, de quibus in puncto sequenti.

13. Advertendum maximè est obligatum esse Episcopum Sacramentum Confirmationis per se, vel per alium Episcopum in sua diœcesi ministrare. Unde si longo tempore hujus sacramenti ministrationem omitteret, non est dubium peccaturum mortaliter, quia privat oves, quas pascere obligatur utilitate spirituali non levi, & opportuno, aptissimóque remedio ad fidem, gratiam, & charitatem conservandam. Sic Tolet *lib.5. cap.4.* Suar. *disput.38. sect.2.* Marcus Antonin. Genuen. in Manual. Pastor. *cap.54. num.2.* Barbosa *alleg.30. num.9.* Paul. Layman. *lib.5. sum. tract.3. cap.6. in fine.* Hinc fit obligatum esse ad loca præcipua suæ diœcesis gratia conferendi Chrismatis accedere. Nam si solùm in cathedrali ministraret confirmationem, plures ex diœcesi sine Confirmatione remanerent. Debet ergo ad loca saltem præcipua accedere, quò regulariter omnes confluere possint. Sic Barbosa, *2. part. de potest. Episc. alleg.30. num.10.* Neque laïci, aut Ecclesiarum rectores obligantur ad Episcopi expensas, quia ut huic obligationi Episcopus satisfaciat solutione decimarum à populo alitur. Barb. *dicto. num.10.*

Punctum X.

Quibus cæremoniis Sacramentum Confirmationis ministrandum est.

1. *Explicantur cæremoniæ antecedentes. Prima debet præcedere chrisma ex oleo, & balsamo per Episcopum benedictum.*
2. *Secunda adesse debet patrinus, & de illius conditione.*

3. *Tertia.*

3. *Tertia. Orationes præmittuntur.*
4. *Quarta. Jejunium ex decentia tantùm non ex obligatione.*
5. *Comitantes cæremoniæ. Prima eſt tempus, quod ſit.*
6. *Secunda eſt locus, & qui ſit.*
7. *Tertia. Sunt veſtes ſacræ.*
8. *Subſequentes cæremoniæ. Prima eſt Confirmati frontem vitta linea ligari.*
9. *Secunda eſt levis maxillo percuſſio.*
10. *Tertia. Solet enumerari cereus accenſus.*
11. *Quarta ſunt orationes.*
12. *Quinta eſt admonitio, ne è loco Confirmationis deſcedant confirmati uſque ad ultimam Epiſcopalem benedictionem.*

1. ALiæ ſunt cæremoniæ, & ritus confirmationem antecedentes, aliæ comitantes, aliæ ſubſequentes. Antecedentes, ſunt, ut chriſma ſit ex balſamo, & oleo ab Epiſcopo conſecratum, cujus conſecrationis ritus latè expendit, & explicat Suar. *quæſt.* 72. *artic.* 12. *diſput.* 37. *ſect.* 1. *per totam.*

2. Secunda, ut adſit patrinus, ſicuti in baptiſmo, qui confirmandum teneat. Habetur *cap. ſi quis filiaſtrum, cap. de his* 30. *quæſt.* 1. *cap. ſi quis ex uno, eadem diſt. quæſt* 4 Nam ut optimè dixit Catechiſmus Romanus: Sicut in fide per baptiſmum genitus indiget pædagogo, ſic militiæ cæleſti inſcriptus, & in militem ſignatus, & armatus indiget duce, & militiæ magiſtro, cujus monitis nequiſſimi tela poſſit extinguere. Fatentur tamen Doctores patrinum in Confirmatione non ita aſtringi ad roborandum Confirmatum in fide, & charitate ſicuti aſtringitur patrimus ad baptizarum edocendum, quia abſque doctore notitia fidei non habetur, at firmitas in fide, charitate ſuſcepta, non tamen ex magiſtri conſiliis, quam exipſo ſacramento, & auxiliis divinis inde provenientibus oritur, ideoque patrinum Confirmationis obligatum graviter non eſſe ad inſtruendum confirmatum, teſtantur Henriquez *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 3. Bonac. *diſput.* 3 *quæſt.* 1. *unica de Sacrament. Confirmat. punct.* 4. *in fine.* Paul Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 3. *cap.* 7. Inſuper Patrinus Confirmationis debet eſſe confirmatus, aliàs non videtur validè patrini munus ſubire, nec cognationem ſpiritualem contrahere ex textu in *cap. baptiſmate, de conſecrat. diſt.* 4. qui utitur verbo non poteſt, quod impotentiam, & incapacitatem indicat: & deinde quia in eo textu à patrino Confirmationis æquè non confirmatus excluditur, ac excluditur infidelis. At hic in omnium ſententia eſt excluſus, non ſolum quoad licitum uſum, ſed etiam quoad validum, quia incapax eſt cujuſlibet Eccleſiaſtici impedimenti. Ergo ſimiliter non confirmatus excludi debet. Etenim ſicut cognatio carnalis eſſe non poteſt, niſi inter eos, qui ab eodem ſtipite ſecundùm carnalem propagationem procedunt, ſic ſpiritualis cognatio contrahi non poterit niſi inter eos, qui ab eodem ſtipite nempe Chriſto per regenerationem ſpiritualem ſacramentorum procedunt. Sed in non confirmato deficit proceſſio à Chriſto medio ſacramento Confirmationis. Ergo non poterit cum confirmato cognationem ſpiritualem contrahere, quia in hac parte non procedunt ab eodem ſtipite. Et ita ſuſtinent Gloſſa in *d. cap. baptiſmate.* Henriq. *lib.* 3. *cap.* 3. *num* 3. Tolet. *lib.* 2 *cap.* 24. Sanch. pluribus relatis, *lib.* 6. *de matr. diſput.* 60. *num* 2. adverſus alios plures *num.* 19. relatos. Deinde nequit eſſe monachus ſub gravi culpa, ex *cap. placuit communi.* 6. *quæſt* 1. *cap. non licet. cap. monach de conſecrat. diſt.* 4. Excipe niſi confirmandus Religioſus eſſet; quia eo caſu optimè poteſt monachus eſſe illius patrinus. Sic docuit Barboſa 2. *p. de poteſt. Epiſc. allegat* 30. *n.* 13. Præterea unus tantum patrinus eſſe debet, juxta *c. ult. de cognat. ſpiritual. in* 6. Neque admitti poteſt unus, & una. Nam eſto id fuerit pro baptiſmo permiſſum à Trident *ſeſſ.* 24. *c.* 2. *de reformat.* inde ad Confirmationem extendi non debet, quia in hac parte Tridentinum Confitmationis mentionem non fecit, & juris antiqui correctio abſque gravi fundamento admittenda non eſt. Præcipuè, quia Tridentini decretum expeditum fuit ad reſtringendum impedimentum cognationis ſpiritualis: non autem ad illud extendendum, ut conſtat ex proœmio illius *c.* 2. Ergo prohibitio facta in *cap. ult. de cognat. ſpirituali,* ne plures adſint in Confirmatione patrini, ſed unus tantùm, correcta non eſt per Trident. & ita ſuſtinet Rebell. *de obl. gat. inſtit.* 2. *part. lib.* 3. *quæſt.* 6. *n.* 6. Barboſa 2. *de poteſt. Epiſcop. alleg.* 30. *num.* 43. Bonac. *de matr. quæſt.* 3. *p.* 5. § 2. *num.* 31. Contra Sanch. *lib.* 7. *de matr. diſput.* 57. *num.* 9. Reginald. *lib.* 31. *num.* 152. & alios ab eiſdem relatos. Rurſus prædictus patrinus Confirmationis debet eſſe diſtinctus à patrino baptiſmi, niſi neceſſitas urgeat ex *cap. in catechiſmo de conſecrat. diſt.* 4. & notavit Henriq. *lib.* 3. *c.* 5 *n.* 3. Barboſ. 2 *p. de poteſt. Epiſc. alleg.* 30. *n.* 51. Paul. Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 3. *c.* 7. Bonac. *d ſp.* 3. *de Sacram. q. unica, p.* 4. *in fine.* Adde una die neminem eſſe poſſe convenienter patrinum, niſi duorum tantum, quia ita cavetur in pontificali. At ſi vir probus ſit & maximè Eccleſiaſticus, in quo nulla adſit malitiæ præſumptio, poterit eodem die plurium eſſe patrinus, ſicut reſolvit Marc. Anton. Genuenſ. *in man. paſtor. cap.* 54. *num.* 6. quem refert, & ſequitur Barboſa 2. *part. de poteſt. Epiſc. alleg.* 30. *num.* 52.

3. Tertia antecedens cæremonia ſunt plures orationes religioſiſſimæ & ſanctiſſimæ, quibus Confirmandus diſponitur, & Confirmationis inſtitutio, & effectus declaratur.

4. Quarta enumerari poteſt jejunium, quod tam à ſuſcipientibus Confirmationem, quam à miniſtrantibus ſervari debet ex *cap. ut jejunii, c. ut Epiſcopi, de conſecrat. diſt.* 5. Non quidem ſub præcepto, ſed rius dictum eſt. Quare ſtante ſub conſilio ob ſacramenti reverentiam, ſicuti ſuperationabili cauſa poſt prandium & miniſtrari, & ſuſcipi Confirmatio poteſt, ſicuti jam uſus obtinuit. Suarez *quæſt.* 72. *artic.* 12. *diſput.* 37. *ſect.* 2. *verſ. quarto.* Ægid. de Coninch. *num.* 114. Paul. Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 3. *cap. ult.*

5. Ritus, & cæremoniæ Confirmationem comitantes ſunt. Prima tempus, quod antiquitus erat ſola vigilia reſurrectionis, & Pentecoſtes, quia illis tantùm temporibus extra neceſſitatem Confirmatio miniſtrabatur, quia iis tantùm temporibus Baptiſmus miniſtrari poterat, cui Confirmatio neceſſario conjungebatur, uti conſtat ex primis decretis *de conſecrat. d ſt.* 5. At hæc cæremonia conſuetudine abrogata eſt. Tum quia baptiſmus quolibet anni tempore miniſtratur. Tum quia confirmatio ſeparatim à baptiſmo conceditur, & notavit Suar. *quæſt.* 72. *art.* 12. *diſput.* 37. *ſect.* 2. *num.* 1. An vero matutino tempore, vel veſpertino, item an in die feſto, vel feriali miniſtranda ſit Confirmatio? Dicendum eſt & matutino, & veſpertino tempore, & in die feſto, & feriali miniſtrari poſſe, quia ſic uſus obtinuit, ut pluribus firmat Barboſa 2. *part. de poteſt. Epiſcop. alleg.* 30. *num.* 13.

6. Secunda cæremonia concomitans eſt locus. Hanc autem debere eſſe Eccleſiam ſub gravi culpa teſtantur communiter doctores, favetque uſus; & conſuetudo. Et licet in Pontificali dictum ſit, ut confirmatio miniſtretur ante medium altaris, vel in alio decenti loco, inde inferri non poteſt extra Eccleſiam miniſtrari poſſe, ſed in alio loco decenti Eccleſiæ, quamvis non ſit ante medium altaris. Nihilominus tamen probabile eſt abſque peccato Confirmationem miniſ-

trar

trari posse in loco decenti extra Ecclesiam, scilicet in oratorio Episcopi. Sic docent Suar. *disp. 37. sect. 2. num. 2.* Henriq. *lib 3. cap. 6. § 7. in fine.* Bonac. *disp. 3. quæst. unica punct. 2. num. 14.* Eman. Saà *verbo Confirmatio num. 2.* Barbosa 2. *part. de potest. Episc. alleg. 30. num. 13.* Neque enim credendum est consuetudinem confirmandi in Ecclesia cum tanto onere obligare, & reum lethalis culpæ Episcopum constituere alibi confirmantem, ut dixit Bonac. & Barbosa *supra*, advertere debes tempore interdicti & in loco interdicto hoc sacramentum ministrari posse solemniter, publicè, & apertis januis textu in *cap. quoniam de sentent. excommunicat. in 6.* & tradit Navarr. *cap. 27. num. 178.* Covarru. *cap. Alma, 2. p. §. 2. num. 7.* Henriq. *lib. 3. cap. 6. num. 7. & lib. 13. cap. 45. num. 1.* Barb. plures referens *2. p. de potest. Episc. alleg. 31. n. 23.* qui *num. 25.* id ipsum censet non improbabiliter asserendum de chrismatis confectione.

7. Tertia cæremonia sunt vestes sacræ, quibus Pontifex ornari debet, ut hoc sacramentum ministret. Etenim pluviali, mitra, stola, & baculo Pastorali hoc sacramentum ministrandum esse respondit sacra Cardinalium congregatio apud Barbosam 2. *part. de potest. Episc. alleg 30. num. 11.*

8. Cæremoniæ Confirmationem subsequentes sunt. Prima confirmati frontem vitta linea ligari. Tum ne chrisma defluat, sed exsiccetur. Tum in significationem esse scilicet conservandam gratiam in Confirmatione susceptam. Hæc vitta tandiu sic retinenda est, quamdiu fuerit cujusvis loci consuetudo. Alicubi tribus diebus, alibi septem juxta antiquum morem retinetur. Pluribus tamen locis statim post peractam confirmationem in fronte baptismatis per ministros Ecclesiæ frons confirmati abluitur, & vitta deponitur, sicuti notarunt Suar. *disp. 37. sect. 2. n 7.* Ægid. de Coninch. *quæst. 62. art. 12. n. 115.* Henriq. *lib. 3. cap. 3. num. 1.* Paul. Laymann. *lib. 5. tract. 3. c. ult.* Eman. Saà, *verbo confirm. num. 17.* Vitta deposita solet alicubi comburi, & in profluentem mitti; alibi lota asservatur, ut in similem usum deserviat, ut refert Duran. *in rationib. divin. lib 6. cap. 84. n 4.* Barb. *alleg 30. num. 25.* Nunquam tamen ad profanos usus (inquit Laymann. *lib. 5. tract. 3. cap. ult.*) applicari debet, quia sacri chrismatis contactu quodam modo sacrata fuit.

9. Secunda cæremonia est levis alapæ inflictio in signum, quod confirmatus paratus esse debet ad injurias constanter pro Christo sustinendas, & in memoriam, & recordationem susceptæ sacramenti ne illud audeat iterum suscipere; omissionem autem hujus cæremoniæ secluso scandalo non reputant mortale. Suar. *disput. 37. sect. 2. num. 8.* Bonac. *disp. 3. de sacram. quæst. unic. punct. 4. num. 9.* Valent. *tract. 4. disp. 5. quæst. 3. p. 3.* Eman. Saà, *verbo Confirmatio. n. 10.* Barbos. *alleg. 30. n. 27.*

10. Tertia cæremonia enumeratur cereus accensus in signum quod semper vivam fidem conservare debet confirmatus. Hujus tamen cæremoniæ nec Pontificale Romanum, neque alii antiqui authores meminerunt, ut benè observavit Suar. *dicta disp. 37. sect. 2. in fine.* Est tamen consuetudine introducta, sed non sub gravi præcepto ut testatur Eman. Saà, *verbo Confirmatio, num. 10.*

11. Quarta sunt plures orationes, quibus confirmandus admonetur obligationis susceptæ constanter pro conservanda fide, & charitate pugnandi.

12. Quinta, admonentur confirmati, ne ante ultimam benedictionem Episcopalem loco Confirmationis decedant. Sed hæc admonitio omitti debet numeroso populo ad confirmationem confluente; quia eo casu difficillimum esset obligare omnes, ut in Ecclesia usque ad finitam confirmationem perseverent, & in sacramenti irreverentiam cederet ob strepitum ex concursu tanti populi necessario proventurum: potius enim expedit, ut alii succedant, & locum præstent. Sic enim decentiùs & quietius Confirmationis sacramentum ministrabitur, & notavit Paul. Layman. *lib. 3. sum. tract. 3. cap. ult. in fine.*

TRACTATUS XXI.

ET

DISPUTATIO UNICA,

DE VENERABILI

EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Eucharistia & Sacramentum est, & Sacrificium. Tractatus præsens Eucharistiam quatenus Sacramentum est, explicabit. Sequens verò quatenus est Sacrificium.

PUNCTUM I.

De nomine, & institutione Eucharistiæ.

1. *Quot nominibus Eucharistia decoretur.*
2. *Fuit Eucharistia instituta à Christo in ultima cœna, & ob quem finem.*
3. *Quo die fuerit instituta.*
4. *Objectiones proponuntur, & diluuntur.*
5. *Post lotionem pedum discipulorum præsente Juda, & facta cœna legali institutum est hoc sacramentum.*

1. EUcharistia, quod nomen Græcum est, Latinè *Bona gratia* nuncupatur. Tum quia continet in se Christum fontem totius gratiæ. Tum quia per ipsam uberior gratia, quam per alia sacramenta conceditur. Tum quia est pignus vitæ æternæ, quæ *gratia* appellari solet, juxta illud Pauli ad Rom.6. Gratia Dei vita æterna. Secundò dicitur *Viaticum*, quia morituris viam parat ad gloriam. Tertiò appellatur *synaxis*, Latinè *communio*, quia per hoc sacramentum nos cum Christo capite, & inter nos ipsos conjungimur, & unimur, sicuti explicuit D. Thom.3. *punct. quæst.*73. *art.*4. *ad* 2. & ante ipsum Damascenus *lib.*4. *de fide orthodoxa*, *cap.*14. Cyprian. *lib.*2. *epist.*3. *ad Cæcil.* & alii. Quartò dicitur *Sacrificium*, & *hostia*, quia est rememoratio præteriti Sacrificii cruenti, quod Christus Dominus in ara crucis in nostrorum peccatorum satisfactionem obtulit, & quia ipsum Christi corpus vivum, tanquam res oblata immolatur, & sumitur in peccatorum expiationem, & gratiarum actionem pro beneficiis acceptis aliorumque impetratione. Unde propriissimè Eucharisti a gratiarum actio nuncupatur, quia per eam Deo singularem gratiarum actionem pro beneficiis acceptis impendimus. Item vocatur panis vitæ, & intellectus, quia vitam causat, & intellectum illuminat. Panis cælestis, seu qui de cælo descendit, juxta illud Joann.6. continet enim Christum, qui de cælo descendit. Aliis nominibus sancti patres hoc sacramentum explicant, de quibus videri potest D. Thom.3. *punct. quæst.*73. *art.*4. & ibi omnes ejus expositores. Cavendum tamen est, ut rectè admonet Vasq. *in comment. illius art.* à nomine cœnæ Dominicæ, quia eo utuntur hæretici ad denotandum Eucharistiam nihil aliud esse, quàm cœnæ usualis figuram, mortuamque repræsentationem.

2. Hoc sacramentum institutum esse à Christo Domino in ultima cœna illius noctis, in qua traditus fuit in mortem pro nostrorum peccatorum satisfactione testantur Evangelistæ Matth.21. Marc.14. Lucæ 22. Nam Joann.6. Solum institutio promissa est. Finis ob quem ipsum sacramentum, & proximè ad mortem fuerit institutum optimè traditur à Trident. *sess.*13. *cap.*2. cui nihil addendum superest.

3. Sed quo die, an die 14 Lunæ Martii ad Vesperam ultimam illius diei, & principium 15. fuerit hoc sacramentum institutum, non levis est controversia inter Doctores, ut videre est apud Suar. *disp.*41. *sect.*1. Gab. Vasq. *disp.*172. Ægid. de Coninch. *quæst.*74. *art.*4. *dub.*1. Et omissis aliis opinionibus pro certo habendum est cum prædictis doctoribus hoc Sacramentum institutum esse die 14. lunæ ad illius diei vesperam, & principium diei 15. Quia hoc Sacramentum institutum est primo die azimorum, quo Christus Dominus agnum Paschalem cum suis discipulis comedit, ut manifestè colligitur ex illo Matth.26. dicentis. Primo azimorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes. Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? Et Marci 14. Primo azimorum, quando Pascha immolabant (scilicet Judæi) dicunt ei discipuli: Quò vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Pascha? Et Lucæ 12. Venit autem dies azimorum in quo necesse erat occidi Pascha. Sed primus dies azimorum fuit 14. mensis ad vesperam juxta illud Exodi 12. Reservabitis eum (id est agnum) usque ad quartam decimam diem mensis hujus, immolabitque eum universa multitudo filiorum Israël ad vesperam. Ergo hoc sacramentum institutum est decimo quarto die ad vesperam inchoante 15. Mos enim erat Judæis diversimodè dies communes & naturales numerare, ac numerabant dies festivos. Nam dies communes enumerabant ab ortu solis usque ad occasum, eaque de causa dictum est Joan.19. *num.*14. Christum Dominum circa horam 6. fuisse crucifixum. At dies festivos à vespera antecedenti usque ad vesperam subsequentis diei computabant, juxta illud Levit.23. *num.*32. A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabatha vestra.

Cum,

Cum ergo Christus Dominus celebraverit Pascha, cum discipulis suis eo die, quo Iudæi celebrabant, efficitur celebrasse decimo quarto die ad vesperam, quia ab ea vespera solemnitas Paschalis & dies azimorum incipiebat & consequenter eo die sacramentum instituisse

4. Sed his obstat primo, quod dixerint Iudæi Math. 26. consilium inientes de occidendo Christum. Ne fieret in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo. Sed respondeo, quia esto id desiderassent, at oblata occasione ex proditione Iudæ adversus suum primum consilium processerunt, & in die festo occiderunt fortè, ut major Christo esset ignominia. Secundo obstat, quod Joan. 23. dicitur ante diem festum Paschæ hoc sacramentum fuisse institutum, sed dies festus incipiebat à vespera diei 14. usque ad vesperam 15. Ergo Christus Dominus non instituit hoc sacramentum 14. die ad vesperam. Respondeo Joannem computasse diem non secundùm festivitatem, sed secundùm communem, & vulgarem usum qui incipiebat ab ortu solis: secundùm quam computationem verissimum fuit ante diem festum Paschæ fuisse hoc sacramentum institutum, siquidem fuit ad vesperam diei 14. Tertio obstat noluisse Judæos introire in domum Pilati, ne contaminarentur, sed possent manducare Pascha, ergo Pascha id est agnum paschalem nondum comederant. Sed respondeo ibi nomine Paschatis non agnum Paschalem, sed victimas illis diebus festivis oblatas intelligendas esse, juxta illud *Num.* 28. *n.* 19. Quæ quia in paschate offerebantur, Pascha vocatæ sunt. Quartò obstat dixisse Joan. 19. Christum passum esse in Parasceve paschæ. Ergo non in paschate. Ergo institutio Eucharistiæ non fuit ad vesperam primam diei 15 Respondeo Parasceve, quod est præparatio ciborum solum diem sabathi præcedere, non alios dies festivos Exod. 12. *n.* 16. ideoque, optimè potuit Christus pati in Paschate sumpto paschate pro die quolibet festivo ex illis septem, & pati in Parasceve paschæ, quia patiebatur in die præcedente sabathum, in quo etsi festivo poterant cibi præparari, ut dictum est. Quintò obstat, quòd eo die, quo Christus mortuus fuit, Joseph mercatus est syndonem, & mulieres paraverunt aromata ad sepeliendum, & Judæi criminaliter processerunt contra Christum. Quæ omnia non videntur in die festo licuisse, juxta illud Levit 23. Dies requietionis est, omne opus non facietis in eo Sed respondeo solo die sabathi omnia opera servilia prohibita esse, secus aliis diebus festivis, siquidem in illis præparari cibi poterant. Adde opera pietatis servilia non esse. Quod vero Judæi die festo criminaliter contra Christum processerint, ideo fuit, quia odio excæcati putabant sibi licere ejus mortem procurare, ideo non dicebant, non in die festo, quia nobis non licet, sed ne tumultus fiat in populo. Convincitur ergo Christum Dominum in die festo pridie ante Sabathum passum esse, sed Christus Sacramentum Eucharistiæ instituit pridie ante mortem. Ergo institutum fuit 14. ad vesperam. Nam dies 14. festivus, & solemnis non erat, tametsi vespera illius solemnis esset, quia ab ea vespera solemnitas Paschalis numerabatur.

5. Deinde dubitari poterat, an post lotionem pedum discipulorum vel ante, an præsente Juda, vel illo absente, an facta cœna usuali, vel ante illam hoc sacramentum institutum sit? Qua in re omissis variis opinionibus, quas refert Suar. *t.* 3. *in.* 3. *p. q.* 73. *disp.* 41. *sect.* 2. 3. & 4. Henriq. *lib.* 8. *de Eucharist. cap.* 2. Affirmandum est Christum Dominum Eucharistiam instituisse post cœnam legalem, uti colligitur ex Trident. 22. *cap.* 1. dicente: Celebrato veteri Paschate novum instituit. Item ex illo hymno Ecclesiæ.

Post agnum typicum.
Expletis epulis
Corpus Dominicum
Datum discipulis.

Imo & institutum fuit post lotionem pedum discipulorum, ut constat ex prædictis Evangelistis, ubi lotione facta recubuit cum discipulis suis, & cœnantibus illis accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit, Accipite, & manducate: hoc est corpus meum. Similiter, & calicem. Meritò ergo post lotionem institutum esse hoc sacramentum, ut eo facto significaretur ad sumendam Eucharistiam summam munditiam, & puritatem præcedere debere, ficuti notavit D. Thom. Euthym. & Lyra, Matth. 26. Bernard. *serm. de cœna Domini.* Damascen. *lib.* 8 *c.* 14. & alii relati à Suar. & Henriq. *suprà.* Præterea institutum est inter cœnandum cum discipulis suis cœna usuali, vel, ut aliis placet, ante illam. Finita legali, & pedum lotione. Vtrum autem præsente Juda, vel illo absente? Probabilius est præsente Juda factam fuisse institutionem. Tum quia Lucæ 22. postquam dixit accepisse Christum panem, illumque consecrasse, dedisseque discipulis suis, subdidit: Verumtamen manus tradentis me mecum est in mensa. Quasi diceret, etsi meum corpus, & sanguinem vobis trado, non tamen ignoro in mensa esse traditorem. Tum etiam quia Judas consecratus fuit Sacerdos, & Episcopus juxta illud Actor. 1. Et Episcopatum ejus accipiat alter. Quod sacramentum Christus Dominus instituit post Eucharistiæ institutionem illis verbis. Hoc facite in meam commemorationem. Neque obstat esse peccatorem, & ejus peccatum Christum cognovisse, quia erat peccatum occultum, & ad summum Joanni, & Petro manifestatum. Etenim Joanni interroganti quis esset proditor, respondit Christus Cui ego intinctum panem porrexero, & Judæ tradidit. Occultus autem peccator à communione publica non debet excludi.

Punctum II.

De natura Eucharistiæ.

1. *Definitur Eucharistia.*
2. *Est sacramentum à Christo institutum.*
3. *Constat ex speciebus panis, & vini, & corpore, & sanguine Christi.*
4. *Proponitur objectio, & solvitur.*
5. *Verba consecrationis non sunt forma intrinseca hujus Sacramenti.*
6. *Est omnium sacramentorum perfectissimum.*
7. *Non sunt plura, sed unum, integrum, & perfectum Sacramentum.*
8. *Proponitur objectio, & solvitur.*
9. *Examinatur, an plures species panis, & vini distincta plura numero sacramenta constituant? Negant plures.*
10. *Probabilius est oppositum.*
11. *Fit satis fundamentis n.* 9. *allatis.*

Definitur Eucharistia, ut sit sacramentum corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini ad spiritualem animarum refectionem divinitus institutum.

2. Ex qua definitione constat Eucharistiam Sacramentum esse à Christo institutum, ut definitur ab Innocent. III. *cap. firmiter de summa Trin. & fide Catholica, & c. cum Marth. de celebrat. missar.* & ab Eug. IV. in decreto fidei, quod est post ultimam sessionem concilii Florent. §. *quinto Ecclesiasticorum*, & à Trident. *sess.* 7. *can.* 1. specialiter *sess.* 13. Ferè per totam. Etenim corpus Christi Domini, ejusque sanguis sub speciebus panis, & vini contenta hominem spiritualiter nutriunt, & reficiunt, juxta illud Joan. 6. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus vere est potus, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, inme

manet, & ego in eo. Sunt ergo verum Sacramentum ex definitione ſacramenti, quæ eſt eſſe ſignum ſenſibile gratiæ ſanctificantis. Nam eſto Corpus, & ſanguis Chriſti Domini in hoc ſacramento exiſtentia ſentiri non poſſint. At quatenus ſub ſpeciebus exiſtunt, ſentiuntur, ſicuti contritio utpote in anima reſidens, eſto per ſe ſenſibilis non ſit, at quatenus confeſſionem informat, ſenſibilis redditur.

3. Secundo conſtat ad illius intrinſecam conſtitutionem tum ſpecies panis, & vini, tum Corpus, & ſanguinem Chriſti pertinere. Species quatenus Corpus, & Sanguinem Chriſti continent: Corpus, & Sanguinem Chriſti, ut ſub ſpeciebus panis continentur, quia ſub hac ratione ſumentem reficiunt. Neque enim ſola ſpecies, neque Corpus Chriſti, niſi ſub ſpeciebus contentum animæ cibus ſunt. Neque item ſpecies à Chriſto ſeparatæ adorari poſſunt adoratione latriæ, cum tamen hoc Sacramentum ſic neceſſariò ſit adorandum, ut definivit Trid. *ſeſſ.* 13. *c.* 5. Neque Chriſtus ſecluſis ſpeciebus eſt nobis ſignum ſenſibile. Denique tranſubſtantiatione (quæ eſt converſio unius ſubſtantiæ in aliam ſubſtantiam ſub eiſdem accidentibus) hoc venerabile ſacramentum, teſte Trident. *ſeſſ* 13. *c.* 3. conficitur. At ſi deſtructa ſubſtantia panis, & vini loco illius Corpus, & Sanguis Chriſti non ſuccederet, tranſubſtantiatio non eſſet. Ergo hoc ſacramentum eſſentialiter conſtat ſpeciebus panis, & vini, Corpus & Sanguinem Chriſti continentibus. Et ita ſuſtinet. S. Thom. *q.* 73. *art.* 1. *& in* 4. *diſt.* 8. *q.* 1. *art.* 1. Suar. *diſp.* 52. *ſect.* 3. Ægid. de Coninch. *q.* 73. *art* 1. *dub. unic. n.* 20. Vaſq. *diſput.* 167. *c.* 3. *&* 5. Paul. Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 4. *c.* 1. *concl.* 2. Bonac. *diſp.* 4. *de Sacram. punct* 1. *à n.* 1. & alii variis Patrum, & conciliorum teſtimoniis doctrinam exornantes.

4. Quod ſi objicias textum, in *c. hoc eſt, de conſecrat. diſt.* 2. qui ſolis ſpeciebus ſacramenti rationem videtur concedere. Inquit enim textus, Sacrificium Eccleſiæ duobus modis confici, duobus conſtare, viſibili elementorum ſpecie, & ſanguine, & ſacramento, & re ſacramenti, id eſt Corpore Chriſti. Diſtinguit ergo Corpus Chriſti à ſacramento, & fortè ob hanc cauſam plures Patres affirmant Corpus, & Sanguinem Chriſti eſſe in hoc ſacramento, denotant ergo eſſe à ſacramento diſtincta? Facile reſpondere poſſumus ibi accipi ſacramentum pro nudo ſigno viſibili, quod certè ſolis ſpeciebus competit, qualiter à Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 3. Sacramentum uſurpatur, Chriſtum vero Dominum eſſe rem, quæ ſub illo ſigno continetur. Adde Chriſtum Dominum dici poſſe eſſe rem ſacramenti, id eſt, quæ Sacramentum perficit, & conſtituit, & in ipſo exiſtit tanquam pars in toto, ſicuti anima dicitur eſſe res hominis, & in hominem exiſtere. Quod ſi urgeas, difficile eſt in hoc ſacramento aſſignare tria illa, quo communiter à doctoribus cum Mag. *in* 4. *diſt.* 8. & Hugone de ſancto Victore, *t.* 3. *lib.* 2. *de Saram. pun.* 8. *c.* 7. & Innocent. in *cap. cum Marthæ de celebrat. miſſar.* diſtinguuntur, ſcilicet res tantùm, ſacramentum tantum, res & ſacramentum ſimul, cum namque ſpecies ſignificent Corpus Chriſti ibi contentum, neque è contra Corpus Chriſti ſignificet ſpecies. Dicendum eſt tria illa abſque difficultate in hoc ſacramento inveniri. Primo invenitur res tantùm, id eſt gratia ſanctificans, quæ ſignificatur per ſacramentum, non tamen ſignificat. Secundo reperitur Sacramentum tantum ſcilicet ſpecies, quæ licet ex ſe Corpus Chriſti ibi abeſſe non ſignificent, ſignificant tamen illud ex habitudine, quam habent ad verba conſecrationis ſuper ipſas prolata. Tertio reperitur res, & ſacramentum ſimul, quod eſt Corpus Chriſti ſub ſpeciebus contentum, quippe & ſignificatur per ſpecies, & ſignificat animæ nutritionem.

5. Hinc fit verba conſecrationis non eſſe formam, ſeu partem intrinſecam hujus ſacramenti, ſed formam extrinſecam, & cauſam illius efficientem, ipſamque conſecrationem actionem eſſe, qua ipſum ſacramentum conficitur, quia verba, & conſecratio tranſeunt, Sacramentum verò perſeverat. Sic tradunt relati Doctores. Neque obeſt Florentinum dicens omnia ſacramenta tribus perfici rebus, ut materia, verbis ut forma, & miniſtro. Perficitur namque hoc ſacramentum ex ſubſtantia panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti converſis, & ex forma conſecrationis, & ex miniſtro. At ex his intrinſecè non componitur ſiquidem deficiente pane, & vino, & tranſactis verbis conſecrationis integrum, & perfectum ſacramentum perſeverat. Secundo fit ſumptione ſpecierum ſacramentum non eſſe, ſed ſacramenti applicationem. Non enim ſumptio ſanctificat, ſed applicat cibum ſanctificantem. Ægid. de Coninch. *dicto dub. unico. concl.* 7. Bonac. *diſp.* 4. *q.* 1. *p.* 1. *n.* 6. Vaſquez *diſp.* 167. *c.* 3. *n.* 16. Paul. Layman. *lib.* 5 *ſum. t.* 4. *c* 1. *aſſert.* 3.

6. Tertiò ex prædicta definitione conſtat Euchariſtiam eſſe ſacramentum omnium ſanctiſſimum, & perfectiſſimum. Tum quia continet realiter Chriſtum Dominum, qui in aliis ſacramentis non continetur. Tum quia abundantiori gratia ſuſcipientem reficit, ob idque Trident. *ſeſſ.* 7. *can.* 3. anathemate damnat eos, qui dixerint ſacramenta inter ſe paria eſſe, ut nulla ratione aliud ſit alio dignius. *Et ſeſſ.* 13. *cap.* 3. eam excellentiam in hoc Sacramento præ cæteris agnoſcit, quod alia ſacramenta ſolum vim habent ſanctificandi fideles, cum actu ſumuntur. At in Euchariſtia ipſe ſanctitatis author ante uſum eſt, ideoque in *cap.* 5. probat huic Sacramento tantum adorationem latriæ deberi.

Quartò conſtat corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini unum, integrum & perfectum ſacramentum, & non plura conſtituere. Sic D. Thom. quem cæteri ſcholaſtici ſequuntur 3. *part. q.* 73. *art.* 2. *ibi* Ægid. Suar. *diſp.* 49. *ſect.* 3. Vaſq. *diſp.* 168. *cap.* 1. Paul. Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 4. *cap.* 1 *aſſert.* 4. Bonac. *diſp.* 4 *de Sacram. q.* 1. *pun.* 4. Ob idque Pius V. *in cat. chi. mo* dixit Euchariſtiam non plura, ſed unum tantum ſacramentum Eccleſiæ auhoritate docti confitemur: colligiturque ex Trident. *ſeſſ.* 7. *can.* 1. definiente eſſe tantùm ſeptem ſacramenta, nec plura, nec pauciora. At ſi Corpus Chriſti contentum ſub ſpeciebus panis perfectè, & adæquatè eſſet diſtinctum ſacramentum à Sacramento ſanguinis ſub ſpeciebus vini contenti, non ſeptem, ſed octo ſacramenta eſſent. Unde autem hæc unitas ſumatur, cum ſigna ſint phyſicè omnino diſtincta? Alii affirmant deſumendam eſſe ex re contenta, ex eo inquam quod in utraque ſpecie idem Chriſtus continetur. Alii ex effectu gratiæ, quem utraque ſpecies cauſat, qui unus, & idem eſt. Alii ex unitate Eccleſiæ hoc Sacramento ſignificata. Etenim per ipſum, ut notat Auguſt. *tr.* 26. in Ioann. & explicuit Trid. *ſeſſ.* 13 *cap.* 3. fideles inter ſe, & cum Chriſto capite arctiſſimo fidei, ſpei, & charitatis vinculo uniuntur. Alii quia utraque ſpecie idem pignus gloriæ cæleſtis conceditur. Sed præ omnibus apertiùs hanc unitatem explicuit. D. Thom. *q.* 73. *art.* 2. illam deſumens non tam ex re ſignificata, quam ex ſignificatione. Etenim cum ſacramentum in genere ſigni formaliter conſtituatur, neceſſario Euchariſtia ut unum ſacramentum ſit, & non plura, unicum ſignum completum, & perfectum eſſe debet, & non plura. Quod autem ſic ſe habeat, probari poteſt ex eo quod Chriſtus Dominus neceſſario ſub ſpecie panis, & vini conſecrandus videtur, ut perfectè, & expreſsè ſuum ſacrificium cruentum ſignificaret Ergo ad hanc ſignificationem quælibet ex his ſpeciebus ut pars concurrit. Deinde, & præcipuè, quia hoc ſacramentum inſtitutum eſt ad ſignificandam gratiam ſanctificantem animam, non utcunque, ſed per modum convivii, & cujuſdam ſpiritualis refectionis. At ad convivium,

refectio

refectione nemque perfectam non tantum cibus, sed potus adesse debet. Ergo ad hanc significationem completam non tantùm Christus sub speciebus panis, sed etiam sub speciebus vini adesse debet. Est igitur unum sacramentum.

8. Neque obstat vocari Eucharistiam ab Ecclesia sacramenta, cum dicit. Purificent nos quæsumus domine sacramenta, quæ sumpsimus. Quo modo loquendi vtitur textus, in *cap. Sacramenta altaris de consecrat. dist.1. & c. in Sarcamentis cap. comperimus, & aliis dist.2.* At si Christus sub speciebus panis, & vini vnum tantum Sacramentum constitueret, suscipiens vtramque speciem, non plura sacramenta, sed unum tantùm suscepisset, sicuti suscipiens baptismum, ordinem, Confirmationem, non plura sacramenta baptismi, ordinis, & Confirmationis suscipere dicitur. Itemque suscipiens unam tantùm speciem non sacramentum, sed partem sacramenti suscipiet. Non inquam obstat, quia sæpe parti conceditur denominatio totius, quando per se, & separatim consideratur, ut benè explicat Suar. *disp. 1. de Eucharist. sect. 2.* in partibus homogeneis, & in quantitatibus discretis. Vna enim propositio oratio est, licet possit esse pars alterius longioris, & perfectioris orationis & una pars domus si sufficiens sit ad usum, & finem domus sejuncta ab aliis domus dici potest, licet cum aliis conjuncta domum perfectiorem componere possit. Ita Sacramentum Eucharistiæ in una specie, v. g. panis confectum, si per se consideretur sacramentum verè, & propriè dici potest, quia est signum sensibile gratiæ sanctificantis, sed quia non est completum signum, sed partiale, eo quod gratiam sanctificantem completè per modum convivii non significat, quam significationem ex institutione habet, defectu significationis non est completum sacramentum, tametsi completum sit quoad rem contentam, scilicet Christum, & quoad rem significatam, scilicet gratiam. Unde cum Ecclesia appellat utramque speciem sacramenta, de sacramentis partialibus intelligi debet, non de sacramentis totalibus, qua ratione qui plures ordines susciperet, plura sacramenta dici posset suscepisse. Quod vero in aliis sacramentis non dicantur illorum partes Sacramenta partialia, ideo est, quia per se sumptæ non sint signum practicum gratiæ, sicuti in qualibet specie Eucharistiæ reperitur.

9. An autem unum numero sit Sacramentum, quod in pluribus speciebus panis, & vini consecratis existit, an plura non est constans sententia. Plures affirmant esse vnum numero Sacramentum, si plures species panis, & vini simul ab eodem Sacerdote consecrentur. Secus si diverso tempore, vel à diversis. Sic indicat Sotus *in 4. dist.8. quæst. unica, art.2. in tertia ratione.* Moveri possunt, quia eo casu est unicum sacrificium, ergo & unicum Sacramentum. Ratio enim sacrificii à sacramenti constitutione non separatur. Alii censent plures species panis, & vini unum sacramentum esse, si unica sumptione sumantur. Sic tradit Bonac. *disp.4. de Sacram, quæst.1. pun.4. n.5.* Ægid. de Coninch. *q.73. art.4.* Favet. Suar. *disp.33. de Eucharistia sect.4. circa finem.* Dicitur primò, quia stante una sumptione unicum est convivium, ergo unicum est Sacramentum, quod per modum convivii animam reficientis institutum est. Secundo si ibi adessent plura sacramenta numero distincta, sumens plures species panis, & vini, plura sacramenta reciperet, & consequenter reciperet gratiam cuilibet Sacramento correspondentem, ac proinde abundantiorem, quam si unica tantum specie panis, & vini reficeretur. Hoc autem est absurdum, ergo dicendum est unicum esse sacramentum, si plures species panis, & vini unica sumptione sumuntur. Tertiò unitas hujus sacramenti (inquit Ægid.) non tamen ex significatione, quam ex virtute causandi spiritualem animæ refectionem desumenda est. At hæc virtus unica est, quantumvis species multiplicentur, siquidem Christus, à quo hæc unitas provenit unus est in omnibus speciebus, & fortè ob hanc causam Paul. 1. Corinth. 10. dixit omnes nos unum corpus esse, qui de eodem pane participamus. Quartò si verbum divinum pluribus humanitatibus uniretur, non plures homines, sed unus tantum resultaret, quia ratio suppositi, quæ hominem præcipuè constituit, unica est. At Christus Dominus est, qui præcipuè constituit Eucharistiæ sacramentum, species verà minus principaliter: Ergo quamvis species multiplicentur, non obinde sacramentum multiplicandum est, cum Christus Dominus, qui sub ipsis continetur, multiplicationem non recipiat, sed unitatem servet.

10. Nihilominus verissimum censeo plures species panis & vini consecratas plura Sacramenta numero distincta esse, tametsi unica actione consecratæ fuerint, & unica sumptione consumptæ. Sic Vasq. latè probans *q.73. art.2. disp.168. c.2. num.13.* Ratio est, quia quælibet species panis, & vini consecrata ut sejuncta ab alia specie panis, & vini est sacramentum Eucharistiæ adoratione latriæ adorandum, & refectionis spiritualis significativum. Ergo est distinctum sacramentum, siquidem in hac significatione, & causatione adorationeque passiva à nulla alia specie panis, & vini consecrata dependet. Neque his obest, quod plures illæ species panis, & vini unica actione fuerint consecratæ, & unica sumptione consumptæ, quia consecratio, & consumptio extrinseca sunt huic Sacramento, neque illud componunt. Etenim consecratio sacramentum conficit, consumptio consumit. Ergo ex unitate consecrationis, vel consumptionis unitas sacramenti intrinseca desumi non potest.

11. Hinc facile est fundamentis aliarum opinionum satisfacere. Ad primæ opinionis fundamentum concedo unica consecratione unicum sacrificium confici, at non unicum sacramentum numero, sed plura si plures sint species consecratæ, quia ex diverso capite unitas sacrificii, & sacramenti desumitur. Vnitas sacrificii desumitur vel ex re oblata, vel ex oblatione, seu consecratione utpote ratione formali. Si ergo ex re oblata desumatur, unica numero est, tametsi à pluribus Sacerdotibus, vel ab eodem pluries offeratur, quia est idem Christus. Quo sensu dixit Ambros. relatus in *cap. in Christo de consecrat. dist.2.* eandem esse hostiam, quam Christus Dominus obtulit Patri, & quam omnes Sacerdotes offerunt. Si vero ex oblatione unitas numerica sacrificii colligenda sit, constat toties sacrificia multiplicari, quoties oblationes, seu consecrationes multiplicatæ fuerint. At unitas sacramenti ex significatione practica gratiæ sanctificantis desumi debet, siquidem sacramentum in ratione signi practici formaliter constituitur. Cum ergo plures species numero distinctæ Christum continentes sint plura signa practica gratiæ sanctificantis, efficitur sanè plena sacramenta numero distincta esse. Ad secundæ opinionis fundamentum primum admitto esse unicum numero convivium, si plures species consecratæ unica sumptione sumantur, nego tamen non sumi plura numero sacramenta distincta quia ratione sacramenti convivium actuale præcedit, & consequenter ex convivio, seu sumptione neque unitas, neque multiplicitas desumi potest. Neque inde fit sumentem plura illa Sacramenta abundantiorem gratiam recepturum, quam si unicum numero Sacramentum reciperet, quia in communicatione gratiæ pendet Sacramentum Eucharistiæ à sumptione. Cum ergo unica numero sūptio est unica gratia omnibus illis sacramentis communicatur, & per hæc patet responsio ad secundum. Ad tertium dico

unitatem Euchariſtiæ ex ſignificatione practica cauſandi gratiam deſumi debere. Hæc autem ſignificatio multiplex eſt pro multiplicitate ſpecierum, tametſi Chriſti virtutis unica numero in ſe ſit. Eſt enim in ſe unica ſed in ratione ſigni practici multiplex, quia multiplici ſigno applicata eſt. Neque huic Doctrinæ adverſatur Paulus affirmans omnes nos de eodem pane manducare, quia non loquitur de unitate numerica ſacramenti, ſed ſpecifica, vel intelligendus eſt de Chriſto ſub ſpeciebus panis contento. Ad quartum admiſſo gratis verbum divinum pluribus humanitatibus unitum unicum numero hominem conſtituere, nego Chriſtum Dominum pluribus ſpeciebus contentum unicum numero conſtituere Sacramentum: quia Chriſtus Dominus non ratione ſui præcisè Sacramentum conſtituit. Sed quatenus mediis ſpeciebus eſt ſignum ſenſibile operativum gratiæ ſanctificantis. At multiplicatis ſpeciebus neceſſario Chriſtus quatenus eſt ſignum ſenſibile gratiæ ſanctificantis operativum multiplicatur. Ergo multiplicatur ſacramentum.

Punctum III.

De neceſſitate Euchariſtiæ ad ſalutem.

1. *Eſt neceſſaria neceſſitate præcepti.*
2. *Plures cenſent tam adultis, quàm parvulis neceſſariam eſſe Euchariſtiam neceſſitate medii.*
3. *Contrarium verius eſt.*
4. *Proponitur objectio ex Trident. Et ſit illi ſatis.*
5. *Satis ſit fundam. n. 2. adductis.*

1. CErtum eſt Euchariſtiam neceſſariam eſſe neceſſitate præcepti non ſolum Eccleſiaſtici, ſed divini, de quo poſtea. Controverſia præſens eſt, an ſit neceſſaria neceſſitate medii, ſeu finis. Illud namque neceſſarium eſt neceſſitate medii, quod per ſe, & poſitivè medium eſt ad ſalutem animæ comparandum, quodque dicitur neceſſarium neceſſitate finis, quia ſine eo finis vitæ æternæ obtineri non poteſt. At neceſſarium neceſſitate præcepti præcisè non eſt medium poſitivum ad ſalutem obtinendam, ſed eſt medium negativum, quia negat, & impedit, ne ſalus obtenta violatione præcepti amittatur.

2. Non deſunt Doctores qui ſentiant Euchariſtiam, vel votum illius neceſſarium eſſe tum adultis, tum parvulis neceſſitate medii. Sic docent Henriq. *lib. 8. de Sacram. cap. 3. num. 2. & 3.* Didac Nunez. *q. 73. art. 4. difficult. 2. concl. 2. & qu. 79. art. 3. ad 2.* Pitigian. *diſt. 9. quæſt. 3. art. 2.* Conſentit Cajet. *dicta q. 73. art. 4. §.* adverte hic. Dominic. Sotus *in 4. dict. 8. quæſt. unica art. 3.* quatenus affirmant votum Euchariſtiæ ſufficere ad ſalutem, ipſum tamen neceſſarium eſſe indicat D. Thom. *dicta quæſt. 73 art. 4.* inquit enim: Perceptio baptiſmi eſt neceſſaria ad inchoandam ſpiritualem vitam; perceptio autem Euchariſtiæ eſt neceſſaria ad conſummandam ipſam non ad hoc quod ſimpliciter habeatur, ſed ſufficit eam habere in voto, ſicut & finis habetur in deſiderio, & intentione. Moventur primò, quia proprius effectus Euchariſtiæ eſt vitam ſpiritualem ſumentibus concedere, juxta illud Joann. 6. Ego ſum panis vitæ, qui manducat hunc panem vivet in æternum imo concedere vitam, ſicut Pater Chriſto conceſſit. Inquit enim Chriſtus, Sicut miſit me vivens pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me vivet propter me. At Pater neceſſariò Filio vitam conceſſit, ita ut alia via vitam obtinere non potuerit. Ergo ut nos vivamus propter Chriſtum neceſſarium eſt, ut manducemus, neque alia via poterimus vitam obtinere. Et forte, ob hanc cauſam dixit. Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, quo loquendi modo uſus eſt Chriſtus ad ſignificandam baptiſmi neceſſitatem Joann. 3. cum dixit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto non poteſt introire in regnum Dei, Ergo Euchariſtia æquè eſt ad vitam neceſſaria, ſicut baptiſmus. Secundò plures Patres negant aliquem ſalvari poſſe, & immortalitatem conſequi, qui particeps non fuerit Corporis, & Sanguinis Chriſti. Sic Auguſt. *lib. 1.* contra duas Epiſtolas Pelagiani. *cap. 22. & alibi.* Cyrill. Alexand. *lib. 10. in Joan. cap. 13.* Greg. Nyſſen. *in orat. de Euchariſt.* At plures tum parvuli, tum adulti ſalvantur, & immortalitatem obtinent, quin re ipſa participes fuerint Sacramenti corporis, & ſanguinis Chriſti. Ergo ſaltem per votum illius participes eſſe debent. Quod ſi inquiras qualiter parvuli votum Euchariſtiæ habere poſſint cum propria voluntate careant; Reſpondent præfati doctores non habere votum formale, & explicitum, ſed implicitum, & virtuale in baptiſmo ſuſceptum. Ob cujus cauſam concedit Deus infanti perſeverantiam in gratia morte præmatura antequam malitia mutet intellectum ejus.

3. Cæterum omnino tenendum eſt neque parvulis, neque adultis Euchariſtiam, aut illius votum (ſi propriè ſumatur) eſſe neceſſarium neceſſitate medii ad vitam æternam conſequendam. Sic Valen. *tom. 4. diſp. 6. q. 1. pun. 5.* Ægid de Coninch. *quæſt. 73. art. dub unico concl. 1. & ſeqq.* Vaſq. *diſput. 169. cap. 3.* Bonac. *diſp. 4. de Sacram. quæſt. 1. pun. 3.* Paul Layman. *lib. 5. ſum. tract. 4. cap. 5 quæſt. 1.* Et quidem parvulis non eſſe Euchariſtiam in re ſuſceptam neceſſariam docuit Trident. *ſeſſ. 21. can. 1.* iis verbis: Si quis dixerit parvulis antequam ad annos, diſcretionis pervenerint neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem, anathema ſit. Quod verò illius votum non fuerit illis neceſſarium, imo nec poſſibile inde probatur, quia ipſi carent rationis uſu, qui ad votum, ſeu voluntatem propriam neceſſarius eſt. Quod ſi dicas inde ſolum probari votum explicitum Euchariſtiæ non eſſe illis neceſſarium, non tamen probari votum implicitum contentum in baptiſmo illis neceſſarium non eſſe? Obſtat quia baptiſmus non eſt votum Euchariſtiæ, potius quam cujuſlibet præcepti divini, & Eccleſiaſtici. Unde enim conſtat in baptiſmo ſpecialiter votum Euchariſtiæ contineri, aut aliud propoſitum præter obligationem ſervandi divinam, & Eccleſiaſticam legem. Adde baptiſmum ex ſe ſufficientem eſſe ad remittendum parvulis originale peccatum, & conſequenter ad gratiam conferendam. Quod verò in ea gratia ſuſcepta parvulus moriatur, neque baptiſmo, neque voto Euchariſtiæ, quod fictitium eſt, tribui debet, ſed ſpeciali Dei providentiæ, ob quam præmatura mors parvulis antequam peccatis coinquinentur ſuccedit.

Quod vero adultis neque Euchariſtiæ, neque votum illius neceſſarium ſit neceſſitate medii inde probo, quia neque eſt neceſſarium medium ad gratiam obtinendam, neque ad perſeverandum in illa. Ergo nullatenus eſt medium neceſſarium. Et in primis ad gratiam obtinendam non eſſe neceſſariam Euchariſtiam, vel votum illius colligitur manifeſte ex eo quod, pro peccatis ante baptiſmum ſolus baptiſmus ſufficiat ad illorum remiſſionem, & gratiæ conſecutionem, pro peccatis vero poſt baptiſmum ſola pœnitentia. Neque ergo Euchariſtia, vel votum illius eſſe neceſſarium ad gratiam. Et confirmo, adultus media attritione Sacramentum pœnitentiæ ſuſcipiens gratiam conſequitur nullo voto elicito Euchariſtiæ diſtincto ab eo propoſito, quod in attritione vel contritione imbibitur ſervandi omnia mandata, Qualiter ergo Euchariſtiâ, aut votum illis eſſe poteſt neceſſarium? Item Euchariſtia inſtituta eſt ad augendam gratiam, perficiendamque

unitatem, quam medio baptismo, seu pœnitentia cum Christo consequimur. Cap *firmiter. de summa Trinit. cap. cum Martha de celebrat. missarum*, supponit ergo nos esse gratos, & Christo per charitatem unitos. Item est instituta in spiritualem cibum, quo alantur, & confortentur viventes vita illius qui dixit Qui manducat me, ipse vivet propter me. Sicuti docuit Trident. *sess.*13. *c.*2. Non ergo tribuit vitam, sed illam supponit. Ergo Eucharistia, aut votum illius non est medium ad salutem animæ necessarium; si enim votum Eucharistiæ ad salutem esset medium necessarium, ipsa Eucharistia instituta esset non ad perficiendam vitam, sed ad illam primo concedendam. Sicuti cernitur in voto baptismi, & pœnitentiæ, quorum votum saltem necessarium est quia ad vitam concedendam sunt illa sacramenta per se instituta. At Eucharistia per se non est instituta ad gratiam, & vitam spiritualem communicandam, sed ad illam perficiendam. Ergo votum Eucharistiæ esse non potest medium necessarium ad gratiam. Item votum Eucharistiæ loco Eucharistiæ susceptæ subrogatur, sed Eucharistia susceptа non est medium vitæ concedendæ, sed perficiendæ, quia ex se ad remittenda peccata instituta non fuit. Ergo à fortiori nec votum Eucharistiæ erit medium necessarium ad dictam vitam. Quod autem Eucharistia, vel votum illius non sit necessarium medium ad perseverandum in gratia probatur manifestè, quia recepto cum debita dispositione baptismo, vel pœnitentia, potes in amentiam perpetuam incidere, vel statim decedere. Ergo illa decessio in gratia finali non Eucharistiæ, quæ recepta non fuit, neque voto illius quod factum non est, tribui debet, sed divinæ providentiæ sic res disponenti. Quo enim fundamento quis dicere poterit illam perseverantiam finalem ex contritione quatenus est votum Eucharistiæ suscipiendæ, si viveres, provenire? Eadem enim rationi dicere posset provenire illam perseverantiam ex contritione, quatenus est votum exequendi quodlibet præceptum divinum & Ecclesiasticum. Et urgetur amplius casu quo moriturus susceptisses Eucharistiam, & illa susceptа peccares, mortaliter, obligatus quidem esses confiteri, non tamen iterum Eucharistiam suscipere, quinimo posses nolle suscipere quod stare non posset, si Eucharistia, vel votum illius esset necessarium ad finalem perseverantiam, siquidem eo casu neque Eucharistia suscipitur cum possit, nec votum illius habetur.

4. Sed objicis ex Trident. *sess* 13. *cap.* Eucharistia est cibus, quo alimur, & confortamur, at cibus corporalis ad conservandam vitam corporalem necessarius est, ergo Eucharistia necessaria erit ad vitam corporalem conservandam. Item est antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à mortalibus præservamur. At perseverantia consistit in præservatione à mortali peccato, ergo Eucharistiæ tribuenda est, hæc perseverantia. Neque inde fit quemlibet recipientem ritè Eucharistiam perseveraturum in gratia, sed neminem in gratia perseveraturum, cui propter Eucharistiam, vel votum illius perseverantia non concedatur.

Respondeo concedendo Eucharistiam esse cibum, quo alimur, & confortamur in vita spirituali, nego tamen ad conservationem vitæ spiritualis esse æquè necessarium, ac est cibus materialis corporalis vitæ. Tum quia corporalis vita paulatim diminuitur, quæ si cibo non reficeretur, omnino periret. Secus verò spiritualis vita, quæ integra perseverat, donec omnino per peccatum mortale deperdatur. Tum quia Eucharistia non est unicus cibus, quo vita spiritualis confertur, cum plures alii adsint, nempe oratio, jejunium, eleemosyna, & cujusuis alterius virtutis exercitium. Quapropter esto cibus spiritualis ad conservationem vitæ spiritualis necessarius esset, sicut materialis ad conservandam corporalem vitam, nullatenus infertur Eucharistiam necessariam fore. Eodem modo intelligi debet esse antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à mortalibus præservamur: est enim medium convenientissimum ad hunc effectum, sed non simpliciter necessarium, cum alia via obtineri possit. Adde non obtineri infallibiliter, & efficaciter hanc à mortalibus præservationem per Eucharistiam, aliàs Eucharistia semel ritè susceptа confirmaret suscipientem in gratia. Sed obtinetur hæc præservatio efficacius quam oratione, eleemosina, alteriusve virtutis exercito. Affirmare autem nemini perseverantiam concedi nisi ob Eucharistiam susceptam, vel illius suscipiendæ votum, nullo nititur fundamento, quod amplius constabit ex solutione rationum quibus Doctores *num.*1. adducti movebantur.

5. Ad primum admitto Eucharistiam esse panem vitæ. Tum quia vitam supponit. Tum quia vitam spiritualem perficit. Item admitto ritè suscipientem vivere in æternum propter ipsum quatenus est ex parte sacramenti. Vita enim spiritualis ex se æterna est. Cum vero urgetur manducantem Eucharistiam vivere propter Christum, sicut Christus vivit propter patrem, intelligi non debet comparatio quod necessitatem, sed quoad dependentiam, seu participationem. Ita ut sit sensus. Sicut Christus vitam quam habet à patre accepit, & propter ipsum vivit, sic manducans ritè Eucharistiam, à Christo vitam accipit, & propter ipsum vivit. Sed non inferendum alia via, quam Eucharistiæ susceptione vitam haberi non posse. Sunt enim plura alia media, quibus Deus vitam, illiusque augmentum hominibus communicat. At Christus à nullo alio nisi à Patre vitam accipere potest. Neque his obstat locus Joannis.3. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, &c. hæc enim verba non necessitatem medii determinate, sed necessitatem medii, vel præcepti inferunt. Si enim applicentur materiæ ad remissionem peccati per se institutæ, inferunt necessitatem medii, ut in baptismo contingit: at si applicentur materiæ, quæ per se instituta non est ad remissionem peccati, sed ad gratiæ augmentum, necessitatem solius præcepti inducere possunt. Sicuti constat ex illis Christi verbis Matth 18. Nisi efficiamini sicut parvuli non intrabitis in regnum cœlorum, quo loco humilitas commendatur.

Ad secundum respondeo, cum sancti Patres asserunt neminem salvari, neque immortalitatem consequi, nisi fuerit particeps corpoporis, & sanguinis Christi, intelligendi sunt non de participatione reali per sacramentum, aut votum illius, sed de participatione mystica, quæ est per charitatem, ut explicuit August. *tract.*26. *in Ioann.* (inquit) cibum, & potum, societatem vult intelligi corporis, & membrorum, quod est Ecclesia. Et paulò inferius. Hoc est ergo manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere, vel intelligendi sunt de convenentia, non de necessitate, sicuti explicuit Vasq. *disp.*169. *cap.*4. quasi diceret neminem alia via convenientiori, & aptiori susceptо baptismo, vel pœnitentia vitam æternam, & immortalitatem corporis consequi posse, quam Eucharistiæ susceptione.

Punctum IV.

Quæ sit materia remota consecrationis.

1. *Panis, & vinum est materia remota Eucharistiæ*
2. *Panis debet esse triticeus.*
3. *Confici debet aqua naturali.*
4. *Esse azimum, vel fermentatum non est de necessi-*

tâte Sacramenti, benè tamen de neceſſitate præcepti.

5. *Ob nullam gravem proximi neceſſitatem omitti poteſt hæc obligatio.*
6. *Materia Sacramenti ſanguinis eſt vinum de vite.*
7. *Debet eſſe ex uvis expreſſum.*
8. *Vinum congelatum materia eſt conſecrationis, tametſi alii contrarium ſentiant.*
9. *Acetum non eſt materia.*
10. *Neque ſapa, nec lora, &c.* 10.

1. PAnem, & vinum materiam eſſe venerabilis hujus ſacramenti definit Concil. Lateranen. *in cap. firmiter de ſummo Trinit. & fide Cathol.* & Florentin. *in decreto fidei poſt ult. ſeſſionem, §. tertium eſt ſacram.* & Trident. *ſeſſ.13. cap.1.* & *aliis*, & colligitur ex Math.26. Marco 14. Luca 22. Pauli 2. ad Corinth.11. juncta Eccleſiæ praxi, & perpetua traditione. Congruentiæ hujus inſtitutionis deſumi debent ex dignitate tanti ſacramenti, & ex ejus effectibus: dignitati namque ſacramenti maximè decet ex pane, & vino confici, ut ſic omni munditie, & puritate qua fieri poteſt ſacrificium incruentum conſtituatur, aptiſſiméque ſacrificium cruentum in ara crucis oblatum repræſentetur, aptiſſiméque denoteturconvivium, quod nobis Chriſtus Dominus in hoc venerabili ſacramento parat. Deinde congruit effectibus hujus ſacramenti ſignificandis, denotat enim expreſsè unionem, quam fideles medio hoc Sacramento inter ſe habent, & cum ſuo capite Chriſto. Non ſecus ac ex pluribus granis unicus panis, & ex pluribus uvis unicum vinum conficitur. Et ſicut panis nutrit, & vinum lætificat, & utrumque vires reficit, & ſumentem confortat, ſic hoc diviniſſimo Sacramento ſuſcipientes aluntur, confortantur, & lætitiam ſpiritualem accipiunt, & in ſpiritu recreantur.

2. Panis materia hujus ſacramenti neceſſaria debet eſſe triticeus, quia hic ſolus eſt, qui abſolutè, & ſimpliciter panis nuncupatur, alii cum addito. Colligitur manifeſtè ex Florent. Concil. *loco allegato*, & ex praxi, & traditione Eccleſiæ. Quocirca panis ex mylo, maya, caſtaneis, leguminibuſque confectus nullatenus eſt materia, quia non eſt panis uſualis, & tradunt omnes. Ex hordeo, oriza, & farre Gabr. *lect.35. in canon. miſſæ* affirmat tanquam probabile eſſe materiam conſecrationis, eo quod concilia non definierint ſolum panem ex tritico confectum eſſe materiam, ut videre eſt in his; quæ refert Gratian. *de conſecrat. diſt.2. cap. cum omni crimini & aliis.* At frumentum comprehendit quamlibet ſpeciem grani habentem ariſtas, teſte Plinio, *lib.18. hiſtor. cap.7.* Tarro *de re ruſtica cap.*48. Iſidoro *lib.17. etymol. cap.3.* Ergo panis ex omnibus illis confectus eſt materia. Sed contrarium omnino dicendum eſt, quia eſto ante. Eugen. IV. concilia non ſatis expreſſerint qui panis conſecrationi neceſſarius fuerit, at Eugen. IV. *in decreto illo fidei §. tertio* apertiſſimè definivit ſolum panem triticeum conſecrationi deſervire poſſe. Cum autem hordeum, avena, oriza, & far non cenſeantur communi hominum æſtimatione triticum, ſed aliæ ſpecies frumenti longè inferiores, efficitur omnia illa materiam non eſſe conſecrationis. Typha Græcè, Latinè Blatha, Hiſpanè Zenteno. S. Thom. *q.73. art.3. ad 2.* affirmat materiam eſſe, quia exiſtimat eſſe triticum aliqualiter degeneratum. Contrarium verius reputo, quia eſto aliquando ex tritico natum fuerit. At ob debilitatem terræ in alteram ſpeciem mutari potuit, & ſic eſt cenſendum. Vaſq. *diſp.170. cap.3. num.11.* Idem eſt dicendum de avena, ſeu ſpelta, quamvis aliquibus placeat triticum eſſe, ut videre eſt apud Sotum *in 4. diſt.9. art.3.* Ægid. de Coninch. *quæſt.73. art.3. num.52.* Amylon. quod ex tritico madefacto, & expreſſo conficitur, tametſi verſum ſit in farinam aptum non eſt, ut conſecrationi deſerviat, ſicuti probabilior ſententia tenet apud Vaſq. *diſp.170. cap.4. num.23.* Ægid. cum D. Thom. *quæſt.73. art.3.* Paul. Laymann. *lib.5. ſum. tract.4. cap.2. num.8.* contra Bonac. & alios ab eo relatos. *diſput.4. quæſt.2. part.1. num.7.* Quia per illam tritici madefactionem non leviter triticum corrumpitur, & quaſi in alteram ſubſtantiam mutatur, ideoque panis inde confectus uſualis non eſt. Illud vero eſt certum ex omnium ſententia eſſe graviſſimum peccatum in pane ex his ſeminibus confecto conſecrare, quia ſaltem eſt dubia materia.

3. Præterea panis triticeus conſecrationi deſerviens debet ex aqua naturali confectus eſſe, & igne toſtus, quia hic eſt panis uſualis. Unde confectus ex melle, lacte, oleo, aqua roſacea, vel ſimili conſecrationi ineptus eſt, quia non eſt panis uſualis, ſed placenta, ut benè D. Thom. *quæſtion.74. art.7. ad 3.* Ægid. de Conin. *artic.3. num.48.* Vaſq. *diſp.170. cap.4. num.25.* Paul. Layman. *lib.5. ſum. tract.4. cap.2. aſſert.3.* Bonac. *diſp.4. quæſtion.2. part.1. numero 3.* Similiter maſſa antequam igne torreatur, à ſacramenti materia deficit, quia eſto non differat ſpecie à pane cocto, differt tamen à ratione panis uſualis, qui fuit à Chriſto pro materia hujus ſacramenti inſtitutus. Sic D. Thom. Bonac. Laymann. Vaſquez Ægid. & alii locis citatis. Quod ſi triticeis granis alia diverſa miſceantur, vel aqua naturali, mel, lac, & ex ea mixtione panis conficiatur, conſiderandum eſt, an extranea materia nativam ſuperet, nam eo caſu mixtum conſecrationi ineptum eſt, at ſi propria materia extraneam vincat, aptum erit mixtum conſecrationi validæ, quia abſolutè panis eſt uſualis: grave tamen peccatum conſecrans committet adverſus puritatem debitam huic Sacramento, & illius inſtitutionem 3. Sic tradunt D. Thom. *quæſt.74. art.3. ad 3. & ibi.* Ægid. de Coninch. *num.55.* Vaſq. *diſp.170. cap.4. num.26.* Paul. Layman. *lib.5. ſum. tract.4. cap.2. verſ. denique.* Bonac. *diſp.3. de Sacram. Euchariſt. quæſt.4. part.1. num.4.* Ob eandem cauſam peccatum grave erit conſecrare in pane, qui jam incepit tranſmutari, & corrumpi, ſicut in vino, quando incipit aceſcere: docuit D. Thom. *quæſt.74. art.7. ad 3.* Henriq. *lib.8. de Euchariſt. cap.9.* Bonac. *diſp.4. quæſt.2. pun.1. n.5.*

4. Verumquod panis triticeus debeat eſſe azimus, aut fermentatus non eſt de neceſſitate ſacramenti, uti definivit expreſſè Concil. Florentin. *in decreto de Armenis, §. tertio in Euchariſtia.* Uterque enim panis eſt uſualis, convenientior tamen eſt azimus, quam fermentatus, ut docuit D. Thom. *quæſt.74. art.4.* tum ob ſignificandam puritatem Corporis Chriſti, quod ſine opera viri conceptum eſt, tum ob denotandam puritatem, qua hoc Sacramentum recipi debet. Tum præcipuè, quia probabilior, & ferè certa ſententia fert Chriſtum Dominum in azimo conſecraſſe, ſiquidem poſt uſum agni paſchalis, in quo non licebat pane uti fermentato, hoc Sacramentum inſtituit. At de neceſſitate præcepti Sacerdos Eccleſiæ Latinæ in Eccleſia Latina tenetur in azimo conſecrare, Græcus vero in Eccleſia Græca in fermentato, ut expreſſè tradidit Concilium Florent. *dicto decreto* §. 2. Definimus (inquit) in azimo, ſive fermentato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter confici, Sacerdoteſque in altetutro ipſum Domini corpus conficere debere unumquemque juxta Eccleſiæ ſuæ ſive Occidentalis, ſive Orientalis conſuetudinem, & notavit D. Thom. *quæſt.74. art.4.* Quod adeo verum eſt, ut Sacerdos Latinus tranſiens per Eccleſiam Græcam, & Græcus per Eccleſiam Latinam retinere ſuæ Eccleſiæ conſuetudinem poſſit, conſultius tamen faceret, ſi illius Eccleſiæ, qua tranſit, ritus obſervet, ſicuti multis allegatis probat Bonac. *dicta diſp.4. quæſt.2. pun.1. num.9. & latius* Ægid. de Conin. *q.74. art.4. dub.2.*

5. Adde

5. Adde Sacerdoti Latino in Ecclesia Latina licitum non esse uti fermentato, neque Sacerdoti Græco in Ecclesia Græca, etiam si populus diu deberet sacrificio privari, & proximus absque viatico decedere, quia utilitas communis privatis commodis præferri debet. At ad utilitatem communem Ecclesiæ pertinet ritus præscriptos in sacramentis conficiendis observare. Ergo hæc utilitati præferenda est. Adde præceptum communicandi in articulo mortis, & audiendi sacrum diebus festivis neminem obligare, nisi quando sacrificium fieri potest servatis legibus, & ritu ab Ecclesia præscripto. Sic Sotus *in* 4. *dist.* 9. *art.* 4. Suar. *disp.* 44. *sect.* 3. *in fine & sect.* 4 *concl.* 2. *& disp.* 76. *sect.* 5. *dub.* 2. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 11. *n.* 7. Bonac. *disp.* 4. *q.* 2. *p.* 1. *num.* 11. Paul. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 4. *capit.* 2. *vers. altera pars.*

6. Materia sacramenti sanguinis est vinum de vite, & nullum aliud, colligitur ex Mathæi 26. Lucæ 22. juncta Ecclesiæ traditio, definitumque est in Concilio Florent. *decreto fidei §. tertio* & supponitur in Trident. *sess.* 13. *cap.* 1. & 2. Unde liquores expressi ex pomis, & malis granatis nullatenus consecrationi deservire possunt, quia non sunt vinum absolutè, & tradunt omnes.

7. Hoc vinum debet necessario esse ex uvis expressum. Nam dum liquor intra quam est per se potari non potest, sed potius comedi, neque signo hic demonstrari potest, cum non sit sub uvis, ut totum quoddam, sed ut pars in toto, neque est aptus, cui aqua misceatur. Sic D. Thom. *q.* 74. *art.* 5. *& ibi.* Ægid. *numer.* 123. Vasq. *disp.* 175. *num.* 11. Suar. Laymann. *lib.* 5. *sum. tract.* 4. *cap.* 2. *assert.* 4. Suar. *disp.* 45. *sect.* 1. Bonac. *disp.* 4. *de Sacram. quæst.* 2. *pun.* 2. *num.* 9. & alii plures apud ipsos. Liquor vero expressus ex uvis maturis, sed non defœcatus, quique Mustum communiter appellatur, materia est consecrationis, quia absolutè est vinum, sed non est decens, ideoque absque urgenti causa grave peccatum esse ea uti materia ad consecrationem. Colligitur cap. *omne crimen de consecrat. dist.* 2. & tradit Vasq. *disp.* 175. *c.* 1. *num.* 7. Suar. *disp.* 45. *sect.* 1. *vers. tertiò.* Ægid. *q.* 74. *art.* 5. *num.* 124. Paul. Laymann. *lib.* 5. *sum tract.* 4. *cap.* 2. *assert.* 5. Bonac. *disp.* 4. *quæst.* 2. *part.* 2. *num.* 3. Notanter dixi ex uvis maturis, nam liquor expressus ex immaturis, quique Agresta nuncupatur, cum naturam vini consecutus non fuerit, à materia consecrationis excluditur. Sic D. Thom. receptus ab omnibus. *quæst.* 74. *art.* 5. *ad* 3.

8. Vinum congelatum aliqui censent ineptam consecrationi esse materiam. Sic Ledes. 1. *p. quart. q.* 15. *art.* 5. *dub.* 1. Alanus *lib. de Eucharist. cap.* 11. Armilla *verbo Eucharistia num.* 19. Angles in 4. *p.* 1. *de essential. Eucharist. art.* 3. *diffic.* 3. Moventur, quia vinum congelatum potabile non est, ergo esse non potest materia consecrationis. Hac enim ratione inclusum in uvis diximus ineptum consecrationi esse, & aquam congelatam ineptam materiam baptismi, quia inepta est ablutioni. Cùm ergo vinum congelatum ineptum sit potationi, & consecrationi ineptum esse debet. Nihilominus probabilius est vinum congelatum materiam consecrationis esse (nisi aliquando ob congelationem substantia vini corrumperetur, quod in communi congelatione censendum non est.) Sic Sylvest. *verbo Eucharistia.* 2. *quæst.* 10. *num.* 15. Sotus *in* 4. *dist.* 9. *art.* 5. Suar. *disp.* 41. *sect.* 1. *circa finem.* Ægid. de Coninch. *q.* 74. *art.* 5. *n.* 126. Bonac. *disp.* 4. *quæst.* 2. *part.* 2. *num.* 10. Paul. Laymann. *lib.* 5. *sum. tract.* 4. *cap.* 2. *assert.* 5. *in quarta advertentia.* Ratio est, quia vinum congelatum per se est potabile, esto per accidens potari non possit. Quod secus accidit in vino incluso in uvis, quod per se est comestibile, non potabile. Consecrationem autem non impedit quod vinum ex aliquo accidenti actu potari non possit, si per se potabile sit, quia Eucharistia non in potatione, sed in re, quæ potanda est consistit. At quia congelatio impedit ablutionem, in qua essentia baptismi consistit, ea de causa aqua congelata baptismo inepta est, non autem vinum congelatum consecrationi. Et fortè ob hanc causam Pius V. *in Rubrica Missalis de defectibus Missæ §. in hyeme* statuit, si potest consecrationem vinum congelatum, fuerit, igne liquefieri, & absumi, manifestè supponens ob congelationem species vini consecrationi aptas non corrumpi. Fatentur tamen ferè omnes doctores relati grave esse peccatum, si in vino congelato consecratio fiat, quia dubia est materia. At si prius fuerit congelatum, & postea liquefiat, non est improbabile licitè consecrari, quamvis minus decenter, quia est verum vinum, & actuali potationi aptum, sed congelatione aliqualiter immutatum. Sic Suar. *disp.* 45. *sect.* 1. *in fine.* Ægid. de Coninch. *q.* 74. *art.* 5. *in fine.*

9. Acetum esto ex vino fiat, nullatenus est materia consecrationis, quia in aliam naturam à vino est transmutatum, ideoque Pius V. *Rubrica de defectibus in Missa occurrentib.* præcipit Sacerdoti reperienti tempore consumptionis in aceto consecrasse, ut vinum apponat, & denuò consecret. Et Gregor. XIII. imperavit deleri Glossam *in cap.* 2. *de consecrat. dist.* 2. affirmantem acetum esse consecrationis materiam. Quod si Isidor. *lib.* 8 *etymolog. c.* 3. & Innocent. III. *lib.* 4. *de sacrific. Missæ c.* 30. aliique Doctores dixerint acetum esse materiam consecrationis, intelligendi sunt non de aceto perfecto, sed de vino acido, qui ad acetum pergit, eo tamen uti ad consecrationem extra necessitatem peccatum est, & quidem grave, si ita aceti naturæ proximum sit, ut merito dubitetur, an vini qualitates amiserit. Vivald. *de Eucharist. cap.* 3. *num.* 4. Victoria *eadem concl.* 59. Pitigian. *distinct.* 11. *quæst.* 7. *concl.* 6. Vasq. 3. *part. disp.* 175. *cap.* 2. *in* 1. *difficult.* Bonac. *disp.* 4. *p.* 2. *num.* 5. Ægid. *q.* 74. *art.* 5. *n.* 122. Paul. Layman. *lib.* 5. *sum tract.* 4 *c.* 2. *assert.* 5. *vers. adverte secundò.* Suar. *disp.* 45. *sect.* 1. *vers. quarto.*

10. Sapa Hispanè *arrope* à materia consecrationis excluditur, quia in aliam naturam à vino creditur esse conversum. Et idem est censendum de vino cocto, Hispanè *Aqua ardiente.* Sic pluribus firmat *disp.* 4. *de Sacram. q* 2. *p.* 2. *n.* 5.

Lora Hispanè *Aguapie*, quod ex uvis jam expressis mixta aqua conficitur, nullatenus est materia consecrationis, ut communiter fit, quia non est vinum, sed aqua temperata, erit tamen materiam, si in minima quantitate mixtio contingat. Illud certum est esse grave peccatum in ea consecrare. Sic sustinet Suar. 3. *p. disp.* 45. *sect.* 1. *vers. Sic verò*, Vasq. *disp.* 175. *cap.* 1. *num.* 8. Bonac. *disp.* 4. *q.* 2. *pun.* 2. *num.* 7. & alii communiter.

Punctum V.

De mixtione aquæ pro consecratione Calicis.

1. *Obligatio est miscendi aquam vino ante consecrationem.*
2. *Non ex necessitate sacramenti, sed præcepti.*
3. *Ex præcepto divino miscendam esse plures firmant.*
4. *Probabilius est ex solo Ecclesiæ præcepto.*
5. *Fit satis oppositis fundamentis.*
6. *In qua quantitate hæc mixtio facienda sit.*
7. *Tempore sacrificiis & ante oblationem est facienda.*
8. *Proponitur quæstio, an aqua, quæ tempore consecrationis in vinum conversa non est, in sanguinem Christi immediatè convertatur, sicuti convertitur in vinum.*

9. *Affirmant plures, & quibus probent.*
10. *Contrarium ut probabilius defenditur.*
11. *Diluuntur oppositæ fundamenta.*

1. AQuam vino consecrando miscendam esse ex perpetua Ecclesiæ traditione docuit Florent. concil. *in litteris Vnionis*, & Trident. *sess.22. cap.7.* & pluribus exornat Vasq. *disp.176. cap.1.* Bellarm. *l.4. de Eucharist. cap.10. & 11.* Suar. *disp.45. sect.2.* Congruentia hujus mixtionis triplex est, ut colligitur ex. S. Thom. *quæst.74. art.6.* Et Innoc. *in cap. Cum Martha de celebrat. missar.* & Julio Pontifice, *cap. cum omnia de consecrat. dist.2.* Sed præcipuè ex Trident. *sess 22. cap.7.* Prima quod Christum Dominum ita fecisse credatur. Secunda quia è latere ejus aqua simul cum sanguine exierit in testimonium plenæ ablutionis nostrorum peccatorum per merita Christi, quod Sacramentum hac mixtione recolitur. Tertia ad significandum unionem populi fidelis cum suo capite Christo. Etenim per aquam populus significatur juxta illud Apoc.17. aquæ multæ, populi multi.

2. Hanc aquam miscendum esse non ex necessitate Sacramenti, sed præcepti aperte denotat Florentin. Concilium affirmans materiam hujus venerabilis sacramenti esse panem triticeum, & vivum de vite. Si autem unium necessario esse deberet aqua mixtum sicuti debet esse oleum mixtum balsamo pro materia confirmationis, concilium assignans hujus sacramenti materiam exprimeret esse vinum aqua mixtum, sicuti expressit in oleo pro materia confirmationis. Neque huic veritati obstat, quod Christus Dominus in vino aqua mixto consecraverit, infermus necessariò aquam vino esse miscendam. Non enim omnia, que Christus Dominus in consecratione servavit, sunt de sacramenti necessitate. Aliàs solus panis azimus, & non fermentatus esset materia consecrationis, & vinum album, vel nigrum, siquidem unum è duobus necessariò electum fuit. Sed illud est Sacramento necessarium. Quod ad veritatem formæ necessarium fuerit, quodque Christus Dominus pro Sacramento conficiendo præscripserit. Vt latius probat D. Thom. *quæst.74.* Quod vero Cyprian. *epist.63. ad Cæcilium, aliàs lib.2. epist.3. post medium* dixerit: In sanctificando calice offerri aqua sola non potest quomodo nec vinum solum potest, intelligi debet quod non possit licitè, & convenienter vnum sine alio offerri. Cùm verò subdit: Calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, quomodo Corpus Christi non potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit, non ita est accipiendum, ut sicut sola farina, aut sola aqua consecrari valide non possit, ita nec solum vinum consecrari possit, quia id falsum est, & contrarium ipsimet Cypriano dicenti. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis, id est sine eo quod significet unionem nostram cum Christo, sed est ita accipiendum, ut sicut farina sola, aut aqua sola non potest licitè consecrari, sic nec solum vinum. Non enim comparatio est de valore actus, sed de licito illius usu.

3. Sed ex quo præcepto, an divino, an Ecclesiastico tantum hæc mixtio facienda sit? Non est ita certum. Plures, gravesque doctores nec improbabiliter affirmant ex præcepto Christi per Apostolos tradito hanc fieri mentionem. Sic Alfons. de Castro *hæresi 7. verbo Eucharistia.* Valent. *disp.6. quæst.2. pun.1.* Henriq. *lib.8. cap.12. n.4.* & alii relati à Vasq. Suar. & aliis statim referendis. Fundamentum præcipuum sumitur ex aliquibus conciliis, & Patribus indicantibus hanc traditionem à Christo Domino emanasse. Nam Concilium Carthaginense 3. *can.24.* & Africanum, *can.4.* dicunt, In sacramentis corporis, & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm quod ipse Dominus tradit, & hoc est panis, & vinum aqua mixtum Sentiunt ergo Christum Dominum tradidisse vinum esse aqua miscendum. Item concilium Aurelianense. 4. *cap.4.* docens aquam esse vino miscendam subdit: Quia sacrilegium judicamus aliud offerri, quam in mandatis sacratissimis Salvator instituit. Cyprian. *epist.63. quæst 3. lib 2.* expressis verbis mixtionem aquæ apellat, tum Dominicum præceptum, tum Dominicam traditionem, Neque his repugnat Trident. *sess.22. c.7.* & Florent. *in decreto de Armenis §.3.* affirmans ex Ecclesiæ præcepto hanc mixtionem faciendam esse, quia id verum est, tametsi etiam ex Christi præcepto facienda sit. Concilia enim præceptum Ecclesiasticum, utpote omnino certum declararunt, à declaratione. divini utpote incerti abstinuerunt.

4. Nihilominus verius existimo solum ex Ecclesiæ præcepto hanc mixtionem esse faciendam. Sic pluribus firmant Vasq. *disp.177. cap.2.* Suar. *disp.45. sect.2.* Ægid. de Coninch. *quæst.74. art.7. n.135.* Bonac. *disp.4. quæst.2. p.4. n.1. vers. dixi.* Moveor ex Trident. & Florent. dicentibus, ex Ecclesiæ præcepto hanc mixtionem heberi, in quo satis indicarunt non ex Christi institutione. Nam esto Ecclesia præcipere possit observandum id ipsum, quod Christus præcepit, incongruè tamen judicaret ab ea obligationem oriri, cum præcipua obligatio ex Christi præcepto nascatur.

5. Dicta verò concilii Carthaginen. Africani, & Aureliani facilem habet explicationem. Fateor inquam verissimum esse in sacrificio nihil aliud esse offerendum præter id quod Christus Dominus tradidit, scilicet panem, & vinum aqua mixtum. Sed inde non infertur tradidisse aquam esse vino miscendam, sed nullum alium liquorem præter vinum aqua mixtum esse offerendum. Cyprianus verò, & alii Patres ideo hanc mixtionem appellant Dominicum præceptum, seu Dominicam traditionem, quia est traditio, & præceptum ob factum Christi impositum, & ad illius imitationem.

6. In qua autem quantitate sit aqua vino miscenda, certum est in minori quantitate misceri debere: aliàs mixtum æquè aqua, ac vinum esset. Habetur expressè, *cap. pernicioſus de celebrat. missar.* & congruit ratio quia vino virtus, & majestas Christi significatur, quæ necessariò superare debet fugilitatem populi aqua significatam, & fortè ob hanc rationem, cum aqua miscetur, benedicitur, non item vinum, quia fragilis homo ex Christi virtute utpote potentiori robur accipit, & ex unione cum Christo sacratur. Concilium Triburiense, quod provinciale fuit, neque approbatum, can.19. permittit tertiam partem aquæ apponi: Fortè illo tempore, & in ea regione ob qualitatem vini potuit esse licitum. At Concilium Florent. in *decreto illo. fidei §.3.* expressè dicit modicissimam aquam esse miscendam. Tertia autem pars modicissima non est, ideoque Romanæ Ecclesiæ consuetudo, & praxis servanda est quæ octies, vel decies plus vini apponit, tametsi ut advertunt doctores communiter, non sit in hac parte scrupulosè agenda.

7. Hæc mixtio necessario facienda est tempore sacrificii ab ipso Sacerdote, vel de ejus licentia, & facultate à Diacono, vel Subdiacono in missis solemnioribus Quia sacrificanti præcipitur hæc mixtio, ut cæremonia quædam sacra ad sacrificium pertinens. tum ob unitatem Christi, tum ob significationes, quas habet. Cui præcepto nullatenus faceret satis si vinum aliàs mixtum offerret & tradit D. Thom. *q.74. art.8. ad 3.* Ægid. de Coninch. *ibi num.141.* Vasq. *disp.177. c.2. n.18.* Bonac. *disp.4. q.2. punct.4. num.4. & 5.* Adde teneri Sacerdotem non solum tempore sacrificij hanc mixtionem facere, sed ante oblationem, alias graviter peccabit contra Ecclesiæ consuetudinem. Suar. *disput.45. sect.3.* Bonac. *num.5.*

Ægid.

Ægid. *num.*142. Quod si ex oblivione, aut negligentia mixtionem omiserit, & id advertat Sacerdos ante factam consecrationem, debet necessariò eam facere, quia adhuc urget præceptum miscendi aquam vino, & eandem significationem hæc mixtio habere poterit, sicuti si ante oblationem esset facta. At si facta consecratione Sacerdos advertat aquam non esse vino mistam, nullatenus est miscenda, quia sanguini Christi nihil extraneum misceri debet, & præceptum solum erat de miscenda aqua vino, non item sanguini Christi. Suar. *dicta disp.*45. *sect.*3. Ægid. *q.*74. *art.*8. *n.*142. Bonac. *disp.*4. *q.*2. *part.*4. *num.*5.

8. Supereſt graviſſima quæſtio, an aqua quæ vino miſcetur in ſanguinem Chriſti convertatur? Et quidem ſi tempore conſecrationis fuerit in ſubſtantiam vini tranſmutata, nemini poteſt eſſe dubium in ſanguinem Chriſti converti. Quare controverſia ſolum eſt an eo caſu, quo in vinum tranſmutata non fuerit, permaneat in ſua ſubſtantia, vel in ſanguinem Chriſti convertatur? Poſſe autem contingere tempore conſecrationis aquam non eſſe in vinum converſam conſtat, vel quia vinum ita debile eſt, ut eo brevi tempore aquam tranſmutare non poſſit, vel quia Sacerdos immodicam quantitatem aquæ miſcuit, eſto vini quantitate minorem, vel quia ob defectus in miſſa occurrentes facta mixtione ſtatim calicem conſecravit.

9. Plures graves doctores cenſent illam aquam, ſicut & vinum immediatè in ſanguinem Chriſti converti. Sic Cardin. Alan. *lib* 1. *de Sacram. cap.*13. Baron. *tom.*12. *anno* 1188. *& an.*1192. Tolet. *l.*2. *c.*25. *n.*4. Scortia *de miſſæ ſacrific. lib.*4. *cap.*1. *num.*13. Janſenius *in concord. cap.*131. Alexand. Peſant.3. *p. q.*74. *art.*8. *diſp.*2. Ægid. de Coninch. *dub. un. n.*144. Paul. Laymann. *lib.*5. *ſum. tract.*4. *cap.*2. *num.*9. Moventur primò graviſſimorum Patrum authoritate affirmantium aquam vino permixtam offerri, benedici, & conſecrari, quod verum non eſſet, ſi neceſſario in vinum eſſet prius convertenda, quia tunc non aqua, ſed vinum offerretur, benediceretur, & conſecraretur. Quod autem æquè de aqua vino permixta, ac de vino Patres affirmant conſecrari conſtat ex his, quæ referuntur, *cap.*1. *&* 4. *de conſecrat. diſt.*2. ſed præcipuè id tradidit Alger. *lib.*1. *de Sacrament. cap.*16. cum enim (inquit) vinum pro Chriſto, aqua ſacrificetur pro populo, & utrumque unus ſanguis fiat. Et Paſchaſ. *l.*1. *de Corpore Chriſti, cap.*11. ubi ait: Propterea non inconvenienter etiam ob hoc ibidem aqua conſecratur, non quod aqua permaneat, ſed vertatur in ſanguinem, ut ſignificet, quod fides percipiat. Idem docet Damaſc. *lib.*4. *orthodoxæ fidei, cap.*14. Neque ullus ex antiquis patribus docuit aquam neceſſariò in vinum convertendam eſſe priuſquam in ſanguinem Chriſti, imo potius plures cenſuerunt hanc converſionem eſſe impoſſibilem, ut ſatis colligitur ex his quæ tradit Innocent III. *in cap. cum Marthæ de celebrat. Miſſar.* §. *quæſiviſti.* Et docuit Juſtin. Martyr. *apolog.* 2. *pro Chriſtianis ſub finem*, & aliqui Philoſophi relati à Conimbricenſ. *de generat. lib.*1. *cap.*10. *queſt.*1. *art.*1. ſed abſolute affirmarunt ſimul cum vino in ſanguinem Chriſti converti, quod de converſione propria, & immediata intelligendum eſt. Secundo quia Innoc. III. *in dicto cap. cum Marthæ de celebrat. Miſſar.* rogatus, an aqua, quæ vino miſcetur in ſanguinem Chriſti convertatur. Huic opinioni favere videtur quatenus ex triplici opinione, quam ibi recenſet ſecundam ut probabiliorem eligit, quæ eſt aquam cum vino tranſubſtantiari, rejecta prima opinione de converſione in humorem flegmaticum, & tertia aſſerente in propria ſpecie manere accidentibus vini circumfuſam, quod neceſſario aſſerendum eſt ſæpè contingere, ſi aqua in ſanguinem Chriſti immediatè non convertitur. Tertiò ponamus, ut eſt ſatis veriſimile, aquam, quam Chriſtus Dominus vino conſecrando miſcuit, non eſſe tempore conſecrationis in unum converſam, cum illius mixtionem ſtatim ſubſecuta fuerit conſecratio. At ſi aqua in ſanguinem Chriſti non convertitur, ſed in ſubſtantia aquæ poſt conſecrationem remanere debet, non eſt credendum Chriſtum Dominum illam fore appoſiturum, neque Eccleſiam præcepturam Sacerdotibus apponendam. Ergo. Quarto verba conſecrationis totum illum potum, qui ex Eccleſiæ inſtituto conſecrandus apponitur, determinatè ſignificant, ergo totum illum in ſanguinem Chriſti convertunt. Cùm ergo ille potus non ſolum ex vino, ſed ex aqua mixta vino coaleſcat, & ſic conſecrandus ex Eccleſiæ inſtituto apponatur, neceſſariò totus ille potus in ſanguinem Chriſti converti debet. Quintò ex hac ſententia nullum ſequitur inconveniens. Nam eſto Concilia ſæpè definiant panem, & vinum eſſe materiam conſecrationis, non inde excludunt aquam vino mixtam. Aqua enim vino mixta vinum communiter nuncupatur. Neque inde fit duplicem eſſe materiam ſanguinis, aliam neceſſariam, & aliam ſufficientem. Nam aqua ſeorſim ſumpta nunquam eſt materia ſufficiens, quia neceſſario expoſtulat, ut ſit ſufficiens eſſe vino permixtam, & cum illo conſecrari. Neque duo ibi conſecrantur, ſed unum, ſcilicet vinum aquaticum, ſeu compoſitum ex vino, & aqua, ut dixit Gloſſa *in dicto cap. cum Marthæ verbo cum vino.* Quo circa ſi quis vellet verbis conſecrationis ſolam aquam qualitatibus vini perfuſam conſecrare, nihil efficeret, quia aqua qualitatibus vini perfuſa independenter à vino conſecrari nullatenus poteſt. Sexto poteſt probari ab inconvenienti. Totus enim calix, qui conſecrationi præparatur, facta conſecratione adorandus proponitur. Hoc autem nequit fieri eo caſu, quo moraliter conſtat aquam in vinum converſam non eſſe tempore conſecrationis, ſiquidem aqua adoratione Latriæ proponeretur adoranda. Ergo dicendum eſt aquam immediatè in ſanguinem Chriſti converti, quando in tempore conſecrationis in vinum converſa non eſt. Item nequiret Sacerdos aliam ſecundam miſſam celebrare ob populi neceſſitatem, cum ſibi moraliter conſtat non eſſe jejunum.

10. Nihilominus etſi prædicta ſententia ſit ſatis probabilis præcipuè ob primum fundamentum, probabiliorem reputo contrariam, nempè aquam in ſanguinem Chriſti non converti, niſi quatenus fuerit in vinum converſa, ſic expreſſè docuit Gloſſa *in dicto cap. cum Marthæ, verbo cum vino*, quatenus dicit. Non tranſeunt duo in ſanguinem, ſed vinum, quod aquam ſibi incorporavit. Si autem ſubſtantia aquæ immediatè in ſanguinem Chriſti converteretur, duo, ſcilicet vinum, & aqua in ſanguinem Chriſti tranſirent. Item tradidit Alex. Bonav. Ricard. Scotus, Paludan. Gab. Major. Viguer. quos refert. & ſequitur Vaſq. *q.*143. *p. art.*4. *diſp.*178. *cap.*2. Conſentit Azor. *lib.*10. *c.*28. *q.*1. Filliuc. *tract.*4. *c.*3. *q.*10. Suar. *diſp.*45 *ſect.*4. *Verſ. nihilominus.* Henriq. *lib* 8. *c.*12. *& in comment. litt.*1. Bonac. *diſp.*4. *q.*2. *pun.*4. *n.*7. teſtanturque eſſe communem, cui aſſentire videtur Innoc. III. *in cap. cum Marthæ* approbans ſecundam opinionem ibi relatam, quæ erat aquam cum vino tranſſubſtantiari, cum in vinum tranſeat mixta vino. Supponit ergo non tranſubſtantiari eo caſu, quo in vinum non tranſiret. Fundamentum præcipuum eſt, quia concil. Florent. in decreto de Armenis; & Trident. *ſeſſ.*23. *cap.*1. *&* 4. *& can.*1. & Innocent. III. *in cap. firmiter, de ſumma Trinit.* expreſsè aſſerunt hujus conſecrationis materiam eſſe ſolum vinum de vite. At ſi aqua mixta vino in ſanguinem Chriſti immediatè converteretur, non ſolum vinum, ſed aqua qualitatibus vini effecta eſſet materia. Non igitur eſt dicendum. Deinde Trid. *ſeſſ.*13. *can.*3. definit poſt conſecrationem ſolas

ſpecies

ſpecies panis, & vini remanere, at ſi aqua in ſanguinem Chriſti convertitur, non tantum ſpecies vini, ſed aquæ remanebunt, ſub quibus ſanguis Chriſti exiſteret. Ex quo videtur inferri, ſi hujuſmodi ſpecies aquæ ab ſpeciebus vini ſepararentur, ut Philoſophi teſtantur ſeparari poſſe, ſub illis Chriſtus Dominus exiſteret, ſiquidem Concil. Trident. *ſeſſ.* 13. *can.* 3. definit ſub ſingulis cujuſcunque ſpeciei partibus ſeparatione facta totum Chriſtum contineri. At affirmare ſub ſolis aquæ ſpeciebus contineri Chriſtum (eſto probabile reputet Ægid. de Coninc. *quæſt.* 74. *art.* 8. *dub. unic. num.* 191.) mihi difficillimum eſt, eo quod ſolæ illæ ſpecies continere poſſunt Chriſtum, ex quarum ſubſtantia Chriſtus confici poteſt: at ex ſola ſubſtantia aquæ nequit Chriſtus in hoc ſacramento Euchariſtiæ confici. Ergo ſub ſolis aquæ ſpeciebus nequit conſtitui. Dices Trident. definire tantum ſub ſingulis ſpeciei partibus ſeparatione facta Chriſtum contineri, ſub quibus conſecrari poteſt, cum autem non poſſit conſecrari in aqua à vino ſeparata, ſed in aqua mixta vino, nequit ſub ſpeciebus aquæ ſeparatis conſtitui. Sed contra. Nam Trident definit ſeparatione non admitti præſentiam corporis, & ſanguinis, ſed ſub ſingulis ſpeciei partibus ſeparatis exiſtere, ſub quibus non ſeparatis Chriſtus exiſtebat: at ſi ante ſeparationem ſub ſpeciebus aquæ exiſtebat, facta ſeparatione ſub illis exiſtere debet. Secundum fundamentum eſt quia incertum eſt Chriſtum Dominum aquam vino conſecrando miſcuiſſe, & incertius, ſic miſcendam præcepiſſe. Ergo nullo firmo fundamento affirmari poteſt aquam mixtam vino eſſe materiam conſecrationis quoad ſuam ſubſtantiam. Materia namque cujuſlibet ſacramenti ex Chriſti inſtitutione conſtare debet. Tertium ſumitur ab inconvenienti, ideo contraria ſententia affirmat aquam naturalem vino mixtam immediatè in ſanguinem Chriſti converti, quia ſic mixta communi uſu hominumque æſtimatione eſt vinum. Sed eadem ratione dici poſſet aquam roſaceam mixtam vino eſſe materiam, ſiquidem ſic mixta ob qualitates à vino acceptas vinum nuncupatur, totuſque ille potus vinum eſſe dicitur. Quod autem ſit aqua roſacea, vel naturalis per accidens eſt, cum æquè ex utraque mixtura abſolutè vinum nuncupetur, & æquè utraque per ſe indebita conſecrationis materia ſit.

11. Argumenta pro priori ſententia adducta, etſi difficilem habeant ſolutionem, non tamen convincunt. Ad primum reſpondeo aquam benedici, offerri, & conſecrari. Quia frequenter in vinum convertitur, & ſic converſa conſecratur, & ad hunc effectum vino miſcetur. Quod ſi aliquando in vinum converſa non fuerit, id eſt per accidens, & præter Eccleſiæ intentionem, & eo caſu conſecrari cenſenda eſt per denominationem à vino, cui eſt permixta, tametſi in ſe ipſa non conſecretur. Ad ſecundum conſtat ex probatione noſtræ ſententiæ. Nunquam enim Innocent. III. definivit, aquam vino permixtam, & quæ tempore conſecrationis in ſubſtantia aquæ perſeverat, converti in ſanguinem Chriſti, potius enim contrarium ſuppoſuit, affirmans aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari, eo quod in vinum tranſeat, tacitè denotans eo caſu, quo in vinum non tranſiret, in ſanguinem non tranſmutari. Ad tertium nego aquam à Chriſto Domino appoſitam in vinum non fuiſſe prius converſam, quia modiciſſima fuit. Et ob hanc in vinum converſionem præcipit Eccleſia modiciſſimam apponi, quod ſi aliquando aqua appoſita in vinum converſa non fuerit, id per accidens eſt, & præter Eccleſiæ intentionem. Ad quartum concedo verba conſecrationis ſignificare totum illum potum, qui ab Eccleſia conſecrandus apponitur; nego tamen ſignificare aquam vino permixtam in ſubſtantia aquæ perſeverantem, quia aqua ſic ſumpta non apponitur conſecranda, ſed apponitur conſecranda in vinum converſa. Ad quintum nego ex oppoſita ſententia nullum ſequi inconveniens, ſiquidem ſequitur re ipſa duo conſecrari, & duas eſſe materias, tametſi una ſine alia eſſe non poſſit. Ad ſextum concedo totum calicem proponi adorandum, quia creditur ſub ſingulis partibus Chriſtum contineri, quod ſi aliquando contigit aquam in ſua ſubſtantia manere tempore conſecrationis, id eſt, per accidens, & quoad eam partem non proponitur calix adorandus, quia aqua nunquam fuit conſecrationi præparata, nec adorationi propoſita, niſi media converſione in vinum. Quod autem ſubjungitur de jejunio facilè ſolves, ſi dicas jejunium non ſolvi, quia Sacerdos reputare probabiliter poteſt aquam in vinum converſam prius fuiſſe. Secundò quia ſimul cum ſanguine Chriſti ex præſcripto Eccleſiæ ſumitur, quam non eſt credendum voluiſſe ea ſumptione jejunium ſolvi.

Punctum VI.

Quæ intentio in miniſtro, & quæ præſentia, & quantitas in materia requiratur, ut conſecratio valeat, licitáque ſit.

1. *Explicatur intentio requiſita.*
2. *Deferens duas hoſtias, putans unam tantum deferre, utramque conſecrat.*
3. *Quid de formulis pro communicantium uſu? Sub diſtinctione reſpondetur.*
4. *Quid de guttis intra, vel extra calicem exiſtentibus.*
5. *Debet materia conſecranda eſſe præſens, & qualiter.*
6. *Quæ quantitas requiratur.*
7. *Servandus eſt Romanæ Eccleſiæ uſus, ut licitè conſecratio fiat.*
8. *Quid faciendum, cum dubium ſuboritur, an ſit aliqua materia conſecrata.*

1. AD conſecrationem primo requiritur, ut intentionem habeas ſaltem virtualem conſecrandi, quia intentio miniſtri Sacramento neceſſaria eſt. Quæ autem ſit intentio virtualis conſtat ex dictis *tract.* 18. *de Sacr. in genere, punct.* 5. Inſuper debes habere intentionem determinatam, hoc eſt circa materiam determinatam, quod pronomine *hoc*, vel *hic* ſignare poſſis. Quia materia, & forma ſacramenti operantur ſecundum miniſtri intentionem. Si igitur intentio determinata non eſt, effectum determinatum habere non poſſunt. Neque ſufficit, ſi hanc determinationem in voluntatem Dei, vel alterius hominis refundas. Nam ſi eſt voluntas, de futuro, ab ea pendebit ſacramentum in ſuo eſſe. At hoc ſacramentum nequaquam à futuro eventu pendere poteſt, quia eo tempore neque eſt forma illius, neque materia. Ergo. Si vero ſit voluntas de præſenti, veliſque conſecrare ex duplici hoſtia eam, quæ Paulo, vel Deo magis placeat, (tametſi Ægid. *quæſt.* 74. *art.* 2. *num.* 37. cenſeat conſecrationem effectum habituram) at longè probabilius contrarium exiſtimo caſu quo tibi ignotum ſit, quæ ex illis hoſtiis ſit Paulo, vel Deo gratior. Nam poſita hac ignorantia nequaquam potes pronomine *hoc* hoſtiam determinare, cum tamen neceſſarium ſit determinationem illius ex tua voluntate, & non ex voluntate alterius pendere. Sic optimè tradit Vaſq. *diſp.* 233. 171. *cap.* 1. *n.* 7. Suar. *diſp.* 43. *ſect.* 6. Bonac. *diſp.* 4. *q.* 2. *p.* 5. *n.* 9.

2. Hinc oritur dubium pro caſu communiter contingente. An Sacerdos duas hoſtias conſecrandas deferat, credens unam tantùm deferre utramque conſecret, vel mediam? Aliqui affirmant ſolam ante

oculos

oculos propositam consecrare, quia illius tantùm videtur habuisse intentionem, siquidem aliam non cognovit, & intentio ferri non potest in incognitum. Sed verius est utramque consecrare, quia præsumitur eam intentionem habere, quam communiter Sacerdotes habent, & Ecclesia intendit. At Sacerdotes intentionem habent consecrandi materiam præsentem, quam in altare consecrandam detulerunt, & in manibus habent tempore consecrationis. Ergo eam intentionem præsumitur Sacerdos habuisse. Sic Navar. *cap.* 25. *num.* 91. Suar. *disp.* 43. *sect.* 6. *vers. sed objiciet.* Vasq. *disp.* 171. *cap.* 1. *num* 2. Bonac. *disp.* 4. *quæst.* 2. *punct.* 5. *num.* 3. Ægid. de Coninch. *quæst.* 74. *art.* 2. *dub.* 3. *num.* 39.

3. Sed quid dicendum de formulis, quæ solent pro communicandis deferri. Respondeo, si inscio Sacerdote in altari essent depositæ, ipseque Sacerdos illarum ignarus esset, nullatenus consecrarentur, quia nullam intentionem etiam virtualem habuit illas consecrandi. Ægid. de Coninch. *qu.* 74. *art.* 2. *dub.* 3. *num* 39. Bonac. aliis relatis *disp.* 4. *q.* 2. *pun.* 5. *num.* 8. Paul. Laym. *lib.* 5. *sum. tract.* 4. *cap.* 2. *assert.* 9. Secus verò esset, si ipse Sacerdos, vel alius ex ejus beneplacito eas formulas consecrandas ante offertorium deferret. Nam eo ipso voluntatem habet eas consecrandi, ex qua voluntate consecrantur, tametsi tempore consecrationis illarum obliviscatur. Sic Ægid. *n.* 40. Laymann *supra.* Bonac. *num.* 6. Quod intelligendum est, dummodo sint super altare sacrificii, hoc est super aram, nam si juxta existant, & illarum oblitus fuerit, nequaquam sunt consecratæ. Quia non est præsumendus Sacerdos indebitè, & illicitè consecrationem facere voluisse. Sic optimè notavit Suar. *disp.* 43. *sect.* 6 *circa finem.*

4. Ob eandem rationem guttæ vini in superficie exteriori calicis non censentur consecratæ, quia indebitè Sacerdos eas consecraret, ac proinde non est præsumendum eam intentionem habere: guttæ verò intra vas existentes, si levi calicis motione reliquo vino misceri possunt, censendæ sunt consecrari, ne materia non consecrata consecratæ misceatur. At si longè à reliquo vino separatæ existant, inconsecratæ manent, quia solum præsumitur voluisse consecrare vinum illud, quod quasi per modum unius intra calicem existit. Ut autem hæc dubia vitentur, expedit in præparatione calicis eas guttas exactè abstergere. Sic Ægid. *quæst.* 74. *art.* 2. *dub.* 3. *in fine* Suar. *disp.* 43. *sect.* 6. *circa finem.* Paul. Laymann. *lib.* 5. *sum. tract.* 4. *cap.* 2. *fine.*

5. Secundò requiritur ad consecrationem, ut materia consecranda sit tibi præsens, ita ut eam pronomine *hoc*, vel *hic* demonstrare possis, & sensu percipere; aliàs morali, & humano modo tibi præsens non erit. Cui præsentiæ non obest, quod in aliquo vase, aut linteo contineatur: nam ratione continentis contentum tibi præsens est. Secus esset, si retro parietem, vel linteum panis, vel vinum essent appositi, quia tunc nullo sensu eam materiam demonstrare potes. Et idem est, si panis sub mappa, vel in tabernaculo existat, quia non existit ibi tanquam in continenti quod sensu percipi possit. Sic. Suar. *disp.* 43. *sect.* 5. Vasq. *disp.* 171. *c.* 4. Bonac. *disp.* 4. *q.* 2. *p.* 6. *à n.* 2. Ægid. de Coninch. *q.* 74. *art.* 2. *dub.* 2. *n.* 22. & 23. Paul. Laymann. *lib.* 5. *sum. tract.* 4. *cap.* 2. *assert.* 7.

6. Tertiò requiritur ea quantitas, quæ humano sensu percipi possit, & pronomine *hoc* ab homine demonstrari, quia sacramenta non Deo, & Angelis, sed hominibus sunt signa gratiæ sanctificantis. Quocirca si ita minima quantitas esset, ut nullatenus ab homine extra miraculum percipi posset, inepta consecrationi esset, quia pronomine *hoc* demonstrari non posset. Requiritur ergo ad consecrationem quantitas Sacerdoti consecranti demonstrabilis. Dices sub minima quantitate separata ab aliquo pane consecrato Corpus Christi continetur, cum tamen sensu humano percipi non possit. Respondebis plus requiri ad Corpus Christi consecrandum, quam ad consecratum conservandum, quia ad consecrationem necessarium est, ut materia consecranda sit ita sensibilis ut demonstrari possit, secus ad illius conservationem. Sed contra, quia Christus Dominus conservari non potest nisi sub specie, quæ humanis sensibus percipi possit: aliàs non erit signum sensibile. Ergo idem ipsum, quod requiritur, ut Christus sub speciebus ponatur, requisitum est, ut conservetur. Quapropter censeo nullam quantitatem ita minimam esse, quæ ab homine sensum perfectissimum habente percipi non possit, ac proinde quæ ab eo non possit consecrari. Quod si aliqua sit quæ per se sumpta à nullo homine extra miraculum percipi possit, nec consecrari poterit, nec sub ea Christus existere. Sic Vasq. *disp.* 171. *c.* 2. Consentit Suar. *disp.* 43. *sess.* 8. ex parte Ægid. de Coninch. *q.* 74. *art* 2. *dub.* 2. *n.* 18.

Ex parte magnitudinis nulla potest quantitas ita magna designari, cujus partes si continuæ existant, consecrari non possint. Nam esto illæ partes remotæ, si distinctè sumerentur, demonstrari non possent pronomine *hoc*, quia longè distant. At unitæ partibus proximioribus, & unum continuum cum illis componentes optimè demonstrantur. Neque enim ad hanc demonstrationem requiritur, ut quantitas secundùm omnem sui partem sensibus objiciatur, cum regulariter solum quoad superficiem exteriorem & videatur, & sentiatur. Sed quia illæ partes exteriores aliis uniuntur, ideo totum illud demonstrari potest. Sic Vasq. *disp.* 171. *cap.* 4. *num.* 25. Notanter dixi si partes continuæ existant, nam si divisæ sint, & longè à consecrante distent, nequaquam consecrari poterunt, quia non possunt pronomine *hoc* demonstrari. Non enim pronomen illud demonstrat cumulum, sed panes, ex quibus cumulus coalescit. At panes remoti nec per se, nec ratione aliorum demonstrari possunt, cum non sint illis uniti. Ergo Sic Ægid. de Coninch. *quæst.* 74. *art.* 2. *dub.* 2. *num.* 20. & 22. Quod si inquiras quam proximitatem habere necessario debeat materia, ut pronomine *hoc* demonstrari possit? Respondeo prudentis arbitrio decidendum esse. Crederem sanè non decere à consecrante 20. passus distare, quia panis in ea distantia constitutus etsi oculis percipiatur, at communi usu non demonstratur pronomine *hoc* sed illud.

7. Hucusque locutus sum de requisitis pro consecratione valida. Nam si de licita loquamur, servandus omnino est usus, & consuetudo Romanæ Ecclesiæ, tum in quantitate materiæ, tum in illius præsentia.

8. Sed quid dicendum, cum dubium occurrit, an materia aliqua sit consecrata? Respondeo, si dubium prudens oriatur, ex eo quod dubitetur, an fuerit satis præsens, vel an fuerit intentio circa illam. Si nulla alia materia pro sacrificio est constituta, debet sacerdos iterum verba consecrationis proferre super illam materiam sub conditione, ne sacrificium imperfectum relinquat. At si alia materia pro sacrificio est constituta, nec dubium circa illam versetur, sed circa materiam communicaturis appositam, debet Sacerdos alio die sacrificans, vel alter Sacerdos de ea re monitus verba consecrationis super illam materiam sub conditione proferre, eamque simul cum materia, quam in illo sacrificio consecravit absumere. Quod si dubium oriatur ex incapacitate materiæ, quia præsumitur vinum esse acetum, vel panis corruptus; si nulla alia materia certa sit in eo sacrificio consecrata, debet sacerdos errorem agnoscens certam materiam consecrare, & simul cum ea dubium absumere. At si alia materia certa appositа fuit, alius Sacerdos,

vel

vel ipse altero die eam dubiam materiam simul cum ea, quam in sacrificio consecrat absumere debet. Hic enim honor, & reverentia materiæ sub dubio consecratæ debetur.

Punctum VII.

De forma conficiente hoc venerabile Sacramentum.

1. *Quæ forma consecrationis panis.*
2. *Quæ transpositio, mutatio, diminutio, vel additio annullet sacramenti formam.*
3. *Quæ sit forma consecrationis vini.*
4. *Qualiter utraque forma à sacerdote proferatur.*
5. *Pro quo supponat pronomen* hoc *vel* hic.
6. *Quid operentur verba consecrationis.*

1. FOrma consecrationis panis sunt illa verba. *Hoc est enim corpus meum*, quia illis perfectè significatur corporis Christi præsentia. Unde reliqua tam antecedentia, quam subsequentia non sunt de necessitate sacramenti, sed præcepti. Quinimo particula *enim*, cum non ad significandam Christi præsentiam, sed ad conjungendam sermonem appositа per Ecclesiam fuerit, consecrationi necessaria non est. Erit tamen peccatum saltem veniale, illius omissio ex negligentia, & incuria. At si ex proposito fiat vix à mortali excusabitur ob virtualem contemptum. Sic Suar. *disp.* 59. *sect.* 1. Ægid. de Coninch. *quæst.* 78. *art.* 2. *dub.* 1. *n.* 57. Bonac. *disp.* 4. *de sacram. Euchar. quæst.* 3 *part.* 1. *num.* 10.

2. Quælibet tamen transpositio, mutatio, diminutio, vel additio in hac forma regulariter est grave peccatum, tametsi non impediat illius significationem. At si significationem impediat, ultra peccatum irritum reddit sacramentum, ut constat ex dictis *tract.* 18. *de sacram. in genere pun.* 3. Hinc fit his verbis illud est corpus meum, non confici hoc sacramentum, quia pronomen illud modum significandi à Christo usurpatum mutat. Et idem est si diceres: hic est corpus meum, sumpto hic adverbialiter. Non enim significat conversionem, quæ ex substantia panis in corpus Christi per hujusmodi formam consecrationis fit. Neque item hoc Sacramentum conficitur, si dicas hoc est corpus Christi, quia non in persona Christi, & Christum repræsentans sacramentum conficeres, sed relativè te haberes, quod institutioni obstat. Nec denique conficeres sacramentum, si diceres, consecro, conficio corpus Christi, vel corpus meum, quia forma hujus sacramenti non in fieri, sed in facto esse præsentiam Christi significat. Sic sustinet Henriq *lib.* 8. *cap.* 16. Suar. *disp.* 59. *sect.* 2. Bonac. *disput.* 4. *quæst.* 3. *punct.* 1. Paul. Laymam. *lib.* 5. *sum. tract.* 4. *cap.* 3. & alii communiter.

3. Forma consecrationis vini sunt tantum illa verba: Hic est enim calix sanguinis mei novi, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Variant Doctores, an omnia hæc sint de essentia? Affirmat S. Thom. *quæst.* 78. *art.* 3. S. Antonin. 3. *p. tit.* 13. *capitul.* 5. § 4. Sylvest. *verbo Eucharistia* 1. *quæst.* 6. *dicto* 4 Petr. de Soto, *lect.* 2. *de Eucharist.* Moventur, quia posteriora verba novi, & æterni testamenti, &c. priora determinant, & eodem tenore à Sacerdote proferuntur. Ergo omnia sunt de essentia. Nihilominus longè verius est sola illa verba. Hic est calix sanguinis mei; essentialia, seu substantialia esse, quia finita illorum verborum prolatione significatur sanguinem Christi ibi esse præsentem. Ergo illis sacramentum sanguinis perfectè conficitur, siquidem verba efficiunt quod significant. Reliqua vero verba non ut operatoria præsentiæ Christi usurpantur, sed ut recitantia ejus effectum, & declarantia sanguinis effectum. Deinde Evangelista, & Paulus præscribentes modum conficiendi hoc sacramentum plurima ex dictis verbis omittunt, illis tantum retentis, *novi testamenti*. Ergo signum est reliqua essentialia non esse. Imo neque novi testamenti, cum non ad significandam sacramenti substantiam, sed illius qualitatem dicta fuerint, scilicet ad denotandum sanguinem Christi esse sacramentum, quo novum testamentum confirmatur non pro tempore limitato, sed usque in finem mundi, esseque mysterium, quod sola fide percipi potest, effusumque esse non solum pro Apostolis, & Judæis, sed pro Gentibus in remissionem omnium peccatorum. Adde in variis liturgiis solum prima verba sunt opposita, ut constat ex Clement. Alexandr. *lib.* 8. *constitut. cap.* 12. & 17. Ambros. *lib* 4. *de sacramen. cap.* 5. Justino. *apolog.* 2. & pluribus exornat Suar. *disp.* 60. *sect.* 1. Ægid. de Coninch. *quæst.* 78. *artic.* 3. *dub.* 2. *concluſ.* 1. & 2. Bonacin. *disp.* 4. *quæstiunc.* 3. *punct.* 2. Paul. Laymann. *lib.* 5. *sum. tract.* 4. *capitul.* 3. *assert.* 2. Henriq *lib.* 8. *capitul.* 17. & alii plures apud ipsos. Quæ autem mutatio in hac forma essentialis sit, quæ non colligitur ex dictis *num. præcedenti.*

4. Hinc fit formam essentialem consecrationis panis, & vini proferri à Sacerdote tum recitativè, & historicè; tum formaliter, significativè, assertivè, & operativè. Constat recitativè proferri ex ipso contextu canonis, in quo Sacerdos narrat sic Christum Dominum illa verba protulisse. At quia illa verba non solùm recitant quod Christus fecerit, sed id ipsum denuo faciunt, & operantur, ea de causa etiam significativè, assertivè, & operativè proferuntur. Asserunt enim, & efficiunt esse corpus Christi, quod Sacerdos suis tenet manibus, quod verum nullatenus esset, si solùm recitativè essent prolata verba. Sic D. Thom. *quæst.* 78. *art.* 5. Ægid. de Conin. *q.* 78. *art.* 3. *dub.* 1. Paul. Laym. *lib.* 5. *sum. tract.* 4. *cap.* 3. *assert.* 3. Suar. *disp.* 58. Henriq. *lib.* 8. *cap* 16. & *c.* 18. Bonacin. aliis pluribus relatis *disp.* 4. *q.* 3. *pun.* 1.

5. Sed est dubium qualiter pronomen illud *hoc*, vel *hic* supponat. Non enim pro substantia panis, vel vini supponere potest, siquidem falsa esset propositio affirmans substantiam panis, & vini esse corpus, & sanguinem Christi, tametsi ex pane, & vino corpus, & sanguis Christi conficiatur. Neque etiam pro accidentibus panis, & vini supponere potest. Tum quia accidentia non sunt corpus Christi. Tum quia non adest corpus Christi, cùm pronomen illud profertur. Neque item supponere potest pro ipsomet corpore Christi, aliàs esset propositio identica: Corpus Christi est corpus Christi, & ad conversionem significandam omnino insufficiens. Hæc enim significari non potest, nisi prædicatum, & subjectum propositionis respiciant aliquem terminum utrique communem. Dicendum ergo est pronomen *hoc* cum profertur, supponere non determinatè, & in particulari pro pane, vel illius accidentibus, vel pro Christo, sed supponere confusè, & in communi pro contento sub accidentibus panis, & vini, quæ indeterminatio adveniente prædicato tollitur. Quocirca cùm dicis *hoc* nihil determinatum & singulare signas, sed signas quid commune, & indeterminatum, quod sub accidentibus panis continetur, determinatur autem prædicato adveniente, ut pro corpore Christi supponat. Sic D. Thom. 4. *q* 78. *art.* 5. & ibi Ægid. de Coninch. *numero* 42. Suar. *disput.* 58. *sect.* 7. *vers. quinta sententia*, Henriq. *lib* 6. *cap.* 19. *n.* 1. Bonac. aliis relatis *disp.* 4. *quæst.* 3. *part.* 4. *à num.* 1.

6. Finita prolatione verborum, quæ ad consecrationem diximus necessaria esse, perit substantia panis,

&

& vini, & corpus, & sanguis Christi sub illorum accidentibus constituitur non tanquam verum subjectum, cui accidentia inhæreant, sed vices subjecti gerens ea accidentia altiori, & efficaciori modo sustentando. Ob quam causam Concilia, & Patres actionem, qua hæc omnia fiunt transubstantiationem appellant, id est conversionem unius substantiæ in aliam substantiam sub eodem termino. Etenim consecrationis verba eam vim, & efficaciam habent ex divina promissione, ut eo ipso quo proferuntur, corpus Christi constituant sub accidentibus panis, & vini, ipsasque substantias panis, & vini destruant pereunte actione, qua conservantur. Neque ad hanc transubstantiationem opus est, ut corpus Christi denuo producatur, seu reproducatur, sufficit ad ipsum corpus Christi constituendum sub accidentibus panis terminari. Ex qua terminatione adjuncta divina promissione nascitur substantiæ panis, & vini destructio, sic transubstantiationem explicant Suar. *tota disp.* 61. Ægid. deConinch. *quæst.* 75. *art.* 4. Bonac. *disput.* 4. *q.* 4. *punct.* 5. *&* 6. Paul. Layman. *lib.* 1. *sum. tract.* 4. *cap.* 3. *in princ.* Vasq. latissime *disp.* 181. *& seq.*

Punctum VIII.

Qualiter Christus Dominus in hoc sacramento constituatur, præsens existat, operetur, & à fidelibus adoretur.

1. *Totus Christus est sub qualibet specie.*
2. *Movetur Christus ad motionem specierum.*
3. *Qualiter censeatur Christus existere, dum species mutantur. Et quid de apparitionibus.*
4. *Adorari debet adoratione latriæ.*
5. *Debet absolutè adorari, cum non adest probabilis dubitandi ratio.*
6. *Sacerdos simulans celebrationem gravissimè peccat.*
7. *Quoties sacrificium offers, vel communicas, debes hoc sacramentum adorare.*
8. *Gravissimum sacrilegium est irreverenter tractare hoc sacramentum.*
9. *Quæ conducant ad reverentiam, & cultum hujus sacramenti ex Ecclesiæ præscripto.*

1. TOtum Christum sub qualibet specie panis, & vini facta consecratione constitui docuit Florentin. in decreto Eugenii de Armenis, & Trident. *sess.* 13. *cap.* 3. Et colligitur ex illo Joann. 6. Qui manducat me, & ipse vivet propter me. Ex significatione tamen verborum sub accidentibus panis solum corpus Christi constituitur, & sub accidentibus vini solùm ejus sanguis, quia verbis consecratoriis hæc præcisè significantur. At quia corpus Christi est sanguini, & animæ, & divinitati unitum, constituto corpore consequenter, & comitanter constituitur in sacramento sanguis, anima, & divinitas, ac denique totus Christus. Et idem est de sanguine. Constituitur autem Christus, & existit sub prædictis speciebus, sicuti anima rationalis in corpore, totus in toto, & totus in qualibet parte. Nam licet in se extensus sit, & partes extra partes habeat, nullam tamen quoad locum extensionem admittit. Unde neque divisa hostia ipse dividitur, nec minus ex eo accipit sub minima parte communicans, quam si sub magna communicaret, sicuti docuit Florentin. *supra*, & Trident. *sess.* 13. *cap.* 3. *can.* 3. insuper assistit ibi, qualis assistit in cœlo omni scientia, gratia, aliisque donis exornatus, quæ Christo glorioso competunt, quia sic decet ejus majestatem. An autem operationes materialium potentiarum præcipuè exteriorum exerceat? Incertum est, quia hæ ex natura rei petunt potentiam quoad locum extensam. At ex divina virtute verosimile est operationes visus, & auditus exercere. Etenim scire Christum Dominum in sacramento existentem non solum intellectu, sed etiam visu, & auditu corporeo videre adorantem, & illius preces audire, pietatem fovet reverentiam excitat, & amorem conciliat.

2. Sic Christus ex suo verbo, & promissione accidentibus panis & vini annectitur, ut ad illorum motionem ipsa moveatur, illis verò destructis pereat illius realis præsentia.

3. Solùm est dubium de mutationibus miraculosè factis an illis non obstantibus Christus sub illis accidentibus, sicuti ante mutationem perseveret? Etenim ex historiis fide dignis constat sæpè sub figura pueri, vel carnis, & sanguinis in sacramento apparuisse, quæ apparitiones indicant Christum ibidem existere, tametsi accidentia panis, & vini videantur mutari.

Dicendum ergo est si mutatio non omnibus appareat, sed aliquibus, Christus Dominus sub sacramento, sicuti antea perseverat, quia credendum est species sacramentales absque mutatione esse, & apparitionem contingere vel ex mutatione potentiæ visivæ repræsentantis rem aliter quam est, vel ex mutatione corporis sacramentum circunstantis. Divina enim virtute corpus circunstans ita mutari potest, ut figuram pueri, sanguinis, & carnis aliquibus, & non omnibus referat. Si vero sacramentales species omnibus appareant perseveranter mutatæ, credendum est verè mutatas esse, & consequenter Christum Dominum sub illis non existere. Neque obstat sacramentum, quod sic in carnem, vel sanguinem mutatum est coli eadem adoratione, ac colitur verum sacramentum, quia colitur non in se, & propter se, sed propter Christum, quem etsi non contineat, repræsentat, sicuti de crucis adoratione dicendum est. Quod si roges, an cum Christus Dominus sub figura pulchri pueri, vel hominis crucifixi apparet in hoc sacramento, verè ipse appareat. Item an sanguis, qui aliquando è sacramento effusus est, ex venis Christi effundatur, & caro in quam sæpè species sacramentales fuerunt conversæ, verè Christi caro sit? Respondeo frequenter in iis apparitionibus non Christum, sed solum illius speciem, & figuram esse; aliquando tamen credendum est verè ipsum Christum ostendi in signum suæ ardentissimæ charitatis, & in exercitamentum amoris, & devotionis.

4. Superest dicendum qualiter hoc sacramentum adorari debeat. Fide certum est adorari debere interius, & exterius, adoratione latriæ, quia continet Christum Dominum ejusdem excellentiæ, & dignitatis, ac est in cœlo, ut latius prosequitur Trident. *sess.* 13. *cap.* 3. *& can.* 6.

5. Dubitant Doctores, an hæc adoratio absoluta esse debeat, an sub conditione saltem mente retenta, si ibi corpus Christi præsens sit? Nam sæpè contingit non esse (tametsi existimetur) tum ob defectum ministri, qui verè ordinatus non est, vel intentionem non habuit consecrandi. Tum ob defectum debitæ materiæ. In qua dubitatione certum credo mente retinere, aut verbis exprimere hanc conditionem in adoratione. *Adoro hoc sacramentum adoratione latriæ, si consecratio facta est*, non esse peccatum mortale, imo si bona fide, & intentione procedas, nec veniale, quia in hujus conditionis appositione nullam sacramento irreverentiam irrogas, imo securus redderis. Verum fit procedere, quando non est probabilis ratio dubitandi, neque conveniens est, neque decet, quia minuitur devotio sacramenti, variisque scrupulis animus subjicitur, & aliquali periculo exponitur de fide malè sentiendi, ob quas rationes omnes communiter absque conditione ali-

qua actuali hoc venerabile ſacramentum adorant credentes verum ſacramentum confectum eſſe, utrúmque Chriſti corpus ibi exiſtere. Nam licet aliquando contrarium contingat, id ratum eſt, & communem adorationis modum impedire non debet. Sic Suar. *diſput.65. ſect.2.* Quinimo eo caſu actus adorationis ex bona exiſtimatione, & intentione procedens actus eſt religionis, quia religio non expoſtulat neceſſariò verſare circa objectum ſpeculativè verum, & in ſe colendum, ſed ſatis eſt verſari circa objectum practice verum, (hoc eſt quod ſecundùm prudentiæ regulas judicatur vero cultu, & adoratione dignum, tametſi ex accidenti non ſit) ſub ratione formali adorationis vera. Quod in eo caſu contingit. Prudenter enim judicas eſſe ſacramentum, ſiquidem tibi adorandum proponitur, & prudenter illud adoras. Nam eſto in ſe ſpectatum nulla adoratione dignum ſit, eſt tamen dignum, prout tibi repræſentatur, & ſecundùm rationem formalem, ſub qua adoratione quæ eſt dignitas Chriſti, qui verè, & realiter exiſtit, tametſi in illa hoſtia non exiſtat.

6. Hinc inferes ſacerdotem ſimulantem celebrationem, cum tamen non celebret graviſſimè peccaturum, quia proponit adorandam materiam nulla adoratione dignam; pejoriſque conditionis eſſet eo, qui ſcienter in peccato celebraret, ſicuti habetur *cap. de nomine celebration. Miſſar.* Et tradit Henriq. *lib.8. caput.13.* & addit aliis relatis idem eſſe dicendum de eo qui peccatori occulto hoſtiam non conſecratam ſumendam porrigeret, ſiquidem proponit adorandam priuſquam ſumendam. Verum ſi proponeret hoſtiam adorandam tam aliis, quam ipſi ſumenti, poſtea vero, quando manum admovet ori peccatoris, illam mutaret, eique præmonito daret hoſtiam non conſecratam, aliquibus videtur non committi grave peccatum, quia neque ipſe, neque alii adorant. Sic Bonavent. *in 4. diſt.9.* Albert. Magn. *diſt.13. art.20.* Adrian. *quodlib.3. art.3.* Henriq. *dicto cap.33.* Bed contrarium omnino tenendum eſt cum D. Thom. *3. part. quæſt.8. art.6. ad 2.* Alenſ. Palud. Richard. Soto, & aliis quos refert, & ſequitur Suar. *diſp.67. ſect.4. ad 3.* probatque ex Innocent III. in *cap. de homine de celebrat. miſſar.* ubi in hoc propoſitum dicit falſa eſſe abjicienda remedia, quæ veris periculis ſunt graviora, illa enim eſt pernicioſa fictio, ſiquidem geſtu, verbis & factis affirmat ſacerdos eſſe ſacramentum quod non eſt, & idololatriæ exterioris periculum ingerit, tum reſpectu ipſius hominis præmoniti, qui ſumendo illam hoſtiam flexis genibus actum adorationis elicit. Tum reſpectu adſtantium, qui licet non videant; adorant tamen, quod alteri datur. At intrinſecè malum eſt proponere creaturam adorandam ut Deum, quæ nullo modo Deum continet. Ergo non licet ſacerdoti hodiam non conſecratam pro conſecrata alteri tribuere, vel ipſemet ſumere.

7. Secundò infers quoties ſacrificium offers, vel communicas debere hoc ſacramentum adorare, & revereri, quia tibi adorandum proponitur, ſimiliter quando à Sacerdote elevatur in Miſſa, aut ad infirmum defertur, vel alio modo tibi præſens occurrit, debes adorare, ſicuti cavetur *cap ſanè de celebrat. miſſar.* Quod ſi aliquando hanc adorationem ob negligentiam omittas ſecluſo ſcandalo, non videris grave peccatum commiſſurus ob levitatem materiæ, teſte Suar. *diſp.65. ſect.21. in fine.*

8. Tertiò inferes ſacrilegium eſſe irreverenter hoc diviniſſimum ſacramentum tractare; tractatur autem irreverenter, ſi corporalibus, vaſis, veſtibúſque immundis utaris in illius confectione, aut ſi incautè cuſtodias, ut ad corruptionem deveniat, vel ab hoſtibus irreverenter tractetur, *cap. ſanè de celebrat. miſſar.* Nulla tamen eſt ipſo jure pœna impoſita, ſed imponenda.

9. Ad reverentiam, & cultum tanti ſacramenti, & fidelium ſolatium conducit primò mos ab Eccleſia retentus, aſſervandi hoc ſacramentum clave obſeratum in ſacrario cujuſlibet Eccleſiæ parochialis, juxta textum in *cap. ſanè de celebrat. miſſar.* & Trident. *ſeſſ.13. cap. & can.7.* Secundo conducit, ne poſſit alius à Pontifice licentiam concedere aſſervandi hoc ſacramentum extra Eccleſiam parochialem, & religioſorum domum, quia frequenter alibi aſſervari non poteſt ea decentia, & honeſtate qua par eſt. Sic ex congregat. Cardinal. referunt *prax nova Epiſcop.2. p. cap.3. num.23.* Marc. Antonin. Genuen. in *praxi Archiepiſc. Neapolit. cap.92. aliàs 110.* Aloyſ. Riccius *collect. deciſ.4. p. collect. 1216. & in praxi fori Eccleſiaſt. poſt. reſol.495. in notabilib. in materia Epiſc. edit.2.* Auguſtin. Barboſa prædictos referens *de poteſt Epiſc.2. part. allegat.23. num.8.* Tertiò conducit, ne ſacramentum Euchariſtiæ aſſervetur in choro Monialium, & non in publica illarum Eccleſia, juxta Trident. *ſeſſ.25. cap.10. de regularib. in fine.* Advertit tamen Man. *tract.1. quæſt. regul. quæſt.47. art.4. poſt med.* non delinqui adverſus hanc prohibitionem, ſi ſimul in Eccleſia, & in choro Monialium habeatur. Sed contrarium credo dicendum. Concilium enim videtur intendiſſe prohibere conſuetudinem aſſervandi Euchariſtiam extra Eccleſiam. Quartò conducit ad tanti ſacramenti cultum, ne publicè deferatur abſque lumine, ad quod credo ſub obligatione gravi parochum aſtringi, quia ſic cavetur in *dicto cap. ſanè. de celebrat. miſſar.* & tradit prax. Epiſcop. *1. p. verbo Euchariſtia. § 2.* Eman. Saà *eodem. num.34. edit. Rom.* Notanter dixi *publicè.* Nam tempore peſtis, & cum infirmus longè abeſt ab Eccleſia, ſcilicet per leucam ſecretò in ſinu Sacerdoti deferri poterit. Deinde eſt laudabilis conſuetudo, ut ante ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum ſit die, noctuque lumen accenſum, quod licèt nullo jure ſcripto præceptum ſit, obſervari tamen debet quoad fieri poſſit, Eman. Saà *verbo Euchariſtia num.34.* Navarr. *de horis canon. caput.18. num.67.*

PUNCTUM IX.

Qui ſint hujus ſacramenti effectus.

§. I.

Expenditur primarius Sacramenti effectus.

1. *Primarius Euchariſtiæ effectus eſt gratiæ augmentum.*
2. *An aliquando primam gratiam conferat? Negant plures.*
3. *Probabilius eſt oppoſitum.*
4. *Diluitur contrarium fundamentum.*
5. *Quando ſupradictum gratiæ effectum communicet Euchariſtia.*
6. *An pluribus abundantior gratia conferatur, quam unius tantùm ſumptione? proponuntur aliqua certa.*
7. *Si augeas in ſecundâ hoſtiâ ſumptione diſpoſitionem, affirmant plures abundantiorem gratiam concedi.*
8. *Probabilius eſt oppoſitum.*
9. *Solvitur fundamentum contrarium.*
10. *Sacramentum dum in ſtomacho perſeverat, non auget gratiam ex opere operato.*
11. *Communicans ſub utraque ſpecie an recipiat abundantiorem gratiam? Negant plures.*

12. *Verius*

12. *Verius est oppositum.*
13. *Fit satis opposito fundamento.*
14. *Recedente fictione non communicatur effectus hujus sacramenti.*

1. PRimus, & præcipuus effectus hujus diviniſſimi ſacramenti eſt conferre augmentum gratiæ homini in gratia exiſtenti. Si enim omnia ſacramenta novæ legis teſtatur Trident. *ſeſſ.7. can.6.* gratiam conferre non ponentibus obicem, hoc ſacramentum utpote omnium præſtantiſſimum abundantiorem confert. Colligitur ex *cap. firmiter. de ſumma Trinit, & fide Cathol.* & *cap. cum Martha de celebrat. Miſſar.* & Clement. un. *de Reliquiis, & venerat. Sanctor.* & Trident. *ſeſſ.13. cap.2.*

2. An verò aliquando primam gratiam conferre poſſit? non eſt conſtans ſententia, Negant Bonavent. *in 4. diſt.9. art.2. quæſt.3.* Gab. *ibi quæſt.2. art.2. concluſ.1.* Vaſq. *diſput.205. cap.4.* Et moveri poſſunt, quia hoc ſacramentum eſt inſtitutum per modum cibi, & ſpiritualis nutrimenti? At cibus neceſſariò expoſtulat ſumentem vivere: non enim mortuum nutrire poteſt. Ergo hic cibus ſpiritualis neceſſario ſupponere debet ſumentem vivere ſpirituali vita, ut ſpiritualiter illum nutrire, & roborare poſſit. Deinde hoc ſacramentum non eſt inſtitutum ad remittenda peccata mortalia, ſed ad remittenda venialia, & præſervandum à mortalibus, ut dixit Trident. *ſeſſ.13. c.2.* Si igitur primam gratiam aliquando conferret, ad remittenda peccata mortalia eſſet inſtitutum, non enim hunc effectum aliunde quàm ex inſtitutione habere ſacramentum poteſt.

3. Nihilominus communior ſententia docet aliquando hoc ſacramentum primam gratiam conferre, & peccatum mortale remittere, videlicet cum peccator ad ſacramentum ſuſcipiendum accedit attritus, credens eſſe contritum, vel ignarus ſui peccati ſuſcipit ſacramentum attritione cognita. His enim eventibus concedendum eſt cum D. Thom.3. *quæſt.79. art.3. & 8.* Valent. *tract.4. diſput.6. quæſt.3. p.1.* Ægid. de Coninch. *quæſt.79. art.3. num.52.* Suar. *diſput.63. ſect.1. in medio.* Bonac. *diſp.4. quæſt.4. punct.1. in princ.* Favetque Trident. *ſeſſ.13. can.5.* negans præcipuum fructum Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum, tacitè indicans minus præcipuum eſſe, at cùm peccatum abſolutè ſumptum pro mortali ſupponat, videtur concilium definire Euchariſtiæ effectum ſecundarium eſſe peccati mortalis remiſſionem, quod ſolùm in caſibus prædictis contingere poteſt. Ratio ſumitur ex divina inſtitutione, quæ hac conſideratione probari poteſt. Chriſtus Dominus ſacramenta omnia inſtituit efficacia ad conferendam gratiam non ponentibus obicem. At peccator attritus credens eſſe contritum ſi ſuſcipiat hoc ſacramentum, obicem gratiæ recipiendæ non ponit. Non enim ponit obicem ob peccatum in communione commiſſum, quia hoc nullum eſt, cum bona fide ſacramentum ſuſcipiat, neque judicium ſibi manducet, & bibat, neque etiam ponit obicem ob peccatum antea commiſſum, ſiquidem illius attritionem habet, qua poſita divinam bonitatem docet ſacramenta efficacia eſſe ad gratiam ſuſcipientibus conferendam. Quod ſi objicias inde ſequi deficiente copia confeſſoris, peccatorem ſui peccati conſcium accedere poſſe ad hoc ſacramentum ſuſcipiendum, ſi attritus ſit, tametſi cognoſcat contritum non eſſe, ſiquidem attritio eſt ſufficiens diſpoſitio, ut gratiam conferat hoc ſacramentum. Quod vero ſuſcipiens credat ſe eſſe contritum, cùm tamen non ſit, error eſt intellectus, qui diſpoſitionem ad gratiam ſuſcipiendam potius minuere, quam augere poteſt. Reſpondeo attritionem per ſe eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad gratiam, ſi ad ſacramentum non accedis indignè. At quia ſuſcipiens hoc ſacramentum conſcius peccati mortalis ſibi non remiſſi indignè accedit, attritio cognita diſpoſitio non eſt in peccaore ad gratiam in hoc ſacramento ſuſcipiendum, error namque intellectus, quo exiſtimat peccator ſe eſſe contritum non auget diſpoſitionem, ſed impedit peccatum ſacrilegæ communionis, quod rectam diſpoſitionem vitiaret.

4. Neque obſtat fundamentum oppoſitæ ſententiæ. Fateor namque hoc ſacramentum inſtitutum eſſe per modum cibi non ſolum nutrientis, ſed etiam aliquando vivificantis, in quo à cibo corporali longè diſtat. Cùm enim media gratia hoc ſacramentum nutriat, & hæc nata ſit vivificare, non eſt mirum quod aliquando ex accidenti vivificet. Neque indè fit eſſe ſacramentum mortuorum, qui ad vivificandum non eſt per ſe, ſed per accidens inſtitutum. Cum verò concilium aſſerit præſervare à mortalibus, & venialia remittere, loquitur de effectu per ſe hujus ſacramenti, non de effectu, qui ex accidenti contingit.

5. Supradictum effectum gratiæ ſuſcipis, cum primò ſacramentum ex ore ad ſtomachum trajicis, quia in hac trajectione manducatio conſiſtit, & manducanti gratia à Chriſto promiſſa eſt Joann.6. Qui manducat me, vivet propter me. At quia hæc manducatio ſucceſſivè fieri poteſt, & diſcontinuè ſumendo plures hoſtias, vel unam per partes, meritò dubitant Doctores, an idem effectus gratiæ ſingulis manducationibus correſpondeat, an potius diſtinctus, ita ut ex omnibus illis manducationibus abundantior gratia reſultet?

6. Qua in re duo ſunt certa. Primum eſt cibum hunc cæleſtem in prima ſui manducatione operari gratiæ effectum ſi ad alium ſuſcipiendum dipoſitus ſis: quia per primam manducationem eſt ſacramentum tibi applicatum, veriſſimumque eſt te corpus Chriſti ſumpſiſſe. Ut quid ergo ſecundæ hoſtiæ manducatio expectanda eſt, ſi ab ea miraculosè impeditus eſſes, nullum ex prioris hoſtiæ manducatione effectum haberes, quod eſt abſurdum. Sic Sotus *diſt.12. quæſt.2. art.1.* Suar. *tract.2. de Euchariſt. quæſt.79. diſp.63. ſect.4.* Valent. *tract.4. diſp.6. quæſt.7. punct.1.* Coninch. *quæſt.79. art.1. dub.1. num.23.* Bonac. aliis relatis *d ſput.4. quæſt.4. punct.2.* Secundò eſt certum, ſi prioris hoſtiæ manducatio effectum non habuit, eo quod indiſpoſitus eam ſumpſeris, ſecundæ hoſtiæ manducationem effectum habituram, ſi ſublata priori indiſpoſitione dignè illam recipias, quia recipis verum ſacramentum, cui gratia promiſſa eſt non ponentibus obicem. Sic Cajetan. *quæſt.79. art.1.* Coninch. *ibi, num.48* Daidc. Nun. *verſ. ad ſecund.* Suar. *diſp.63. ſect.8.* tametſi contrarium ſentiat Henriq. *lib.8. cap.43. num.3.* Bonac, *diſp.4. quæſt.4. punct.2. num.6.* Tertiò eſt certum novum gratiæ effectum per ſecundam hoſtiæ manducationem non recipi, caſu quo per primam receptus ſit, & diſpoſitio in ſecunda manducatione non augeatur. Quia prima, & ſecunda manducatio (ut ſupponimus) moraliter non diſtinguuntur, ſed eandem communionem efficiunt. At communio prioris hoſtiæ operatur, quatenus in ea Chriſtus Dominus applicatur. Ergo cum in poſterioris hoſtiæ communione, quæ eſt eadem moraliter cum prima, idem Chriſtus applicetur, nulla ſubeſt cauſa aſſerendi novum effectum gratiæ produci, ſiquidem diſpoſitio aucta non eſt. Ob quam rationem D. Thom. *quæſt.79. art.7. ad 3.* dixit ſacerdotem plures hoſtias conſecratas in una Miſſa ſumentem, non plus gratiæ recipere, quàm ſi unam tantum ſumeret, quia non plus virtutis eſt in multis hoſtiis conſecratis, quam in una tantum, cum ſub omnibus, & ſub una idem Chriſtus exiſtat. Sic ſuſtinent Sotus, & Valent. *ſupra.* Ægid. de Coninch. *n.28.* Suar. *ſect.4.* Bonacina *p.2.*

7. Quocirca controverſia inter Doctores eſt, an caſu quo primæ hoſtiæ manducatio effectum habuerit,

ſecundæ hoſtiæ manducatio ſuccedens novum effectum habeat ſi diſpoſitionem præcedentem augeat ? Affirmant graves Theologi novum effectum habere. Sic, aliis relatis docent Ægid. de Coninch. *q.79. art.1. dub.2. num.30. & ſeqq.* Bonac. *diſp.4. q.4. p.2. n.5.* Suar. *diſp.63. ſect.5. circa finem.* junctis iis quæ dixerat *ſect.4.* Moventur quia ſecundæ hoſtiæ manducatio, eſt manducatio ſacramenti Euchariſtiæ, & ſicut prima, & æquè efficax gratiæ producendæ. At ſacramentum habet effectum juxta diſpoſitionem recipientis. Cum ergo in ſecunda ſacramenti ſumptione ſit magis diſpoſitus, abundantiorem gratiam recipies. Deinde divinam bonitatem, & miſericordiam non leviter decet ſacramentum Euchariſtiæ ſic inſtituiſſe, ut quoties in illius ſumptione diſpoſitio ſuſcipientis augeatur, augeatur itidem illius effectus. Addunt præterea Ægid. Bonac. & Suar. ſuprà ſpecies ſacramentales, dum in ſtomacho perſeverant, ex opere operato augere gratiam, ſi ſuſcipiens augeat diſpoſitionem: quia hoc ſacramentum inſtitutum eſt per modum cibi, & ſpiritualis nutrimenti, cibus autem non ſolùm effectum habet, cum trajicitur in ſtomachum, ſed potius cum in ſtomacho perſeverat.

8. Cæterùm probabilius cenſeo novum gratiæ effectum ex opere operato non recipi ſecundæ hoſtiæ manducatione, tametſi novis actibus te diſponas. Sic pluribus firmat Vaſq. *quæſt.79. art.2. diſp.203. cap.3. a num.20.* Moveor primò, quia ſecundæ hoſtiæ manducatio à primæ hoſtiæ manducatione diſtincta non eſt moraliter. Ergo nec moraliter diſtinctum effectum habere poterit, tametſi diſpoſitio augeatur. At ſi novam gratiam præſtantiori diſpoſitioni correſpondentem confert, novum effectum moraliter diſtinctum producit. Non igitur aſſerendum eſt per manducationem moraliter indiſtinctam, novam gratiam produci. Secundò moveor ob plura inconvenientia, quæ ex oppoſita ſententia inferuntur. Primum eſt te ſumentem plures hoſtias, vel unam ſucceſſivè neceſſariò ex opere operato recepturum gratiam abundantiorem illo, qui unica indiviſibili comeſtione, minimam particulam manducaret, quia ſemper præſtantiùs diſpoſitus es in ſecunda, quam in prima. Nam licèt actualem devotionem non intendas, neque continues, habitualem tamen, quæ in gratia habituali conſiſtit, quæque ad hoc ſacramentum expoſtulatur ſemper intenpis. Cum enim in prima ſumptione habeas gratiam ut 4. & vi illius augeatur ut 6. ſecundæ hoſtiæ ſumptio te diſpoſitum ut 6. invenit. Ergo juxta illam effectum producet. Ergo debitè ſumens plures hoſtias, vel unam ſucceſſivè majorem gratiam recipis, eo qui minimam accipit. Neque valet dicere gratiam eo ſacramento productam non eſſe diſpoſitionem ad novam gratiam in ſecundæ hoſtiæ manducatione ſuſcipiendam, eo quod ſit una moralis comeſtio. Nam inde probaretur neque actualem devotionem eſſe diſpoſitionem ad novam gratiam, ſiquidem comeſtio ſemper una moralis eſt. Ergo ſi non obſtante hac vanitate actualis devotio efficax eſt, ut manducatio ſecundæ hoſtiæ novum gratiæ effectum producat, efficax etiam erit gratia per primæ hoſtiæ ſumptionem effecta. Secundum inconveniens, quod ex oppoſita ſententia infertur eſt per ſe loquendo, ut illius eſſe recipere plures hoſtias, vel grandiorem, quam unam minimam particulam, ſiquidem hæc ſumptio gratiæ abundantiori recipiendæ ex opere operato communiter conducet, qua gratia carebit qui unicam particulam ſumpſit, tametſi diſpoſitionem augeat.

9. Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ dices primò cuilibet Euchariſtiæ ſumptioni effectum eſſe promiſſum determinatum, qui nec augetur, nec minuitur, tametſi diſpoſitio augeatur ea ſumptione durante. Sicuti docuit Ledeſm. *in 4. p.1. q.22. art.4.* Victorin. *in ſum. de Euch. n.76.* Qui effectus ſi in prioris hoſtiæ ſumptione communicatur, non communicatur in poſterioris ſumptione; quia eſto ſumatur ſacramentum phyſicè diſtinctum, & ſit ſumptio phyſicè diſtincta, quia tamen non eſt moraliter diſtincta, ideo novus effectus non producitur. Secundò admittes ſumptioni Euchariſtiæ non eſſe promiſſum determinatum effectum, ſed pro qualitate diſpoſitionis ita ut præſtantiori diſpoſitioni abundantior gratiæ effectus correſpondeat, hinc tamen non infertur, ſi augeatur diſpoſitio in ſecundæ hoſtiæ ſumptione abundantiorem gratiam communicari, quia in ea ſumptione utpote moraliter à prima indiſtincta nullus effectus gratiæ producitur, quia eſt productus in prima, ac proinde neque abundantior produci poteſt. Sacramentum enim abundantiorem gratiam communicat melius diſpoſito eo inſtanti, quo ipſum ſacramentum operatur, ſecùs cum ab operatione impeditur; in ſecundæ hoſtiæ ſumptione impeditur ſacramentum ab operatione ſui effectus, quia in prioris hoſtiæ ſumptione, quæ à ſecunda moraliter non diſtinguitur, operatum eſt.

20. Ex hac doctrina inferendum eſt corollarium oppoſitum corollario prioris ſententiæ, nempe hoc ſacramentum dum in ſtomacho perſeverat, non augere gratiam ex opere operato, tametſi diſpoſitio actualis creſcat. Tum quia Chriſtus dominus ipſum manducanti gratiam promiſit. At non ipſum manducas, cum in ſtomacho retines, ſed cum ex ore ad ſtomachum trajicis. Tum quia ſequeretur cæteris paribus utilius tibi eſſe grandiori hoſtia hoc ſacramentum recipere, quia erit occaſio, ut aucta diſpoſitione non ſolùm ex opere operantis, ſed ex opere operato gratia augeatur, quæ tamen non augeretur ſi in minima quantitate hoc ſacramentum recepiſſes. Deinde ſequeretur te peccantem mortaliter ex tempore, quo veroſimiliter credis Chriſtum in ſtomacho aſſiſtere, ſpeciale peccatum ſacrilegii committere, ſicuti ſi ſacramentum in peccato mortali recepiſſes, quia obicem ponis ſacramento, ne ſuum effectum operetur. Quinimo ſi in peccato recepiſſes neque de peccato doleres non ſolum habitualiter, ſed etiam actualiter peccares toto eo tempore, quo ſacramentum in ſtomacho retines, quia obicem ponis illius effectui. Quæ etſi ab adverſariis admittantur creditu difficilia ſunt.

11. Secunda difficultas ſatis inter Doctores controverſa eſt, an tibi communicanti ſub utraque ſpecie panis, & vini detur abundantior gratia, quam ſi ſub una tantùm ſpecie communicares. Negant communiter Doctores cum D. Thom. *qu.80. art.12. ad 3.* & *ibi* Cajetan. Bellarm. *lib.4. de Euchariſt. cap.23.* Henriq. *lib.8. cap.8. num.2. & cap.44. n.2.* Ægid. de Coninch. *quæſt.79. art.1. dub. 2. num.34. & 26.* Suar. *diſp.63. ſect.6. & diſp.72. ſect.1. 2. & 3.* Bonac. plures referens *diſp.4. quæſt.1. punct.4. num.5.* Moventur ea præcipua ratione. Sumens plures formas ideo non recipit abundantiorem gratiam, quam ſi minimam particulam ſumeret, quia eadem eſt virtus ſub una, & ſub pluribus, cum ſub una, & ſub omnibus totus ſit Chriſtus, à quo Euchariſtiæ ſacramentum habet effectum. At ſub ſpeciebus panis, vel vini idem eſt Chriſtus contentus, ac eſt ſub utraque ſpecie. Ergo eundem effectum gratiæ recipit communicatus ſub una, ac ſub duplici. Neque inde fit ſumptionem calicis ſacerdotibus inutilem eſſe, tametſi nullum effectum gratiæ eæ vi illius ſumptionis conſequantur. Quia poſſunt illum conſequi ſe ad illum conſequendum diſponentes, cum tamen panem cæleſtem indiſpoſiti ſumpſerint, & præterea poſſunt novis actibus ſe diſponere, qua diſpoſitione poſita ſentiunt Ægid. Suar. & Bonac. ſuprà novam gratiam concedi. Adde eſto Sacerdotibus ſumptio calicis utilis

non

non esset eo casu, quo ritè panem cælestem sumpserint, at Ecclesiæ semper utilissimum est, tum ad honorem divini cultus, tum ad perfectionem sacrificii.

12. Cæterùm verius censeo sumptione utriusque speciei abundantiorem gratiam concedi, quam sub una tantùm tametsi dispositio suscipientis non augeatur, sic docet Alexand. Alens. 4. *p. quæst.* 12. *memb.* 1. *art.* 2. aliàs *quæst.* 11. *art. ult.* §. 3. *ad* 2. Gaspar Casalcus *lib.* 2. *de cœna, & calice Domini.* Arbocius *in cap* 6. Joan. Ruard. *art.* 15. §. *respondeo.* Clemens VI. *in bulla ad Regem Angliæ an.* 1341. asserens sub utraque specie communionem illi concedere, ut gratiæ augmentum perciperet. Vasq. *disp.* 215. *cap.* 2. *num.* 5. & probabilem reputat Sotus *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *art.* 12. Henriq. *lib.* 8 *de Euch. cap.* 44. *in comment.* §. 5. Bonac. *disp* 4. *quæst.* 1. *p.* 4. *circa finem.* Suar. *disp.* 63. *sect.* 6 *in medio.* & alii. Fundamentum est, quia negari non potest sic potuisse Christum hoc sacramentum instituere, ut per cujuslibet speciei sumptionem distincta gratia communicetur. At sic fuisse institutum inde convincitur. Primò, quia Christus Dominus Joan. 6. utrique speciei, & cuilibet ex illis gratiam promisit. Qui manducat me vivet propter me, & iterum qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo. Secundo quia est distinctum partiale sacramentum, & distincta sumptio non solum physica, sed moralis, sicuti est distincta consecratio unius speciei, & alterius. Tertiò quia utraque species significat perfectum convivium, perfectamque refectionem, quæ sola manducatione, vel potu perfici non potest, sed necessariò manducatione, & potu constare debet. At si sumpta specie panis, & gratia ex vi illius communicata nullus gratiæ effectus sumptione vini concederetur, hoc sacramentum non significaret convivium, & completam animi refectionem, quia solùm significaret gratiam reficientem animam per modum cibi, sed non per modum potus. Neque his obstat, quod quælibet gratia famem expellat, & sitim extinguat, quominus distincta per species panis, & vini debeat communicari, ut utraque species sumentem reficiat, & perfectum convivium repræsentet, Quartò hic modus institutionis & divinam bonitatem decet, & sacramenti dignitatem commendat, & animos aversos efficacius conciliat. Quintò nullum inde inconveniens infertur, si quidem Ecclesia privando laicos calicis communione, nullo fructu necessario ad salutem eos privat, sicuti dixit Trident. *sess.* 21. *cap* 1. sed eos privat hoc abundantiori fructu, tum ob reverentiam debitam sacramento, tum in commendationem dignitatis sacerdotalis, præcipuè cum laici prædictum fructum compensare sæpius sub specie panis communicando.

13. Fundamentum oppositæ sententiæ facilè dissolves negando solum Christi continentiam esse causam, ob quam pluribus hostiis non communicetur abundantior gratia, quam unica particula. Sed qui non est moralis distincta sumptio, nec distincta gratiæ promissio, quæ tamen omnia in communione sub utraque specie contingunt, ut probatum est.

14. Tertia difficultas est, an effectus gratiæ, qui communicari debebat hoc venerabili sacramento, nec tamen communicatur ob indispositionem suscipientis, sublata indispositione communicetur, sicuti diximus communicari suscipienti baptismum, vel pœnitentiam indebitè sublata indispositione? Respondeo verius esse non communicari consumptis speciebus, quia nullum est firmum fundamentum; ex quo colligi possit hæc abundans communicatio. Non enim necessaria est, cum iterari sæpius possit hoc sacramentum, & illius debita sumptione fructum amissum reparari, quod in sacramento baptismi, & pœnitentiæ non procedit. Adde non esse credendum sacerdotem quotidie in peccato communicantem, & judicium sibi manducantem ob pœnitentiam in fine vitæ consecututum omnem gratiam, quam ex opere operato obtinuisset, si dignè semper communicavisset. Atque ita sustinet Suar. *disput.* 63. *sect.* 10. Henriq. *lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 7. *litt. T.* Ægid. de Coninch. *quæst.* 62. *art.* 1. *dub.* 5. *num.* 78. Vide dicta *tract.* 18. *de sacram. punct.* 9. *num.* 6.

§. II.

Expenduntur reliqui Eucharistiæ effectus.

1. *Hoc sacramento à mortalibus præservamur.*
2. *Peccata venialia remittuntur.*
3. *Remissio pœnæ temporalis non est proprius effectus hujus Sacramenti.*
4. *Speciali dulcedine animam recreare effectus est Eucharistiæ.*
5. *Unio cum Christo, & aliis fidelibus effectus est Eucharistiæ.*
6. *Præter dictos effectus nullum aliud comparatione corporis in hac vita aliqui Doctores concedunt.*
7. *Sed quatuor debent concedi. Primus esse corpus nostrum quodam modo sanctificatum.*
8. *Secundus moderari ardorem concupiscentiæ.*
9. *Tertius unio substantialis cum Christo.*
10. *Quartus resurrectio & gloria.*

1. PRæter gratiam habitualem alios effectus huic tanto sacramento Doctores tribuunt. Primus est esse antidotum, quo à mortalibus præservamur, sicuti dixit Trident. *sess.* 21. *cap.* 2. Præservamur autem mediis auxiliis à Deo ob hujus sacramenti debitam susceptionem concessis, quibus excitamur, & movemur ad opera virtutis, & roboramur ad tentationes vincendas & diaboli insidias superandas, & fortè ob hanc causam dictum est Joan. 6. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, id est, non habebitis vitam in vobis perseverantem: est enim hoc sacramentum ad perseverandum in gratia adultis moraliter necessarium, tametsi absolutè necessarium non sit. Quod si inquiras quæ auxilia ex vi hujus sacramenti suscipienti concedantur, an sufficientia tantùm, an efficacia? Respondeo & sufficientia concedi abundantiora, quam concederentur Eucharistia non recepta, & sæpè efficacia juxta divinum beneplacitum. Dixi *sæpè*, sed non semper, aliàs ritè semel communicans peccare mortaliter non posset, & in gratia esset confirmatus. Quinimo ea auxilia efficacia, quæ Deus decreverat suscipienti ipsum tribuere, de facto non tribuit, quia se indignum reddidit. Auxilium namque decretum erat concedendum, nisi impedimentum suscipiens sacramentum appossuisset.

2. Secundus effectus hujus sacramenti assignatus à Trident. *sess.* 13. *cap.* 2. & habetur *cap utrum sub figura*, & *cap. si quid sit sanguis de consecrat. dist.* 2. est peccatorum venialium remissio. Qualiter autem hunc effectum Eucharistia operetur; difficultate non caret. Nam vel peccata venialia remittit, quatenus illorum detestationem excitat, & charitatem accendit, & eo casu non immediatè, & per se, sed mediatè, hoc est media detestatione, & in Deum amore, hanc remissionem operatur, vel peccata remittit immediatè per se; & hoc videtur impossibile. Tum quia nullum peccatum remitti potest absque illius pœnitentia, & detestatione. Tum quia habitualis gratia hujus sacramenti effectus non pugnat cum peccatis venialibus, sed illis perseverantibus stare potest. Dicendum ergo est utroque modo venialia peccata, quorum non habes complacentiam ex vi hujus sacramenti tibi remitti. Sic docet D. Thom.

quæſt.79. art.4. & *ibi* Didac. Nun. *concl.1.* Ægid. de Coninch. *num.34* & 55. Bonac. *diſp.4 de Sacram. q.3. punct* 6 §. 3. Primò namque remittit peccata excitando illorum deteſtationem, nam cum proprius hujus ſacramenti effectus ſit ſuſcipientem cum Deo intimè venire, cui unioni non leviter obſtant venialia peccata neceſſariò ab illis liberare debet ſaltem excitando illorum deteſtationem, qua peccata venialia tolluntur. Verum cùm hæc remiſſio non tam ex ipſo ſacramento, quam ex actu charitatis, vel pœnitentiæ proveniat, nequaquam Euchariſtiæ ut proprius effectus concedi poteſt, & caſu quo eſſet concedendus, non diſtingueretur à primo effectu, qui eſt auxiliorum conceſſio ad opera virtutis & peccata præcavenda. Quocirca alius eſt aſſignandus modus diſtinctus, quo venialia peccata ex vi hujus ſacramenti remittantur, ut venialium remiſſio effectus proprius ſit hujus ſacramenti. Modus autem hic eſt, ut ſacramentum ritè ſuſceptum vi ſua remittat omnia peccata venialia, quæ ſuſcipiens commiſiſti, quorumque complacentiam non habes. Neque his obſtat; quod nullum peccatum remittatur abſque illius deteſtatione ſaltem virtuali, quia eo ipſo quo vis Euchariſtiam ſuſcipere, vis charitatem augere, & intimius conjungi, & hæc voluntas eſt quædam peccatorum venialium virtualis deteſtatio. Quæ licet ex ſe ſufficiat ad venialium remiſſionem, medio ſacramento ſuſcepto ſufficit.

3. Tertius effectus eſt remiſſio pœnæ temporalis pro peccatis debitæ. At hic effectus, ut benè D. Thom. quem omnes ſequuntur *quæſt.79. art.5.* non directè, & immediatè, ſed indirectè, & mediatè ex hoc ſacramento provenit. Quod pœnæ temporalis remiſſio ex hoc ſacramento directè non proveniat inde conſtat, quia pœna temporalis non obſtat fervori charitatis, ad cujus augmentum fuit Euchariſtia inſtituta. Et præterea, quia ſacramentum ut tale ſolùm ſuſcipienti prodeſt, non aliis. At ſi ex opere operato, & directè pœnas debitas pro peccatis remitteret, prodeſſe quidem poſſet aliis, indirectè tamen, & mediatè pœnas temporales remittit tum excitando actus charitatis, quibus ſatisfacimus, tum remittendo venialia, & conſequenter aliquam pœnam ipſis venialibus debitam. Notanter dixi remiſſionem pœnæ temporalis non eſſe effectum proprium Euchariſtiæ quatenus eſt ſacramentum, ut inſinuarem eſſe poſſe illius effectum, quatenus eſt ſacrificium, quia in illius remiſſionem ſacrificium offertur.

4. Quartum effectum hujus ſacramenti tradidit Clemens V. in Concil. Vienn. Clement. *de reliquiis, & Venerat. Sanctor.* nempe ſpeciali ſuavitate, & dulcedine animum recreare juxta illud: Pinguis eſt panis Chriſti, & præbebit delicias regibus. Ob cujus cauſam dixit Pontifex in ſuprad. Clement. In hoc ſacramento omne delectamentum eſſe, & omnis ſaporis ſuavitatem ipſamque dulcedinem Domini deguſtari. Conſiſtit autem hæc ſuavitas, & ſpiritualis dulcedo, præcipuè in quadam animi promptitudine ad quaſlibet res divini obſequii peragendas hilari animo, & celeri voluntate. Quod ſi hanc ſuavitatem, & devotionem non ſentis, time ne fortè indignus accedas. Fateor tamen ſæpè hunc effectum impediri. Tum quia mente vaga, & alienis curis diſtractus hoc ſacramentum ſuſcipis, tum quia aliquibus peccatis venialibus affectus exiſtis, quæ devotionem, & fervorem charitatis impediunt.

5. Quintus effectus, qui ex ſupradictis omnibus ſequitur eſt unio ſpecialis, quam ſuſcipiens habet cum Chriſto, & aliis fidelibus, juxta illud Joan.6. In me manet, & ego in eo: & Paul.1. Conrinth.10. Unum ſumus, qui de uno pane, & vino participamus. Conſiſtit autem hæc unio non ſolum in gratia habituali, remiſſione venialium, & præſervatione à mortalibus vi ſacramenti conceſſis, ſed præcipuè in vinculo charitatis, & mutua benevolentia, quia Chriſtus hominem proſequitur ſuo corpore alitum, & ſuſtentatum, & homo ipſum Deum, reliquoſque fideles de eodem corpore, & ſanguine participantes.

6. Præter hos effectus, qui voluntati, animæque inhærent, nullum alium admittunt comparatione corporis in hac vita. Turrecrem. in *cap. in Chriſto de conſecr. diſt.2* Sotus *in 4. diſt.11. quæſt.2. art.5.* quibus favent Cyrill. Hieroſolym. *catechеſi 3. myſtac.* Cyprian. *ſerm. de cœna Domini.* Damaſc. *lib.4. de fide cap.14.* Quia hoc ſacramentum non ad nutriendum corpus, ſed animum eſt inſtitutum: juxta illud. Qui manducat me, vivet propter me. Neque ullius effectus promiſſio, quæ ad corpus in hac vita videatur dirigi, facta eſt: quem ergo effectum in corpore habere poteſt.

7. Dicendum eſt quatuor præcipuos habere. Primus neceſſariò ſequitur ex hujus ſacramenti ſuſceptione, nempè corpus noſtrum eſſe quodammodo ſanctificatum, & ſacratum. Si enim linea, & vaſa ſacramentum continentia ex illo contactu ſanctificata redduntur, cur non corpora noſtra, quibus arctius ſacramentum conjungitur? Meritò ergo Chryſoſtom. *hom.3. ſuper illa verba 2. Corinth. cap.13.* Salutate invicem in oſculo ſancto, inquit. Non vulgarem honorem conſecutum eſt os noſtrum accipiens corpus Dominicum. Ex qua dignitate *hom.83. in Matth. um.* optimè infert. Quo non oportet igitur eſſe puriorem tali fruentem ſacrificio! Quo ſolari radio non ſplendidiorem manum carnem hanc dividentem! Os quod igne ſpirituali repletur, linguam quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit? Cogita quali ſis inſignitus honore, quali menſa fruaris.

8. Secundus effectus Euchariſtiæ eſt moderari ardorem concupiſcentiæ, & peccati fomitem. Sic D. Thom. communiter receptus, *quæſt.79. art.6. ad 3.* Suar. pluribus exornans *diſp.64. ſect.1. concl.2.* Ægid. de Coninch. *quæſt.79. art.8. dub. unico numero 62.* Hunc effectum Euchariſtia operari poteſt primo alterando corporis temperamentum, temperando inquam calorem nimium, & fervorem ſanguinis, quo libido excitatur, quam remiſſionem ipſum ſacramentum operari poteſt, tum applicatione divinæ virtutis, tum applicatione alicujus cauſæ naturalis, ex qua hæc fomitis mitigatio ſequatur. Secundò fomitem peccati mitigare poteſt Euchariſtia excitando in phantaſia imaginationes, & repræſentationes ad bonum, & avertendo cogitationes à malo, & in ordine ad hunc finem ſeparando occaſiones, quæ pravum motum excitare poſſunt illaſque offerendo, quæ ad bonum poſſunt inclinare. Et hic effectus inter auxilia gratiæ computari debet. Sed quia circa corpus verſatur, & ex intentione mitigandi peccati fomiti conceditur, ea de cauſa inter effectus corporis computatur. Etenim hoc ſacramentum inſtitutum eſt ad præſervandum ſuſcipientem à peccatis mortalibus. At hujus præſervationis medium aptiſſimum eſt ardorem concupiſcentiæ mitigare. Concedendus ergo illi eſt hic effectus. Adverte tamen non concedi pro omnibus occaſionibus, ſed juxta Domini beneplacitum. Tum ne cogamur affirmare ſemel ſuſcipientem dignè Euchariſtiam nullas graves tentationes carnis ſentire poſſe. Tum quia hic effectus ſæpè impeditur ob aliquod peccatum poſtea commiſſum, aut ob aliquam irreverentiam ſacramento factam.

9. Tertius effectus, qui communiter à ſanctis Patribus enumeratur eſt unio ſubſtantialis cum Chriſto non ſolum per effectus, ut ſupra explicuimus, ſed re ipſa, uti dixit Chryſoſtom. *hom.61. ad populum Antioch. & hom.46. in Joann* & alibi ſæpè. In quo autem hæc unio conſiſtat? non eſt facile explicatu.

Nam

Nam certum est non consistere in aliquo physico, & reali vinculo, quo ex homine, & Christo unum fiat. Aliàs mutaretur Christus, quoties in hoc Sacramento homini communicatur. Neque item hæc unio consistit tantum in locali præsentia, & propinquitate, quam Christus habet cum suscipiente, quia hæc solum durat eo tempore, quo species sacramentales immutatæ perseverant, & in homine peccatore esse potest. Dicendum igitur est hanc unionem moralem esse, & mysticam, consistéreque in eo quod speciali affectu, & amore, quo Christus hominem prosequitur, & homo Christum, Christus se homini tradit in cibum, & potum. Ex qua affectuosa traditione moraliter censetur communicans, & Christus unum esse. Si enim maritus, & uxor ex commixtione voluntaria corporum censentur fieri una caro, quid mirum quod Christus Dominus unum cum communicante fieri censeatur, cui se intimo affectu, & voluntate conjungit, quemque suo corpore pascit, & sanguine recreat. Peccatori autem non unitur, nam esto illi præsens sit, non se illi in spiritualem cibum, & animæ refectionem ex effectu tradit. Sed contra suam voluntatem in illius judicium, & condemnationem conjungit.

10. Quartus effectus est resurrectio, & gloria corporis, quam beati consecuturi sunt post diem judicii: juxta illud Joann. 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, seu vivet in æternum: Et ego resuscitabo eum in novissimo die. Promittitur ergo communicantibus resurrectio, & vita æterna. Hi effectus, esto promissi sint omnibus decedentibus in gratia, quia omnes resurgere debent, & vitam æternam cum Christo consequi, specialiter communicantibus promittuntur, utpote qui sunt Christi per communionem specialia membra. Omnibus igitur ritè communicantibus, & in gratia decedentibus concederetur resurrectio, & vita æterna, non solum ob gratiam habitualem, in qua decesserunt, sed etiam ob Eucharistiam dignè susceptam, ideóque resurrectio, & vita æterna effectus est tum gratiæ habitualis, tum sacramenti. Sic Suar. *d. sp.* 64. *sect.* 2. Ægid. de Coninch. *q.* 79. *art.* 8. *dub. unico.*

Punctum X.

Qui sint hujus sacramenti susceptores.

1. *Tres sunt modi suscipiendi hoc sacramentum.*
2. *Solus homo hoc sacramentum prædictis modis suscipere potest.*
3. *Homo non baptizatus capax est Eucharistiæ spiritualiter tantum recipiendæ.*
4. *Homo baptizatus peccator sacramentaliter tantum recipere Eucharistiam potest.*
5. *Baptizatus justus sacramentaliter, & spiritualiter sacramentum recipit.*
6. *Infantibus, & perpetuò amentibus non conceditur Eucharistia.*
7. *Qualiter amentibus, qui aliquando rationis usum habuerint, concedenda sit Eucharistia.*
8. *Qualiter semifatuis.*
9. *Qualiter mutis, & surdis à nativitate.*
10. *Qualiter energumenis, seu obsessis à dæmone.*
11. *Qualiter pueris rationis usum habentibus.*

1. PRæmittendum est ex Trident. *sess.* 13. *cap.* 8. & *sess.* 22. *cap.* 6. & ex *Catechismo Pii V.* ubi de hoc sacramento, & ex variis decretis, præcipuè *c. qui disc. c. qui manducat. c quid est, c. sanctum, cap. credere, de consecrat. dist.* 2. & ex D. Thom. communiter recepto *quæst.* 80. *art.* 1. tres esse modos, quibus hoc sacramentum suscipi potest. Primò sacramentaliter tantum, quando solum sacramentum, & non ejus effectus suscipitur, uti sumit peccator, qui cum sacramentum suscipiat, non illius effectum, sed sacramenti judicium suscipit. Secundo spiritualiter tantùm, id est quoad effectum sacramenti, qualiter sumit justus desiderium habens suscipiendi sacramentum. Hoc autem modo non propriè sacramentum suscipitur, sed optatur suscipi, ideóque D. Thom. hunc modum suscipiendi sacramentum omisit. At quia per illum effectus sacramenti, scilicet augmentum gratiæ acquiritur, reliqui Doctores asserunt eo sacramentum spiritualiter suscipi. Tertiò utroque modo & sacramentaliter, & spiritualiter, id est cum sacramentum, & effectus illius suscipitur, ut contingit hominibus justis, & sanctis communicantibus.

2. Dicendum est solius hominis esse hoc sacramentum aliquo ex prædictis modis suscipere. Sic D. Thom. ab omnibus receptus *quæst.* 80. *art.* 2. Et quidem de creaturis irrationalibus constat manifestè. Nam esto aliquando hostiam consecratam comederint, nec sacramentaliter comedunt, sed materialiter, neque illius fructum consequuntur, cum tam fructus, quam sacramenti incapaces existant. Solum de Angelis est aliqualis dubitatio, an hoc sacramentum, vel sacramentaliter, vel saltem spiritualiter tantùm (hoc est in desiderio) suscipere possint? Sed dicendum est non posse. Tum quia ipsi capaces non sunt augmenti gratiæ. Tum & præcipuè, quia hoc sacramentum non pro Angelis, & beatis, sed solum pro hominibus in hac vita degentibus institutum est. Ergo nullus alius præter homines sacramenti sumptionem optare absolutè potest: atque adeò nullus alius sacramentaliter, vel spiritualiter tantum capax illius est.

3. Secundò homo non baptizatus capax est Eucharistiam spiritualiter tantùm recipiendi, sed non sacramentaliter. Priorem partem probo, quia antequam baptismum re ipsa suscipias, gratus Deo esse potes, & votum habere, suscepto baptismo Eucharistiam recipiendi, quod votum quia ab homine grato procedit, meritorium est augmenti gratiæ. Ergo est hujus sacramenti spiritualis manducatio. Hæc cum infructuoso desiderio hujus sacramenti sita est. Secunda pars est manifesta, quia nemo capax est ullius sacramenti recipiendi, nisi in Ecclesiam Christi fuerit ingressus, & illius membrum factus. Hoc autem fit per baptismum omnium sacramentorum januam, & generationis spiritualis principium. Ergo non baptizatus incapax est Eucharistiæ sacramentaliter recipiendæ. Neque obest Innocent. III. *in c. veniens de baptismo*, ubi expressè dicit à non baptizatis Eucharistiam sumi posse. Nam ut explicat Suar. *disp.* 62. *sect.* 2. *in fine*, non assertivè sed disputando hæc dixit, vel locutus est de materiali, & corporali sumptione, non autem de sacramentali.

4. Tertiò homo baptizatus peccator sacramentaliter tantùm hoc sacramentum suscipere potest. Nam esto desiderium habeat suscipiendi Eucharistiam excluso peccato; qui tamen desiderium illud habet tempore, quo est in peccato nullatenus eo augmentum gratiæ spiritualis communionis proprium effectum obtinere potest. Nequit ergo spiritualiter communicare, Sacramentaliter autem communicat, quia verum sacramentum recipit in sui judicium, & condemnationem, ut dixit Paul. 1. Cor. 11. & tradidit D. Thom. *quæst.* 80. *artic.* 3.

5. Quartò homo justus baptizatus quicumque sit & sacramentaliter, & spiritualiter Eucharistiam suscipere potest, quia ut ex sequenti puncto constabit ad augmentum gratiæ proprium effectum Eucharistiæ sola gratia habitualis in suscipiente requiritur. Ex quo fit infantes baptizatos, & perpetuò amentes, si Eucharistia illis concedatur, gratiæ augmentum

percepturos eſſe, ſicuti multis docuit Suar. *diſp.62. ſect.4.* etenim antiqua fuit conſuetudo, teſte Trident. *ſect 21 cap 4.* & Toletano concilio undecimo, *c 11.* concedendi parvuli Euchariſtiam, quæ non concederetur niſi illis prodeſſet. Neque obſtat prædictam conſuetudinem abrogatam eſſe, quia id factum eſt ob reverentiam tanti ſacramenti. Et ita ſuſtinent pluribus relatis Vaſq. *diſp.212. cap.2.* Ægid de Coninch. *q.80. art.9. n.77.* Suar. *ſuprà.* Paul. Layman. *lib.5. ſum. tract.4. cap 5 q.1.*

6. Superſunt quæſtiones. Prima, an infantibus, & perpetuò amentibus concedi poſſit, & debeat Euchariſtia ſaltem in mortis articulo? Et quidem nullam eſſe obligationem, & neceſſitatem adminiſtrandi Euchariſtiam infantibus ante uſum rationis (& idem eſt de perpetuò amentibus) docuit expreſsè Trident. *ſeſſ.21. cal.4.* ea evidenti ratione ductum. Quia per baptiſmi lavacrum regenerati, & Chriſto incorporati adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt. An verò expediens ſit ſaltem in articulo mortis his Euchariſtiam miniſtrari? Nonnullam habet difficultatem, eo quod non videatur congruum ſacramenti fructu in perpetuum privare eum, qui illius capax eſt. Sed omnino dicendum eſt prudenter prædictos excludi à participatione hujus ſacramenti. Nam cum hoc ſacramentum illis neceſſarium eſſe non poſſit, & ex alia parte frequenter adſit irreverentiæ periculum, meritò Eccleſia eos à tanti ſacramenti participatione excluſit. Atque ita docent S. Thom. *q.8. art.99. ibi* Ægid. *n.72.* Vaſq. *diſp.212. circa finem.* Henriq. *lib 8. c 42.* Suar. *diſp.62. ſect.4. in fine, & diſp.69. ſect.2.* Paul. Laym. *lib.5. ſum. t.4. c.4. q.1. & 3.* Bonac. *diſp.4. de Euchariſt. q 6. punct 1. in princ.*

9. Secunda quæſtio, an poſſit, & debeat concedi amentibus, quia aliquando rationis uſum habuerunt? Dicendum eſt extra mortis articulum nec poſſe, nec concedi debere; benè tamen in mortis articulo. Sic Vaſq. Henriq. Ægid. Suar. Layman. & Bonac. *locis allegatis.* Priorem partem probo quia extra mortis articulum nulla eſt Eccleſiæ conſuetudo concedendi iis amentibus Euchariſtiam. Tanti enim ſacramenti reverentia poſtulat, ut extra caſum extremæ neceſſitatis non concedatur Euchariſtia iis qui nequeunt ſe ad illius ſuſceptionem actuali devotione diſponere. Adde frequens periculum irreverentiæ æquè eſſe in amentibus, ſive poſt uſum rationis in amentiam inciderint, ſive numquam uſum rationis habuerint. Quod vero in extremo periculo poſſit, & debeat iis amentibus Euchariſtia concedi, probat manifeſtè textus ex concil. Carthaginen.4. relatus in *iis qui in infirmitate 26. q.6.* ubi præbenti ſigna pœnitentiæ, & poſtmodum in amentiam incidenti præcipitur ori ejus infundendam Euchariſtiam: & cap. *qui recedunt eadem cauſa, & quæſt. ex concil. Arauſic.* dicitur, Amentibus quæcunque ſunt pietatis concedenda ſunt, & in concil. Tolet.11. *can.11.* id ipſum expreſsè ſupponitur, cum dicat puniendos non eſſe eos, qui acceptam Euchariſtiam rejecerint, ſi conſtet mente alienatos eſſe. Ratio eſt, quia his amentibus Euchariſtia neceſſaria ad ſalutem eſſe poteſt, videlicet, ſi peccato mortali gravati in amentiam inciderint attriti. Deinde qui aliquando rationis uſum habuit, & piè vixit eo ipſo cenſetur velle ſibi applicari remedia ad ſalutem neceſſaria, vel maximè utilia, atque adeo virtualiter, interpretativè Euchariſtiam petere. Quæ rationes nullatenus militant in infantibus, & perpetuò amentibus Euchariſtia in mortis articulo denegatur, conceditur tamen iis, qui aliquando rationis uſum habuerint.

Adverte hoc intelligendum eſſe caſu quo non conſtet peccato mortali gravatum in amentiam incidiſſe. Secundò niſi ſpes moralis ſit ante mortem uſum rationis recuperaturum, quia tunc reverentia ſacramenti expoſtulat illud tempus expectare. Tertiò ne probabile ſit periculum alicujus ſacramenti irreverentiæ, eáque de cauſa conſultum erit prius unam, vel alteram hoſtiam non conſecratam amenti porrigere: ut ex illius ſumptione colligi poſſit quid facturus ſit, cum hoſtia conſecrata illi conceditur. Sic Suar. *diſp.69. ſect.2. verſ. tertium dubium.* Zambran. *de Euchariſt. dub.4. num.5.* Paul. Layman. *lib.5. ſum. tract.4. cap.4. q.3.* Ægid. *quæſt.76. art.9. num.74*

8. Tertia quæſtio de ſemifatuis, & plenum uſum rationis non habentibus qualiter concedi poſſit, & debeat Euchariſtia? Reſpondeo, ſi facta diligentia non valent diſtinguere hunc cœleſtem cibum à profano, inter abſolutè amentes ſunt computandi. At ſi illum ſatis diſtinguunt, & reverenter, & tanquam ſibi neceſſarium expoſtulant, concedi illis debet non ſolum in mortis articulo, ſed etiam tempore Paſchatis, quia credendum eſt hoc præcepto eos aſtringi, cum ſupponamus illius notitiam habere, & peccandi libertate pollere. Extra hæc tempora non illis debet Euchariſtia concedi ob tanti ſacramenti reverentiam. Sic docuit Poſſevinus *de communione cap.8. n.31.* Layman *lib.5. tract.4. cap.4. q.3. in fine.* Bonac. *diſp.4. de ſacr. Euchar. q.6. p.1. n.7.* Henriq. *lib.8. cap.42.*

9. Quarta quæſtio, qualiter mutis, & ſurdis, à nativitate Euchariſtia miniſtrari poſſit, & debeat? Reſpondeo, ſi ex ſignis, & nutibus conſtet diſcretionem habere, qua ſufficienter hunc cibum cœleſtem à profano diſtinguant, non ſolum in mortis articulo, ſed etiam tempore Paſchatis Euchariſtia concedenda eſt; quia his eſt valdè neceſſaria tum ad augmentum gratiæ, tum ad præcavenda peccata futura. Neque neceſſarium eſt, ut perfectè qualitatem hujus cibi agnoſcant, ſufficit ſi illum ita à profano diſtinguant, ut tanquam remedium ſuæ ſalutis accipiant. Credendum enim eſt hac notitia Chriſtum contentum eſſe, cùm perfectior haberi non poſſit. Sic relato Abbate *in cap. cum apud, num.2. de ſpon. alib.* tradit Layman. *lib.5. ſum. tract.4. quæſt.4.* Quod ſi prudens confeſſarius non qualemcunque diſcretionem, ſed maturam, & perfectam agnoſcat habere mutum, & ſurdum, ſicuti ego aliquem agnovi non ſolùm tempore Paſchatis, ſed aliis ſolemnioribus feſtivitatibus, poterit Euchariſtiam concedere, quia nulla apparet ratio, ob quam ſit deneganda, cum ſe ad illam ſuſcipiendam per actualem devotionem diſponere poſſit. Notanter dixi mutis, & ſurdis. Neque addidi cæcis. Nam ſi ſupradictis duobus impedimentis hoc tertium adderetur, nullatenus crederem Euchariſtiam etiam in mortis articulo miniſtrari poſſe, quia incapaces exiſtunt tanti cibi dignitatem, & excellentiam cognoſcendi. Colligitur ex his quæ tradit Sanch. *lib.1. de matrim. diſp 8. à num 12.* & Gutierr. *de matr. cap.8. à num.6.* Hi enim Doctores aliis relatis docent mutum, & ſurdum contrahere matrimonium poſſe, ſecus ſi ſimul cæcus exiſtat.

10. Quinta quæſtio procedit energumenis, ſeu obſeſſis à dæmone. Et quidem ſi conſtet obſideri, eo quod aliquo peccato mortali teneantur: qualiter contingit illi, quem refert Paul.1. Corinth 5. traditum eſſe Sathanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fieret, nullatenus eſt Euchariſtia miniſtranda ob defectum diſpoſitionis in ſuſcipiente. At ſi credatur à dæmone obſeſſos eſſe, vel in pœnam alicujus delecti commiſſi, tametſi quoad culpam remiſſum ſit, vel ad ſui majus meritum, & purgationem, ut frequenter contingere credendum eſt. Advertere debes, an priventur uſu rationis, an ſui compotes exiſtant. Si uſu rationis privantur, judicium ferendum eſt æquè de illis, ac de amentibus. At ſui compotes

potes sunt, concedenda illis est Eucharistia secluso irreverentiæ periculo non solum in mortis articulo, (de quo non est dubium, ut definit *concil.* Eliber. *can.37.* his verbis: Qui à spiritibus immundis vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, & fideles fuerint, dandam eis esse communionem) sed etiam in Paschate, imo aliis temporibus, ut loquitur Timoth. Alex. *in suis responsionib. cap.3.* & refertur *6. t. bibliotheca sacræ*: Fidelis (inquit) qui à dæmone corripitur, si mysterium non enunciet (hoc est nisi doceat alios, quæ à dæmone ipse dicidit) neque ullo alio modo blasphemet debet, particeps fieri mysteriorum, hoc est Eucharistiæ, & tradit D. Thom. *q.80. art.9.* Cassian. *collat.7. cap.30. concil.* Aransican.1. *can.14.* Petr. Thiræus *de dæmonib.2.p. cap.28.* Sotus *in 4. dist.12. quæst.1.* Suar. *disput.69. sect.2.* Vasq. *disput.112. cap.4.* Paul. Layman. *lib.5. sum. tract.4. cap.5. quæst.5.* Ratio illius veritatis est, quia Eucharistiæ susceptione vel dæmone expelletur, vel saltem in vexando frænabitur, vel denique juvabitur energumenus, ut patienter, & cum fructu suum laborem sustineat. Frequentia hujus communionis arbitrio prudentis confessoris relinquitur. Crederem solemnioribus festivitatibus satis esse concedi.

11. Quæstio sexta de pueris usum rationis habentibus, an statim illis possit, & debeat communio concedi. Et quidem in articulo mortis Eucharistia sub obligatione est concedenda eo ipso, quo usum rationis habeant, distinguereque possunt hunc cibum à profano. Quia non solum utile, sed fortè necessarium ad salutem esse illis potest. Sic Suar. *disput.70. sect.1. in fine.* Henriq. *lib.8. cap.42. in fine.* Layman. *lib.5. sum. tract.4. cap 4. quæst.2.* tametsi solùm ex consilio censeat Navarr. *cap.21. num.57.* illis esse Eucharistiam concedendam extra mortis periculum. Communiter Doctores censent perfectiorem usum rationis requiri ad Eucharistiam suscipiendam eo qui sufficiens judicatur ad peccandum, & absolutionem à peccatis obtinendam, quia ex una parte pœnitentia est simpliciter necessaria, quæ tamen non est Eucharistia, & ex alia Eucharistia nobilior est. Quid ergo mirum, si perfectiorem usum rationis in suscipiente expostulet? Sic Suar. Navarr. & Layman. *supra.* Vasq. *disp.214. cap.4. circa finem.* Cæterùm ego existimo eum usum rationis, qui sufficiens est ad peccandum, & absolutionem à peccatis obtinendam sufficere, ut Eucharistia ministrari possit. Nam esto pœnitentia sit magis necessaria, quam Eucharistia, & Eucharistia nobilior. At longè difficilior est dispositio ad pœnitentiæ fructum obtinendum, quam ad obtinendum fructum Eucharistiæ: cum ad pœnitentiam confessio peccatorum dolorosa requiratur cum proposito de cætero non peccandi. At ad Eucharistiæ fructum sola voluntas suscipientis existentis in gratia, sufficiat. Qui ergo usum rationis habet sufficientem ad excitandum supernaturalem dolorem, & illius obligationem pro sacramento pœnitentiæ suscipiendo cognoscendam, usum rationis sufficienter habebit, ut distinguere possit hunc cibum cælestem à profano, & illius essentiam agnoscere.

Verum etsi hoc ita sit non credo ipsos pueros statim obligari nec humano, nec divino præcepto, neque parochos obligatos esse illis sacramentum concedere, sed unum, vel alterum annum expectari posse, ut eorum judicium, & discretio exactius cognoscatur, & majori cum fructu & reverentia Eucharistiam diu optatam, & petitam suscipiant. Sic Suar. *dicta disp.70. sect.1. post med.* Eman. Saà, *verbo* Eucharistia *num.12. edit. Romana.* Layman. *lib.5. sum. tract.4. cap.4. q.2.* Vasq. *disp.214. cap.4. à num.46.* Quod si roges, quando censebuntur pueri discretionem sufficientem habere, ut ad Eucharistiam suscipiendam sint obligati? Respondeo prudentis Confessarii judicio esse relinquendum: aliqui enim pueri ita sunt perspicacis ingenii, & accurata disciplina instructi, ut ante decimum annum sufficientem censeantur discretionem habere, ut hanc obligationem subeant. Regulariter autem nemo ante decimum annum obligari censendus est. Quinimo. Navarr. *c.21. num.57.* Cordub. *in summa casu.60* placet viros ante 14. annum, & fœminas ante 12. numquam obligari. Duo vero credo certa sæpè pueros rationis usu, & discretione ad Eucharistiam sufficiente pollentes excusari ab obligatione eam suscipiendi, quia à parentibus, vel confessariis non permittuntur, ipsosque parentes, & parochos excusari ex consuetudine, quæ rarò ante decimum annum Eucharistiam alicui ministrat. Navarr. *cap.21. n.57.* Eman. Saà, *verbo Eucharistia n.12.* Laym. *lib 4. sum. t.4. c.4. q.2.* Aliud est pueris, qui nondum 14. annum attigerunt non decere frequentiorem communionem, quam menstruam. Tum ob reverentiam sacramenti. Tum ut excitentur ad ferventiùs, & avidiùs Eucharistiam suscipiendam.

Punctum XI.

De dispositione ex parte animæ ad hoc Sacramentum ritè suscipiendum.

1. *Debes te reputare justum.*
2. *Qua certitudine hoc sciendum est.*
3. *Peccatum veniale in sumptione Eucharistiæ non impedit illius præcipuum effectum.*
4. *Imped t alios effectus.*
5. *Habituale peccatum non est impedimentum.*
6. *Solvitur fundamentum quo probatum erat peccatum veniale impedire præcipuum Eucharistiæ effectum.*
7. *Plures requirunt ad effectum Eucharistiæ devotionem actualem.*
8. *Contrarium verius est.*
9. *Solvuntur fundamenta opposita.*

1. Fides, ratioque naturalis posita Eucharistiæ institutione docet quemlibet obligatum esse, antequam ad Eucharistiam accedat se reputare justum, Deoque gratum. Nam cum hoc sacramentum institutum sit ad nutriendam, & roborandam spiritualem animæ nostræ vitam, illam per se supponit. Qui ergo peccatis mortuus ad illud suscipiendum accederet, fini, institutionique sacramenti contrarius esset, ideoque movet Paul.1. Corinth.11. judicium sibi manducare, & bibere, qui absque prædicta probatione de pane illo edit, & de calice bibit, ut latius prosequitur Trident. *sess.13. cap 7. & can.11.*

2. Quod si roges quam certus esse debeas nullo te peccato mortali gravari, cum ad Eucharistiam accedis? Respondeo, si certus moraliter fis nullo gravari peccato non confesso, eo quod nullum tibi occurrat post factam tuæ conscientiæ diligentem examinationem, securus accedere potes, quia certitudo moralis quamlibet humanam actionem à temeritate excusat, & prudentem reddit. Neque aliam majorem certitudinem expostulari decebat à Christo Domino, cujus jugum suave est, & onus leve, ut bene notavit Ægid. de Coninch. *q.80. art.4.*

3. Præter carentiam peccati mortalis Marsil. *in 4. q.6. art.4. corol.3.* requirit ad hujus sacramenti dignam sumptionem, ne peccatum aliquod veniale in ipsa committas. Quia eo ipso (inquit) te indignum reddis tanto sacramento. Favent huic sententiæ Doctores, qui actualem devotionem, & fervorem expostulant pro dispositione necessaria hujus sacramenti, de quibus infra: siquidem actualis peccati venialis commissione devotio, & charitatis fervor impeditur. Ratio

hujus

hujus ſententiæ eſſe poteſt, quia ſumptio ſacramenti peccaminoſa Deo eſt ingrata. Nequit ergo ob ipſam augumentum gratiæ concedi, aliàs eadem actione, qua pœnam meremur, præmium gratiæ & gloriæ obtineremus.

Cæterùm tenendum eſt actuale peccatum veniale in ſumptione Euchariſtiæ commiſſum non impedire illius effectum præcipuum, qui eſt augmentum gratiæ, & charitatis. Sic docuit D. Thom. *quæſt.*79. *art.*8 Soto *diſt.*12. *quæſt.*2. *art.*8. Victoria *num.*66. Suar. aliis relatis *diſput.*63. *ſect.*3. *concl.*1. Vaſq. *diſput.*206. *cap.*2. Paul. Laym. *lib.*5. *tract.*4. *cap.*6. *q.*1. & habetur *cap. ſi non ſunt tanta peccata, de conſecrat. diſt.*2. ibi: Si non ſunt tanta peccata, ut excommunicetur quis, non ſe debet à medicina corporis, & ſanguinis Domini ſeparare. At ob veniale peccatum nemo poteſt excommunicari excommunicatione majori, de qua ibi eſt ſermo. Ergo ob ejus cauſam à medicina corporis, & ſanguinis Domini ſeparari non debet. Ratio eſt, quia ex inſtitutione Chriſti, ut colligit Trident. *ſeſſ.*13. *cap.*7. ſolùm ad Euchariſtiam dignè ſuſcipiendam requiritur, ut conſcius peccati mortalis ſe per confeſſionem, & contritionem illius probet, nulla peccati venialis mentione facta. Et meritò, quia peccatum veniale nec gratiæ, neque illius augmento repugnat. Ergo peccatum veniale in ſumptione commiſſum diſpoſitionem ſacramenti legitimam, & neceſſariam non impedit. Ergo neque impedit ejus effectum. Deinde implicas, cum dicis peccatum veniale impedire ſacramenti effectum. Nam ſi hoc impedimentum præſtat non veniale, ſed mortale erit, ſiquidem recepta eſt Doctorum ſententia obicem ponere ſacramenti effectui grave peccatum eſſe, ob irreverentiam factam ſacramento ejus virtutem, & efficaciam elidendo. Denique rarò effectus gratiæ per Euchariſtiam obtineretur, cum rarò contingat ſæculares homines à veniali excuſari. Tum ob diſtractionem, animique evagationem, tum ob finem ſiniſtrum, tum ob pravum affectum. At non eſt credendum Chriſtum Dominum velle ſuæ charitatis ſymbolum ob has leves cauſas inane reddi.

4. Notanter dixi actuale peccatum veniale non impedire præcipuum effectum Euchariſtiæ. Nam alios effectus ſecundarios ex parte impedit, ut tradit D. Thom. *quæſt.*79. *art.*8. impedit enim remiſſionem ipſius, quæ per ſacramentum ex opere operato deberet fieri. Secundo impedit devotionem, & charitatis fervorem. Tertiò ſpecialem ſuavitatem, & dulcedinem, quam experiri ſolent devotè communicantes; eſt enim illa indignus. Quarto plura auxilia gratiæ ad præcavenda peccata denegantur, quæ alioqui concederentur: ob quas cauſas fortè dixit quaſi per exaggerationem Auguſt. *de Eccleſiaſt. dogm. cap.*53. relatus *in cap. quotidie de conſecrat. diſp.*2. ſi adhuc habes voluntatem peccandi, gravari magis dico Euchariſtiæ perceptione, quam purificari, & ne de voluntate peccandi mortaliter dictum intelligeres ſubdit. Sed de hoc illo dico, quem capitalia, & mortalia peccata non gravent.

5. Præterea dixi actuale peccatum: nam habituale etiam ſi formaliter non fueris deteſtatus, ſi tamen illius complacentiam non habeas; communione quæ eſt quædam virtualis deteſtatio remittitur ex opere operato, uti ſuperius notavimus.

6. Fundamentum contrarium non obſtat. Fateor ſuſceptionem Euchariſtiæ cum peccato veniali actuali eſſe aliqualiter Deo ingratam, ſed non abſolutè, & ſecundùm ſe, ideoque ejus efficacia ex opere operato non impeditur, tametſi efficacia, quam ex opere operantis haberet, impediatur.

7. Rurſus alii plures, graveſque Doctores ad Euchariſtiæ effectum ſuſcipiendum requirunt neceſſariò actualem devotionem, & fervorem. Sic D. Thom. *in* 4. *diſt.*12. *q.*2. *art.*1. *q.*3. Duran. *d.q.*4. *n.*7 Palud. *q. art.*2. *conc.*3. *n.*11. Sylveſt. *verbo Euch. in fine.* Caiet. 979. *art* 1. Moventur primò, quia plures Eccleſiæ Patres, ſpecialiter Baſil. *lib.*1. *de baptiſm. cap. ult. & in regul. brevior. reg.*172. Joan. Hieroſ.1. *catecheſi* 4. *myſtag.* Chryſ. *hom.*82. *in* Matth. expoſtulant ſpecialem devotionem, & fervorem ad Euchariſtiam ſuſcipiendam ob ejus excellentiam, & dignitatem, & remiſſionem animi deteſtantur. Secundò Euchariſtia operari debet ſuos effectus juxta modum ſuæ ſignificationis. Significat autem ſpirituale nutrimentum per modum cibi, & potus. Ergo operari debet ſuos effectus, ſicuti cibus, & potus. At cibus & potus non operantur, niſi ſumens vitaliter, & actualiter concurrat ad illius operationem. Ergo cibus cœleſtis non operabitur, niſi ſumens ad illius operationem actualiter concurrat, quod fieri non poteſt, niſi mediis aliquibus actibus virtutis, atque adeo devotione, & fervore. Tertio ab inconveniente probat Caiet. quia ſi augmentum gratiæ, & charitatis ex defectu devotionis non impeditur: Sacerdotes tepidi quotidiè communicantes magnum fructum ex communione percipient, cujus contrarium experientia teſtatur, cum ad virtutis opera, tentationeſque ſuperandas poſt plures communiones æquè difficiles inveniantur, ac ſi nullam communionem feciſſent.

8. Nihilominus tenendum eſt nullam devotionem actualem requiſitam eſſe ad fructum præcipuum hujus ſacramenti percipiendum: Sic expreſſè D. Th. *q.*79. *art.*8: *& ibi* Ægid. de Con. *dub.*1. *n.*4. Vaſq. *diſp.*206. *cap.*2. Suar. *diſp.*63. *ſect.*3.3. *concl.*2. Paul. Laym. *lib* 5. *ſum. t.*4. *c.*9. *q* 1. Ratio præcipua ſumitur ex Trident. *ſect.*13. *c.*7. ubi aſſignans diſpoſitionem ad hoc ſacramentum ſuſcipiendum, nullam hujus actualis devotionis mentionem fecit. Quæ ſi neceſſeria eſſet, nullatenus omitteret. Secundò probari poteſt, olim Euchariſtia concedebatur parvulis ante uſum rationis, & modò conceditur amentibus in articulo mortis, ut dictum eſt. At ſi devotionem actualem habere non poſſunt, ergo devotio actualis ad effectum ſacramenti ſuſcipiendum neceſſaria non eſt. Aliàs nullatenus Eccleſia permitteret iis ſacramentum concedi. Eſt enim manifeſta injuria, & irreverentia ſacramento facta inane, & vacuum illud reddere, & ſine fructu. Tertiò juſtus omittens invincibiliter, & abſque culpa actualem devotionem pro hujus ſacramenti receptione, obicem non ponit gratiæ augmento, quia jam probatus accedit ad dignè ſuſcipiendum probatione à Paulo requiſita. Ergo devotio actualis non eſt diſpoſitio neceſſaria. Quartò ſi defectus actualis devotionis impediret efficaciam ſacramenti, peccaret mortaliter qui ſic voluntariè ad ſacramentum accederet; eo quod gravem irreverentiam ſacramento irroget ejus virtutem elidendo. At neque Cajet. neque alii Doctores oppoſitæ ſententiæ admittunt carentiam actualis devotionis eſſe peccatum mortale. Ergo devotio actualis pro augmento gratiæ non eſt neceſſariò requiſita. Quintò nullatenus expedire poſſet hanc devotionem ut neceſſariam expoſtulari, quippe ob inadvertentiam, & diſtractionem involuntariam frequenter omittitur etiam ab hominibus maximè juſtis, & religioſis. At non eſt veriſimile, nec de Chriſti amore credendum ſic inſtituiſſe ſacramentum ſuæ eccleſiæ præcipuum, ut in plurimum ſuo effectu careret.

9. Argumenta oppoſitæ ſententiæ facilia ſunt: Ad primum concedo Sanctos communiter expoſtulare devotionem, fervorem non ut neceſſarium ad effectum ſacramenti ſuſcipiendum, ſed ut maximè convenientem, ut ſacramentum uberius operetur, & fructuoſius exiſtat. Ad ſecundum admitto Euchariſtiam operari ſuos effectus juxta ſuæ ſignificationis modum,

atque

atque adeo per modum cibi, & potus, non qui convertatur in ſubſtantiam aliti, ſed qui alitum in ſe convertat, ideoque etſi cibus, & potus materialis & corporalis ſuſcipientis actione indigeat ad nutriendum, hic cibus & potus cœleſtis ea actione non indiget. Ad tertium nego ex experientia colligi certò poſſe ſacramentum fructu carere. Nam eſto ſæpius communicans æquè difficilis ſit ad opera virtutis, & ad tentationes ſuperandas, inde argumentum non ſumitur, quia facilitas ad ſupradicta opera non ex augmento gratiæ, & charitatis, ſed ex habitibus acquiſitis provenit.

Punctum XII.

De Confeſſione Communioni præmittenda.

1. *Præmittere debet Confeſſionem peccati mortalis conſcius.*
2. *Plures firmant ex ſolo Eccleſiæ præcepto hanc eſſe obligationem.*
3. *Verius eſt à Chriſto præceptum latum eſſe.*
4. *Omnium peccatorum confeſſio eſt præmittenda.*
5. *Ab executione hujus præcepti excuſaris, ſi abſit copia confeſſoris, & neceſſitas urgeat communicandi.*
6. *Quando cenſeatur abeſſe copia confeſſoris.*
7. *Quando cenſeatur urgere neceſſitas communicandi latè explicatur.*
8. *Debet te reputare contritum.*
9. *Sacerdotes celebrantes non præmiſſa confeſſione quando teneantur, cum primum poſſint, confiteri.*
10. *Poſt peccatum commiſſum, & dolorem conceptum, & confeſſionem factam, non eſt neceſſe tempus aliquod expectare ad communionem.*

1. TRident. Concil. *ſeſſ.13. cap.7.* ſtatuit gravatum peccato mortali ſi communionem ſuſcipere velit, non ſolum contritione, ſed confeſſione ſacramentali ſe probare debere, juxta præceptum Pauli: Probet ſe ipſum homo conſuetudine Eccleſiæ declaratum. Quapropter audiendus non eſt Cajet. *in ſum. verbo communio in princ. & ſuper 1. ad Corinth. cap.11.* aſſerens nullum eſſe præceptum neque divinum, neque Eccleſiaſticum præmittendi confeſſionem, ſi peccator contritus ſit.

2. Variant doctores, an hoc præceptum divinum ſit, an Eccleſiaſticum? Plures Doctores affirmant ſolùm Eccleſiaſticum eſſe. Sic Medin. Cod. *de confeſſ. q.17.* Polac. *in 4. diſt 9. quæſt.10. ad 1.* Navarr. *ſum. cap.21. n.49.* & alii. Fundamentum eſt, quia ex natura Euchariſtiæ etiam ſuppoſita inſtitutione confeſſionis, ſolum habetur te Deo gratum eſſe debere, quia eo ipſo capax es gratiæ augmenti, cum gratiam habeas. At abſque præmiſſa confeſſione potes media contritione in gratia conſtitui. Ergo ex natura rei confeſſio neceſſaria non eſt. Quod ſi dicas eſſe neceſſariam, quia ſecurius confeſſione purgaberis à peccato, contritio namque difficilis eſt, obſtat: quia teneris ſecuriorem viam eligere, aliàs ad reliqua ſacramenta ſuſcipienda conſcius peccati mortalis confeſſionem eligere deberes. Satis enim vitatur ſacramenti irreverentia, ſi certus moraliter ſis à peccato purgatum eſſe, & in gratia conſtitutum. Ex verbis autem Pauli conſuetudine Eccleſiæ declaratis, non infertur à Chriſto latum eſſe præceptum de confeſſione præmittenda: Paulus namque præcepit communicaturo, ut ſe probet; an autem hæc probatio non ſolum facienda ſit per contritionem, ſed etiam per confeſſionem, ipſe Paulus non declaravit, ſed conſuetudine Eccleſiæ ipſo facto declaratum fuit. Sicuti præceptum eſt divinum communicandi, quod autem ſingulis annis communio facienda ſit, conſuetudo Eccleſiæ declaravit. Adde Paulum illud præceptum impoſuiſſe non quidem ut à Chriſto acceptum, ſed ut à ſe latum. Nam eſto in principio dixerit ſe accepiſſe à Domino conſecrationis formam, &c. nunquam dixit modum probationis à Chriſto accepiſſe.

3. Cæterùm verius eſt obligationem præmittendi confeſſionem de peccato mortali commiſſo divinam eſſe, à Chriſto ſtatutam, & à Paulo traditam, & & promulgatam. Sic Dominic. Sotus *in 4. diſt.12. q.12. art.4.* Valent. *tract.4. diſput.6. quæſt.8. punct.3.* Covarruv. *in cap. alma. mater. 1. p. §.1. n.7.* Cordub. *lib.1. q.16. in 3. opin.* Suar. *diſput.66. ſect.3. in medio.* Henriq. *lib.8. cap.46.* Vaſq. *diſp.207. cap.4. à n.40. & alii.* Ratio eſt quia ut ex Trident. *ſeſſ.13. cap.7.* conſtat, conſuetudine Eccleſiæ declaratum eſt Paulum tradidiſſe præceptum de præmittenda confeſſione illis verbis: Probet autem ſeipſum homo. At Paulus non tradidit hoc præceptum ut à ſe latum, ſed ut à Chriſto acceptum, quod non leviter colligitur primò ex illis verbis antecedentibus. Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quæ omnia ad ſequentia videntur referri. Secundo ex eo quod Corinthios reprehendat, quod abſque prædicta probatione cibum illum cæleſtem manducarent, qui certè reprehenſione digni non erant, ſi præceptum de confeſſione præmittenda antea traditum non eſſet. Tertio quia illud proponit peccato mortali gravatis ut unicum remedium vitandi communionem indignam, quod verum non eſſet, ſi præceptum de confeſſione præmittenda à Chriſto latum non urgeret; poſſunt enim ſola contritione ritè diſponi.

4. Sed inquires, an præcepto prædicto ſufficienter ſatisfacias, ſi confeſſionem præmiſeris, tametſi non fuerit omnium peccatorum ob invincibilem ignorantiam? Caſus eſt frequens, cum ſæpè contingat peccatorem poſt confeſſionem legitimè factam recordari ante communionem alicujus peccati non confeſſi, in quo caſu alicui videri poſſet non eſſe obligatum illud confiteri. Quia jam illud peccatum non ſolum contritione, ſed etiam abſolutione, ſacramentali remiſſum eſt. Sic videtur ſentire Reginald. *lib.29. cap.6. n.105.* Sed contrarium omnino tenendum eſt cum Suar. *diſp.66. ſect.4. verſ ſed hujus occaſione.* Henriq. *lib.8. cap.46. num.3. in fine.* Ægid. *q.80. art.4. dub.2. in princ.* Quia illius peccati oblitus non es probatus per confeſſionem, ſiquidem obligatus es illud confeſſioni ſubjicere. Concilium autem expoſtulat probationem per confeſſionem cujuſcunque peccati mortalis, cujus conſcientia gravaris. Ergo illud ante communionem confiteri debes.

5. Ab executione hujus præcepti præmittendi confeſſionem excuſaris, ſi non adſit copia confeſſoris, & neceſſitas communicandi urget, utrumque enim concurrere debet, ut advertit Trid. *ſeſſ.13 cap.7.* Difficultas autem eſt quando cenſeatur copia confeſſoris non eſſe, & neceſſitas communicandi urgere.

6. Copia igitur confeſſoris abeſt. Primò ſi ita à te diſtet ut nequeas illum abſque gravi incommodo adire, quod prudentis arbitrio judicandum eſt. Aliquando enim ſpectata tua imbecillitate, & brevitate temporis in quo celebrare debes, diſtantia quinquaginta paſſus conſtituit confeſſorem abſentem, qui tamen aliàs non cenſeretur abeſſe diſtans per leucam, uti benè notarunt Vaſq. *diſput.207. cap.2. num.9.* Ægid. de Coninch. *q.80. art.4. dub.2. n.23.* Bonac. *diſp.4. de ſacram. q.6. p.1. n.30.* Secundò cenſetur abeſſe, ſi præſenti confiteri non poſſis abſque impendenti periculo vel violationis ſigilli, vel provocationis ad malum, vel alterius gravis nocumenti: Jugum enim Domini ſuave eſt, quod non eſt cenſendum impoſitum cum tanto onere. Sic Ægid. de Coninch. *dicta q.80. art.4. dub.2. n.19.* Vaſq. *diſp.208. c.2. n.3.* Bonac. *quæſt.6. punct.1. num.28.* Advertunt tamen

præ

prædicti Doctores, ſi alia peccata mortalia habeas, ex quorum manifeſtatione prædictum damnum non times, te eſſe obligatum ea confiteri, quia ſic præſtas confeſſionem formaliter integram, & præcepto de confeſſione præmittenda ante communionem ſatisfacis. Tertio abeſt copia confeſſoris, ſi nullus adſit qui juriſdictionem habeat, aut cui juriſdictionem ex privilegio concederè poſſis, quia deficiente juriſdictione pœnitentiæ ſacramentum miniſtrari non poteſt. Sic Bonac. Ægid. & Vaſq. *locis citatis.* Hinc fit ſi peccato mortali reſervato tenearis, & nullo alio, te non eſſe obligatum urgente neceſſitate communicandi confeſſionem præmittere, ſi abſit proprius ſacerdos, quia comparatione mortalium, quorum eſt obligatio confeſſionem præmittendi nullus adeſt ſacerdos qui juriſdictionem habeat. Ægid. *quæſt.*80. *art.*4. *dub.*2. *num.*21. Verum ſi aliis mortalibus non reſervatis gravatus exiſtas, eſto aliqui nec improbabiliter cenſeant te non eſſe obligatum confiteri, quia obligatus eſſes bis eadem peccata reſervata clavibus ſubijcere, primò ſacerdoti non habenti juriſdictionem, cui ea manifeſtare debes ſimul cum aliis mortalibus non reſervatis, ut confeſſionem integram facias; ſecundo ſuperiori, à quo illorum abſolutionem directè obtinere debes. At verius exiſtimo te eſſe obligatum confeſſionem præmittere ſaltem illorum, quæ reſervata non ſunt. Quia ſatis probabilis ſententia eſt, hæc ſola confiteri poſſe tacitis reſervatis, qua probabilitate opinionis poſita, & præcepto præmittendi confeſſionem fit ſatis, & nullum ſequitur inconveniens, Atque ita ſuſtinent Ægid. *ſuprà* Bonac. *diſp.*4. *q.*6. *punct.*1. *n.*31. Suar. *diſp.*63. *ſect.*4. *caſu* 4. Eman. Saà *verbo Euchariſtia n.*13. & alii. Monent tamen prædicti Doctores & benè, nunquam cenſendum eſſe copiam confeſſoris abeſſe, eo quod abſit ſacerdos cui ſoles devotius, & ferventius confiteri, ſi adſit cui legitimè confiteri poſſit.

7. Neceſſitas verò communicandi quæ ſimul cum abſentia confeſſoris concurrere debet, ut à præmittenda confeſſione excuſeris multiplex à Doctoribus aſſignatur. Prima à Doctoribus aſſignata, & quam ſolam Vaſq. *diſp.*108. *cap.*2. *n.*7. legitimam recognoſcit, eſt timor prudens alicujus notæ, & infamiæ, vel alterius gravis damni tibi, vel alteri eventuri, ſi communionem omittas. Secunda, ſi viaticum eſſet, morituro miniſtrandum, & nulla eſſet hoſtia conſecrata, quia urget gravis proximi neceſſitas, quæ tanquam propria reputari debet. Si enim periculo mortis poſſes, & deberes abſente confeſſario viaticum ſumere confeſſione non præmiſſa, ne tanto bono priveris, ob eandem rationem omittere confeſſionem poteris, ne tanto bono proximus in extremo conſtitutus privetur. Sic Paul. Layman. *lib.*5. *ſum tract.*4. *cap.*6. *q.*2. *verſ. tertium.* Ægid de Coninch. *quæſt.*80. *artic.*4. *dub.*2. *num.*15. Bonac. *diſp.*6. *q.*6. *pun.*1. *num.*21. & 22. Valen. *diſp.*6. *q.*8. *p.*3. Suar. *diſp.*66. *ſect.*4. *verſ. prima.*

Tertia ſumitur ex reverentia ſacrificii, ut ſi ſacerdos inchoata Miſſa recordetur alicujus peccati mortalis non confeſſi, docent plures non teneri ab altari deſcendere, ut confeſſarium quærat, quinimo nec confeſſario ad altare accedenti fateri. Quia eſto nota & infamia ſacerdoti non ſequatur, quæ vix excuſari poteſt, ut benè notat Vaſq. *diſp.*208. *cap* 2. & Laym. *lib.*5. *ſum. tract* 4. *cap.*6. *quæſt.*2. ſacrificium inceptum non decet interrumpere, præceptumque de communione præmittenda intelligendum videtur ante communionem inchoatam. Sic D. Thom. *q.*83. *art.*6. *ad* 2. Navarr. *cap.*21. *num.*49. & *cap.*25. *n.*76. Sotus *in* 4. *diſt.*12. *q* 2. *art.*6. Henriquez *lib.*8. *cap.*46. *n.*3. Coninc. *ex parte q.*80. *art.*4. *dub.*2. *n.*16. Rectius tamen alii hanc excuſationem non admittunt, caſu quo abſque nota poſſit celebrans confeſſarium vocare, eique ad altare accidenti breviter confiteri, quia non debet cenſeri ea confeſſio indecens ſacrificii intermiſſio, cum ad ipſum ſacrificium ritè peragendum referatur. Sic Vaſq. *loco citato.* Bon. *diſp.*4. *quæſt.*6. *pun.*1. *n.*15. præcipuè cum ex variis cauſis maximè ante conſecrationem ſoleat ſacrificium interrumpi. Nunquam tamen credo te obligatum eſſe Miſſam inchoatam deſerere, quia cedet in non levem ſacrificii irreverentiam, uti docuit Navarr. *cap.*21. *num.*49. & *cap.*25. *n.*76. Bonavent. Victor. Sotus, quos refert, & ſequitur Suarez *diſp.*66. *ſect.*4. *verſ. difficultas.* Hinc colliges qualiter aſſiſtens ad linteum cum aliis communicaturus tenearis confeſſionem præmittere peccati mortalis, quod recordaris non eſſe confeſſum? Et quidem ſi eo loco poſſes abſque nota fateri, videris obligatus, ſed id moraliter eſt impoſſibile, eaque de cauſa monent communiter Doctores, ne ſacerdos ſic ad communionem diſpoſiti confeſſionem excipiat. Quod ſi ab eo loco diſcedere abſque gravi nota poſſes, plures Doctores cenſent te obligatum eſſe, cum diſceſſus ille in reverentiam ſacramenti cedat, ob cujus cauſam ſit. Sic Ægid. *quæſt.*80. *art.*4. *dub.*2. *num.*15. Suar. *diſp.*66. *ſect.*4. Angeles *de Euchariſt. q.*2. *art.*10. *diffic.*4. *concl.*1. Bonac. *diſp.*4. *de ſacram. q.*6. *p.*1. *num.*17. Contrarium docent Victoria *de Euchariſt. num.*79. Reginald. *lib.*29. *cap.*6. *num.*105. quibus favet Suar. *diſp.*66. *ſect.*4. *verſ. ſext. cauſ. in fine*, quia ſi ſacerdos formulam ad communionem conſecravit, vel pixidem è ſacrario eduxit, videris irreverenter procedere, ſi ab eo loco diſcedas, ſicuti indecentia eſſet recedere à menſa Principis convivio præparato, neque peracto. Sed quia hic receſſus ob habendam dignam ad convivium diſpoſitionem fit, verius cenſeo in illius irreverentiam non cedere.

Quarta excuſatio ſumitur ex obligatione dicendi ſacrum, quæ ex triplici capite oriri poteſt, primo ex officio quale habent parochi, quibus incumbit, vel per ſe, vel per alios celebrare diebus dominicis, & feſtivis, ut populus ſatisfaciat præcepto audiendi ſacrum. His ergo poterunt (ſi alius non adſit ſacerdos ejus vices gerens) celebrare non præmiſſa confeſſione omnibus illis diebus, quibus obligantur juſtitiæ titulo, ſacrum populo facere. Quia ob peccatum ſacerdotis privari non debet populus jure quæſito fruendi ſacrificii fructu. Et hæc ratio probat hoc verum eſſe, tametſi nullam infamiæ notam ex omiſſione ſacri ſacerdos incurreret, quod vix eſt poſſibile: ſic ſuſtinet ex communi ſententia Suar. *diſp.* 66. *ſect.*4. *verſ. ultima cauſa.* Bonac. *diſp.*4. *q.*6. *p.*1. *num* 23. Henriq. *lib.*8. *cap.*46. Hæc tamen doctrina extendenda non videtur ad eos, qui ratione capellaniæ tenentur aliquibus ſignatis diebus celebrare, quia obligatio capellaniæ non ita obligatur diei quin ex rationabili cauſa poſſit una, vel altera vice in alium diem differri, uti notat Bonac. ſuprà, tametſi Henriq. & alii contrarium ſentiant, Secundò oriri poteſt obligatio dicendi ſacrum vel communicandi in Paſchate, quibus niſi celebres, ſatisfacere non potes. Ut enim his præceptis ſatisfacias videris poſſe ſacrum dicere non præmiſſa confeſſione, ſatis enim urgens eſt neceſſitas, quæ tibi à lege imponitur. Sic Paludan. *in* 4. *diſt.*9. *q.*4. *concluſ.*10. Sotus *diſt.*12. *q.*1. *art.*4. Vivald. *de Euchariſt. num.*123. Et hæc ſententia quoad communionem Paſchalem mihi probatur ea tantum ratione, quia videtur grave damnum irrogari, ſi à communione illa publica, ſolemni, & communi aliis fidelibus, & ex Eccleſiæ præcepto neceſſaria arcearis ob inopiam confeſſoris. Si enim ne priveris fructu annuæ confeſſionis, licet tibi juxta probabilem ſententiam omittere integriatem confeſſionis aliàs ex jure divino ſervandam à fortiori licebit tibi ne priveris Euchariſtiæ fructu omittere

confessionem, quam non est ita certum ex jure divino præmittendam communioni esse. Sic docet Ægid. de Coninch. *q.80. art.4. dub.2. num.17.* Ob sacrum verò ex obligatione audiendum, verius existimo te non posse celebrare confessione non præmissa. Neque enim te excusare potes à præmittenda confessione carentia fructus, quam ex sacrificio percipere posses. Hunc enim alio die facilè compensare poteris absque illa indulgentia, aliàs posses quotidiè celebrare nulla alia necessitate intercedente, ne priveris sacrificii fructu; quod nullus admittet. Neque item excusari potes ob satisfaciendum præcepto Ecclesiastico audiendi sacrum, quia hoc præceptum non obligat nisi cum sacrum peragi potest ritu ab Ecclesia præscripto. Non igitur ob hanc causam celebrare potest omissa confessione, & ita sustinet Ægid. *suprà.* Suar. *disp.66. sect.4. circa finem.* Bonac. *disp.4. quæst.6. pun. num.25.* Filliucius. *tract.4. cap.8. quæsito.4. num.217.* Laym. *lib.5. tract.4. c.6. n.6.* Tertiò oriri potest potestas dicendi sacrum absque confessione præmissa, ne proximus omittat præceptis prædictis satisfacere. Etenim cum debeas proximum amare sicut te ipsum, & tu excuseris à confessione præmittenda in celebratione, ne communione Paschali, ut pote authentica necessaria, aliisque fidelibus communi priveris, & in probabili sententia, ne sacrum omittas in die festo. Ob eandem rationem excusari poteris, ne proximus ea communione privetur, neve sacrum in die festo omittat. Sed rectius Suar. *disp.66. sect.4 vers. sed quæret*, oppositum docet Est enim longè diversa ratio tui, ac proximi, charitas enim obligat, ut proximum æquè ac te ipsum diligas in damnorum negatione, secus in bonorum collatione, teneris namque nullum damnum proximo irrogare sicuti vis ne tibi irrogetur; at non teneris ea bona proximo quærere, quæ tibi quæris; ac proinde mirum non est, quod possis celebrare confessione non præmissa ob communionem Paschalem percipiendam, & præcepto audiendi sacrum satisfaciendum, nequeas tamen ut proximus communionem Paschalem percipiat, & præcepto Missæ satisfaciat. Adde te excusari à confessione præmittenda in celebratione ob communionem Paschalem, quia obligatus es communicare eo tempore, & præceptum hoc ut pote publicum, solemne, & maximè utile, & fructuosum prævalet præcepto de confessione præmittenda. At proximo ministrare communionem non est tibi præceptum, cum ut suppono illius parochus non sit, sed est opus supererogationis, & consilii. Ergo hoc opus prævalere non potest obligationi confessionem præmittendi ad communionem.

8. Advertendum tamen est in omnibus prædictis casibus, quibus à præmittenda confessione excusaris, necessarium tibi esse conteri de peccato commisso: aliàs indignè ad sacramentum accedes, & judicium manducabis. Nam esto hoc sacramentum aliquando attritio conferat primam gratiam, id fit si bona fide putans se esse in gratia accederet, secus esset, si accederet conscius peccati.

9. Verum ne sacerdotes sibi fingerent necessitatem celebrandi confessione non præmissa, statuit concil. *dicta sess.13. c.7. in fine.* sacerdotem conscium peccati mortalis, qui ob necessitatem urgentem non præmissa confessione celebravit, obligatum esse quam primum possit confiteri. Cúmque hoc præceptum rigorosum sit, esto maximè conveniens, non debet ultra proprietatem verborum extendi, atque adeò solum sacerdotem peccati mortalis conscium necessitate urgente non præmissa confessione celebrantem comprehendere debet sive contritus, sive non contritus celebret. Quapropter sacerdos, qui sui peccati invincibiliter oblitus celebraret non præmissa confessione, dicto præcepto non obligatur. Item neque qui extra necessitatem ex malitia celebraret, vel more laïcorum necessitate urgente communicaret, confessione non præmissa, dicto præcepto comprehendi potest ut benè notarunt Suar. *disp.66. sect.6. & 7.* Vasq. *disp 208. c.3. an 16.* Ægid. de Coninc. *q.8. art.4. dub.2.* Bonac. *disp.4. de sacr. q.6 p.1. n 37. & seqq.*

10. Aliqui Doctores non infimæ notæ expostulant pro dispositione necessaria ad Eucharistiam suscipiendam, ut post peccatum commissum, & dolorem illius conceptum, & confessionem factam aliquod temporis spatium transierit, quia vix animus torporem, & evagationem, aliásque peccati reliquias ita perfectè à se excutere poterit, ut ea puritate accedat, quæ tantum sacramentum decet. Sic docet Covarr. Clement. *si furiosus 3.p. in princ. n.7.* loquens de sacerdote, qui pollutionem nocte habuit, quem dicit necessariò abstinere debere à celebratione eo die, si culpam in ea habenda habuit, consentit Marsil. *in 4. q 6. art.4.* Sed est obligatio absque fundamento Nam ad suscipiendam Eucharistiam concilium Trident. solùm expostulavit in eo qui conscius esset peccati mortalis, ut contritione, & confessione illius se probaret nulla facta mentione de intervallo inter peccatum, & communionem. Quod si necessarium esset, nullatenus à concilio omitteretur Neque obstat æpè animum non ita perfectè purgari per confessionem à pravo affectu per peccatum relicto, quominus ad sacramentum facta confessione legitima accedere possis, quia Deo gratus accidis, & sacramento purgaberis; cujus proprius effectus est sic charitatem augere, ut torporem animi excutiat Et ita sustinet D. Thom. *q.80. art.7. ad 4. & in 4. dist.9. art.4. q.3. ad 2.* Navarr. *c.21. n 51.* Silvest. *verbo Euch.3. q.10.* Suar. *aliis relatis disp.66. sect.8.*

Punctum XIII.

De dispositione ex parte corporis ad sacramenti communionem.

1. *Præter carentiam cibi, & potus nulla est per se requisita.*
2. *Qualiter pollutio habita communionem impedias.*
3. *Qualiter copula conjugalis à communione abstrahat.*
4. *Consilium conjugibus salutare.*
5. *Eucharistia a jejunis est suscipienda.*
6. *Ab Apostolis hæc consuetudo emanavit.*
7. *Quale debet esse hoc jejunium.*
8. *Quibus rebus non censeatur jejunium naturale violatum.*
9. *Illius diei tantùm, quo sumenda est Eucharistia debet esse jejunium.*
10. *Post sumptam Eucharistiam nullum est præceptum jejunandi.*
11. *Ab hac obligatione jejunandi eximitur extrema necessitas, seu communio in articulo mortis.*
12. *In eodem periculo mortis negat* Vasq. *te posse sæpè non jejunum communicare.*
13. *Contrarium plures defendunt.*
14. *Quid sentiendum sit.*
15. *Potest sacerdos ad se communicandum in articulo mortis non jejunus communicare.*
16. *Ob ministrandum altari viaticum non potes non jejunus celebrare.*
17. *Ne irreverentia sacramento fiat, potes non jejunus communicare.*
18. *Item ob perfectionem sacrificii.*
19. *Item si post ablutionem reperis aliquas particulas consecratas.*
20. *Duplex limitatio superiori doctrinæ appositæ examinatur.*
21. *Si simul cum sumptione Eucharistiæ jejunium violetur, non obstat sumptioni.*
22. *Ob gravem notam excusatur communicans violato jejunio.*

PRæter carentiam cibi, & potus nulla alia ex parte corporis est dispositio per se ad communionem requisita, ut ex sequentibus patebit. Et in primis

immunditia corporis communionem per se, & necessariò non impedit, quia cælestis & spiritualis cibus sola animi puritate contentus est. Si tamen illa immunditia facilè tolli possit, non est dubium te peccatum committere sic sacramentum suscipiens, ob irreverentiam mundissimo Christi corpori factam in corpore immundo suscipiens. Si tamen in tua non est potestate ab ea immunditia liberari, sicuti contingit leprosis, morbo gallico effectis, mulieribus menstruatis, non obinde à sacra communione abstinere debes. Neque his obstat, quod Dionys. Alex. *in Epist. ad Basilidem*, & habetur *t.3. bibliothecæ sacræ, can.2.* de mulieribus menstruatis statuerit, ne ad sanctam Missam accedant, quia id est de consilio, non de præcepto, idque si speratur communio brevi tempore absque illa macula suscipienda. Neque item obstat textus in *cap. tua nos de clerico ægrotante*, ubi sacerdos lepra infectus propter horrorem, & abominationem populi ab officio administrationis removetur, quia inde non infertur secretò celebrare non posse.

2. De pollutione specialiter dubitant Doctores, qualiter communionem impediat? Si plenè voluntaria fuit, impedit quousque illius pœnitentiam agas. Et idem est de fornicatione, & quolibet alio peccato mortali. At facta pœnitentia, & remissione per confessionem obtenta, nullatenus impedit, sicuti neque aliud quoduis peccatum: Sic docent post alios antiquiores Suar. *disp.68. sect.2.* Vasq *quæst.80. art.7. & ibi.* Ægid. de Coninch. Paul. Layman. *lib.5. sum. tract.4. cap.6. quæst.5.* Consultum tamen est sic peccanti in alium diem communionem differre (nisi aliqua specialis causa communicandi occurrat) tum ob humilitatem, tum ut ferventius, & devotius accedat, quia carnis voluptas non leviter devotionem impedit. Dixi si plenè voluntaria fuit, nam si semiplenè voluntaria extitit & in causa solum venialiter peccaminosa, impedit communionem ex quadam decentia, & honestate, quousque pœnitentia peccatum illud purgetur, esto simpliciter non impediat & in hoc sensu, ut explicat Vasq. *quæst.80. art.7. n.24* dixit Augustinus *serm. de tempore* pollutionem peccatum esse, sed non capitale, jejuniisque & orationibus redimendum esse, ne immundam faciat animam ad sacrum convivium.

Si vero pollutio ex abundantia seminis, vel ex alia causa naturali contigit, nullatenus impedit communionem eo die faciendam. Sæpè enim opera dæmonis excitatur pridiè ad communionem, ut à tanto sacramento pollutum avertat. Quod si ex pollutione commotio carnis insurgat, animúsque perturbatus existat, consultum erit à communione eo die abstinere, nisi aliqua causa communicandi specialis urgeat, vel credatur opera dæmonis pravum illum affectum excitari. Sic tradit D. Thom. *3. part. quæst.80. art.7. & ibi* Ægid. de Coninch. *num.82.* Suar. *disp.68. sect 2.* Quinimo veniale erit peccatum ad communionem accedere nulla diligentia apposita ad eam commotionem carnis, & animi tentationem sedandam. Tùm quia non leve impedimentum apponitur effectibus sacramenti secundariis recipiendis. Tum quia est indecens ea animi vagatione, & corporis impuritate Christi purissimum corpus recipere.

3. Ex hac doctrina inferes quid conjugibus dicendum sit? Et quidem si copula conjungalis ob voluptatem potius, quam ob sedandam carnis tentationem, filiósque gignendos habita est cum intentione eo die communicandi, esto simpliciter communionem non impediat, quia peccatum mortale non est, impedit tamen ex quadam decentia, & honestate. Indecens enim est ad sacram communionem admitti qui carnis voluptati indulsit eo tempore quo cordis compunctione, & charitatis fervore se disponere debeat, æque de causa dixit Hieron. *apolog. ad Pammach. contra Jovinian.* Illorum conscientiam convenio, qui eodem die post coitum communicant, de qua re Greg. *relatus in cap. vir. cum propria vxore 32.q.4.* Quocirca consulendum ei est, ut in alium diem communionem differat, nisi aliqua specialis causa occurrat eo die communicandi, vel ita præteritæ culpæ doleat, ut dolore concepto plenè culpæ satisfeciisse censeatur.

Si vero copula conjugalis ex legitimo fine, & ea moderatione qua par est habetur, nullatenus impedit communionem, quia est actus virtutis, ut habetur *dicto cap. vir.* Si tamen ex illa pravus affectus, animíque vagatio resultet, diligenter sedanda sunt, ne copiosum fructum sacramenti impediant. Quod si se in hac parte tepidum, & remissum sentiat, decet communionem in alium diem differre, nisi specialis aliqua causa communionis faciendæ eo die occurrat.

4. Monent tamen Doctores expedire esse conjugibus nocte communioni proxima à debiti petitione abstinere, tum in reverentiam sacramenti, tum ut vitetur occasio pravi affectus, animique vagationis. A debiti autem seriò, & constanter petiti redditione abstinendum non est, quia & peccares contra justitiam, & charitatem læderes, rixas, & odia concitando. Quinimo si frequenter communicas dominicis inquam, & festivis diebus simplici petitioni ne resistas, ne conjugi molestus sis, neque illius in te amorem mitiges, & occasionem præbeas frequentem communionem interdicendi. Si autem singulis tantum mensibus Eucharistiam sumis, petentem debitum decet commonere, & rogare, ut à petitione desistat ob reverentiam sacramenti suscipiendi. Quod si ipsa ægrè ferat, annue, & majori qua potueris devotione te ad sacram communionem præpara, sperans divinam gratiam abfuturam non esse ob opus divinæ, & naturali legi conforme, Vide D. Thom. *q.80. art.7. & ibi* Vasq. *&* Ægid. Suar. *disp.68. sect.2.* Sanch. *lib.9. de matr. disp.13.* Laym. *lib.5. sum. tract.4. cap.6. q.5.*

5. Dixi initio nullam aliam dispositionem ex parte corporis esse per se requisitam ad sumptionem Eucharistiæ, præter carentiam cibi, & potus. Consuetudine namque Ecclesiæ firmatum est sacramentum Eucharistiæ à jejunis necessariò suscipiendum esse. Sic habetur in Concil. Carthagin. *3. can.29 relato in cap. sacramenta altaris dist.1.* & in Concil. Africano sub Bonifacio I. *can* 8. & in Matisconen. *2. can.6.* Bacharen. *1. can.10* Brachaten. *1. can.16.* Tolet. *1. can.2.* quæ referuntur *t.1. & 2.* Concil. Et licet solum de sacerdote celebrante loquantur (excepto Matiscon. 2. quod generaliter loquitur) inde à fortiori pro communione laïcali Patres Ecclesiæ, & Scholastici omnes extendunt, ut videre est specialiter apud Chrys. *hom.27. in epist. 1. Corint. 11.* in illa verba: itaque quicunque manducaverit. Et apud August. *epist.118. c.9.* & D. Thom. *quæst.80. art.8.* quem ejus expositores sequuntur, Vasq. *disp.211.* Suar. *disp.68. sect.3. & seq.* Valen. *t.4. disp.6. q.8. p.3.* Rationem hujus consuetudinis optimè assignavit concilium Matisconen. *2. c. illo 6.* ne scilicet cælesti, & spirituali cibo terrenus præponeretur.

6. Consuetudinem hanc ab Apostolis emanasse testatur Epiphan. *lib.3. contra hæreses cap. ult. circa finem.* Augu. *dicta epist.118. cap.9.* Isidor. *lib. de divinis offic. cap.18.* Amalarius *lib.3. de Ecclesiast. offic. cap.34.* Vvalfridus Strabo *lib. de reb. Ecclesiasticis* relatus *6. t. bibliothecæ sacræ. c.19.* Tametsi in aliquibus Ecclesiis mos fuerit communicandi feria 5. in cœna Domini post cibum sumptum ad Christi exemplum, ut colligitur ex Conc. Carthagin. *3. can.29.* Matisconen. *2. can.6.* Bracharen. *2. can.10.* Sed jam hic mos abrogatus fuit, & meritò, quia Christum Dominum decuit prius vetus pascha hujus sacramenti figuram

figuram cum discipulis manducare, & in illius interitum veritatem postmodum instituere, & discipulis concedere, quæ nobis non conveniunt. Igitur Apostoli in reverentiam tanti sacramenti præceperunt, ut ante omnem cibum, & potum à fidelibus sumeretur, ut sic fideles intelligerent hunc cibum, & potum utpotè summæ dignitatis omni alio cibo, & potui præferendum esse. Neque huic Apostolorum præcepto adversatur præceptum Dominum Apostolis traditum conficiendi hoc sacramentum, sicuti ipse confecit. Hoc facite (inquit) in meam commemorationem, quia solum fuit præceptum de conficiendo sacramento quoad ritum illius substantialem, non quoad ritus accidentales. Hos enim Apostolorum dispositioni reliquit. Aliàs deberent Apostoli, reliquique fideles post esum Agni paschalis, Christus corpus conficere, & sumere.

7. Porrò jejunium hoc ex obligatione servandum naturale, & perfectum esse debet, ita ut excludat cujuslibet etiam minimi cibi, & potus vitalem sumptionem, uti tradunt omnes Doctores cum D. Thom. *quæst.* 80. *art.* 8. Quocirca parva quantitas cibi, & potus præcepti gravitatem non minuit, cum non ex levitate cibi gravitas præcepti desumatur, sed ex eo quod communio fiat violato naturali jejunio, quod minima quantitate cibi, æquè ac magna violatur, ut manifestè colligitur ex *cap. ex parte. de celebrat. miss.* & notavit Vasq. *disp.* 211. *cap.* 3. *num.* 28. Ægid. de Coninc. *q.* 80. *art.* 8. *n.* 49. Suar. *disp.* 98. *sect.* 4. Bonac. *disp.* 4. *de sacram. quæst.* 6. *pun.* 2. *n.* 6. Neque ad hujus jejunii violationem opus est quod cibus ad nutriendum, vel ad medendum assumatur, quia quocunque modo fuerit assumptus vitaliter, naturale jejunium destruit, uti docent Doctores citati. Postulant tamen aliqui esse verum cibum, vel potum, aliàs affirmant non violari jejunium naturale, cum nec per se nutrire, nec juvare nutritionem possit. Sic Ledesm. 1. *p. sum de Eucharist. cap.* 13. *conc.* 4. Joann de la Crux *in director conscient. de Eucharist. dub* 4. *concl.* 2. Ludovic. de S. Juan. 1. *p. sum. tract. de Eucharist. q.* 7. *art.* 10. *fol.* 172. Joann. Sanch. *in disp. selectis, disp.* 42. *num.* 23. Sed rectius alii sentiunt ex quacunque re vitaliter ex ore ad stomachum trajecta sive nutritiva sit, sive non, ut papirus, charta, creta, frustum ligni, nummus aureus, jejunium naturale impediens communionem violari. Quia sic sumens jejunus non est ab omnire. Quod ab Ecclesia postulari videtur in hoc præcepto, ut fideles intelligant cuilibet rei creatæ hunc cibum esse præferendum. Neque eo casu sumptio cælestis cibi esset prima comestio, cum alia præcesserit, & tametsi rei non nutrivæ, quod ad comestionem non videtur necessarium, ut pote quæ in trajectione vitali ex ore ad stomachum consistit. Atque ita docent Henriq. *lib.* 8. *cap.* 49. *num.* 2. Reginald. 2. *t. prax. lib.* 29. *nu.* 118. *in fine.* Naldus *in sum. verbo Eucharist. num.* 10. Nonius *de Eucharist. quæst.* 80. *art.* 8. *corol.* 4. Bonac. *de sacram. disp.* 4. *quæst.* 6. *pag.* 2. *num.* 10. Laymann. *lib* 5. *sum. tract.* 4. *cap.* 6. *quæst.* 6. *num.* 18.

8. Neque inde fit violari naturale jejunium ex trajectione salivæ, vel sanguinis ex maxillis, vel ex capite defluentis, quia non est trajectio alicujus rei à comedente extrinseca. Sic Suar. *disp.* 68. *sect.* 4. Bonac. *quæst* 6. *pun.* 2. *num.* 6. Laym. *dicto cap.* 6. *num.* 18. *vers. cæterum.* Quinimo deglutientem casu parum aquæ, & vini salivæ immixtum, cum os abluitur, vel parum liquoris, cum conditus cibus degustatur, censent communiter Doctores à communione non impediti, quia sic trajectum non trajicitur tanquam cibus, & potus, sed tanquam salium, cui est immixtum. Secus esset dicendum, sit ex proposito hæc faceret. Sic Vasq. *disp.* 211. *cap.* 3. *num.* 29. Ægid. de Coninc. *quæst.* 80. *art.* 8. *num* 48. Suarez Bonac. Laymann. *supra* adversus Tabien. *verbo communicare num.* 49. & 50. asserentem non violari naturale jejunium, tametsi ex proposito supradicta in parva quantitate sumantur. De frustulis cœnæ præcedentis casu inter dentes adhærentibus aliam rationem satis probabilem tradunt Suar. *disp.* 68. *sect.* 4. Henriq. *lib.* 8. *cap.* 49. Ægid. de Coninch. *q.* 80. *art.* 8. Ob quam si deglutiantur etiam ex proposito, non impediunt communionem, nimirum quia illorum sumptio non est moraliter distincta à cœna præcedenti. Neque inde fit saccarum ori impositum præcedenti nocte, ut paulatim reliquefactum raucedinem faucium, vel pectoris liniat non impedire communionem, si aliqua illius pars etiam minima post mediam noctem trajiciatur, impedit namque, quia illius trajectio ad trajectiones præcedentes reduci non potest, cum ex intentione sumentis æquè singulæ trajectiones respiciantur, velitque saccari sumptionem durare, quousque consumptum sit, ut benè notavit Ægid de Coninch. *q.* 80. *art.* 8 *n.* 49.

9. Rursus jejunium illius tantum diei pro quo communio accipienda est, debet esse. Cum autem dies computetur à media nocte usque ad mediam noctem; communicaturus debet esse jejunus ab illa media nocte, usque dum communionem accipiat. Non tamen est necessarium cibum esse digestum tempore communionis, quia nullo præcepto id cavetur, tametsi decens sit, sicuti aliis relatis probat Henriq. *lib.* 8. *cap.* 49. Suar. *disp.* 68. *sect.* 4. Vasq. *disp.* 211. *cap.* 3. *num* 33. Paul. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 4. *cap.* 6. *quæst.* 6. *vers. sciendum est secundo.* Bonac. *disp.* 4. *quæst.* 6. *punct.* 2. *num.* 11. adversus Gloss. *cap. nihil.* 7. *q.* 1. & *cap si constiterit de accusationibus.* In quibus textibus Glossæ opinio fundari non potest. Nam textus in *cap. nihil* nullam de digestione cibi mentionem fecit. Textus vero in *cap. si constiterit* damnans clericum celebrantem postquam in tabernis tota nocte commoratus esset, non illum damnat, quia celebravit cibo non digesto, sed quia celebravit absque pœnitentia, & satisfactione culpæ commissæ cum non levi populi offensione, & scandalo.

10. Post sumptam Eucharistiam nullum est præceptum jejunandi, sed illico absque peccato potes cibum sumere. Nam textus *in cap. tribus gradibus de consecrat. dist.* 2. qui est Clement. ubi præcipitur sumpta manè Eucharistia servari jejunium usque ad 6. & sumpta hora tertia, vel quarta servari usque ad vesperam consuetudine abrogatus est, ut docuit Durand *in* 4. *dist.* 8. *q.* 4. *num.* 16. Sotus *d st* 12. *quæst.* 1. *art.* 8. Vasq. *disp* 211. *cap.* 1. *num* 10. Suar. *disp* 68 *sect.* 4. *ad finem.* Paul. Layman. *lib* 5. *sum. tract.* 4. *cap.* 6. *in fine.* Bonac. *disp.* 4. *quæst.* 6. *pun.* 2. *in fine quæst.* Verum esto servare jejunium præceptum non sit; est tamen maximè decens, quousque credantur species sacramentales consumptas esse, ne cibus ille cælestis his terrenis, & materialibus misceatur. Sicuti etiam decet, ne statim post Eucharistiam sumptam expuas, maximè si sputum ex pectore profluit. Quod si coactus necessitate id feceris, præstat fieri in linteo, vel loco à conclusione remoto. Hæc enim, & major reverentia tanto sacramento debetur, sicuti tradiderunt Soto, Suar. Vasq. Layman. Henriq. Bonac. *locis citatis.*

11. Ab hac generali doctrina præmittendi jejunium Eucharistiæ suscipiendæ excipiuntur aliqui casus, quos placet breviter examinare. Primum est de periculo mortis, in quo constitutus si commode Eucharistiam sumere non potes jejunus poteris post cibum, quia divinum præceptum de sumenda Eucharistia, quod satis probabile est eo tempore urgere, non est contemnendum ob observationem moraliter impossibilem præcepti Ecclesiastici de servando jejunio ante communionem. Neque pietatem Ecclesiæ deceret suo præcepto fideles tanto bono privare

in ea necessitate constitutos, sicuti doctores advertunt, sequentes D. Thom. *quæst.*80. *art.*8. & colligitur *ex cap. de his vero, cap. si quis de corpore* 26. *qu.*5. *& presbyter de consecrat. dist.*2. *& ex concil. Constantien. sess.*3. Quando autem censendum sit periculum mortis adesse, ut commodè jejunus Eucharistiam sumere non possis, vel quia indiges alimento, vel medicinæ sumptione, quam differre commodè non potes in horam post Eucharistiæ sumptionem subsequentem, medicorum iudicio relinquitur. Monent tamen Suar. *disp.*68. *sect.*5. *in princ.* Ægid. de Coninch. *quæst.*80. *art.*8. *num.*51. te non esse obligatum procurare, ut Eucharistia ante ortum solis tibi deferatur, ut jejunus sumas, quia neque id praxi receptum est, nec tanti sacramenti reverentiam decet. Quod dictum est de periculo mortis naturalis, dicendum est de violenta. Si enim Eucharistiam sumere non potes jejunus, quia judex non permittit executionem sententiæ tibi non jejuno notificatam in alium diem differre, poteris eo die etiam non jejunus Eucharistiam sumere, quia necessitas hujus viatici ad cælestem vitam eadem, & fortè major ex Suar. & Ægid. *supra.* Vasq. *disp.*211. *cap.*4. Laym. *lib.*5. *sum. tract.*4. *cap.*6. *q.*6. *num.*20. Eman. Saà *verbo Eucharistia numer.*2. Bonac. *disp.*4. *quæstiunc.*6. *punct. ult. num.*23.

12. Sed est dubium an durante eodem periculo mortis possis sæpius non jejunus communicare: Dixi *durante eodem periculo*, nam si cessavit periculum, ratione cujus communionem suscepisti, & novum successit, conveniunt Doctores te posse iterum viaticum non jejunum accipere. Deinde conveniunt si sumpto viatico uno die velis aliis diebus jejunus communicare, nulla lege te esse impeditum. Controversia igitur ea est, an durante eadem infirmitate, eodem vel majori periculo possis iterum viaticum non jejunus accipere, si commodè jejunus possis? Negat Vasq. *disp.*211. *cap.*4. *à num.*37. motus ea ratione satis efficaci. Præceptum est ab Ecclesia, ne ullus post cibum, vel potum Eucharistiam accipiat, neve sacerdotes pransis administrent. At ab hoc præcepto excusatur constitutus in mortis periculo, qui non potest commodè jejunus accipere ea solum ratione, ne sine sacramento moriatur, ut dixit D. Thom. *quæst.*80. *art.*5. ob quam rationem non solum sacerdoti permittitur administratio, sed etiam obligatio imponitur *in cap. presbyter de consec. dist.*2. quod est concilii Vvarmanuens. Sed sumpto semel sacramento cessat ratio, ob quam non jejuno Eucharistia conceditur. Non enim decedet sine sacramento viatico. Ergo generale præceptum de jejunio communioni præmittendo urget. Atque adeo constitutus in mortis articulo non poterit iterum post cibum, vel potum suscipere communionem, neque sacerdos poterit illi eam administrare.

13. Cæterùm plures recentiores arbitrantur posse sæpius in eadem infirmitate viaticum accipi à non jejuno. Sic aliis relatis Silvest. *verbo Eucharistia* 3. §. 6. Tabiena *verbo communicare* §. 48. Armilla *eodem num.*18. Fumus *verbo communio* §. 18. Henriq. *lib.*8. *cap.*50. *n.*1. Suar. *disp.*68. *sect.*5. Ægid. de Coninch. *q.*80. *art.*8. *n.*53. Laym. *lib.*5. *sum. tract.*4. *cap.*6. *q.*6. *num.*20. Bonac. *disp.*4. *q.*6. *pun. ult. n.*23. Fagund. *de quinque Eccles. præceptis de* 3. *Eccles. præcept. lib.*3. *c.*5. *n.*20. Moventur, quia textus concedentes, constitutis in mortis periculo ut suscipiant Eucharistiam post cibum, vel potum, cum aliter suscipere commode non possint, non limitant concessionem pro una tantum vice. Non igitur est à nobis limitanda, præcipuè cum pietatem Ecclesiæ maximè deceat favere hoc tam salutari beneficio iis, qui in tam gravi, & extrema sunt necessitate constituti. Quod si roges quot dies inter communionem & communionem intermitti debent? Respondent Suar. Ægid. Bonac. Fagundez, aliique communiter sex vel octo dies debere intermitti, quia id ad reverentiam sacramenti pertinet.

14. Ego vero dicendum existimo vel sentiendum esse cum Vasq. vel affirmandum non solum post sex, vel octo dies te posse iterum viaticum sumere, sed singulis diebus. Nam si constitutis in mortis periculo, ut præcitati Doctores affirmant, nulla est lex posita de præmittendo jejunio communioni, cum datum omnibus sit singulis diebus Eucharistiam accipere, poterunt illam accipere non jejuni, si jejunium servare non possunt. Necessitatem vero tanti sacramenti singulis diebus habent morituri, ut quid ergo illo privandi sunt? Poterunt ergo singulis diebus communicare si aliter non possunt. Et ita sustinent Tabiena, & Armilla, casu quo moriturus post semel acceptum viaticum peccaret mortaliter, quod absit. Henriq. *lib.*8. *cap.*50. solum dicit non *decere* ob reverentiam sacramenti, sic sæpius communicare, tacitè indicans solùm esse minus conveniens, sed non illicitum. Eman. Saà, *verbo Eucharistia. n.*5. *&* 34. *edit. Roman.* sine ulla imitatione inquit, posse sæpius in eadem ægritudine infirmum etiam non jejunium communicare, quoties expetere videtur. Laym. existimat, si aliquis assuetus est frequenter communicare, vel sacrificare; & propter devotionem, ac desiderium difficilè abstineat, permitti ipsi posse, ut altero statim die iterum sanctam Eucharistiam è manu sacerdotis accipiat non jejunus, dummodo mortis periculum instare videatur.

15. Quæ dicta sunt de communione, dici debent de sacrificio, posse inquam sacerdotem constitutum in mortis periculo sacrificare non jejunium ad se communicandum, si commodè jejunus facere non possit, sic relato Zambrano docet Laym. *dicto lib.*5. *tract.*4. *c.*6. *q* 6. *n.*10. Limitat tamen, nisi aliunde Eucharistiam habere possit. Quam limitationem non credo veram, quia præceptum de jejunio servando ante celebrationem, non tam est propter consecrationem, quam propter communionem illi necessariò annexam. Si igitur necessariò communio suscipienda est à non jejuno, parum refert quòd suscipiatur illo sacerdote celebrante, vel è manu alterius communicante.

16. Secundò dubitabis, an ob ministrandum viaticum morituro possis non jejunus sacrificare, cum aliter ministrare non possis? Admittit Major. *in* 4. *dist.*9. *q.*3. *ad* 5. quinimo addit ob hanc necessitatem posse sacerdotem sine vestibus, & luminibus, & in fermentato sacramentum conficere. Sed est nimis licentia, & aliena à consuetudine Ecclesiæ. Quapropter cæteri omnes Doctores nullatenus eam facultatem sacerdoti concedunt: præstat enim ritum communem in conficiendo hoc sacramento servari, quam alicujus privatæ necessitati succurrere, cui necessitati Ecclesia providit præcipiens Eucharistiam in sacrario asservari, ne ob defectum sacramenti fideles sine viatico decederent. *c. presbyter de consecrat. dist.*2. neve sacerdotes pransi, & cœnari ad conficiendum hoc sacramentum minus reverenter accederent. Quæ providentia necessaria non esset, si sacerdos etiam non jejunus conficere sacramentum posset occurrente fidelis necessitate. Quod si aliquando hostia consecrata deficiat, quia rarum erit, non obinde ritus celebrandi ante cibum, & potum lege universali stabilitus omitti debet. Atque ita docent. Navarr. *cap.*21. *num.*51. Henriq. *lib.*8. *cap.*50. *num.*1. *& cap.*46. Suar. *disp.*68. *sect.*5. §. *nihilominus.* Ægid. de Coninch. *quæst.*80. *art.*8. *à num.*36. Vasq. *disp.*211. *cap.*5. *num.*61. Layman. *lib.*5. *sum. tract.*4. *cap.*6. *quæst.*6. *num.*21. Tolet. *lib.*2. *cap.*13. *in fine.* Bonac. *disp.*4. *qu.*6. *pun.*2. *num.*24. Hanc doctrinam limitat Zambran. *de Eucharist. cap.*3. *dub.*6. *num.*2. quem sequitur Layman, loco allegato, ut procedat casu quo

infir-

infirmus aliud sacramentum pœnitentiæ, vel extremæ unctionis recipere possit, nam si incapax sit alterius sacramenti recipiendi, censent secluso scandalo posse sacerdotem non jejunum sacrificare, ut communionem ei concedat. Sed nullatenus censeo hanc limitationem admittendam esse. Tum quia cæteri Doctores illius non meminere. Tum quia ratio adducta in probationem communis sententiæ æquè in hoc casu procedit.

17. Secundus casus exceptus à generali lege servandi jejunium pro communione suscipienda sumitur ex reverentia sacramenti. Si enim probabilis timor adsit alicujus irreverentiæ vel quia sacramentum in manus infidelium timetur adventurum, vel quia ab animali, vel ab igne consumendum, vel ab aliquo alio irreverenter tractandum, poterit non solum sacerdos, sed eo deficiente laïcus non jejunus sibi propriis manibus ministrare: quia quod in reverentiam sacramenti statutum est, non debet in illius irreverentiam cedere. Sic ex omnium sententia docet Vasq. *disp.* 211. *cap.* 5. *num.* 57. Suar. *disp.* 68. *sect.* 5. Ægid. de Coninch. *q.* 80. *art.* 8. *in fine.* Fagundez, *de Euchar. lib.* 3. *c.* 5. *in fine.* Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 4. *c.* 6. *in fine.*

18. Tertius casus desumitur ex perfectione sacrificii; quod dupliciter contingere potest, primò si per inadvertentiam loco vini aquam infuderis, illamque sumpseris. Secundò si facta consecratione recordaris jejunum non esse. Tertiò si sacerdos facta consecratione consumere sacrificium non potest, vel quia decessit, vel quia sensibus destituitur, in iis enim casibus poteris, & debes etiam non jejunus communicare, ne sacrificium imperfectum relinquatur. Lex enim conficiendi sacrificium perfectum prævalet legi de præmittendo jejunio. Atque ita docent. Vasq. Ægid. Suar. Fagundez Layman. *locis alleg.*

19. Quartus casus ad supradictum reduci debet, cum post peractum sacrificium, & ablutionem sumptam reperis in patena, vel corporali aliquas reliquias consecratas, potes illas absumere, etiamsi grandiusculæ sint, quia ad idem sacrificium pertinet illarum consumptio. Sic Sylvest. *verbo Eucharist.* 3. §. 8. Navarr. *cap.* 25. *num.* 89. Soto *in* 4. *dist.* 12. *q.* 1. *art.* 8. Suar. *disp.* 68. *sect.* 6. Henriq. *lib.* 8. *cap.* 50. *num.* 2. Ægid. de Coninch. *quæst.* 80. *art.* 8. *num.* 6. Vasq. *disp.* 211. *cap.* 5. *a num.* 50. Laym. *lib.* 5 *sum. tract.* 4. *c.* 6. *q.* 6. *circa finem n.* 22. Bonac. *disp.* 4. *q.* 6. *pun* 2. *num.* 12. *&* 15.

20. Duplicem limitationem huic generali doctrinæ adhibent aliqui Doctores. Prima ut incontinenti post ablutionem antequam orationes recitentur, particulæ absumantur, aliàs non videtur illarum sumptio eadem esse moraliter cum sumptione ablutionem præcedente. Sic Sylvest. *loco allegato.* Cæterùm Vasq Suarez, Ægid. Laymann. hanc limitationem reprobant, censentque dum Sacerdos ab altari non recesserit, tametsi in ministrando Eucharistiam aliis se diu detinuerit posse prædictas reliquias absumere, quia dum sacerdos ab altari non recedit, ad ipsum pertinet posse consumere quod ibi consecratum est. Secunda limitatio est, ut particulæ sint ex consecratis eo sacrificio. Aliàs earum sumptio non videtur ad idem sacrificium pertinere, & cum sumptione præcedente ablutionem, unum efficere Unde si commodè asservari possunt, servandæ sunt: Sic docent Ægid. *dicta quæst* 80. *art* 8 *num.* 67. Vasq *disp.* 211. *cap.* 5. *num.* 57. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 4. *cap.* 6. *q.* 6. *num.* 22. Suar. *disp.* 68 *sect.* 6. *post. med. vers. ad primum.* Bonac. *d sp.* 4. *q.* 6. *p.* 2. *num.* 24. Fateor hanc limitationem consulendam esse, sed an sub gravi culpa, mihi difficile est. Nam reliquiarum consecratio, & consumptio pertinet ad rationem sacrificii accidentariam, cum sine formarum consecratione, & sumptione perfectio sacrificii consistat: sola unica hostia, & calice consecratis, & sumptis. Ergo si ob sacrificii complementum potest sacerdos post sumptam ablutionem reliquias à se consecratas sumere, poterit similiter quæ ab aliis consecratæ fuerint, siquidem earum sumptio æquè pertineat sacrificio. Item ad sacerdotem pertinet consumere posse non solum formulas à se consecratas, sed etiam quæ ab aliis sunt consecratæ. Ergo utrasque consumere poterit, dum ab altari non recedit, quia dum est in altari non censetur moraliter finita consumptio, nec convivium per actum.

Illud vero est omnino certum laïco, seu sacerdoti more laïcorum communicanti non debere reliquias concedi post ablutionem, quia communione accepta finivit convivium, neque ad illius ministerium pertinet reliquias absumere. Sic censent Ægid Vasq. Suar. Bonac. *loc. alleg.*

21. Quintus casus est, & receptus ab omnibus, cum jejunium simul cum communione accepta violatur, ut contingit cum in feria 6. hebdomadæ sanctæ sacramentum mixtum vino assumitur, item cum hostia hæret labro calicis, nec facile digitis dimoveri potest, & sumi, expedit vinum infundere, & simul cum illo absumere Item cum palato hæret poteris semel & iterum ablutionem sumere, quia in iis casibus non censetur violatio jejunii moraliter communionem præcessisse. Suar. Vasq. Laym. Bonac. Ægid. *loc. alleg.*

22. Sextus est, si gravis nota sacerdoti immineat, ni celebret non jejunus, ut si incœpta missa recordetur jejunum non esse, velitque à celebratione desistere, populus tamen etiam causa manifestata non acquiescit, quinimo grave aliquod malum suspicatur, & scandalum sumit, poterit sacerdos missam prosequi, & non jejunus celebrare, quia præcepta Ecclesiæ eo rigore non obligant. Docent supradicti Doctores.

Punctum XIV.

De obligatione sumendi Eucharistiam ex divino præcepto.

1. *Plures censent nullam esse obligationem ex divino præcepto sumendi Eucharistiam.*
2. *Verius est oppositum.*
3. *Satisfacit cuidam objectioni.*
4. *In articulo mortis obligat hoc divinum præceptum.*
5. *Non satisfacit communicans extra periculum.*
6. *Si proximus periculo communicasti satisfacis ex pluriorum sententia.*
7. *Verius est oppositum.*
8. *Fundamentum contrarium dissolvitur.*
9. *Interdum in vita communicare teneris juxta Ecclesiæ determinationem.*
10. *Infideles astringi præcepto divino communicandi aliqui firmant.*
11. *Verius est oppositum.*

1. OBligatio sumendi Eucharistiam nasci potest ex præcepto divino, vel Ecclesiastico. Ex præcepto divino nullam esse obligationem firmant Bonavent. *à num* 4. *dist.* 12. 2. *p. distinct art.* 1. Alens. *in* 4. *quæst.* 11. *memb.* 2. *art.* 4. §. 1. Gabriel. *in canon. missæ. lect* 87. *lit.* 1. Sylvest. *verbo Eucharistia* 3. *in princip.* Ferrariens. 4. *contra gentes. cap.* 61. Favet D. Thom. *in* 4. *dist.* 6. *q. unic. art.* 2. *& dist.* 12. *q.* 3. *art.* 2. *q.* 1. Moventur, quia nullius est scripturæ locus, ex quo hæc obligatio colligi possit. Nam locus ille Joann. 6. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem. D. Thom. *q* 65. *art.* 4. *ad* 2. aliique Patres explicant de spirituali manducatione. Aliàs sub utraque specie esset obligatio à Christo imposita sumendi Eucharistiam. Ex

inſtitutione autem hujus ſacramenti hæc obligatio non colligitur. Nam eſto ad nutriendum & roborandum fideles adverſus Diaboli inſidias inſtitutum ſit, aliundè robur illud accipere fidelis poteſt, & in gratia accepta perſeverare.

2. Nihilominus longe verior ſententia eſt, quam tradit D. Thom. *communiter receptus quæſt.* 80. *art.* 11. obligationem eſſe ſumendi Euchariſtiam ex Chriſti præcepto, primò illis verbis tradito: Niſi manducaveritis carnem, &c. quæ ſine dubio intelliguntur de manducatione reali, & non de manducatione ſpirituali, ut colligitur ex contextu, aliàs audientes non forent ſcandalizati. Neque novum aliquid Chriſtus affirmaret, cum dixit. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in eo, ſi manducatio, & potus futura eſſent per fidem, & charitatem. *Quæ latiùs proſequitur* Ianſen. Maldonat. Tolet. *in hunc locum.* Vaſq. *diſp.* 79. *cap.* 4. Quo ſuppoſito concluſionem probo. Si enim illa verba Joann. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, obligationem baptiſmi non ſolum neceſſitate præcepti, ſed medii declarant, cur illa verba, niſi manducaverit, obligationem ſaltem præcepti non declarabunt, cum eodem tenore utraque verba prolata ſint? Secundò illis verbis *Luc.* 22. Hoc facite in meam commemorationem. Nam ut concil. Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 2. explicuit, ſanctæ Euchariſtiæ ſumptione colere nos ſui memoriam Chriſtus præcepit. At nec præcepit, nec decebat præcipere, ut quoties manducaremus ejus carnem, & biberemus ejus ſanguinem ſpeciali attentione coleremus ejus memoriam, quia ſæpè diſtracti manducamus, ſæpè ſenſibus deſtituti, ſæpè ignorantes ibi paſſionem, & mortem Chriſti annunciari. Ergo ſolum præcepit, ut ejus corpus, & ſanguinem ſumeremus, qua ſumptione utpotè quæ eſt paſſionis, & mortis Dominicæ annunciatio ejus memoriam colimus. Neque enim præcipere Chriſtus poterat ſumptione ſui corporis mortem illius colere, quia ſimul præciperet ſui corporis ſumptionem.

3. Neque inde fit præcepiſſe omnibus fidelibus ſumptionem ſub utraque ſpecie. Nam verba illa, *niſi manducaveritis* intelligenda ſunt, ſi nec manducaveritis, nec biberitis, &c. Sicuti intelliguntur illa verba Petri *Actor.* 3. Argentum & aurum non eſt mihi, id eſt neque argentum, neque aurum eſt mihi, ex qua explicatione ſolum infertur unius ſpeciei ſumptionem neceſſariam eſſe ad vitam. Imo eſto daremus de ſumptione utriuſque ſpeciei ibi latum fuiſſe à Chriſto præceptum, non intelligendum eſt latum fuiſſe pro omnibus fidelibus, ſed ſolum pro ſacerdotibus celebrantibus, ij enim niſi manducaverint, & biberint vita carebunt, pro aliis vero, prout Eccleſia diſpoſuerit, Verba autem illa *Luc.* 22. Hoc facite in meam commemorationem, quæque referuntur à Paulo 1. *Corinth.* 11. ſimiliter explicanda ſunt. Eſſe inquam Eccleſiæ præceptum impoſitum Chriſti corpus, & ſanguinem conſecrandi mediis ſacerdotibus ipſis, quia ſacerdotibus præceptum ſumendi datur, qua ſumptione memoriam Dominicæ paſſionis; & mortis recolerent, cæteris vero fidelibus non conſecrantibus eſſe præceptum recolendi Dominicam paſſionem, & mortem ſumptione Chriſti corporis, vel ſanguinis, prout Eccleſia diſpoſuerit. Cum autem Eccleſia ob gravia inconvenientia, quæ ex uſu calicis ſequi poterant, illius uſum laïcis interdixit uſu calicis Chriſti paſſionem recolere, ſed ſolum uſu, & ſumptione corporis.

4. Hoc præceptum divinum de ſumenda Euchariſtia cum affirmativum ſit, neceſſariò obligare debet aliquo tempore. Quod autem ſit? Non conveniunt Doctores. Nam Caiet. *in ſum. verbo communio ſacramentalis.* Armilla *eodem n.* 4. Sylveſt. *verbo Euchariſtia* 3. *in princ.* Ledeſma. *p.* 4. *q.* 21. *art.* 11. *dub.* 2. negant obligare in articulo mortis, quia eſto ſancta Euchariſtia viaticum ſit pro itinere ex hac vita ad futuram, non tamen neceſſarium, ſicuti eſt pœnitentia lapſis in peccatum, ea enim obtinetur gratia, quæ jus ad gloriam concedit. Non igitur Euchariſtia neceſſaria eſt. Cæterum longe verius eſt præcepto divino omnes fideles aſtringi ad communionem percipiendam in articulo mortis. Sic D. Thom. *q.* 80. *art.* 11. quem ferè omnes expoſitores ſequuntur. Valen. *t.* 4. *diſp.* 6. *q.* 8. *punct* 4. Suar. *diſp.* 69. *ſect.* 3. Vaſq. *diſp.* 214. *c.* 2. Paul. Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 4. *c.* 5. *n.* 2. Ægid. *q.* 80. *art.* 11. *dub.* 3. *n.* 94. Bonac. pluribus relatis *diſp.* 4. *q.* 6. *pun.* 1. *n.* 1. Ratio concluſionis ſumitur ex concilio Niceno *can.* 13. relato *cap. de his* 26. *q.* 6. *&* *ex* concil. Arelatenſ. 2. *can.* 12. Arauſicano 1. *can.* 3. Carthagin. 4. *can.* 77. *&* 78. Ancirano *can.* 22. præcipientibus, ne morituris viaticum (quod neceſſarium apellavit Nicenum concilium) negaretur. At ſi neceſſarium non eſſet ſaltem ex præcepto, nec concilium neceſſarium diceret, nec eo rigore præciperetur ſacerdotibus illius miniſtratio, nec à cura, & diligentia, qua monet Trident. *ſeſſ.* 13. *c.* 6. cautum eſſet, ut in Eccleſiis pro infirmis aſſervaretur. Adde nullo tempore fidelem magis indigere auxilio hujus ſacramenti, quam tempore mortis, utpote in quo diabolus ſciens quia modicum tempus habet, graviores inſidias parat, & pro viribus dejicere procurat: decebat ergo eo tempore præcipi hujus antidoti ſumptionem.

5. Hinc videtur evidenter inferri communicantem extra periculum mortis non ſolum poſſe, ſed teneri ſacram Euchariſtiam in periculo mortis conſtitutum ſuſcipere. Quia communio facta ante periculum mortis non præcipitur, ergo ea ſatisfieri non poteſt communioni præceptæ. Impoſſibile enim eſt te præcepto ſatisfacere, niſi opus præceptum exequaris. Atque ita docet optimè Vaſq. *diſp.* 214. *cap.* 2. *à num.* 13. Henriq. *lib.* 8. *cap.* 4. Suar. *diſp.* 69. *ſect.* 3. Zambran. *de Euchariſt. c.* 3. *dub.* 1. Tametſi Caiet. Armilla. Sylveſt. *locis allegatis* minus benè aſſerant communicantem in Paſchate nec divino nec Eccleſiaſtico præcepto obligatum eſſe in articulo mortis communicare. Quam ſententiam probabilem reputat Eman. Saà *verbo Euchariſtia num.* 1. Tolet. *lib.* 6. *ſum. cap.* 18. *in fine.*

6. Sed quid ſi communio Paſchalis, vel alia communio non longè ante periculum mortis, V. g. ſex, vel octo diebus facta fuerit, eritne ſufficiens, ut præcepto divino in articulo mortis communicandi cenſearis ſatisfacere? Affirmant Paludan. *in* 4. *diſt.* 9. *quæſt.* 1. *art.* 2. *n.* 16. *&* 17. Sotus. *diſt* 12. *q.* 1. *art.* 11. Suar. *diſp.* 69. *ſect.* 3. Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 4. *c.* 5. *q.* 1. *n.* 4. Ægid de Coninch. *q.* 80. *art.* 11. *dub.* 3. *n.* 8. Bonac. *diſp.* 4. *q.* 7. *pun.* 1. *num.* 2. & alii. Moventur, quia re ipſa opus præceptum executus es, ſiquidem proximè ante periculum mortis communicaveris, cenſeris in ipſo periculi tempore communicare, quod enim parum diſtat, nihil diſtare videtur. Aliàs coactus eſſes bis eodem die communicare contra conſuetam, & receptam conſuetudinem. Nam ponamus te ſanum manè communicaſſe, & veſperè in periculum mortis manifeſtum incidiſſe, ſi præcepto divino communicandi in articulo mortis ſatisfactum non eſt communione extra periculum facta, obligatus eſſes veſpere communicare, atque adeò bis eodem die. Neque Eccleſiaſtica lex eam communionem prohibere poterit.

7. Cæterum etſi prædicta ſententia præcipuè ob Doctorum authoritatem ſatis probabilis ſit, probabiliorem exiſtimo negantem ea communione proxima periculo mortis præcepto divino communicandi in mortis articulo ſatisfactum eſſe. Sic docuit Vaſq. *diſput.* 214. *cap.* 2. *à n.* 14. Ducor ea ratione, quia communio ante periculum mortis eſt communio voluntà

luntaria non obligatoria, sed communioni obligatoriæ nequit fieri satis per communionem, quæ præcepta non sit. Ergo communioni debitæ in articulo mortis per communionem antecedentem tale periculum nequit satisfieri. Secundo si communioni debitæ in articulo mortis est satisfactum ea communione antecedente periculum, constitutus in mortis periculo non poteris non jejunus communicare in sententia illorum Doctorum, qui negant singulis diebus ægrotum periculosum communicare non jejunum posse, quia ea communio necessaria non est, sicuti non est necessarium bis in eadem infirmitate communicare.

8. Ratio vero in contrarium non urget. Nam esto illa communio extra periculum mortis facta, distet parum quoad physicam substantiam à communione, quæ fieret in periculo, quoad obligationem; tamen multum distat, cum ea sub obligatione non ceciderit, sicuti communio facta proximè ante pascha parum à tempore paschali distet, distat tamen multum à communione, quæ eo tempore præcipitur, siquidem priori communione, utpote non præcepta non sit satis communioni paschali debitæ. Sequelam autem, quæ ex hac doctrina videtur inferri plures Doctores ex Salmanticensi, & Vallisoletana Universitate consulti non renuunt concedere. Neque enim reputant inconveniens ob hanc causam bis eodem die communicare, sicuti bis eodem die communicare quis potest, ne sacramento aliqua gravis irreverentia fiat. Sed concedamus gratis incidentem eo die, quo communicavit in periculum mortis non posse eo die communicare, uti docent expressè Paul. Laymann. *lib 5. sum. tract. 4. cap. 5. n. 5.* Ægid. de Coninch. *q. 80. art. 11. dub. 3. n 100.* non inde infertur præcepto divino communicandi in eo periculo non astringi, astringitur namque per se, tametsi per accidens ex præcepto Ecclesiæ excusetur. Sicuti si constituto in mortis periculo grave crimen committenti in detestationem illius criminis leg. Ecclesiastica denegaretur viaticum, excusatus ipse esset à præcepto divino sumendi viaticum, tametsi per se eo præcepto teneretur. Sic constitutus in mortis periculo teneretur per se communicare, quamvis eo die extra periculum communicaverit. Excusatur tamen ab hac obligatione ob prohibitionem Ecclesiæ, quæ meritò id prohibere potest ob reverentiam tanto sacramento debitam. Neque hæc prohibitio est abrogatio divini præcepti, sed illius usus debita limitatio,

9. Rursus extra mortis articulum interdum in vita asserunt communiter Doctores præceptum divinum communicandi obligare. Nam cum proprius effectus illius sit animam suscipientis nutrire, & roborare adversus insidias diaboli, ut in accepta gratia perseverа immemor, & satis contempor propriæ salutis esset, qui in suscipiendo hoc salutifero remedio negligens existeret. Ob hanc causam per tres quatuor annos communionem omittentem præcepti divini reum asserunt Suar. *disp. 69. sect. 3.* Bonac. *disp. 214 quæst. 7. punct. 1. à num. 8.* etiam secluſa aliqua Ecclesiæ determinatione. Mihi tamen verius apparet quod tradidit Vasq. *disput. 214. cap. 3. à num. 20* cui ex parte consentit Ægid. de Coninch *quæst. 80. art. 11. dub 3. in fine*, secluſa determinatione Ecclesiæ nullius peccati reum esse, qui toto vitæ tempore usque ad mortis periculum omitteret communionem. Nam præcepta affirmativa determinatum tempus, & cognitum habere debent, in quo executioni mandetur. At secluſa determinatione Ecclesiæ nemini constat, nec constare potest, quod tempus Christus hujus præcepti executione signaverit præter mortis articulum. Ergo extra illud nemo præcepto divino obligari potest Et confirmo. Ponamus Christum Dominum instituisse hoc sacramentum, præcepisseque in vita sumendum, quoties Ecclesia sua lege determinaverit. Sanè ex hac constitutione, & decreto, quod rationi maximè consentaneum est, infertur manifestè neminem obligatum esse ex divino præcepto Eucharistiam sumere, antequam Ecclesia tempus sumptionis determinaverit, quia obligatio divini præcepti ab ea determinatione pendet, & sub ea determinatione profertur.

10. Sed an hoc præceptum divinum de sumenda Eucharistia tempore vitæ, & mortis obliget non solum fideles ratione utentes, sed etiam infideles? variant Doctores. Affirmant obligari Suar. *disp. 69. sect. 2. dub. 1.* Vasq. *disp. 214. cap. 4. in prin.* Ægid. de Coninc. *q. 80. art. 11. dub. 2. num. 93.* Moventur, quia Christus Dominus tum baptizatos, quam non baptizatos suo præcepto obligare potuit. Quod autem de facto obligaverit inde colligitur, quia verba illa *Joann 6.* Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, quidem hoc præceptum latum est, Capharnaitis sunt dicta, inter quos plurimi erant non baptizati. Neque huic obligationi obstat, quod infideles non possint hoc sacramentum recipere, nisi baptismo susceptо, quia potest obligatio suscipiendi Eucharistiam obligatione suscipiendi baptismum præsupponere, & utraque infideles afficere sicuti obligatio pœnitentiæ, & Eucharistiæ existentes in peccato mortali afficit, tametsi Eucharistiæ receptio receptionem pœnitentiæ præsupponat.

11. Cæterum veris censeo infideles Eucharistiæ præcepto non astringi, atque adeò omittentes in articulo mortis baptismum, & communionem, solius omissionis baptismi reos esse. Sic docuit Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 3. con l. 1.* Thom. Sanch. *lib. 1. in decla. cap. 12. num. 5.* Ratio est quia Christus Dominus noluit infideles durante infidelitate capaces fieri Eucharistiæ, Non enim pro ipsis, sed pro fidelibus baptizatis hoc sacramentum fecit, & reliqua instituit. Ergo suo præcepto noluit eos obligare, utpote qui sint incapaces Eucharistiam sacramentaliter suscipiendi: in quo est magnum discrimen à peccatoribus baptizatis. Hi enim capaces sunt Eucharistiæ suscipiendæ etiam non præmissa pœnitentia, ideoque astringi possunt præcepto illam sumendi, eique satisfacere possunt pœnitentia omissa. At non baptizati neque capaces sunt Eucharistiæ sacramentaliter suscipiendæ, neque illius susceptione quæ sacramentalis non est, præcepto Eucharistiæ sacramentaliter suscipienda satisfacere possunt. Hanc rationem confirmat optimè Sanchez exemplo illius, qui voto astringitur religionis assumendæ, qui esto obligationem habeat assumendi religionis statum, & eo assumpto teneatur castitatem, paupertatem, & obedientiam servare: at dum illius status assumptionem omittit, paupertatis, castitatis, & obedientiæ obligatione non tenetur, quia hæ obligationes supponunt statum assumptum. Sic est in præsenti. Quilibet infidelis obligatus est baptismum suscipere, quo suscepto obligatur ad Eucharistiæ susceptionem. At ante baptismi susceptionem nullatenus ad suscipiendam Eucharistiam obligatur, quia hæc obligatio solum baptismi susceptores spectat.

PUNCTUM XV.

De obligatione suscipiendi Eucharistiam ex præcepto Ecclesiastico

1. *Pro diversitate temporum diversimodè latum fuit præceptum de Eucharistiæ sumptione. Et quid in præsenti?*
2. *Quid nomine Paschatis intelligatur.*
3. *Non communicans tempore paschatis an postea communicare teneatur? Tenetur si omittat ex consilio confessarii.*
4. *Si ex legitimo impedimento, affirmant aliqui.*

5. *Negant plures ſive ex malitia, ſive ex impedimento omittat.*
6. *Quæ inferantur ex hac ſententia.*
7. *Affirmandum eſt teneri communicare, ſive ex malitia, ſive ex impedimento omiſerit.*
8. *An prævidens te impediendum eſſe à communione tempore paſchatis tenearis prævenire? Sub dſtinctione reſpondetur.*
9. *Quæ perſonæ teneantur hoc præcepto.*
10. *Nulla alia communione fit ſatis huic præcepto, niſi ſit de manu proprii ſacerdotis.*
11. *Communione peccaminoſa plures negant te huic præcepto poſſe ſatisfacere.*
12. *Verius eſt oppoſitum.*
13. *Solvitur fundamentum contrariæ ſententiæ.*
14. *Quæ pœna afficiantur hujus præcepti tranſgreſſores.*
15. *Iure communi nullus crebrius quam ſemel in annos obligatus eſt communicare.*

1. PRæcedenti puncto diximus obligationem in vita ſumendi Euchariſtiam ex divino præcepto diſpoſitioni Eccleſiæ relictam eſſe. Qua diſpoſitione, ſeu determinatione facta non ſolum præcepto Eccleſiaſtico, ſed divino teneris Euchariſtiam ſumere. Variè Eccleſia in hac diſpoſitione proceſſit. Nam tempore naſcentis Eccleſiæ, quia charitas, & devotio fidelium ferventior erat, & gravior illorum neceſſitas ob tyrannorum perſecutionem, & aliorum infidelium incurſus, ſingulis diebus diſpoſitum erat hoc ſacramentum ſuſcipi. Conſtat ex Anacleto Papa, *epiſt. 1. cap. 2.* & refertur *in cap. epiſcopus de conſecrat. diſt. 1.* ubi ſingulis diebus non communicans privandus venit Eccleſiæ ingreſſu, quia ſic Apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Romana tenet Eccleſia, de qua conſuetudine vide *Can. 10. Apoſtolorum.* Dionyſium *de Eccleſiaſt. Hirarch. cap. 3. Clement. Roman. lib. 2. Apoſtolic. conſtitut. caput. 57. ſub finem.* Poſtea vero frigeſcente charitate, & fidelium multitudine creſcente Fabian. Papa relatus in Gratiano *in c. etiamſi non frequentitius de conſec. diſt. 2. & concil. Agathenſe relatum in cap. ſæculares eadem diſt.* ter in anno decretum eſt ſuſcipi debere Euchariſtiam, nempè in Natali Domini, in Paſchate, & Pentecoſte. Tandem Innoc. III. *in cap. omnis utriuſque ſexus de pœnitent. & remiſſionibus.* ob varias cauſas ibidem enumeratas decrevit ſemel in anno, ſcilicet tempore Paſchatis Euchariſtiam ſumendam eſſe, quod præceptum aliis abrogatis uſque ad hæc tempora viget. Pro illius igitur explicatione inquires quod tempus nomine paſchatis intelligatur, quas perſonas afficiat hoc præceptum, quæ communione illi poſſit fieri ſatis, quæ pœna trangreſſoribus ſit impoſita?

2. Nomine Paſchatis non ſolum diem reſurrectionis, ſed octo antecedentes, & octo ſubſequentes nempè à dominica palmarum uſque ad dominicam in Albis incluſivè comprehendi praxis, & communis uſus Eccleſiæ probat, ex declaratione Eugenii IV. teſte Navarra *cap. 21. numero 45.* Ex conſuetudine, vel ex privilegio hoc tempus extenditur aliquibus locis pro tota quadrageſima, ut Conimbricæ, & Mediolani teſtatur Ægid. de Coninch. *quæſt. 80. art. 11. dub. 4.* & Fagund *de tertio Eccleſiæ præcepto lib. 1. cap. 5.* id ipſum de tota Luſitania affirmat D. Hiſpan. refert Azor. *t. 1. lib. 7. cap. 41. quæſt. 4. ex declaratione* Clement. II. teſte Laurentio Epiſcopo Prænestino, Cardinali ſanctorum IV. Coronatorum in qualibet die quadrageſimæ huic præceto fieri poſſe ſatis. Cui ſententiæ ſuſcribit Fagundez *dicto loco* Eman. Saà, *verbo Euchariſtia num. 8.* Sed de conſuetudine, & declaratione Clementis (ut dicit Suar. *diſp. 70. ſect. 2. concl. 2.* mihi non conſtat. Quinimo legi conſtitutionibus ſynodalibus plurium locorum fideles aſtringi intra illos quindecim dies paſchatis communicare, extenſione in aliquibus facta uſque ad dominicam 2. paſtoris boni, ut in diœceſi Compoſtellana, ubi tranſacta hac dominica fertur ipſo jure ex communicatio adverſus omnes illos, qui in illis octo diebus ſequentibus non communicaverint: à qua excommunicatione etiam denunciata poterunt parochi abſolvere uſque ad dominicam infra octavam Aſcenſionis impoſita pœnitentia ſalutari. Vltra illud tempus eſt excommunicatio reſervata. Sicuti dicitur *in conſtitutionib. Compoſtellanis. §. 1. de la pœnitentia. n. 2. fol. 17.* Quapropter conſtitutiones cujuſcunque diœceſis ſpectandæ ſunt.

3. Sed difficultas eſt, an ſi ſupradicto tempore paſchatis vel ex malitia, vel ex aliquo impedimento non communicaſti, tenearis communicare, cum primum poſſis? Et quidem ſi eo tempore communionem omiſiſti ex conſilio confeſſarii, non eſt dubium te obligatum eſſe eo tempore communicare, quod fuerit à confeſſario ſignatum. Quia *in dicto c. omnis utriuſque ſexus de pœnitent. & remiſſionibus* conceditur confeſſario facultas temporis Paſchalis prorogandi. Quare difficultas ſolum eſt, quando non ex conſilio confeſſarii, ſed ex tua malitia, vel impotentia communionem eo tempore omiſiſti, vel omiſiſti communionem intra tempus à confeſſario deſignatum, an eo caſu debeas, cum primum poſſis communicare, vel poſſis, in ſequens paſcha communionem differre?

4. Triplex eſt ſententia de hac re. Prima aſſerit omittentem eo tempore communionem ex impedimento legitimo, obligatum eſſe ceſſante impedimento communicare. Quia hic videtur ex tacito Eccleſiæ conſenſu communionem differre ad tempus ſublati impedimenti, ac proinde ſicut qui differt communionem ex conſilio confeſſarii obligatus eſt tempore à confeſſario præſcripto communicare, ſic qui differt communionem ex impedimento legitimo, obligatus erit communicare ceſſante impedimento. Hanc ſententiam à fortiori defendunt omnes illi qui dicunt omittentem ex malitia communionē tempore paſchatis obligatum eſſe cum primum poſſit communicare.

5. Secunda ſententia negat te hanc obligationem habere, ſive ex legitimo impedimento, ſive ex malitia communionem omiſeris. Sic docent Sylveſt. *verbo Euchariſtia 3. quæſtion. 15. concluſ. 3.* Tabiena *verbo communicare numer. 10.* Armilla *verbo communio numer. 6.* Medin. *tract. de pœnitent. quæſt. de confeſſ. ſemel in anno fol. 63. edit. Salmanticenſ.* Alter Medina *inſtructor. confeſſor. lib. 1. cap. 14. num. 42.* Sotus *in 4. diſt. 18. quæſt. 1. art. 4.* Victor. *in ſum. numer. 137. aliàs 148.* Ledeſm. *in 4. p. 2. quæſt. 2. art 5. dub. 2.* Valen. *t. 4. diſp. 6. quæſt. 8. pun. 4.* Tolet. *lib. 6. cap. 18.* Eman. Saà. *verbo Euchariſtia n. 7.* Henriq. *lib. 8. cap. 5. num. 1. & alii.* Moventur, quia reliqua præcepta affirmativa, v. g. audiendi, miſſam, jejunandi, tranſacto tempore executioni deſignato non obligant, quia eorum obligatio tali tempori annexa eſt. Colligitur autem obligationem tali tempori annexam eſſe tum ex illius determinatione, tum præcipuè quia illo tempore ſpecialis honor Dei, & Sanctorum procuratur. At hæ rationes probant præceptum communicandi in paſchate paſchali tempori annecti debere. Tum quia tempus determinatur executioni præcepti, tum quia illo tempore ſpecialiter intendit Eccleſia hac ſacra communione recolere memoriam Dominicæ cœnæ, quam Chriſtus cum diſcipulis habuit pridie quàm pateretur, itémque memoriam ſuæ paſſionis & mortis, quæ eo tempore ab Eccleſia celebrantur. Ergo tranſacto tempore paſchali præceptum de communione non obligat.

6. Ex hac ſententia, quæ certè eſt probabilis, infertur primò etiam poſita excommunicatione ipſo facto

facto transgressoribus prædicti Ecclesiastici præcepti, ut ferè in omnibus diœcesibus est imposita adhuc non teneri transgressores ad communicandum eo tempore transacto. Quia excommunicatio non extendit obligationem præcepti, sed præcepti transgressionis est pœna. Sic Bonac. *disp.4. quæst.7.pun.2. n.13 vers. hoc. idem* contra Henriq. *lib.4 cap.5*. Secundo infertur sacerdotem habentem jurisdictionem ad absolvendum ab excommunicatione posse absolvere excommunicatum, si veniam petat, & paratus sit præceptis Ecclesiasticis obedire, tametsi ex aliqua rationabili causa nolit communicare usque ad sequens pascha. Quia hæc nolitio non potest ei impedimento esse, quominus absolvatur, siquidem licita est. Sicuti si ob violationem jejunii, vel præcepti audiendi Missam in excommunicationem incideres, ab ea absolvi posses, quin jejunare, vel audire missam velis illis diebus, quibus aliàs obligatus non es. Tertiò infertur posse hunc excommunicatum jam absolutum ab excommunicatione, communicare in qualibet parte, & à quolibet sacerdote habente jurisdictionem administrandi sacramentum Eucharistiæ. Quia non communicat ex obligatione illius lati *c. omnis utriusque sexus*, cum jam non obliget, sed ex voluntate, quia liberè vult communicare.

7. Hæ illationes videntur necessariò inferri ex dicta sententia. At quia nimiam licentiam præbent, & sententia in qua fundantur, non satis firma ratione fulcitur, ea de causa censeo omnino dicendum, & in praxi semper consulendum omittentem communionem tempore paschatis ex legitimo impedimento, aut ex malitia teneri cum primum possit communicare. Neque enim hominibus sic in malum proclivibus permittendum est ab hoc sacramento omnium malorum antidoto separari, potius namque expedit ad illius frequentiam induci, ut eorum infirmitates ea salutari medicina curentur. Sic post alios antiquores docent Navarr. *cap.21. n.54*. Azor. *lib.7. cap.41. quæst.5*. Suar. *disp.70. sect 2*. Ægid. de Coninch. *quæst.80. art.11. dub.4*. æquè hanc sententiam ac præcedentem probabilem reputat Paul. Laymann. *lib.5. sum. tract.4. cap.5. num.7*. Bonac. *disp.4. de sacram. quæst.7. p.2. num.13. vers. dixi*. Joseph. Fagund. *de tertio Ecclesiæ præcepto. lib.1. cap.6. num 2*. Fundamentum est, quia in hoc præcepto communicandi, etsi affirmativum sit duo continentur, unum principale, & aliud accessorium. Communio est, quæ principaliter præcipitur, fieri vero tempore Paschatis accessoriè. Quod satis indicant verba, quibus hoc præceptum latum est Inquit enim textus. Semel in anno confiteatur, suscipiatque reverenter sacramentum Eucharistiæ, *ad minus* in pascha: illud enim adverbium *ad minus* satis denotat præcipuum finem Ecclesiæ esse communionem fieri. Quod vero tempore Paschali fiat, accessoriè præcipi. At cum in uno præcepto duo continentur, unum principale, aliud accessorium, principale non cessat accessorio neglecto, ut expressè probat textus *cap. cum de dolo, & contumacia*, ubi designatus ad comparendum signato termino, si in isto non comparet, tenetur cum primum possit comparere. *& legib. Celsus. §. sed ipse ff. de receptis arbitris.* obligatus certo die pecuniam solvere, si tunc omittit, obligatus manet, cum primum possit, quia terminus hic non ad finiendam obligationem, sed ne ultra differretur signatus est. Sic dicendum est in hoc præcepto communionis signatum quidem esse tempus Paschale, ne ultra illud communio differatur, non tamen ut in eo communionis obligatio finiatur, si suscepta communio non sit.

Ex hac doctrina fundamentum oppositæ sententiæ, & illius illationes ut minus veræ corruunt. Quocirca si omittenti communionem tempore Paschali excommunicatio imposita est, ipso facto nequit ab ea absolvi quin proponat firmiter communionem suscepturum, idque satis confirmat praxis, ususque communis.

8. Sed hinc oritur difficultas, an prævidens te impediendum esse à communione tempore paschali tenearis communionem prævenire? videris teneri, ne contingant ultra annum communionem differri. Econtrà est, quia per illam anticipatam communionem non videris satisfacere posse præcepto communicandi in paschate. Aliàs si impedimentum non eveniret, ut consideratum est, non esses obligatus tempore Paschali communicare, cum jam præcepto, communicandi in paschate satisfaceris. In hac difficultate placet mihi resolutio Pauli Layman. *lib.5. sum. tract.4. cap.5. num.9*. te obligatum non esse ante Paschale tempus communicare, nisi timeas communionem ultra annum ab ultima communione facta esse differendam. Priorem partem docuit etiam Suar. *disp.70 sect.2. dub.3*. Ægid. de Coninch. *quæst.80. art.11. dub.4 num.108*. Eman. Saà, *verbo Eucharistia circa finem, edit. Rom.* & pluribus relatis Bonac. *disp.4. quæst.7. punct.2. num.15*. Ratio hujus partis est evidens, quia eatenus obligari poteras anticipare communione, quatenus obligaris, ne ultra annum communionem differas. At esto omiseris eo tempore communionem, non differtur communio ultra annum (ut supponimus) Ergo non teneris communionem anticipare. Secundam conclusionis partem defendit Fagundez *de tertio Ecclesiæ præcepto lib 1. cap.6 num 3*. Quia in eo præcepto de communione facienda duo (ut dictum est) virtute continentur. Primum, & præcipuum, ut singulis annis communio fiat. Secundum ut fiat saltem in Paschate. At præveniendo communionem adimples illud præcipuum præceptum singulis annis communicandi. Teneris ergo prævenire. Neque inde fit te non esse obligatum tempore Paschali communicare, si forte impedimentum quod timebas non evenit. Obligaris namquamnon ex vi præcepti singulis annis communicandi, sed ex vi præcepti communicandi saltem Paschali tempore. Illud verò est omnino certum, si post Dominicam resurrectionis credis te impediendum esse à communione, obligari hebdomadæ sancta communicare, quia eo tempore opus præceptum plene exequeris, sicuti si hora decima cognoscis impediendus esse ab auditione missæ, teneris ante eam horam missam audire, quia præcepto audiendi missam eo tempore teneris. Sic Saà *verbo Eucharistia ad finem*. Bonac. *disp.4 q 7. punct.2. n.15*. Suar. *disp.70. sect.2. in fine*.

9. Personæ quæ hoc Ecclesiastico præcepto communicandi in paschate, & in articulo mortis tenentur sunt omnes fideles, cum ad annos discretionis pervenerint, ut expressè dicitur *in dicto c. omnis utriusque sexus*. Quando autem censearis sufficienter discretionem habere ut hoc præcepto tenearis, diximus *supra pun.9. circa finem*.

10. Sed qua communione satisfacere possis huic præcepto? Breviter respondeo nulla alia communione nisi accepta de manu proprii sacerdotis, quia sic cavetur in *dicto cap. omnis*. Nomine proprii sacerdotis venit intelligendus non solum parochus, sed qui illius vices gerit, & ex ejus licentia tibi communionem ministrat, quia quoad illum actum proprius sacerdos est. Unde si à religioso potestatem à Pontifice habente Eucharistiam etiam in Paschate ministrandi communionem susciperes, non est dubium te satisfacturum præcepto Paschalis communionis. An autem omnibus religiosis hæc facultas concessa sit, inferius examinabimus, cum de ministro hujus sacramenti instituitur sermo.

Adverte primò religiosorum familiares, si extra domum Religiosorum domicilium habeant, non posse

à Religioſis, qui poteſtate carent communionem Paſchalem miniſtrandi, ſuſcipere eam communionem, quia non ſubduntur Prælato Religionis ut proprio parocho. Secus ſi intra domum Religionis habitarent. Eman. Saà. *verbo Euchariſtia n.9. ex congregat. concilii.* Bonac. *diſp.4. quæſt.7. pun 2. numero 11.*

Secundo adverte peregrinos forenſes, & quoſlibet alios à domicilio proprio abſentes ita ut commodè ad proprios parochos accedere non poſſint, ex tacita eorum licentia juxta declarationem Eugenii IV. poſſe à religioſis, aliiſque ſacerdotibus facultatem adminiſtrandi Euchariſtiam habentibus, communionem paſchalem ſuſcipere, & præcepto ſatisfacere. uti docuit Caietan. *verbo abſolutio.* Navarr. *cap. placuit de pœnitent. & remiſſion diſt.6. num.27.* Sotus. *in diſt.18. q 4. art.2.* Azor. *t.1. lib.7. cap.41. q.8. & 9.* & præ omnibus Sanch. *lib.3. de matr. diſp 25. à num.17.* ubi optimè probat non eſſe obligatos ad Eccleſiam matricem illius oppidi accedere, vel ad eam parochiam, in qua tranſeunter commorantur, quia non ſunt propriæ parochiæ ex obligatione, eſto poſſent eſſe ex voluntate. Tertiò adverte ſacerdotem ubique celebrantem communioni paſchali ſatisfacere, quia ſolus laicali more communicans obligatur de manu proprii ſacerdotis Euchariſtiam recipere, ſicuti notavit Henriq. *lib.8. de Euchar. c.55.* Eman. Saà. *verbo Euchariſtia n.11.*

11. Supereſt quæſtio, an communione peccaminoſa & ſacrilega præcepto communicandi ſatisfacias? Videris ſatisfacere non poſſe, quia tibi non præcipitur communio, qua à Chriſto te ſepares, & condemnationem incurras, ſed qua in Chriſto maneas, eique uniaris, & virtutem accipias ad tentationes inimicorum ſuperandas. Ergo communione ſacrilega ſatisfacere præcepto non potes, quia non exequeris communionem præceptam. Et confirmo. Eccleſia tibi præcepit reverenter ſuſcipere Euchariſtiam, ut conſtat ex illis verbis textus *in dicto cap. omnes utriuſque ſexus*: Suſcipiens reverenter ad minus in paſcha Euchariſtiæ ſacramentum. At ſi indigne communices non reverenter, ſed irreverenter Euchariſtiam accipis. Ergo præcepto non ſatisfacis. Deinde præcepto recirandi horas canonicas non ſatisfacis, ſi abſque ulla attentione recites, quia non recitas devotè, & attentè, ſicuti cavetur *in cap. dolentes. De celebrat. miſſarum.* At in *dicto cap. omnis* cavetur communionem reverenter fieri debere. Ergo ſeclusa reverentia ſatisfacere præcepto non potes. Et ita ſuſtinet Durand. Capreolus, Adrian. & alii quos refert, & ſequitur Didac. Nunnez. *q.80. art.11. diſſic.3. dub.4.* Bartholom. de Angelo *dial.46. §.176.*

12. Nihilominus longè verior eſt oppoſita ſententia, affirmans ſic indignè communicantem ſatisfacere præcepto paſchalis communionis. Sic docuerunt Azor. *t.1. lib.7. cap.41. q.12.* Sotus *l.b.2. de juſt. q.3. art.10.* Suar. *diſp.70. ſect.5.* Ægid. de Coninch. *q.80. art.11. dub.4. n.107.* Eman. Saà *verbo Euchariſtia. num 25.* Bonac. *diſ. ut.4 quæſt.7 pun.2. num.12.* Fagundez *de tertio Eccleſiæ præcepto lib.1. cap.7. num.4.* & alii apud ipſos. Ratio eſt, quia Eccleſia eam communionem præcipit, qua in ſe ſpectata te Chriſto unire poſſis, ab eo robur ad tentationes ſuperandas accipere, non vero qua de facto hos effectus obtineas, aliàs in peccato mortali exiſtens, illiuſque immemor recipiens Euchariſtiam abſque ullo dolore obligatus eſſes iterum communicare, ſi indignitatem cognoſceres. Confirmatique poteſt ex præcepto audiendi Miſſam, cui ſatisfacis tametſi ex fine pravo, & mortaliter peccaminoſo audias quia non præcipitur auditio, quæ de facto, & ſecundum omnes circunſtantias grata ſit Deo, & in illius cultum cedat, ſed quæ ex ſe Deo placeat, illumque colat, & veneretur.

13. Hinc ſolutum eſt fundamentum oppoſitæ ſententiæ. Ea communio præcipitur, quæ ex ſe poteſt te Chriſto unire, tametſi de facto ob tuam indiſpoſitionem non uniat. Et licet Chriſtus, & Eccleſia hujus ſacramenti ſuſceptione hanc unionem de facto intenderint; id præceptum non eſt, ſed eſt finis ipſius præcepti. Ad confirmationem primam reſpondeo particulam illam *reverenter*, ſi ſub præceptum cadit de reverentia exteriori, & interiori, qua hoc divinum ſacramentum recognoſcitur, eſſe intelligendam, non de reverentia proveniente à gratia ſanctificante. Secundò reſpondeo negando illam particulam *reverenter* ſub præceptum Eccleſiaſticum cadere, ſed exprimere modum, quo ex præcepto divino hoc Eccleſiaſticum præceptum ſervandum eſt. Etenim præcepto divino aſtringimur non ſolum ad communicandum, ſed ad dignè, & ſanctè communicandum. Ad confirmationem ſecundam reſpondeo eſſe longè diverſam rationem de oratione, & communione. Oratio namque eſſe non poteſt abſque attentione, quare præcipiendo orationem præcipitur attentio, tametſi non exprimatur. At cummunio eſſe poteſt abſque reverentia à gratia proveniente.

14. Tranſgreſſores hujus præcepti ab ingreſſu Eccleſiæ arceri debent & Eccleſiaſtica ſepultura privari, quia ſic cavetur in *dicto cap. omnis utriuſque ſexus.* Neceſſaria tamen eſt ſententia judicis, ut hanc pœnam incurrant. Quapropter ferè in omnibus diœceſibus excommunicatio ipſo facto lata eſt.

15. Ad extremum inquires, an ſint aliqui fideles crebrius quam ſemel in anno obligati ad communicandum? Reſpondeo jure communi nullum eſſe obligatum ſub gravi culpa. Nam eſto in Clement. *ne in agro. §. ſanè de Statu. monachor.* ſtandum ſit monachos ſingulis menſibus confiteri debere, in prima dominica menſis Euchariſtiam recipere, & in Trident. *ſeſſ.25. cap.10. de Regularib.* monialibus confeſſio, & communio menſtrua præſcribatur, nullum eſt verbum, ex quo obligatio gravis indicatur, ſicuti docent. Valer. Reginald *praxi fori. pœnitent l.b.9. num.71. in fine.* Mam. Rodrig. *t.1. Regular. quæſt 62. art.1.* Fagundez *de tertio Eccleſiæ præcepto lib.1. cap.6. numer.8.* adverſus Navarr. *ſum cap.21. num. ult.* Tabienam, *verbo communio num.14. &* Armillam, *num.6.* Dixi *jure Communi.* Nam conſtitutiones ſpeciales cujuſcunque religionis ſpectandæ ſunt, an illis obligatio communicandi oriatur.

PUNCTUM XVI.

De uſu, & frequentia qua ſacra Euchariſtia ſuſcipienda eſt.

1. *Semel tantum in die communicandum eſt.*
2. *Singulis diebus poteſt accipi communio, ſed non omnibus expedit, ſpectata eorum conditione.*
3. *Qualibet hora diei recipi Euchariſtia poteſt.*

PRæceptum Eccleſiaſticum eſſe, ne pluries quam ſemel eodem die Euchariſtia recipiatur, conſtat ex *cap. conſuluiſti, de celebrat. miſſar. & cap. ſufficit. de conſecrat. diſp.1.* qui textus eſto de ſolo ſacerdote celebrante loquantur, omnes Doctores extendunt ad laïcalem communionem, & meritò quia in celebrante ob utilitatem totius Eccleſiæ permitti poterat bis, & ter eodem die celebrare, ſicuti permittitur in die Natalis Domini, quod tamen laïcè communicati non expediebat. Finis hujus prohibitionis præcipuus fuit reverentia tanto ſacramento debita. Deinde ut aptius paſſio, & mors Dominica repræſentaretur. Cum enim Chriſtus Dominus ſemel tantum paſſus, & mortuus ſit, congruit ut dixit Alexand. *in dicto cap. ſufficit*, ut ſemel tantum in

die

die in hoc sacramento, quo ejus passio, & mors recolitur, susciperetur. Ab hac regula ut dixi excipiendus est casus, quo sacramentum recipi indigeret ob aliquam irreverentiam ei imminentem vitandam. Vasq. *disp.214. cap.3. in fine.*

2. Singulis autem diebus etiam feria 6. paraſceves recipi Euchariſtia poteſt, quia neque illa die ſacra Euchariſtia ſuſcipi prohibetur divino, vel Eccleſiaſtico præcepto, ſed potius permittitur, uti colligitur Ordine Romano, in officio Paraſcev. Ex ſermone B. Dorothei *de mendacio, poſt prin.* Ex Amalario, *lib.1. de Eccleſiaſt. offic. c.12.& 15.* & tradit Vaſq. *diſp.232. cap.2. num.21.* Quinimo plures Eccleſiæ Patres nos incitant, & perſuadent, ut quotidie ſacram accipiamus Euchariſtiam, præcipuè Amb. *lib.5. de ſacram. cap.4.* Cyprian. *ſerm.6. de orat. domin.* Hieron. *epiſt. 28. ad Lucinium* Auguſtin. *epiſt.122. ad Probum.* Chryſoſt. Theophil. & alii plures quos refert Alphonſ. Salmeron. *t.5. tract.50.* & præcipuè *9. tract. 41. in Joann.* Ad idemque ſunt plures textus ex jure canonico, præcipuè *cap. quotidie de conſecrat. diſt.1. & cap. ſi quotieſcunque cap. ſi non ſunt tanta peccata de conſecrat. diſt.2.* & ſpecialiter Trident. *ſeſſ.22. cap.6. & catechiſmus Pii V. 2. p. de Euchar. num.46.* Verum hoc intelligendum eſt, ſi magno devotionis, & Charitatis fervore ad tantum ſuſcipiendum ſacramentum diſponamur. Neque enim expedit reverentiæ tanto ſacramento debitæ, ut quotidiè communicetur tepido, & remiſſo in Charitate, curiſque ſæcularibus implicato. Quapropter ſpectata hominum conditione pauciſſimi ſunt, quibus expediat ſingulis diebus communicare, rari & pauci quibus pluſquam octavo quoque die. Qui autem hi ſint non cujuſque arbitrio, ſed prudentis confeſſarii judicio relinquendum eſt: uti ex D. Thom. *q 80. art.10. & in 4. diſt. 12. q.15. art.1. q.2.* Bonavent. *eadem d.p.2. q.2.* Alexand. Alenſ. *4. part.4. §.1. q.2.* Richard. *in 4. diſt.12. art.6. q.1.* Albert. *lib. de Miſſa in fin.* S. Antonin. *3. p. tit.14. cap.12. §. 5.* colligunt Sylveſt. *verbo Euchariſtia 3. q.15.* Suar. *d ſp.69. ſect.4* Vaſq. *diſp.214. cap.3. circa finem.* Ægid. de Coninch. *q.80. art.10. à num.79.* Paul. Layman. *lib.5. ſum. tract.4. cap.5. n.7.* Bonac. *diſp.4. q.7. p.2. n.16.* Fagund. *de tertio Eccleſiæ præcepto, lib.3. cap.7.* & alii Neotherici.

3. Item recipere potes Euchariſtiam qualibet hora diei modò jejunus ſis, quia nulla eſt à jure pro ſuſceptione Euchariſtiæ hora determinata Sylveſt. *verbo Euchariſtia 3. §.16. num 5.* Angel. *eodem §. 36.* Henriq. *lib.8 cap.35. n.5.* Fagundez *lib.3. cap.7. in fine.* Verum eſto ita ſit, ſecluſa tamen aliqua ſpeciali cauſa non debet permitti ſub veſperam aut intempeſta nocte Euchariſtiam recipi, quia id nec ſacramenti reverentiam decet, nec occaſionem ſcandali fugit. Ægid. de Coninch. *q.80. art.10. in fine.*

PUNCTUM XVII.

De miniſtro Euchariſtiæ quoad illius conſecrationem, & diſpenſationem.

1. *Quoad illius conſecrationem ſoli ſacerdotes ſunt miniſtri.*
2. *Qualiter plures ſacerdotes conſecrationis unius hoſtiæ eſſe poſſint miniſtri.*
3. *Sacerdos depoſitus degradatus poteſtatem retinet validè conſecrandi.*
4. *Quoad diſpenſationem Euchariſtiæ ex officio ſolus eſt ſacerdos.*
5. *Ex delegatione non ſolum diaconis, ſed laïcis committi poteſt diſpenſatio Euchariſtiæ.*
6. *Diacono urgente neceſſitate & Epiſcopus, & ſacerdos hanc poteſtatem committere poterunt.*
7. *Aliis à diacono extra neceſſitatem extremam non eſt à jure conceſſa facultas miniſtrandi Euchariſtiam.*
8. *In extrema neceſſitate ſatis eſt probabile poſſe laicum ſecluſo ſcandalo miniſtrare Euchariſtiam.*
9. *Poterit non ſolum aliis, ſed ſibi.*
10. *An ſacerdos extra ſacrificium miniſtrare ſibi Euchariſtiam poſſit.*
11. *Sacerdos celebrans reſervare poteſt particulam hoſtiæ ad communicandum infirmo, vel ſano.*

1. FIde certum eſt ſolos ſacerdotes miniſtros Euchariſtiæ eſſe quoad illius conſecrationem, quia nullus alius à ſacerdotibus hanc accepit à Chriſto poteſtatem. Etenim illis tantum eam facultatem conceſſit, quibus præcepit corpus ſuum, & ſanguinem conſecrare illis verbis. *Hoc facite in meam commemorationem.* At nemini alteri à ſacerdotibus hoc præceptum impoſuit. Ergo nullus alius poteſtatem habet corpus, & ſanguinem Chriſti conficiendi. Sic expreſſit Trident. *ſeſſ.22. c.1. & 4.* & traditum erat in concilio Niceno 1. *can.14.* & in Lateranen. ſub Innocent. III. *cap.1.* relato in *c. firmiter de ſumma Trinit. & fide Cathol.* & in Florent. decreto de Armenis *poſt. ult. ſeſſ.§. tertium eſt.*

2. Solum eſt difficultas, an plures eſſe poſſint miniſtri conſecrationis unius tantum hoſtiæ: Et quidem ſi ſimul proferunt, & finiunt conſecrationis formam cum debita intentione conſecrandi, dubium eſſe non poteſt omnes eandem hoſtiam conſecrare, quia nulla eſt ratio, ob quam uni potius, quam alteri conſecratio tribuatur, & ſinguli formam legitimam cum debita intentione pronuntient. Conſecrant ergo omnes. Sed quia vix eſt moraliter poſſibile plures concurrentes ad unius hoſtiæ conſecrationem ſimul verba finire, ea de cauſa dubitatum eſt qualiter hoc licitum eſſe poſſit, ſiquidem plures ex illis periculo morali exponuntur proferendi formam ſuper materiam jam ab alio conſecratam, & conſequenter indebitam. Econtra autem damnari non poteſt uſus à Romana Eccleſia approbatus concurrendi plures ad conſecrationem unius hoſtiæ, ſicuti contingit cum Epiſcopus conſecratur, qui ſimul cum conſecrante verba conſecrationis profert. Item cum Epiſcopus ordinat ſacerdotes. Nam ſacerdotes noviter ordinati eſto plures ſint, cum ipſo Epiſcopo ordinante proferunt conſecrationis verba.

Huic difficultati varias ſolutiones Doctores adhibent. Ea tamen mihi verior videtur, quæ affirmat omnes ſi ad conſecrationem unius hoſtiæ concurrentes, intentionem habere conſecrandi ſi ſimul cum Epiſcopo finiant verba. Secus ſi ante, vel poſt. Colligo hanc intentionem ex eo quod omnes admoventur ſimul cum Epiſcopo verba proferre, quæ ſi ea intentione ut effectum haberent eo tempore non dicerentur, vel dicerentur ea intentione, ut effectum haberent antequam Epiſcopus verba finiret, opus non eſſet eos ſic diligenter præmonere, ne Epiſcopum in prolatione præcederent, neve ſubſequerentur. Sic Suar. *diſp.61. ſect.4.* Ægid. de Coninch. *q.82. art.2. num.13.* Neque obſtat periculum morale adeſſe plures irritè formam conſecrationis proferendi, quia hoc periculum honeſtatur ex eo quod aliquando convenit exactius repræſentare inſtitutionem hujus ſacramenti, & paſſionis Chriſti memoriam. Quæ ſine dubio exactius repræſentatur, cùm plures ſacerdotes ſimul cum Epiſcopo non ſolum Euchariſtiam ſumunt, ſed etiam conſecrant. Nam eſto Apoſtoli ſimul cum Chriſto non conſecraverint, id factum eſt ne præſumerentur Apoſtoli ſimul cum Chriſto authores ſacramenti fuiſſe, præterquam quod nondum erant ſacerdotes conſtituti, qui ſi eſſent, fortè ſimul cum Chriſto conſecrarent.

3. Quod

3. Quod vero ſacerdotes excommunicati ſint, depoſiti, aut degradati, non obinde poteſtatem amittunt validè conſecrandi corpus, & ſanguinem Chriſti, quia eorum poteſtas, quæ in charactere fundatur indelebilis eſt, ſicuti tradit D. Thom. ab omnibus receptus, *qu.* 82. *art.* 5. 7. & 8.

4. Quoad miniſtrum diſpenſationis, Catholica veritas eſt neminem alium à ſacerdote miniſtrum Euchariſtiæ eſſe ex officio. Sic ſumitur ex Trid. *ſeſſ.* 13. *cap.* 8. & *cap. pervenit de conſecrat. diſt.* 2. & D. Thom. *q.* 82. *a.* 1. Sylveſtr. *Euchar.* 3. *q.* 4. Henriq. *lib.* 8. *cap.* 54. Ægid. de Coninch. *q.* 82. *art.* 3. Suar. *diſp.* 72. *ſect.* 1. Vaſq. 219. *cap.* 1. Quia nemini alteri à ſacerdotibus dictum eſt à Chriſto Domino; Hoc facite in meam commemorationem, hoc eſt conſecrata ſumite, aliiſque diſtribuite. Neque alius à ſacerdote propriè Chriſtum repræſentat, & mediator hominum eſt conſtitutus, ut munera populi Patri æterno offerat, & oblata populo concedat, ob quam cauſam dixit Paul. 1. Corinth. 4. Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.

5. Ex delegatione autem optimè poteſt non ſolum diaconus, ſed etiam laïcus hoc ſacramentum miniſtrare. Quia jure divino conceſſio hujus facultatis non interceditur. Quinimo Trident. *ſeſſ* 23. *cap.* 1. expreſſè declaravit in diſpenſatione ſacramentorum Eccleſiæ facultatem relicta eſſe ſalva eorum ſubſtantia mutandi & alterandi pro varietate temporum, & fidelium utilitate, quod ſibi viſum fuerit expedire. At miniſtratio Euchariſtiæ non ad ſubſtantiam ſacramenti, ſed ad illius diſpenſationem pertinet, poterit ergo ab Eccleſia aliis à ſacerdotibus committi. Deinde nulla apparet ratio, ob quam committi non poſſit laïcis hæc diſpenſatio, ſiquidem urgente neceſſitate ſacramentum tangere poſſunt juxta antiquam Eccleſiæ conſuetudinem, qua ſolebant laïci Euchariſtiam in domum deferre, manibus tangere & ore accipere propter tyrannorum perſecutionem, teſte Juſtino Martyre *in* 2. *apolog. pro Chriſtianis, ad Antonium Pium, non longe à fine*, imo ſi Euchariſtia in terram eſſet, protecta, poſſet, & deberet laïcus elevare. Itemque ſumere, ſi periculum eſſet ulterioris irreverentiæ, quia quod pro reverentia ſacramenti inſtitutum eſt, non debet in illius irreverentiam cedere. Et ita ſuſtinent Suar. *diſp.* 72. *ſect.* 2. Vaſq. *diſput.* 219. *cap.* 1. *num.* 18. Laymann. *lib.* 5. *ſum. tract* 4. *cap.* 7. *num.* 2. Ægid. de Coninch. *quæſt* 82. *art.* 3. *num* 19.

6. Hanc delegationem diacono non ſolum Pontifex, ſed Epiſcopus, & presbyter urgente tamen neceſſitate communicare poterit, ut manifeſtè colligitur ex Clement. Romano, *lib.* 8. *conſtit. Apoſtolic. c* 28. aliàs 34. Niceno concil. 1. *can.* 18. ſed præcipuè ex Carthagin. IV. *can.* 39 ibi: Diaconus præſente presbytero Euchariſtiam corporis Chriſti populo ſi neceſſitas cogat, juſſus eroget. Neque ad hanc commiſſionem videtur expoſtulanda extrema neceſſitas, ſed gravis, quæ cernitur, cum nullus adeſt ſacerdos, qui commode miniſtrare Euchariſtiam poſſit. Non enim textus ſupradicti neceſſitatis extremæ meminerunt, & antiqua conſuetudine abſque hac neceſſitate extrema diſpenſatio Euchariſtiæ diaconis concedebatur; ſic aliis relatis Suar. *diſp.* 72. *ſect.* 2. *concl.* 3. Henriq. *lib.* 8. *cap.* 54. *num* 2. Paul. Laymann. *lib.* 5. *ſum. tract.* 4. *cap.* 7. *n.* 2. His tamen temporibus, ubi copia ſacerdotum crevit, ratò occurrere poteſt neceſſitas extra mortis periculum committendi hanc facultatem, præcipuè cum jam ceſſaverit conſuetudo communicandi ſub utraque ſpecie, ob quam facilius diaconis diſpenſatio calicis concedebatur, teſte D. Thom. *quæſt.* 82. *art.* 4. *ad* 1. utpote qui non immediatè ſanguinem attingebant, ſed media fiſtula argentea communicantibus propinabant.

7. Laicis vero, & clericis diacono inferioribus extra mortis periculum, & neceſſitatem ſacramenti extremam nulla eſt facultas conceſſa miniſtrandi Euchariſtiam, nec concedi poteſt ab ullo prælato præter Pontificem. Eſt communis ſententia, & colligitur tum ex *cap. pervenit. de conſecrat. diſt.* 2. dicente horrendum, ac deteſtabile eſſe, quod ſacerdotes abſque neceſſitate ſcilicet extrema per laïcum, ac fœminam ſacram Euchariſtiam ægris mitterent. Tum ex concil. Carthagin. IV. *can.* 38. concedente hanc facultatem diacono tantum urgente neceſſitate. Tum ex praxi Eccleſiæ, quæ nunquam aliis, quam diaconis hanc facultatem commiſit. Neque obſtat antiqua conſuetudo, qua laïci accipiebant hoſtiam conſecratam, quam ſumendam propriis manibus domum deferebant Cujus conſuetudinis meminit S. Baſilius apud Anaſtaſium Nicen. in *quæſtionibus ſuper ſcripturam*, Sozomen. *lib* 8. *hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 3. Nicephor. *l.* 13 *c* 7. Quia illa acceptio non tam erat ſacramenti miniſtratio, quam ſacramenti miniſtrari applicatio, & receptio, ſicuti cum ſancti Apoſtoli calicem conſecratum, & à Chriſto conſecratum inter ſe diviſerint.

8. In neceſſitate extrema, quæ adeſt, cum infirmus in proximo eſt periculo moriendi neque eſt ſacerdos, neque diaconus, qui poſſit, vel velit Euchariſtiam miniſtrare, credo ſatis probabile eſſe, laicum miniſtrare Euchariſtiam poſſe ſecluſo ſcandalo. Sic docent Valent. *t.* 4. *diſp.* 8 *quæſt.* 10. *punct.* 1. *ad finem.* Suar. *diſp.* 72 *ſect.* 3. *ad finem.* Coninch *qu.* 82. *art.* 3. *n.* 23. Paul. Laym. *lib.* 5. *ſum tract* 4. *cap.* 7. *ad finem.* Filliucius, *tract.* 4. *cap.* 9. *quæſt.* 5. *num.* 258. & 285. Reginald. *praxi lib.* 29. *n.* 93. adverſus Henriq. *lib.* 8. *cap.* 54. Poſſevinum de communione *cap* 8. *num.* 24. Vaſq. *diſp.* 219. *cap.* 1. Bonac. *diſp.* 4. *q.* 5. *punct.* 1. *n* 6. Eman. Saà, *verbo Euchariſtia*, *num.* 4. & 32. & alios apud ipſos. Moveor, quia nec jure divino laïcis interdicta eſt Euchariſtiæ miniſtratio, nec jure Eccleſiaſtico in neceſſitate extrema. Nam textus in *cap. pervenit* loquitur extra caſum neceſſitatis, expreſsè enim dicit horrendum, & deteſtabile facinus eſſe abſque ulla neceſſitate per laicos, vel fœminas deferri ægris Euchariſtiam. Ergo ſtante neceſſitate maximè extra nullum erit facinus. Quod non leviter confirmat Euſeb. *lib.* 6. *hiſtoriar. cap.* 36. aſſerens olim viros ſanctos miſiſſe viaticum per laicos neceſſitate urgente. Neque obſtat ſolis diaconis inveniri conceſſum urgente neceſſitate. Nam inde non infertur, laicis denegatum eſſe, ſed ſolum infertur non eſſe illis expreſsè conceſſum, benè tamen poteſt eſſe conceſſum virtute, & interpretativè ſpectata Eccleſiæ pietate. Neque item obſtat quod præſenti tempore non videamus unquam à laicis Euchariſtiam miniſtrari: id enim provenire poteſt ex eo quod caſus neceſſitatis non occurrerit, vel non occurrerit publicè, ſed occultè, & miniſtratio Euchariſtiæ occulta fuerit.

9. Adde in prædicto caſu non ſolum alteri, ſed tibimetipſi miniſtrare Euchariſtiam poſſe. Nam licet conſuetudine Eccleſiæ ſtatutum ſit, teſte Trident. *ſect.* 13. *cap.* 8. ut laici à ſacerdotibus communionem accipiant, itemque ne extra Miſſæ ſacrificium aliquis ſibimet Euchariſtiam miniſtret, lex hæc ceſſare præſumitur in caſu extremæ neceſſitatis, ne tanto bono, & fortè ſibi neceſſario moriturus privetur. In cujus teſtimonium adduci ſolet factum illud Mariæ Reginæ Scotiæ, quæ proxima martyrio ſacram Euchariſtiam, quam apud ſe retinebat ſumpſit. Quod ſi dicas id feciſſe vel bona fide, vel ex diſpenſatione ſpeciali Pontificis: unde conſtat ſic à Pontifice ſpecialiter diſpenſatum? Congruentiùs reſponderes id factum eſſe, ne Euchariſtia in manus hæreticorum conculcanda deveniret. Sic docuerunt Caietan. *in c.* 26. Matth. Suar. *diſp.* 72. *ſect.* 3. Laym. *ſum. tract.* 4. *cap.* 7. *n.* 7. *concl.* 4. adverſus Ægid. *q.* 82. *art.* 3. *n.* 27. Vaſq. *diſp.* 219. *cap.* 1. *in fine.* Fagund. *lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 8.

10. Dixi

10. Dixi legem esse consuetudine introductam, ne quis extra Missæ sacrificium sibi Eucharistiam ministret? At hæc lex non est eo rigore recepta, quin urgente aliqua rationabili causa, tametsi non extrema omitti possit. Quocirca sacerdos infirmus, qui celebrare commodè non potest, poterit cessante scandalo è sacrario hostiam consecratam sumere, cum non adsit alius qui ministret, quia non in alienam personam, sed in propriam jurisdictionem à Christo datam administrandi Eucharistiam exercet. Neque in hoc sacramento opus est ministrum à suscipiente distingui, ut patet in die Paraseeve, in quo sacerdos seipsum communicat, tametsi non consecrat. Cajetan *in sum. verbo communio.* Suar. *disp.72. sect.3.* Ægid. de Coninch. *q.82. art.3. n.25.* Paul. Laym. *lib.5. sum. tract.4. c.7. circa fin. concl.4.* Bonac. *disp.4. de sacr. q.5. punct.1. n.13.* Eman. Saà, *verbo Eucharistia n.34. edit. Romana*, & alii plures affirmant ex sola devotione hoc fieri posse, Quinimo Addit Durand. *in 4. d.13. q.4. n.7.* quem sequitur Layman. *lib.5. sum t.4. c.7. concl.4.* Suar. *disp.72. sect.3.* Eman. Saà, *verbo Eucharistia n.35. in Romana edit.* Si sacerdos ægrotet, & per diaconum deferatur Eucharistia, posse, & debere sacerdotem propriis manibus sibi ministrare, quia diaconus non est minister hujus sacramenti, nisi in defectum sacerdotis, qui nec velit, nec possit ministrare, tametsi contrarium sentiat Vasquez *disp.219. cap.1. in fine.* Fagund. *de tertio Ecclesiæ præcepto lib.3. c.3. n.7. in fine*, affirmantes in casu necessitatis diaconum esse ministrum à jure destinatum, cum non adest sacerdos, qui alteri à se Eucharistiam ministret.

11. Ad extremum adverte sacerdotem celebrantem ex hostia, quam pro sacrificio consecravit, posse particulam reservare ad communicandum infirmo, vel sano, quia neque id perfectionem sacrificii diminuit, nec jure aliquo prohibitum invenitur, quinimo factum Christi instituentis hoc sacramentum exactius repræsentat, utpote qui ex eodem pane, & calice consecrato, & sumpsit, & discipulis distribuit. Sic Henriq. *lib.8. cap.46. n.2. in com.* Eman. Saà, *verbo Eucharistia n.15.* Bonac. *disp.4. q.5. p.1. n.14.* Possevin. *de communione sanorum. cap18. n.13.* & alii adversus Graffis *lib.2. cap.37. n.29.* Zambran. *de Euch. c.3. dub.6. n.7.* solum concedentes in casu necessitatis extremæ, ne infirmus sine viatico moriatur.

Punctum XVIII.

De jurisdictione, aliisque conditionibus requisitis pro sacræ Eucharistiæ ministratione.

1. *Debet minister ab omni peccato & censura esse immunis.*
2. *Debet habere jurisdictionem, vel ordinariam, vel delegatam. Habere delegatam omnes sacerdotes probat* Marzilla.
3. *Rejicitur communis sententia.*
4. *Facultas pro hujus sacramenti ministratione sufficit præsumpta.*
5. *Nulla pœna ipso jure afficitur sacerdos, qui absque ulla facultate Eucharistiam ministrat, nisi religiosus sit. Hic autem excommunicatur.*
6. *Approbatio Ordinarii pro hujus sacramenti ministratione non requiritur.*

1. NOn est dubium ministrum Eucharistiæ ab omni censura, & peccato liberum esse debere, uti diximus, & probavimus *tract.18. de sacram. in gen. punct.*.....

2. Deinde jurisdictionem habere debet in personam, cui sacramentum administrat, neque enim decebat alienas oves contra voluntatem proprii pastoris pascere, ut benè ex Concil. Carthaginen.1. *c.7.* Milevit. *can.18.* Tertullian. *de corona militis, c.3. n.33. & 35.* probant Suar. *disp.72. sect.2.* Henriq. *l.8. c.55.* Vasq. *disp.219. c.2.* cæterique communiter. Hæc tamen jurisdictio ordinaria esse potest, vel delegata. Ordinariam appello, quæ ex officio provenit, delegatam, quæ à jurisdictione ordinaria promanat. Hanc autem delegatam jurisdictionem omnes sacerdotes habere triplici communione excepta communione Paschali, communione per viaticum, & communione ex formulis præconsecratis, & in sacrario repositis ausus fuit affirmare Fr. Petr. de Marzilla *ex familia Benedictina in quadam memor. ad Archiepisc. Compostell. pro frequentia Euchar.* Idemque tradidit Ludov. Beja *resp. casuum conscient. p.4 casu 14.* & videtur consentire Barbos. *in remission.* Trident. *sess.23. c.6.* Moventur, quia Trid. optat, ut in singulis Missis fideles adstantes communicent. At non possunt communicare, quin sacerdotes sacrum facientes Eucharistiam illis ministrent. Optat ergo à sacerdotibus hanc fieri administrationem. Ergo sacerdotes ex voluntate concilii Eucharistiam ministrant, atque adeo ex jurisdictione ab Ecclesia accepta. Item Ecclesia in hymno hujus sacramenti testatur. institutum esse, ut sacerdotes sumant, & dent cæteris, Ergo quilibet sacerdos sumens & aliis donare poterit.

3. Cæterum prædicta ratio non urget, ut contra communem sententiam procedamus; siquidem ex ea manifestè infertur triplicem illam communionem excipiendam non esse. Nam Concilium, Hymnusque Ecclesiæ non distinguit, an communio fieri debeat ex præconsecratis; an ex iis quæ in illo sacrificio consecrantur. Aperire autem sacrarium ad rationabilem causam non videtur peccati mortalis damnandum, si ex alia parte sacramenti administratio licet. Adde si ex eo quod sacerdotes instituti sunt, ut sumant, & dent cæteris, infert Marzilla posse extra viaticum quibuslibet Eucharistiam concedere, quare non poterunt infirmis, quibus hoc sacramentum magis est necessarium? Deinde si Ecclesia medio Trid. concedit omnibus sacerdotibus quicunque sint administrare posse Eucharistiam cuicumque fideli, excepta illa triplici communione. Quomodo urget excommunicatio lata, & reservata in Clement. *Religiosi. De privilegiis* adversus religiosos, qui sine licentia Pastoris clericis, aut laicis sacramentum Eucharistiæ ministrare præsumpserint. Hæc enim excommunicatio per Concilium Trid. abrogata esset. Denique privilegia tum religiosis, tum aliis sæcularibus concessa administrandi Eucharistiam superfluerent. Quapropter affirmandum est in prædicto loco Concilii nullam jurisdictionem sacerdotibus pro hujus sacramenti administratione concedi. Et ad argumentum dicimus Concilium optare, ut omnes fideles ad communionem singulis diebus faciendam se disponant, à quo autem sacerdote communio accipienda sit, non definit. Christus autem sacerdotes instituit, ut sumant, & dent cæteris, cæteris inquam, quorum pascendorum cura sibi commissa est.

4. Monent tamen Doctores facultatem pro hujus sacramenti administratione sufficere præsumptam, quæ consistit in eo quod ex aliqua causa probabiliter judices proprio sacerdoti non fore ingratum, quod ejus ovibus Eucharistiam ministres. Cum enim hæc jurisdictio requisita non sit pro valida, sed pro licita hujus sacramenti administratione, opus non est delegationem facultatis præcedere, sed ex eo quod rationabiliter speras delegandam, si peteres, sufficit jure ipso disponente, ut delegata censeatur. Sic Joan. Azor. *lib.10. instit. moral. c.23. q.2.* Navarr. *cap.21. num.52.* Suar. *disp.72. sect.2. paulo post princ.* Vasq. *disp.219. cap.3.* Ex hac præsumpta facultate

credo plures ſacerdotes ſimplices excuſari, ne peccent adminiſtrando Euchariſtiæ ſacramentum, cum ſacrum faciunt. Eſt enim ſatis receptum petere fideles à ſacerdote celebrante quicumque ſit, ut formulam ad communicandum apponat, qua poſita, & conſecrata ſacerdos miniſtrat abſque ullo ſcrupulo, aut examine an communicantis parochus conſentiat, credit enim ex recepta conſuetudine conſenſurum, quoties communio non ex obligatione, ſed ex devotione fit. Adde jam ferè omnes fideles in Hiſpania Bullam Cruciatam accipere, qua ex ſatis probabili ſententia conceditur accipienti ut poſſit ſacerdotem eligere qui ſibi Euchariſtiam extra paſchale tempus miniſtret: præſumere ergo poſſunt ſacerdotes electi ſibi petentes adminiſtrationem Euchariſtiæ habere facultatem vel à parocho, vel à Bulla Cruciata eligendi ſacerdotem, quem maluerint.

5. Qui vero Euchariſtiam miniſtraret abſque ulla facultate præter peccatum mortale nullam pœnam ipſo jure incurreret, niſi ſit religioſus. His enim excommunicatio reſervata Pontifici ipſo facto impoſita eſt in Clement. *Religioſi de privileg.* ſi abſque licentia ſpeciali parochorum eorum ſubditis Clericis, vel laïcis Extremæ Unctionis, vel Euchariſtiæ ſacramentum miniſtrare præſumpſerint. Nomine licentiæ ſpecialis non debet intelligi quæ perſonam miniſtrantem, vel cui miniſtranda eſt Euchariſtia ſpeciali ter, & expreſſè deſignet, neque etiam quæ ſpeciali ter hoc ſacramentum deſignet, ſed quæ huic ſpeciali deſignationi æquivaleat. Quare ſi parochus concedat omnibus ſuis ſubditis, ut à quocunque ſacerdote omnia, & ſingula ſacramenta recipere poſſint: religioſus Euchariſtiam miniſtrans ex licentia ſpeciali, hoc eſt expreſſa miniſtrat, ſicuti benè notavit Vaſq. *diſp.*219. *circa finem.*

6. Præter juriſdictionem aliquis crederet requiri approbationem ab Ordinario, ut hoc ſacramentum Euchariſtiæ miniſtrari poſſit. Etenim cum Trident. *ſeſſ.*23. *c.*15. *de reform.* hanc approbationem expoſtulet pro ſacramenti pœnitentiæ adminiſtratione, & Euchariſtia pœnitentiam conſequatur, effici videtur etiam pro Euchariſtia approbationem requiri. Sed contrarium longè verius eſt. Non enim lex gravans ſacerdotes extendi debet ex uno caſu ad alium, maximè cum non vigeat eadem ratio. Ad ſacramentum enim pœnitentiæ expoſtulavit Concilium approbationem ſacerdotis, quia difficilè adminiſtratur ut par eſt ob varios caſus ibi occurrentes, quæ difficultas in Euchariſtiæ adminiſtratione non cernitur, ideoque opus erat perſonas adminiſtrantes pœnitentiam eſſe ſpecialiter à ſuperiore examinatas, & approbatas, ſecus pro Euchariſtiæ adminiſtratione. Et ita ſuſtinet Suar. *diſp.*72. *ſect.*3. *circa med.* Ægid. de Coninch. *q.*82. *art.*3. *circa fin.* Vaſq.219. *c.*5. *n.*57.

Punctum XIX.

De facultate religioſis conceſſa pro miniſtratione Euchariſtiæ.

1. *Expenduntur privilegia religioſis conceſſa.*
2. *De exceptione facta pro die reſurrectionis.*
3. *Non dein dominica materialis, ſed qua communio Paſchalis accipitur, excepta eſt.*
4. *An ex privilegio conceſſo ordini* S. Hieronymi *ceſſet hæc exceptio? Apponitur quædam ſententia affirmans.*
5. *Sed non videtur probanda.*
6. *Quid intelligatur in privilegio* Pauli III. *Societati conceſſo illis verbis.* Niſi neceſſitas urgeat.
7. *Vagi, peregrini, & forenſes ob quam rationem poſſint Euchariſtiam ſuſcipere.*
8. *Præter communionem paſchalem à privilegiis religioſorum excipitur communio in articulo mortis ex obligatione, non ex devotione.*
9. *Qualiter intelligantur verba* Pauli III. Niſi neceſſitas urgeat.
10. *Tandem excipitur à privilegiis religioſorum ſpecialis Prælati prohibitio.*
11. *Religioſi poſſunt aliis facultatem concedere miniſtrandi Euchariſtiam in ſuis Eccleſiis.*

1. VAria ſunt privilegia religioſis conceſſa quibus ab incurrenda excommunicatione lata in Clement. *Religioſi de privileg.* excuſantur. Nam Nicolaus V. conceſſit minoribus ut excepto reſurrectionis die omnibus Chriſti fidelibus ſacram Euchariſtiam miniſtrare poſſint. Sic habetur in *lib. monumenta ordinum, conceſſ.*149. *& in ſupplement. conſeſſ.*149. *&* 150. Idem conceſſit Sixtus IV. & Leo X. ſicuti habetur *eodem lib. conceſſ.*160. & refertur in *compend. noſtr. privileg. verbo Euchariſtia §.*1. Quod privilegium non ſolum religioſis Medicantibus, ſed non mendicantibus affirmant Joann. Azor. *t.*1. *inſtit. moral. lib.*7. *c.*41. *q.*7. eſſe conceſſum Paul. III. in bulla Societat. conceſſa anno 1545. quæ incipit: *Cum inter cunctas* conceditur omnibus religioſis Societatis facultas poſt miſſas, ſeu ante illarum celebrationem, aut aliàs Chriſti fidelibus Euchariſtiæ, & alia Eccleſiaſtica ſacramenta fine alicujus præjudicio miniſtrandi, diœceſanorum locorum, rectorum parochialium, & aliarum Eccleſiarum, aut quorumlibet aliorum minimè requiſita licentia. Et idem Paul. III. in alia Bulla anno 1549. id ipſum clarioribus verbis explicuit. Omnibus Chriſti fidelibus (inquit) quocunque anni tempore præterquam in feſto paſchatis, reſurrectionis dominicæ, & mortis articulo, niſi neceſſitas urgeret, parochialium Eccleſiarum rectorum licentia minimè requiſita miniſtrare liberè, & licitè valeant. Ex quibus privilegiis manifeſtè conſtat religioſos Societatis Jeſu, reliquoſque Mendicantes, imo & non Mendicantes qui in privilegiis Mendicantium communicant Euchariſtiam miniſtrare poſſe toto anni tempore, excepto reſurrectionis die, & mortis articulo, & prohibitione Prælati interveniente.

2. Primò excipitur reſurrectionis dies. Sed an ſolus dies dominicæ reſurrectionis excipiatur, an dies, quo in feſto reſurrectionis ex obligatione communicare debeas? Variant Doctores Navarr. *cap.*21. *n.*52. Azor. *c.*41. *dict. q.*7. Henriq. *lib.*8. *c.*55. Eman. Saà, *Euchariſtia, n.*10. affirmant ſolum illum diem dominicum reſurrectionis excipi, quia ſic indicat verborum proprietas, aliàs deberet dicere præterquam in Paſchate reſurrectionis dominicæ, ſicuti dixit Nicol. V. & Paul. III. Ergo ex ſupradictis privilegiis Sixti IV. & Leon. X. & Paul. III. poterunt religioſi miniſtrare Euchariſtiam omnibus Chriſti fidelibus, ſive præcepto Eccleſiæ ſatisfacere velint, ſive non quolibet alio die præter diem dominicum reſurrectionis, ipſique ſic communicantes præcepto Eccleſiæ ſatisfacient.

3. Cæterùm multo verius eſt non diem dominicum reſurrectionis materialem, ſed formalem, id eſt, quo præceptum Paſchalis communionis impletur, ſupradictis privilegiis intelligi. Quia intentio Pontificis in excipiendo reſurrectionis die à privilegio religioſis conceſſo Euchariſtiam miniſtrandi fuit; intactum & illæſum conſervare præceptum latum in *c. omnis utriuſque ſexus de pœnit. & remiſſion.* quo cavetur omnes obligatos eſſe de manu proprii parochi tempore paſchali communionem accipere, ut eo facto proprium paſtorem recognoſcant. At hic finis nullatenus obtineretur, ſi omnes à religioſis accipere communionem præceptam poſſint, tametſi non poſſint eam in die dominico reſurrectionis accipere. Atque ita poſſe religioſos communionem concedere

eo

eo die resurrectionis omnibus illis, qui & præcepto communionis Paschalis satisfecerunt, vel intentionem habent sequentibus diebus satisfaciendi. Firmant ut probabiliius Suar. *disput.72. sect.3. & t.4. de relig. tract.10. lib.6. cap.3. n.7.* Ægid. de Coninch. *q.82. artic.5. n.31.* Mirand. *man. Prælat. t.1. q.42. art.3.* Vasq. *d sp.219. cap.4.* Paul. Laym. *lib.5. sum. t. cap.7 n.4.* Fagund. *de Euch. lib.1. c.5. n.9. & lib.3. c.2. n.18.* Bonac. *disp.4 q.5. p.1. n.12.* Sanch. *lib.3. de matr. disp.23. n.19.* & alii apud ipsos.

4. Gravior tamen est difficultas, an ex privilegio concesso conventui B. Mariæ Guadalupe, aliisque domibus religiosorum S. Hieronymi possint omnes religiosi Eucharistiam ministrare cuicumque fideli in die resurrectionis, tametsi ea communione velit præcepto Ecclesiæ satisfacere? Etenim Man. Rodrig. *t.1. quæst. regul. quæst.56. art.3. §. quantum ad secundum.* Hieron. Sorbo, *in compend. privileg. Fratrum minor. & aliorum Mendicantium, verbo communicare*, Vega. 4. *p. casuum conscient. casu* 4. testantur Nicolaum V. concessisse monasterio B. Mariæ de Guadalupe, ut omnes Christi fideles illuc confluentes possint Eucharistiam ibidem accipere etiam in paschate, & satisfacere præcepto annuæ communionis, quod privilegium Paul. III. teste Cardin. Antonio summo illius Pontificis Pœnitentiario extendit ad capellas, grangeas, & loca alia ejusdem monasterii, ita ut religiosi ibidem commorantes possint Eucharistiam ministrare quibuscumque fidelibus illuc confluentibus, & ex obligatione præcepti communicantibus: sicuti refertur in *compend. privileg.* D. Hieron. § 2. & 6. Quinimo testantur supradicti Doctores hanc concessionem specialem extensam fuisse ad omnia monasteria illius ordinis. S. Hieronymi per Pium IV. & Pium V. tametsi in illis non procedat ea ratio, quæ Pontificem movit ad primam privilegii concessionem. Quo posito evidenter infertur omnes Religiosos potestatem habere ministrandi Eucharistiam in die resurrectionis, & in quolibet alio die, tametsi suscipiens ea communione velit præcepto Ecclesiæ satisfacere, quia omnibus Religionibus maximè Mendicantibus privilegia aliarum Religionum per viam communicationis conceduntur, & ita sustinent Vega, Eman. & Sorbus *locis allegatis.*

Quod si adversus hoc privilegium objicias verisimile non esse Pontificem voluisse parochorum jurisdictioni derogare, & ab eorum cura, & sollicitudine oves proprias eximere; facilè satisfacies negando hoc privilegio jurisdictioni parochorum derogari, & ab eorum jurisdictione oves extrahi. Tum quia Pontifex est potissimus parochus ex cujus licentia, & facultate hæc administratio fit. Tum quia parochia specialibus non admittitur facultas administrandi Eucharistiam suis ovibus, sed retenta eorum facultate alii in eorum levamen, & adjutorium designantur. Quæ omnia manifestè patent in facultate concessa pro administratione pœnitentiæ quam Religiosi quolibet anni tempore præstant, nec tamen obinde jurisdictioni parochorum derogatur, nec ab eorum cura oves eximuntur. Quod si iterum objicias per non usum privilegium prædictum amissum esse? obstat; quia ut latè probavimus *tract.4. de legib. disp.4. punct.18.* per non usum non amittitur privilegium, quod in gravamen aliorum non cedit, sicuti prædictum est privilegium. Neque privilegium cedens in aliorum gravamen amittitur per non usum, nisi gravati præscribant adversus privilegium. At nulla est parochorum præscriptio adversus Religiosos prædicto privilegio gaudentes, cum à tempore Pii IV. & V. omnes Pontifices successores privilegia à Pio IV. & V. concessa Religiosis confirmaverint. Adde hoc privilegium Religiosis concessum est, non ut ex obligatione illo utantur, sed ut utantur eo pro suo arbitratu. Quoties autem sic est privilegium concessum, non amittitur per non usum, ut latius prædicto loco dixi. Vide Vegam, Eman. Rodrig. & Fagund. *loc. alleg.*

5. Nihilominus prædictam sententiam probare non audeo, sicut nec audet Fagund. *de Euch. dicto lib.1. c.5. n.16.* Suar. *t.4. de relig. t.10. lib.9. c.3. n.6.* Moveor, quia verisimile non est extensionem factam à Pio IV. & V. admissam esse à Religiosis S. Hieronym. siquidem ea nunquam usi sunt, & multo minus admissam esse à Religiosis aliorum ordinum, & de nostra Religione id manifestum est. Tum ex constit.7. *p. c.4. §.5. in declarat.* Tum ex compend. privil. *verbo Euch. §.2.* Tum ex Bullis Pauli III. relatis, quibus omnibus communio Paschatis excipitur, quæ excepta non esset, si prædictum privilegium à nostris admissum esset, eoque uti possemus. Privilegium autem ut vim habeat, acceptationem illius requirit, ut latà dixi *t. de legib. disp.4. p.3. §.2.*

6. Verum Paul. III. in dicta Bulla anno 1549. videtur exceptionem Paschalis communionis limitasse, ut non procedat *si necessitas urgeat.* Inquit enim Pontifex: facultatem concedimus Eucharistiæ sacramentum quocunque anni tempore ministrandi, præterquam in festo Paschatis resurrectionis dominicæ, & mortis articulo, *nisi necessitas urgeret.* Quæ posteriora verba existimat Suarez *t.4. de relig. tract 10. lib.9. cap.3. num.8.* non solum intelligi de articulo mortis, sed etiam de festo Paschatis, ac proinde posse à Religiosis Societatis Jesu in festo Paschatis communionem præceptam suscipi, si necessitas urgeat. Tunc autem (inquit Suar.) necessitas urgebit, quando adiri non potest parochus, ut Eucharistiam ministret, vel licentiam concedat. Et idem esset dicendum, quando constaret malitiosè licentiam denegare. Tunc enim urget necessitas accipiendi communionem à Religiosis. Probabilis est doctrina, sed contraria iis, quæ ipse Suar. docuerat *t.3. in 3. p. disp. 72. sect.2. circa finem* Quia ad communionem Paschalem fideles non astringuntur, nisi cum adest sacerdos, qui legitimè administret; cessante ergo sacerdote, qui jurisdictionem habeat, Eucharistia non est obligatoria, imo nec necessaria, tametsi utilis foret, si eo tempore reciperetur. Ergo necessitatis titulus in communione Paschali esse non potest, ac proinde ex hoc capite necessitatis non poterunt Religiosi Eucharistiam ministrare tempore paschatis, & ita docuit. Vasq. *d sp.219. c.4. in fine.* Fagund. *de Eucharist. lib.3. c.2. num.11.*

7. Ex hac doctrina probabili Suar. videbitur alicui dicendum vagos, peregrinos, & forenses, quique fixum domicilium nnn habent, suscipere communionem parochialem posse à Religiosis, quia videtur necessitas urgere, cum non habeant parochum, quem audire debeant. Cæterum ob hanc rationem nullatenus Religiosis facultas concedenda est, ut benè probat Suar. *dicto t.4. de relig. tract.10. lib.9. c.3. n.8. 9. & 10.* Nam vagorum parochus, quinimo & peregrinorum, & forensium ille est quoad sacramentorum administrationem, qui fuerit illius parochiæ, in qua vagi, & forenses commorantur. Ergo ad illum accedere possunt pro sacramentorum administratione, ipseque eis sacramenta ministrare tenetur. Ergo si hujusmodi parochus velit his vagis, peregrinis, & forensibus Eucharistiam ministrare, nulla erit necessitas accedendi ad religiosos. Ergo ex exceptione necessitatis Religiosi non habent facultatem his vagis, peregrinis, & forensibus Eucharistiam ministrandi. Verum ex eo quod supradicti firmum domicilium non habeant non commorentur, possunt Religiosi eis Eucharistiam ministrare tempore Paschali, quia prædictis parochis ut pote non firmis, & stabilibus nulla videtur injuria irrogata, si illis

inconsultis Eucharistiam Religiosi vagis, & peregrinis ministrent. Atque ita sustinet, & optimè probat Thom. Sanch. *lib.3. de matr. disp.23. num.17.*

8. Secunda exceptio est de articulo mortis. Et quidem si in eo articulo velis sæpius communicare, cum ea repetita communio non ex obligatione, sed ex devotione fiat, sine dubio possunt tibi Religiosi Eucharistiam ministrare, quia illa communio esto fiat in mortis articulo, id per accidens est, cum jam obligationi illius feceris satis, ut benè notavit Suar. *t.4. de relig. tract.10. lib.9. cap.3. num.13.* Nec tamen obinde infertur tibi ægrotanti, & ex devotione communicanti posse Religiosum per vicos, & plateas deferre Eucharistiam, quia illa solemnis ministratio parochorum est propria. Suar. *dicto cap.3. n.12.* Quare exceptio solum intelligitur de communione in articulo mortis ex obligatione, quam Religiosi, & sacerdotes sæculares facere non possunt, nisi periculum adsit decedendi sine viatico, nisi ipsi administrent. Nam stante ea necessitate omnibus sacerdotibus tam Religiosis, quam sæcularibus concessa est à jure in *cap. quod in te, de pœnitent. & remission.* facultas Eucharistiam ministrandi. Nam esto prædictum caput solum loquatur de pœnitentiæ sacramento, omnes Doctores Eucharistiam per viaticum sumendam ad gravem illius necessitatem extendunt. Adde, si ob periculum mortis absente sacerdote est concessa facultas diacono ministrandi Eucharistiam, ut *punct.17.* diximus: à fortiori sacerdoti concessa erit. Et ita sustinent Suar. *de Euch disp.72. sect.2. in fine & t.4. de relig. tract.10. lib.9. cap.3. à num.11.* Vasq. *disp.219. cap.4. in fine.* Henriq. *lib.8. cap.55. num.1.* Fagund. *de Eucharist. lib.3. cap.1. num.20.* Ægid. de Coninch. *quæst.82. art.3. in fine, num.32.*

9. Sed hinc oritur grave dubium, quare intelligantur verba Pauli III. concedentis Religosis Societatis Jesu, ut possint Eucharistiam in articulo mortis ministrare, si necessitas urgeat, nam necessitate urgente jure communi omnibus sacerdotibus ea facultas concessa est, ut quid ergo Pontifex eam exceptionem fecit; cum nihil videantur ea verba operari? Respondeo id factum esse ob majorem securitatem. Etenim cum sint plures, gravesque Doctores negantes Eucharistiam à Religiosis administrari posse in articulo mortis absque parochi speciali licentia, tametsi ægrotus esset sine viatico decessurus, uti docuerunt Sylvest. *verbo excommunicatio 7. excommunicatio 14. num.32. dubio 3.* Navarr. *cap.21. num.52.* Congruum fuit eam exceptionem necessitatis urgentis exprimere, ut ea expressa omnis occasio dubitandi tolleretur. Sic Suar. *t.4. de relig. tract.10. lib.9. cap.3 num.15.*

10. Tertia exceptio est prohibitio Prælati. Si enim Prælatus ob aliquam rationabilem causam (quæ semper præsumenda est) Eucharistiæ sumptionem tibi absque ejus facultate speciali prohibeat, nequis pro Eucharistia suscipienda ad Religiosos accedere, neque ipsi tibi eam ministrare possunt, quia esset ministratio cum manifesto Prælati præjudicio, quam Pontifex in concessione generali numquam censetur concedere. Et fortè ob hanc causam Paul.III. in privilegio Societati concesso administrandi Eucharistiam ea verba apposuit *sine alicujus præjudicio.* At idem est, si Religiosus vellet Ecclesiam parochialem adire, ibique inconsulto parocho Eucharistiam ex hostiis in sacrario repositis ministrare. Hic enim modus administrandi Eucharistiam non intelligitur concessus in generali concessione: est enim parochis offensivus, ut benè docet Suar. *t.4. de relig. tract.10. lib.9. cap.3. num.4*

11. Ad extremum nota ex privilegio Julii II. Minimis concesso, non solum religiosi possunt Eucharistiam in suis Ecclesiis ministrare, sed ministrandi facultatem aliis concedere. Habetur *in supplement. Minor. concess.143.* & refertur *in compend. nostror. privileg. verbo Eucharistia §.4.* & notavit Ægid. *quæst.82. artic.3. circa finem.* Suarez *dicto, cap.3. num.5.* Quinimo non solum ex superioris licentia, sed etiam ex sacristæ, qui creditur superioris vices habere, possunt simplices sacerdotes in nostris Ecclesiis quibuslibet Christi fidelibus Eucharistiam ministrare, sicuti Societatis Religiosi. Sic aliis relatis docuit Henriq. *cap.55. in comment. litt. C.* Eman. Saà, *Euchar. n.14.*

Punctum XX.

De obligatione, quam sacerdotes habent ministrandi Eucharistiam.

1. *Omnes sacerdotes tenentur in articulo mortis Eucharistiam morienti ministrare: Parochus ex officio.*
2. *Ab hac obligatione non eximitur parochus ob vitæ periculum.*
3. *Quoties fideles rationabiliter petunt Eucharistiam, tenetur parochus ministrare.*
4. *Regulares ab hac obligatione eximuntur.*
5. *Omnibus damnatis ad mortem ministrari Eucharistia debet.*
6. *Quando ab hac obligatione judices eximantur.*
7. *Quo tempore ante mortem danda est iis Eucharistia.*
8. *Qualiter indispositis ad communionem Eucharistia ministrari possit? Præmittitur distinctio de peccatore publico & secreto.*
9. *Peccatori publico petenti Eucharistiam eo loco, quo publicus est, negari debet.*
10. *Si in diverso loco petat, plures censent concedi debere.*
11. *Verius est oppositum, nisi intelligas emendatum esse.*
12. *Proponitur objectio, & declaratur qualiter constare debet aliquem communioni esse indispositum, ut repelli debeat.*
13. *Peccatori occulto publicè petenti, Eucharistia concedi debet.*
14. *Proponitur objectio, & solvitur.*
15. *Notanda est differentia inter sacerdotem obligatum administrare, & inter eum, qui nullam habet obligationem.*
16. *Peccatori occulto, sed probabili, si monitus sit, negari Eucharistia potest ex probabili sententia.*
17. *Peccatori occulto neque emendato, si Eucharistiam secretò petat, deneganda est.*
18. *Limitat* Soto, *ne procedat in parocho tempore obligationis, sed non admittitur limitatio.*
19. *Si ex confessione sacerdos indispositionem agnoscat, plures censent negari non posse Eucharistiam, etiamsi nullus alius à sacerdote adsit negationi.*
20. *Verius est oppositum.*
21. *Leviter, & probabiliter suspectis negari non debet Eucharistia, benè tamen suspectis vehementer.*
22. *Limitant aliqui, ne procedat in articulo mortis. Ex qua limitatione nascitur grave dubium, an hæretico qui ut negativus damnatur morti, concedi possit Eucharistia.*
23. *Qualiter in suspectis ad purgandam suspicionem concedi Eucharistia possit.*

1. Conveniunt ferè omnes Doctores quemlibet sacedotem sive sæcularem deficiente parocho obligatum esse in articulo mortis Eucharistiam morienti ministrare. Quia quilibet ex charitate tenetur proximo suo extremè indigenti subvenire, hoc salutari, efficacissimo, & fortè necessario salutis remedio. Parochus autem non solum ex charitate, sed etiam ex justitia hac obligatione astringitur.

Cui

Cui obligationi ut satisfaciat non solum vocatus ministrare Eucharistiam morienti debet, sed etiam accuratè investigare, an in sua parochia sint aliqui infirmi in periculo mortis constituti, quibus Eucharistia ministranda sit, sicuti colligitur *ex cap. 1. de celebrat. missar.* & notavit Laym. *l. 5. sum. t. 4. c. 5. n. 6.*

2. Quod si ex ea administratione periculum vitæ parocho immineat, sicuti tempore pestis imminere solet, non ob inde ab obligatione justitiæ parochus excusatur, nisi adsint alii sacerdotes, mediis quibus huic obligationi satisfacere possit, ut latè probavi *tract. 6. de charit. disp. 1. punct. 9. circa finem.* Reliqui vero sacerdotes, qui officio aut professione saluti proximorum incumbere non tenentur, ab obligatione ministrandi Eucharistiam cum periculo mortis excusantur, quia hoc sacramentum non est morituro simpliciter ad salutem necessarium, cum possit contritione salutem consequi, sicuti dixi loco proximè allegato.

3. Deinde obligantur parochi ex justitia Eucharistiam suis ovibus ministrare, non solum cum ex præcepto obligantur communicare, sed etiam quoties spectata eorum conditione, & reverentia sacramento debita, rationabiliter petierunt, quia jure petunt quod sibi valdè utile est, cui petitioni parochus obligatus est annuere. Non enim parochus tantum est constitutus, ut necessaria suis ovibus ministret, sed ut ministret valdè utilia, aliàs saluti omnium satis provisum non esset. Sic Navarr. *capite placuit de pœnitent. dist. 6 n. 152.* Suar. *dist. 72. sect. 3. in princ.* Bonac. *disp. 4 q. 3. p. 1. n. 15.* Fagund. *de Euch. lib. 3. c. 3. contra Richard. in 4. dist. 19. art. 2. q. 3.* Sylvest. *confessor. 1. § 18.* Armilla *verbo absolutio n. 27.* Joann. Med. *cod. de confess. q. de confess. per curatos audienda*, asserentes solum obligatos esse parochos pœnitentiam & Eucharistiam ministrare ovibus, cum oves obligantur ea sacramenta suscipere.

4. Huic tamen obligationi regulariter non tenentur parochi per se satisfacere, sufficit si oves remittant sacerdoti, qui æquè benè, & facilè eis Eucharistiam ministret. Quo circa cum ferè in omnibus locis Religiosi adsint, qui ex devotione communicantibus Eucharistiam ministrent, rarò parochus obligari poterit per se Eucharistiam ministrare, sicuti notarunt Bonac. Suar. Fagund. *suprà.*

Posita obligatione parochi ministrandi Eucharistiam, superest explicandum, an sint aliqui casus, quibus à prædicta obligatione excusentur.

5. Primus est de damnatis ad mortem ob crimina perpetrata, an iis ministrari Eucharistia debeat, si humiliter petant? Consuetudo olim fuit in Hispania, & Lusitania teste Covarruv. *lib. 2. var. cap. 1. n. 11.* negandi Eucharistiam morte damnatis prætextu reverentiæ tanto sacramento debitæ, & ne ipsi damnati infamem mortem indictam impia sui occisione prævenirent. Sed hanc consuetudinem utpote juri, & Christianæ pietati contrariam meritò abrogavit Pius IV. in constit. speciali edita de hac re, quamque approbavit Philip. II. Hispaniarum Rex sua lege anno 1569. Etenim cum Eucharistia iis potius hominibus, ut magis afflictis, majoreque peccatorum pondere gravatis, majorique in periculo constitutis nova odii, & impatientiæ peccata committendi magis necessaria sit, nullatenus debebant privari tanto beneficio, præcipuè cum inde nulla irreverentia sacramento fiat, neque morale periculum sit, quod damnati se occidant, aliàs non deberent unquam de morte imponenda moneri. Quapropter judices tenentur reis tempus opportunum concedere, quo se possint ad pœnitentiam, & Eucharistiam suscipiendam prævenire. Neque ulla consuetudine contraria, quæ corruptela est excusari possunt. Sicuti benè tradunt, Henriq. *lib. 8. de Euch. c. 5. n. 4.* Navarr. *c. 25. n. 23.* Petr. Navarr. *lib. 2. c. 3. n. 22.* Suar. *disp. 69. sess. 3.* Tolet. *lib. 2 c. 18.* Paul. Layman. *lib. 5. sum. tract. 4. c. 6. q. 4.* Bonac. *disp. 4. q. 7. p. 1. n. 5.* Eman. Saà, *Euch. n. 2.* colligiturque apertè ex *capite quæsitum 13. q. 2.* & ex Clement. *cum secundum de pœnitent. & remission.* Qui textus esto solum de pœnitentiæ sacramento loquantur, communiter Doctores extendunt ad Eucharistiæ sacramentum ex *c. quod in te, de pœnit. & remiss.* & Gloss. in dicta Clement. Quod adeo verum est, ut etiam relapsis hæreticis communio deneganda non sit, sicuti dixi *tract. de fide disp. 6. p. 1. num. 14.* & ultra ibi relatos ibi docent Henriq. *lib. 8. cap. 5. num. 4.* Fagund. *de Eucharist. lib. 1. c. 4. num. 3.*

6. Ab hac obligatione concedendi tempus ad Eucharistiam suscipiendam eximuntur judices, si ex concessione timeatur grave damnum Reipublicæ, vel alicui tertio eventurum, quod alia via quam celeri morte impediri non potest. Neque enim tenentur judices bono spirituali non necessario nocentis prospicere cum gravi boni communis, vel innocentis jactura. Sic ex aliis notat Fagund. *de Euch. 6. lib. 1. c. 4. n. 3.* Quinimo alii nec improbabiliter excusant judices ab hac Eucharistiæ concessione, si prudenter timeant eo tempore reum esse ab eorum potestate violenter eripiendum, nec impedire possint. Expedit enim reipublicæ, ne rei impuniti recedant, & reverentiæ sacramenti, ne ejus occasione violentiæ, & injustitiæ exerceantur. Rarò tamen id præsumi potest. Illud vero existimo certum, si reo his concessum est tempus ad pœnitentiam & communionem opportunum, ipse vero illorum susceptionem malitiosè distulit ut mortem fugiat, vel differat, non esse obligatos judices iterum opportunum tempus concedere, aliàs in potestate rei positum esset mortem evadere, judicumque potestas elideretur, & reipublicæ non leve detrimentum proveniret. Sic Sotus *lib. 5. de justit. quæst. 1. art. 2.* Reginald. *lib. 29. n. 71* Bonac. *disp. 4. quæst. 7. punct. 1. num. 7.*

7. Etsi una hora ante mortem Eucharistia concedi reo possit, decet tamen ut pridie ante mortem concedatur, vel saltem quatuor, vel sex horis ante Layman. *lib. 5. sum. tract 4. cap 6 q. 4.* Saà *Euch. num. 2.* Fagund. *de Euch. lib. 1. c. 4. n. 3.*

8. Secundus casus est de iis, qui indispositi sunt ad Eucharistiæ susceptionem ob peccatum commissum, an possis eis sacramentum ministrare. Pro cujus solutione præmittendum est diversimodè tibi constare posse accedentem ad communionem indispositum esse. Primò publicè. Secundò secretò. Publicè tibi constat, si constet confessione ipsius in judicio facta. Secundò si sententia condemnatoria lata fuerit. Tertiò si criminis patratio nulla tergiversatione celari possit. Secretò constat, si constat ex notitia, quæ prædictam publicitatem non attingit. Deinde præmittendum est petitionem sacramenti publicam esse posse, vel secretam. Item eo in loco, in quo est publicum delictum, aut alio in quo est secretum.

9. Si peccatum publicum sit jure, vel facto, & in eo peccator perseverat, petatque Eucharistiam eo in loco, quo publicum est, omnes Doctores affirmant te debere Eucharistiam negare, quia petens nec jus verum, neque apparens habet petendi. Quod adeo verum est, ut esto petat coram iis qui delictum ignorant, nullatenus concedi possit, quia absolutè petit quod sibi indebitum est, præcipuè cum speretur brevi tempore coram ipsis delictum evulgandum, moraliter enim reputari debet sacramentum petitum coram scientibus delictum, siquidem brevi tempore præsumuntur delictum scituri. Colligitur conclusio ex *c. multi 2. q. 1.* Cypr. *Epist. 61.* Conc. Aurel. 1. *c. 5.* & pluribus firmat Suar. *disp. 67. sect. 2.* Vasq. *disp. 109.* Laym. *lib. 5. sum tract. 4. cap. 6.*

*q.*3. & alii communiter. Adde ſupradicto peccatori Euchariſtiam denegandam eſſe, quouſque publicè conſtet emendatum eſſe, tametſi ſecretò emendatus ſit, aliàs non vitabitur ſcandalum iniquæ ſuſceptionis, & adminiſtrationis. Etenim cum ipſe publicè petit Euchariſtiam, publicè conſtare debet de recta illius diſpoſitione, *juxta c. ſi peccaverit* 2. *q.*1. Poteris tamen facilè hoc ſcandalum vitare, ſi ex licentia pœnitentis aſtantes moneas de illius recta diſpoſitione. Sic docent Navarr. *cap. ſacerdotes d. ſt.* . *de pœnitent. n.*21. Henriq. *lib.*8. *cap.*56. *n.*3. Saà *Euchar. n.*17. Layman. *lib.*5. *ſum. tract.*4. *cap.*6. *q.*3.

10. Si autem peccato perſeverans Euchariſtiam petat eo loci, quo ejus delictum evulgatum non eſt, nec præſumitur evulgandum, plures doctores cenſent te poſſe, & debere Euchariſtiam concedere, ne ibi proximum bonam famam retinentem infames. Nam eſto probare poſſes ex delicto alibi commiſſo nec emendato eſſe petentem indiſpoſitum; at quouſque id probes, non potes bonum commune Euchariſtiæ illi denegare, & famam illius privata tua authoritate lædere. Sic Vaſq. *diſput.*209. *cap* 2. *circa finem.* Fagund. *de Euchariſt. lib.*2. *cap.*10. *n.*7. *& ſeq.*

11. At verius credo te poſſe Euchariſtiam negare. Nam eſto ex charitate tenearis alibi infamem denuò non infamare abſque cauſa rationabili. At rationabili cauſa urgente, qualis eſt vitare malam ſacramenti ſuſceptionem nequaquam teneris famæ proximi proſpicere, præcipuè cum ipſe abſque ullo jure ſe ingerat communioni, & periculo infamationis exponat. Quinimo exiſtimo non ſolum te poſſe, ſed debere Euchariſtiam ſic petenti negare. Quia ex obligatione teneris ſacramenti irreverentiam vitare cum commodè potes, aliàs non eſſes fidelis diſpenſator. Sed non obſtante infamatione proximi eo loco potes Euchariſtiam illis denegare, quia alibi notorium eſt eſſe indiſpoſitum. Ergo teneris. Et ita ſuſtinet Suar. *diſt.*64. *ſect.*4. *&* 5.

Verum ſi probabiliter præſumere potes peccatorem emendatum eſſe, ut ferè ſemper teneris præſumere, cum tibi contrarium non conſtat, ſine dubio obligatus es ei Euchariſtiam concedere; quia ex ea conceſſione neque ſcandalum etiam latè ſumptum ſequi poteſt, cum ſuſcipiens Euchariſtiam bene eo loci audiat, neque ſacramento irreverentiam ullam irrogas, cum prudenter credas ritè diſpoſito concedere. Sic Vaſq. *d ſp.*209. *c.*2. Fag. *de Euch. lib.*3. *c.*10. *n.*7.

12. Sed hinc oritur non leve dubium practicum, rarò, vel nunquam peccatori publico publicè petenti Euchariſtiam etiam eo loco, quo publicus peccator eſt, denegandam eſſe. Nam eſto jure, vel facto publicus peccator extiterit, poteſt peccati pœnituiſſe, ſicque videris obligatus præſumere, cum Euchariſtiam publicè petit. Etenim ab Euchariſtia nemo repelli poteſt, niſi ob peccatum nondum odio habitum, vel ob excommunicationem à qua non ſit abſolutus, vel ob præceptum ſuperioris communionem interdicentis. At hæc omnia impedimenta te inſcio ſublata eſſe poſſunt; ſicque præſumendum videtur ex eo quod publicè Euchariſtia poſtulatur. Ergo raro quempiam repellere à communione poteris.

Ob hanc objectionem exiſtimo ſumma prudentia opus eſſe in repellendo peccatore publica communione. Sed ab hac prudentia alienum non eſt, ſed potius omnino debitum quod moraliter tibi conſtet, faciáſque aliis conſtare petentem Euchariſtiam à peccato deſtitiſſe, rectéque diſpoſitum eſſe ad illius ſuſceptionem. Nam cum peccatum notum tibi aliiſque ſit, expedit omnino & tibi, & aliis receſſum ab eo notum eſſe. Ex ſola autem Euchariſtiæ petitione ſufficienter hic receſſus præſumi non poteſt. Debet ergo tibi aliunde conſtare ſcilicet teſtimonio confeſſoris, vel Prælati abſolventis, tollentiſque impedimentum, ſi ab eo poſitum eſt. Neque ſuſcepturus Euchariſtiam conqueri poteſt, quod ab eo hoc teſtimonium ſuæ rectæ diſpoſitionis exigas. Quod maximè verum habet in peccatore publico per modum ſtatus, qualis eſt meretrix, uſurarius, hiſtrio turpes comœdias exercens, ſecus modeſtas ad populi recreationem. Hi enim Euchariſtiam petentes teſtimonium pœnitentiæ præſtare debent & ſacerdoti, & aliis. Idemque teſtimonium præſtare debet excommunicatus denuntiatus, qui cum ſcandalo populi in excommunicatione perſiſtit. Qui verò homicidium, adulterium, aliudve delictum perpetravit, ſi aliàs Chriſtianè procedebat, communio concedi poteſt eo ſolum quod communionem ſibi dari publicè petat, quia prudenter præſumi poteſt dignè ad communionem acceſſurus.

13. Si verò peccator occultus ſit, neque emendatus, & Euchariſtiam petat publicè concedi poteſt, ſecus ſi ſecretò petat. Eſt concluſio ab omnibus recepta cum D. Thom. *q.*8. *art.*6. Prima pars habetur expreſsè *cap. ſi tantum, cap. placuit* 6. *q.*2. *& c. ſi ſacerdos de officio ordinar.* Ratio eſt quia præſumi non poteſt Chriſtum velle Euchariſtiæ miniſtrationem in grave detrimentum ſuſcipientis cedere, cum in fidelium favorem fuerit inſtituta. At ſi occulto peccatori publicè Euchariſtia negaretur, cederet in grave illius detrimentum, ſiquidem ea negatione ſecretum illius peccatum manifeſtaretur. Non igitur credendum eſt Chriſti voluntatem, eam eſſe. Præterea occultus peccator, & publicè juſtus publicè probatur dignus Euchariſtia. At in publica bonorum communium diſtributione injuſtum eſt repellere ut indignum, qui ut dignus publicè probatus eſt. Ergo injuſtum eſt publicè negare Euchariſtiam tanquam indigno peccatori occulto, & publicè juſto. Notanter dixi injuſtum eſſe negare Euchariſtiam publicè, peccatori occulto tanquam indigno. Nam ſi alia via negare Euchariſtiam potes ſcilicet conſumendo hoſtias conſecratas antequam ad peccatorem pervenires, illumque ſimul cum aliis abſque communione relinquendo, ſine dubio id facere poſſes, & deberes; quia illa non eſt publica, & infamis repulſa, ſed præteritio, & prudens quædam miniſtrationis omiſſio.

14. Quod ſi objicias illicitum eſſe concedere Euchariſtiam peccatori, quem ſecretò evidenter ſcis eam ſumere velle ad conculcationem, vel uſum magicæ artis, ergo neque licebit concedere, ut ſumat, cum ejus corpus, & anima Deo ſint odibilia? Reſpondeo negando conſequentiam, nam diſpenſatio ſacramenti ad conculcationem, vel uſum magicæ artis, aliena eſt ab inſtitutione hujus ſacramenti. Neque eſt diſpenſatio communis, & nomine Chriſti, ſed iniqua diſtributio, & nomine diſtribuentis facta, ac proinde honeſtari non poteſt ex ſola publica ſuſcipientis dignitate cognita illius ſecreta malitia. Benè tamen diſpenſatio publica ſacramenti in cibum, & potum ſuſcipientis honeſtari poteſt ex publica ſuſcipientis dignitate, quia eſt diſpenſatio communis, & propria hujus ſacramenti, & nomine Chriſti facta. Et hinc ſolvitur argumentum, quare non poſſis concedere enſem apud te depoſitum ei, quem ſcis petere ad ſe, vel alium occidendum, tametſi publicè petat; potes tamen concedere Euchariſtiam in cibum, & potum: quia enſis conceſſio non eſt diſpenſatio communis, & publica, quæ publica tantum ſuſcipientis dignitate honeſtatur, ſed eſt quædam diſpenſatio privata, ac proinde ex privata notitia indignitatis ſuſcipientis regulari debet. At Euchariſtiæ diſpenſatio publica, eſt publica illius adminiſtratio, nomine Chriſti facta; ideoque ex publica ſuſcipientis dignitate, vel indignitate licitus, vel illicitus illius uſus deſumendus eſt.

15. Notanda tamen est differentia inter sacerdotem obligatum administrare Eucharistiam, & inter illum qui hujus administrationis nullam habet obligationem. Si enim secretus peccator, neque emendatus petat à te Eucharistiæ administrationem, cum nullam obligationem administrandi habeas, negare poteris, quia illa non est negatio publica, sed privata, & debita, neque reputari potest indigna repulsa, sed liberalis cujusdam administrationis omissio. Secus si cum petit, obligationem habes ministrandi, & publicè petit, publicè repellere non potes. Ex quo fit, si peccator occultus à te qui parochus non es, administrationem Eucharistiæ publicè petat extra casum extremæ necessitatis, antequam in altari existas ad sacramenti administrationem expositus, posse, & debere ei Eucharistiam negare, quia ut persona privata negas, & non ut publica, si quidem non es ab Ecclesia actu constitutus publicus Eucharistiæ dispensator. Secus esset dicendum, si in altari ad dispensandum esses expositus, quia eo casu jam ab Ecclesia es dispensator publicè constitutus, ac proinde nemini ut indigno negare publicè Eucharistiam potes, qui publicè non probetur indignus. Et idem est si parochus esses, & peccator Eucharistiam publicè petere tempore quo aliàs obligatus esses ministrare, negare nullatenus posses, quia negares ut indigno Eucharistiam qui publicè dignus probatus est. Suar. *disp.67. sect.4.*

16. Placet tamen advertere improbabile non esse quod Henriq. *lib.8. cap.57. num.2.* peccatorem, cujus indispositio ad sacramentum probari testibus potest, ab Eucharistiæ susceptione repelli posse, tametsi publicè petat dummodo prius monitus sit secretò, & recedere non velit, quia cum justè possit accusari & denuntiari, & in exteriori foro de crimine convinci, non videtur ei irrogari injuria anticipata illa negatione, cui ipse causam dedit. Etenim illa negatio non est judicialis Eucharistiæ privatio, sed charitativa ministrationis suspensio, & Eucharistiæ defensio, & custodia quousque susceptientis dignitas examinetur.

17. Secunda pars conclusionis scilicet peccatori occulto, neque emendato, si secreto Eucharistiam petat denegandum esse facilè probatur: quia sacerdos ex officio tenetur vitare quamlibet sacramenti irreverentiam, & pravam illius susceptionem, si id facere possit absque gravi damno proprio, vel alterius. At si peccator Eucharistiam secretò petat nulla ei irrogatur injuria, si denegatur, nullumve scandalum sequitur, siquidem ab omnibus in quorum conspectus denegatur, indispositus esse cognoscitur. Ergo. Quod si ex tribus ibi astantibus unus tantùm esset ignarus indispositionis, non obinde Eucharistia ministranda est, quia scandalum quod ex tali administratione scientibus proveniret, præponderat infamiæ, quæ sequi potest apud ignarum. Neque infamatio apud unum tantæ considerationis esse videtur, inquit Henriq. *lib.8. c.59. n.1. in fine*, ut valeat honestare administrationem sacramenti peccatori factam. Ut hanc tamen negationem sacerdos præstare possit, debet certò cognoscere susceptientis indispositionem, vel ex ipsius confessione, vel ex visu, vel aliorum testimonio manifesto, aliàs gravissimè peccabit repellendo ut indignum à communione, quem indignum esse ignorat.

18. Hanc tamen doctrinam limitat Sotus *in 4. dist.12. qu.1. a.6.* ne procedat in parocho, cum tempore præcepti, vel extremæ necessitatis peccator occultus ab eo Eucharistiam petit; quia petit quod parochus obligatus est ministrare ex officio, cujusque susceptionis ipse probatus non est indignus. Sed hæc limitatio nullatenus admittenda est, sicuti neque eam admittunt communiter Doctores, teste Vasq. *disp.109. cap.5. à n.49.* Etenim secreta denegatio Eucharistiæ à parocho facta non est occulti peccatoris judicialis punitio, quæ culpam juridicè probatam requirit, sed est quædam denegatio præmii, quod est peccatori indebitum, & quædam fraterna correctio ex obligatione proprii muneris, ad quam faciendam sola notitia certa indispositionis requiritur.

19. Sed quid si sacerdos crimen nondum emendatum ex sola confessione agnoverit? Plures & satis probabiliter censent Eucharistiam concedi debere, nec negari posse, tametsi nullum adsit infamationis periculum. Quia illa negatio vix excusari potest à tacita criminis exprobratione, & sigilli violatione, qua sacramentum pœnitentiæ odiosum redditur. Sic docent Palud. *in 4. dist.9. quæst.4. art.1. concl.3.* Silvest. *Euchar.3. quæst.5.* Navarr. *cap.21. num.55.* Valen. *t.4. disp.9. quæst.8. punct 3.* Ægid. de Coninch. *quæst.80. art.6.* Sancius *lib.3. de matr. disp.36. num.14.* Fagud. *de Euchar. lib 3. cap.10. n 23.* Laym. *lib.5. sum. t.4. cap.6. q.3. conclus.2.* & alii.

20. Nihilominus verius censeo negari supradicto peccatori Eucharistiam posse. Sic pluribus relatis Vasq. *disp.209. cap.5. fine.* Suar. *disp.67. sect.3.* Moveor: quia talis denegatio non est infamatio pœnitentis, siquidem nullus alius suspicari potest negatam esse Eucharistiam ob malam susceptientis dispositionem, quia nullus alius præter sacerdotem, & susceptientem præsens est tali denegationi, ut suppono. Neque ea denegatio ullam peccatori irrogat injuriam, quia ipse nullum habet jus petendi Eucharistiam, cum non habeat gratiam. Neque denique est exprobratio peccati, aut sigilli violatio, sed quædam actio orta ex scientia habita per confessionem, qua scientia uti licitum est ad proprias actiones moderandas, cum nullum adest sigilli violationis periculum. Quod hoc exemplo declaro: si enim cognosceres ex confessione peccatorem Eucharistiam petere ad illam conculcandam, sine dubio eam illi negare posses. Item si cognosceres ensem à te petere, ut te interficiat, non esses obligatus illi concedere, quia horum denegatio non est peccati objurgatio & revelatio, sed prudens sacramenti, & propriæ vitæ defensio. Ergo denegatio Eucharistiæ ob indispositionem in confessione cognitam non est sigilli vilatio, aliàs neque ob vitandam mortem, neque ob aliud quodcunque malum licita esse posset.

21. Tertius casus est de his, qui criminis suspicione laborant, an iis concedi possit, & debeat Eucharistia, si petant: Pro cujus solutione præmitti debet ex Glossa in *cap. dixit Dominus, 32. quæst.1. verbo suspicio*, & ex his quæ diximus *tract.4. de fide disp.7. punct.1.* triplicem esse suspicionem, levem, gravem, & violentam. Levis suspicio secundum omnium sententiam communionem concedere non impedit, quia ob levia indicia delicti nemini sunt neganda bona debita. Gravis suspicio, quæ ex gravibus indiciis nascitur, alicui videri posset impedire ne communio concedatur: ob periculum ne sacramentum indigno concedatur. Verum hoc periculum ministranti imputari non potest, cum non possit negare Eucharistiam ex indispositione susceptientis probabiliter tantum cognita. Etenim quilibet fidelis jus habet, ut sibi Eucharistia concedatur, à qua concedenda repelli non potest, quin illius susceptiendæ probetur indignus. At ex indiciis, quæ gravem suspicionem generant, sufficienter indignitas non probatur, possunt enim falsò subesse, utpote quæ probabilitatem inducunt, non certitudinem. Quocirca sola suspicio vehemens, & violenta, quia moralem delicti certitudinem constituit, à communione concedenda impedit: impedit namque à communione publicè, & secretò concedenda, si suspicio publica sit, à communione vero secretò concedenda impedit secreta suspicio. Sic ex communi sententia Henriq. *lib.8. cap.56. n.5.* Suar. *disp.67. sect.6. circa finem.* Vasq. *disp.209. cap.5. fine.* Laym. *lib.5 sum. t.4. c.6. q.3. vers. Addo 3.* Fag. *de Euc. l.3. cap.10. n.29.*

22. Limitat tamen Henriq. Suar. & Fagund nè procedat in articulo mortis, in quo ſi violenter ſuſpectus de crimine ſigna contritionis oſtenderit, à ſacramenti ſuſceptione repelli non debet, tametſi (ut inquit Suar. & Fagund.) delictum non confiteatur, quia ſigna contritionis in eo articulo ſuſpicionem violentam enervant. Ex qua doctrina fortè inferet aliquis, hæretico negativo concedendam eſſe Euchariſtiam in articulo mortis, ſi ſigna contritionis dederit, tametſi delictum non fateatur. Quia ob ſolam vehementem ſuſpicionem impœnitentiæ damnatur. Etenim cum neget delictum plenè probatum, ſuſpicionem violentam gignit ab eo nolle recedere. At ſuſpecto vehementer de crimine in articulo mortis, inquit Suar. & Fagund. Euchariſtiam concedi debere, ſi ſigna contritionis oſtenderit, tametſi crimen non fateatur. Ergo hæretico negativo concedi poterit Euchariſtia. Deinde huic hæretico conceditur ſacerdos, qui poſſit eum à peccatis abſolvere, ſed cui pœnitentia conceditur, Euchariſtia denegari non debet, cap. *quod in te de pœnitent. & remiſſion.* Item prædicto ſuſpecto exigi poterat, & de facto exigitur juramentum de veritate manifeſtanda, ſed cui juramentum exigitur ad purgandam ſuſpicionem, Euchariſtia concedi poteſt. Ergo. Præterea continget ſæpè ſic morti damnatum ob negationem hæreſis probatæ nullum in tali negatione peccatum committere, quia immunis eſt à delicto falſis teſtibus comprobato, vel quia ex aliqua probabili cauſa præſumit ſe eſſe excuſatum à veritate manifeſtanda. Ne igitur ſic damnatus abſque Euchariſtia moriatur, concedi omnibus debet.

In contrarium (ut credo) conſuetudo, forte quia ſigna contritionis præſumptionem violentam impœnitentiæ non exiſtimantur minuere, dum delictum negatur, ſiquidem illis ſignis non obſtantibus reus morti damnatur. Stante autem præſumptione violenta delicti, omnes Doctores firmant Euchariſtiam concedendam non eſſe. Ergo his hæreticis negativis meritò Euchariſtia negatur. Deciſionem cenſoribus fidei remitto. Eſt enim caſus examinatione, & conſideratione dignus.

23. Tandem inquies, an Euchariſtia dari poſſit iis ſuſpectis ad purgandam ſuſpicionem? Qua in re eſt certum, ſi ea intentione detur Euchariſtia, ut Deus ſua omnipotentia extra naturæ ordinem innocentiam ſuſcipientis manifeſtet, omnino illicitum eſſe, quia eſt Dei manifeſta tentatio, ut conſtat ex D. Thom. ab omnibus recepto 2. 2. *quæſt.* 97. *art.* 1. ideoque purgatio, quæ per ferrum candens, & aquam ferventem aliquando fuit in uſu, meritò abrogata eſt in *cap. ult. purgat. vulgar. cap. ex tuarum, & aliis de purgat, can. & cap. conſuluiſti, cap. Mennam, cap. ſæpè contingit,* 2. *quæſt.* 5. & tradit D. Thom. & ibi ejus expoſitores *quæſt.* 80. *art* 6. Verum ſi iis ſuſpectis Euchariſtia concedatur, ut illius ſumptione tanquam quodam juramento aliquo modo ſuſpicionem purgent, & veritatem declarent, ex ſe illicitum non eſt, eſt tamen illicitum ſpectata conſuetudine à jure approbata. Prior doctrinæ pars ex ſe manifeſtè liquet. Quæ enim malitia eſſe poteſt, quod à ſuſpectis de crimine exigatur ſumptio Euchariſtiæ, ſicuti exigitur juramentum: Non enim in hac ſumptione eſt aliqua Dei tentatio, tametſi ſuſcipiens Euchariſtiam mortem ſubitaneam ſibi imprecetur, ſi malè ſumpſerit, ſicuti non eſt tentatio, quod jurans ſibi mortem ſubitaneam imprecetur, ſi veritatem non dixerit. Sed in utroque caſu eſt quoddam execratorium juramentum. Et ſicut cum juramentum exigitur à ſuſpecto de crimine, non præſumitur falsò juramentum, ſic cum exigitur Euchariſtiæ ſumptio, non præſumitur malè ſumpturum, ſed potius à ſumptione Euchariſtiæ ceſſaturum. Ergo purgatio per Euchariſtiæ ſumptionem ex ſe illicita non eſt: ideoque in concil. Wormacienſi *can.* 10. *relato in cap. ſi Epiſcopo,* 2. *q.* 5. *& in can.* 15. *relato cap. ſæpè eadem cauſa, & quæſt.* purgatio per Euchariſtiæ ſumptionem approbatur. Quæ ſi ex illicita eſſet, nullatenus à concilio approbaretur. Nam licet illud Concilium generale non fuerit, ſed provinciale, non eſt credendum in re tam gravi erraturum.

Quod vero conſuetudine approbata à jure purgatio per Euchariſtiæ ſumptionem illicita ſit, probatur efficaciter ex *cap. ex tuarum de purgat canon.* ibi enim purgatio per aquam frigidam eſt inſufficiens reputata, quia peregrina erat, & extra uſum, & inquit textus; peregrina judicia ſunt inhibita. At purgatio per Euchariſtiæ ſumptionem in deſuetudinem venit ob gravia inconvenientia, quæ inde ſequi poterant. Ergo ex ſupradicto textu hæc purgatio ut pote peregrina inhibita cenſetur, & conſequenter illicita. Ex quo fit graviter maritos, Prælatos, & judices peccaturos, qui ad purgandam ſuſpicionem uxorum, ſubditorum, & litigantium, ſumptione Euchariſtiæ utuntur, & in his conveniunt Doctores cum D. Thom. *q.* 80. *art.* 6. & tradit optimè Vaſq. *diſp.* 210. *cap.* 3. Suar. *diſput.* 67. *ſect.* 6. Henriq. *cap.* 56.

Monet tamen Suar. *dicta diſp.* 67. *ſect.* 6. *in med.* prædictam purgationem ſumptione Euchariſtiæ illicitam non eſſe, ſi ex libera cujuſque voluntate aſſumatur, quia ſic aſſumpta non eſt extra uſum, præcipuè cum Gregor. VII. coram Henrico IV. (ut refert Lambertus *in hiſtoria rerum Germaniæ*) in probationem ſuæ innocentiæ Euchariſtiam ſuſcepit, invitavitque Henricum, ut faceret, qui auſus non eſt vehementem ſuſpicionem de illo habitam hoc tam divino, & alto ſacramento purgare.

TRACTATUS XXII.

ET

DISPUTATIO UNICA,

DE EUCHARISTIÆ SACRIFICIO.

PUNCTUM I.

An in confectione Eucharistiæ vera ratio sacrificii inveniatur.

1. *Quid sit sacrificium.*
2. *Qualiter sacrificium ab adoratione, & oblatione distinguatur.*
3. *Proponitur, dubitandi ratio, qualiter in confectione Eucharistiæ vera ratio sacrificii sita sit.*
4. *Confectio Eucharistiæ Missa dicitur.*
5. *Vera ratio sacrificii in confectione Eucharistiæ sita est.*
6. *Res oblata est Christus sub speciebus panis & vini.*
7. *Fit satis rationi dubitandi* n. 3. *adductæ.*

1. PRæmittendum est ex communi Doctorum sententia, teste Henriq. *lib 9. cap.3.* Azor. *1 l.b.10. cap.17. quæst.2* Vasq. *disp 220.* & ex his diximus *tract.8. disp.2. punct. unico*, sacrificium proprié sumptum oblationem esse, qua non solum interius, sed exterius recognoscitur Deus ut supremus omnium Dominus, vitæque, & mortis Author. Dicitur oblatio, quia quodlibet sacrificium est oblatio utpote quo aliquid Deo offertur, non tamen quælibet oblatio est sacrificium, siquidem primitiæ, & decimæ offerebantur, non tamen earum oblatio sacrificium erat, ideòque *in Psal.39. & ad Hebr.5.* sacrificium, & oblatio ut distincta enumeratur, Inquit enim David: Sacrificium, & oblationem noluisti, & Paulus: Ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis. Deinde sacrificio non solum interius, sed exterius debet supremum Dei dominium recognosci. Quia sacrificium est præcipuus Dei cultus externus, eoque populus testatur unius esse fidei. Hinc colligunt communiter Doctores nullius rei oblationem rationem sacrificii habere posse, nisi ad hunc finem à suprema potestate fuerit assumpta. Nam cum nulla res ex se hanc significationem habeat, neque illam habere possit pro cujusque arbitrio, manifestè infertur à supremo principe, capiteque reipublicæ illam habere debere. At cum supremus princeps non omnibus indiscriminatim hanc sacrificandi potestatem concesserit, sed aliquibus in particulari, ii tantum sacrificare poterunt, ob quam causam dixit Paul. ad Hebr.5. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus,&c. indiget enim assumptione, nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Præterea sacrificio Deus recognoscitur. Non enim alteri quam Deo sacrificare possumus, teste Augustin. *lib.10. de civit. Dei cap.4. & lib.8. cap.27.* D.Thom. *2.2. quæst.93. art.3.* & Trident. *sess.22. cap.3.* non enim alius à Deo vero, ut supremus Dominus, & omnium author recognosci potest. Neque his obstat, quod gentes Diis falsis, & dæmoniis immolabant, quia illarum immolatio non sacrificium verum sed sacrilegium erat. Neque obstat, quod sanctis Martyribus, Angelis, & Deiparæ Virgini templa, & altaria consecrentur, ut eis sacrificia offeramus, sed ut eorum patrocinia, & orationes inter sacrificandum expostulemus. Tandem sacrificio recognosci debet Deus non utcunque, sed ut supremus omnium Dominus vitæ, & mortis author. Ut autem hanc recognitionem res oblata significet, per sui mutationem offertur. Ea enim mutatione testantur sub dominio Dei omnia esse, ipsumque omnia destruere, & conservare posse, ideoque nullum sacrificium fuit in lege naturæ, & veteri absque rei oblatæ mutatione. Nam licet de sacrificio panis, & vini, quod obtulit Melchisedech Genes. 14. nullius mutationis scriptura mentionem fecerit, at credendum est panem oblatum esse in clibano coquendum, juxta illud Levit. 2.7. 24. & vinum vel effusum esse, vel in libamen alterius rei oblatæ ipsum oblatum esse, ac proinde per mutationem panis, & vini sacrificium contigisse. Dixi *exterius, & interius Deum ut supremum Dominum, omniumque authorem esse recognoscendum*, nam si solum exterius recognoscerem absque interiori recognitione explicata, vel implicita non verè, sed fictè sacrificares, quia quatenus à te signum illud procedit, non exprimit internam æstimationem Deitatis. Rursus sacrificium præter recognitionem supremi Domini, & potestatis alia motiva accessoria habet, scilicet fieri in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, & in aliorum impetrationem, & in expiationem pro peccatis. Quod si præter hæc sacrificium aliquod aliam significationem habeat, ut habuit sacrificium Melchisedech, & Agni paschalis, quod Eucharistiam significavit, accidentalis, & extrinseca est ea significatio, neque ad sacrificii rationem propriè pertinet, aliàs supradicta non essent sacrificium, si Christus Eucharistiam non instituerat, quod non est dicendum, cum facta fuerint in cognitionem supremæ potestatis per legitimum ministrum.

2. Sed inquires qualiter sacrificium ab adoratione, & oblatione distinguatur, cum possis adorare Deum ut supremum Dominum, & authorem omnium, & sub eadem ratione ei aliquid offerre. Non igitur ab hac adoratione, & oblatione sacrificium distingui-tur? Respondeo ab adoratione, & oblatione absolutè sumptis facilè sacrificium distingui. Ab adoratione namque distinguitur, quia adoratio non petit Deo aliquid offerri, cum fieri possit signo quodam transeunte, nostram erga Deum submissionem significante, quale est inclinatio, genuflexio. At sacrificio aliquid

aliquid Deo offertur. Ab oblatione autem diſtinguitur, quia oblatio per ſe non petit ſuperiori fieri. Sed quia contingere poteſt aliquam oblationem fieri Deo ut ſupremo Domino, ipſumque ea oblatione ut talem adorari, ſicuti contingit in oblatione thuris, quo Deus odore perfunditur, videndum eſt qualiter ab hac oblatione, & adoratione ſacrificium diſtinguatur? Reſpondeo ex expreſſiori ſigno, & ſignificatione diſtingui. Sacrificium namque ex ſe poſtulat, ut res oblata aliquo modo mutetur, ut ea mutatione manifeſtè exprimatur Deum pro nutu ſuæ voluntatis omnia mutare, conſervare, ſeu deſtruere poſſe. At adoratio, & oblatio hanc mutationem non expoſtulant, ideoque non æquè exprimunt ſupremum dominium, & poteſtatem. Quo circa in oblatione thuris & adoratio, & oblatio, & ſacrificium eſſe poteſt. Sed ſub diverſa ratione, eſt adoratio quatenus eo ſigno te Deo ut ſuperiori ſubmittis; & oblatio quatenus Deo in odorem converſum offertur, qui odor ſi abſque conſumptione thuris emitti poſſet, æquè oblationi aptus eſſet. Eſt tamen ſacrificium, quatenus conſumitur, & exhalatur, & ea conſumptione, & exhalatione, teſtatur Deum omnia conſervare, & deſtruere poſſe, ſupremumque dominium & poteſtatem habere.

3. Ex his ſuboritur ratio dubitandi, qualiter in confectione Euchariſtiæ vera ratio ſacrificii inveniri poſſit? Nam cum Chriſtus Dominus, qui eſt res oblata in Euchariſtia (ut Doctores Catholici teſtantur) non mutetur, ſed in ſe immutatus perſiſtat, non videtur rationem ſacrificii habere poſſe: Quod ſi dicas mutari, quatenus ſub ſpeciebus panis, & vini per conſecrationem conſtituitur: Obſtat, quia ſub ſpeciebus panis & vini conſtituitur Chriſtus abſque ſui mutatione ſubſtantiali, eo ſolum quod ſubſtantia panis & vini in ipſum convertantur, quare mutatio non tam eſt Chriſti, quàm panis, & vini. Si vero dicas mutari Chriſtum non per ipſius deſtructionem, ſed per novam illius reproductionem, ad rationemque ſacrificii ſufficiens eſſe oblatum quolibet modo mutari, ſive deſitione, ſive nova productione, quia qualibet ex iis mutationibus ſuprema poteſtas recognoſci poteſt: Obſtat: quia incertum eſt & ſatis ſub opinione poſitum Chriſtum in hoc ſacramento ſubſtantialiter reproduci. At omnino eſt certum in hoc ſacramento in ſacrificium offerri. Ergo ratio ſacrificii ab illa opinione pendere non poteſt.

4. Pro hujus difficultatis ſolutione primo ſtatuendum eſt, confectionem Euchariſtiæ Miſſam à ſanctis Patribus, & Conciliis nuncupari. Nam eſto Miſſa quæ vox Latina eſt, propriè & in rigore ſignificaverit tum dimiſſionem catechumenorum quam ſacerdos, vel diaconus finitis orationibus, & ſacra lectione ante oblationem faciebat, tum dimiſſionem populi Chriſtiani quæ peracto ſacrificio fit, teſte Bellarmino *tom. 2. lib. 1. de Miſſa cap. 1.* At communi, & frequenti uſu pro toto ſacro uſurpatur, ſicuti fecit Ambroſ. *lib. 3. epiſt. 33.* & Auguſt. *ſerm. 9. de tempore.* & ſpecialiter Trident. *ſeſſ. 22. cap 2. initio.*

5. Secundò in confectione Euchariſtiæ verum, & proprium ſacrificium offerri docuit Trident. *ſeſſ. 22. c p. 1. & 2. & can. 1.* Alià Eccleſia Catholica nullum ſacrificium haberet, ſiquidem nec oves, nec boves in ſacrificium offert, neque ſub hac ratione incenſum adolet, ſed ut Deum adoret, & excellentiam illius recognoſcat.

6. Tertio, in prædicto ſacrificio res oblata eſt Chriſtus ſub ſpeciebus panis, & vini. Sic enim Patri æterno offertur. Tum ab ipſo Chriſto ut principali offerente, tum à ſacerdotibus, qui ſunt ejus miniſtri, ut latè declarat Tridentin. *loco allegato.* Qua ratione hoc ſacrificium eſt infinitæ dignitatis. Neque panis, & vinum ad rem oblatam hujus ſacrificii intrinſecè pertinent, aliàs ea parte non eſſet ſacrificium ſummæ dignitatis, neque idem cum ſacrificio, quod Chriſtus Dominus in ara crucis obtulit, cum ibi non fuerit panis, & vinum, neque aliquid loco illorum, quod ſimul cum Chriſto Patri æterno oblatum eſſet. Reſtat ergo, ut ſolus Chriſtus ſit, qui Patri æterno in hoc ſacrificio offertur.

7. Exhis rationi dubitandi reſpondeo Chriſtum Dominum in hoc ſacrificio offerri, non prout eſt in ſe, ſed prout ſub ſpeciebus panis, & vini ex vi conſecrationis conſtituitur, quia ſub hac ratione ipſe ſubſtantialiter mutatur, quatenus in ipſum ſubſtantia panis, & vini convertitur, quæ mutatio ſufficiens eſt ad veram rationem ſacrificii. Sic ex communi ſententia tradit Suar. *diſput. 75. ſect. 1.* Ægid. de Coninch. *quæſt. 83. artic. 1. dub. 4.* Neque mihi probatur ſententia Vaſq. *diſp. 220. cap. 3. numer. 26. & diſput. 222. cap. 7. & 8.* aſſerentis ad rationem hujus ſacrificii nullam requiri in re oblata mutationem, ſed ex eo quod repræſentet mutationem alibi in ſe factam ſufficienter rationem ſacrificii ſortiri. Diſtinguit namque Vaſquez duplex ſacrificium, aliud abſolutum, aliud commemorativum, ad ſacrificium abſolutum mutationem rei oblatæ expoſtulat, ſecus ad ſacrificium commemorativum. Hoc enim quia commemorat ſacrificium quod verè mutatum eſt, tametſi ipſum non mutetur, veram ſacrificii rationem habet. Quod ſi objicias inde ſequi ſacrificia antiqua Chriſti mortem commemorantia veram ſacrificii rationem habitura, tametſi nullam in re oblata mutationem haberent? Reſpondet ipſe Vaſquez nullatenus id verum eſſe, quia ad ſacrificium commemorativum, quod ſine ſui mutatione offertur, requiritur (inquit) quod res oblata in eo ſacrificio commemoret mutationem non alterius, ſed ſui ipſius in alio ſacrificio factam: cum autem omnia ſacrificia antiqua non ſui, ſed Chriſti mutationem præfigurabant, ideo ob ſolam commemorationem rationem ſacrificii habere non poterunt. Secus Chriſtus in ſacrificio Miſſæ oblatus, qui abſque ſui mutatione mutationem in Chriſto factam commemorat. Non inquam mihi probatur hæc doctrina. Nam eſto ſacrificium Euchariſtiæ commemorativum ſit ſacrificii in cruce oblati, non ob eam ſolam rationem ſacrificium eſt, ſed quia ibi Chriſtus ſub ſpeciebus panis, & vini Patri æterno offertur, & incruentè immolatur. Præterea eſt doctrina noviter inventa ad effugiendam difficultatem. Neque eſt ullus alius Doctor, qui eam admittat. Omnes enim ad ſacrificium propriè ſumptum mutationem rei oblatæ requirunt. Præterea quo Fundamento aſſirmatur ad ſacrificium ſufficere, quod res oblata commemoret mutationem ſui in alio ſacrificio factam, eodem affirmari poterit ſufficere, quod alterius ſacrificii mutationem commemoret. Hac enim commemoratione Deus author vitæ; & mortis ſignificari poterit. His poſitis.

Quæſtioni reſpondeo confectionem Euchariſtiæ verum ſacrificium eſſe; quia media Euchariſtiæ confectione offertur Deo Patri ejus Filius ſub ſpeciebus panis, & vini à legitimo miniſtro in ſupremæ poteſtatis, & dominii recognitionem. Ergo eſt verum ſacrificium, adeſt enim legitimus miniſter qui eſt ſacerdos, res oblata ſenſibilis, qui eſt Chriſtus ſub ſpeciebus panis & vini cum ſufficiente ſui mutatione, ut ſupremum dominium, & poteſtas recognoſci poſſit. Etenim ſacerdos conficiens Euchariſtiam ita Patri æterno ejus Filium offert ſub ſpeciebus panis & vini, ut ea oblatione neceſſario ſubſtantiam panis, & vini, deſtruat, & in corpus, & ſanguinem Chriſti oblati, & myſticè mactati convertat. Ergo offert Chriſtum ſub ſpeciebus panis cum ſufficiente mutatione ad ſacrificium. Nam eſto Chriſtus in ſe non mutetur, ſufficit quod quatenus ſub ſpeciebus panis conſtituitur,

tur, mutationem, & myſticam mactationem recipiat. Sub qua mutatione, & myſtica mactatione æterno Patri offertur. Ergo offertur cum ſufficiente mutatione ad ſacrificium, ſiquidem ea mutatione ſatis ſignificatur Deum vitæ, & mortis authorem eſſe.

PUNCTUM II.

An in ſola confectione Euchariſtiæ ſub una vel duplici ſpecie vera ratio ſacrificii ſita ſit.

1. *Proponitur quæſtio.*
2. *In ſola conſecratione eſſentia ſacrificii conſiſtit, reliquæ partes ad ornatum, vel integritatem pertinent.*
3. *Conſumptio ad perfectionem extrinſecam ſacrificii pertinet.*
4. *In conſecratione unius tantum ſpeciei veram rationem ſacrificii eſſe, qualiter probetur.*
5. *Hinc plures inferunt poſſe Pontificem rationabili cauſa intercedente diſpenſare, ut conſecratio in una tantum ſpecie fiat.*
6. *Verius eſt ad eſſentiam ſacrificii Euchariſtici utriuſque ſpeciei conſecrationem requiri.*
7. *Pit ſatis fundamentis oppoſitis.*
8. *Jure divino ſtatuta eſt utriuſque ſpeciei conſecratio.*
9. *Pontifex diſpenſare non poteſt, ut ſub una tantum ſpecie fiat conſecratio.*
10. *Satisfit fundam.* n.5. *adductis.*
11. *Aliud eſt ſacrificium imperfectum facere, aliud imperfectum relinquere. Illud non licet unquam, hoc aliquando.*

1. EX *ſuperiori puncto* conſtat Euchariſtiæ confectionem verum eſſe ſacrificium. Supereſt inquirendum, an in ſola illa, an etiam in aliis conſecrationem comitantibus, vel ſubſequentibus ratio ſacrificii ſita ſit.

2. Et omiſſis variis ſententiis affirmandum eſt cum communi in ſola conſecratione eſſentiam ſacrificii ſitam eſſe, reliquaſque actiones antecedentes, & ſubſequentes vel ad ornatum, vel ad integritatem ſacrificii pertinere. Sic Azor. *lib.*10. *inſt. moral.c.*19. *q.*2. Leſſius *lib.*2. *c.*38. *dub.*2. *num.*16. Suar. *de ſacrificio miſſæ. diſput.*75. *ſect.*4. *concl.*1. *&* 3. Ægid. de Coninch. *quæſt.*83. *art.*1. *dub.*5. *numer.*84. *& ſeqq.* Vaſquez *diſput.*222. *per totam.* & tradidit Iræneus *lib.*3. *cap.*23. *num.*7. Cyprian. *ſerm. de cœna Domini.* Chryſoſtom. *hom. de prodit. Judæ.* Gregor. Niſſenus *lib.*4. *dialog. cap.*18. & alii relati à Vaſq. *dicta diſput.*222. *cap.*5. Prior pars concluſionis ſcilicet in conſecratione eſſentiam ſacrificii ſitam eſſe ſuperiori puncto probata eſt. Quod vero in ſola illa conſiſtat inde prono, quia ea ſufficienter Chriſti mors repræſentatur, & Patri æterno ejus Filius offertur actu ipſo conſecrationis, & ex intentione miniſtri, ergo nulla alia re indiget, ut veram ſacrificii rationem habeat. Quod amplius confirmati poteſt ex probatione ſecundæ partis concluſionis, ſcilicet reliquas actiones conſecrationem antecedentes, & ſubſequentes nullatenus ad eſſentiam ſacrificii pertinere. Et in primis oblatio verbalis antecedens, & ſubſequens conſecrationem nullatenus ſacrificium integrat, ſed ſolum ornat. Tum quia Chriſtus Dominus ea uſus non fuit nocte cœnæ, cum hoc ſacramentum inſtituit, & ſacrificium confecit. Tum quia ea oblatione Chriſtus, qui eſt in hoc ſacrificio res oblata non mutatur ſed poteſt ſæpius ſupra eandem materiam repeti. Deinde fractio hoſtiæ, & commixtio illius cum ſanguine nequaquam ſacrificium Euchariſticum integrat, ſiquidem ea cæremonia non legimus Chriſtum uſum fuiſſe, neque ab eo eſſe inſtitutam. Aliàs ſi nulla eſſet fractio, nec ullam partem hoſtiæ ſacerdos in calicem mitteret, ſacrificium perfectum non faceret contra D. Thom. ab omnibus ferè receptum *quæſt.*85. *art.*6. *ad* 6. Communio vero quæ laïcis inter ſacrificandum conceditur, neque ſacrificium integrum eſt, aliàs omnes laïci eſſent ſacerdotes, neque eſt pars ſacrificii, aliàs extra ſacrificium Miſſæ concedi non poſſet, ne ſacrificium imperfectum eſſet. Verum de ſumptione Euchariſtiæ facta à ſacerdote tempore ſacrificii reſtat probandum, non eſſe ſacrificio eſſentialem. Primò quia Chriſtus Dominus in ultima Cœna conficiendo hoc ſacramentum ſacrificavit, ſicuti definit concil. Trident. *ſeſſ.*22. *cap.*1. At ſi communio ad eſſentiam ſacrificii pertineret, certum fide eſſet Chriſtum ſeipſum communicaſſe, cum tamen ſub opinione poſitum ſit. Ergo communio non eſt pars eſſentialis ſacrificii. Deinde Chriſtus Dominus, teſte Trident. *ſeſſ.*22. *cap.*1. præcepit omnibus ſacerdotibus, ut ſacrificium offerrent, cum dixit: Hoc facite in meam commemorationem. Sed non legimus præcepiſſe, ut communionem acciperent. Ergo communio ad eſſentiam ſacrificii non pertinet. Neque enim credi poteſt Chriſtum Dominumo miſſurum hanc actionem in illo præcepto, ſi ad illius executionem neceſſaria foret. Item ſacerdos ſacrificium offerens, perſonam Chriſti gerit. Chriſtus enim in omni ſacrificio eſt præcipuus offerens. Ut dixit Trident. *ſeſſ.*22. *c.*2. At quatenus ſumit Euchariſtiam, nullatenus perſonam Chriſti ſuſtinet, alias etiam laïci ſuſtinerent, neque offert Deo, ſed potius à Deo accipit, & illius eſt conviva. Ergo ſumptio Euchariſtiæ ad ſacrificium non pertinet. Quod ſi dicas pertinere ad ſacrificium, quatenus eſt ſumptio ab ipſomet ſacerdote miniſtrata? Obſtat, quia miniſtrare Euchariſtiam non eſt ſacrificare, ſed ſacrificatum, & Deo oblatum ſibi, & aliis communicare: alias quoties ſacerdos extra miſſam ſeipſum communicaret, ſacrificare diceretur, quod eſt abſurdum. Præterea in conſumptione non poteſt præteriri mutatio quæ ſufficiens ſit, ut ratione illius Chriſtus oblatus ſignificet Deum vitæ, & mortis authorem eſſe, quia ibi non mutantur, & corrumpuntur. Quinimo cum hæc mutatio potius contingat cum ſpecies in ſtomacho ſacerdotis deſinunt eſſe potius eo tempore, quam in altari ſacerdos ſacrificare diceretur, quod admitti non debet.

3. Verum eſto ſumptio ſacramenti ad eſſentiam ſacrificii non pertineat; pertinet tamen ad illius perfectionem non quidem intrinſecam, hoc eſt ad conſecutionem finis illius. Et enim hoc ſacrificium inſtitutum fuerit, ut ſit ſacramentum, & animarum convivium, ab illius inſtitutione deficit ſacerdos, qui hoc convivium præparatum ſumere omitteret. Et fortè ob hanc cauſam dicitur in *c. relatum de conſecr. diſt.*2. quale erit ſacrificium, cujus neque ipſe ſacrificans particeps eſſe dignoſcitur. Ideoque Eccleſia divino Spiritu inſtructa, ita ſeverè præcipit ſumptionem ſacrificii, ut etiam ſacerdote deficiente alius ſacerdos ſubrogaretur, qui oblatum conſumere poſſet.

4. Poſito autem in ſola conſecratione eſſentiam ſacrificii ſitam eſſe, examinandum eſt, an in conſecratione unius tantum ſpeciei ratio ſacrificii conſiſtat, vel neceſſariò utriuſque ſpeciei conſecrationem requirat? Non deſunt qui affirment in conſecratione unius tantum ſpeciei veram ſacrificii rationem eſſe, ſicuti eſt vera ſacramenti ratio: quia conſecratione cujuſlibet ſpeciei offertur Chriſtus æterno Patri in ſupremi dominii recognitionem, in quo vera ratio ſacrificii conſiſtit. Quod ſi dicas ex ea ratione optimè probari potuiſſe à Chriſto ſub qualibet ſpecie

ſacrifi

ſacrificium inſtitui, ſicut & ſacramentum inſtituit, non tamen de facto inſtituiſſe: eo quod ſub unius tantum ſpeciei conſecratione mors ejus non ſatis exprimatur, quod ad rationem ſacrificii Euchariſtiæ neceſſariò requiritur. Eſt enim hoc ſacrificium repræſentativum ſacrificii, quod Chriſtus Dominus de ſe obtulit in ara crucis, quam repræſentationem conſecratio unius tantum ſpeciei non videtur habere? Obſtat quia conſecratio unius ſpeciei v. g. corporis Chriſti ſub ſpecie panis, ſignificat ſolum corpus ſub ſpecie panis exiſtere, ſanguine, & anima ſignificatis. Ergo ex modo ſignificationis denotat corpus fuiſſe ab anima, & ſanguine ſeparatum, ſi quidem ſolum ipſum ex vi ſignificationis ſub ſpecie panis conſtituit. Ergo ex modo ſignificandi conſecratio cujuſlibet ſpeciei denotat ſeparationem, quam Chriſtus in cruce fecit ſui corporis ab anima, & ſanguine. Ergo ſignificat ejus ſacrificium cruentum. Neque inde fit plura ſacrificia ibi adeſſe, ſed unum integrum, & completum ex duplici partiali, eo quod res oblata per utrumque partiale ſacrificium eadem eſt, ſcilicet Chriſtus, & ad unum, idemque ſacrificium cruentum ſignificandum offertur.

5. Ex hac ſententia inferunt Adrian. 4. *q. 6. de Euchariſt. quæ incipit. Viſo impedimento.* §. *proreſponſione* Gab. *in can. miſſa elect. 53. litt. E.* Claud. Saintes, *repetit. de Euchar. cap. 3. §. ex adverſariis. Tabiena, verbo Euchariſtia, 1. num. 20. Piſana eodem 2 n. 12. Angel. 1. num. 20.* Willen. Alan. *lib. 2. de Euchar. cap 20.* Henriq. *lib. 8. cap. 13.* Thom. Sanch. *lib. 7. de matr. diſput. 6. num 6. in medio.* poſſe Pontificem ex cauſa rationabili diſpenſare, ut ſub una tantum ſpecie conſecratio fiat. Nam ſi ex aliqua cauſa hæc poteſtas Pontifici negaretur, ea eſſet, quia Pontifici datum non eſt conſecrationem Euchariſtiæ permittere, quin ea conſecratione ſacrificium commemorativum paſſionis Chriſti Domini offeratur. At conſecratione ſub una tantum ſpecie paſſio Chriſti commemoratur, ut probatum eſt. Non igitur eſt ulla ratio, ob quam Pontifici denegetur hæc poteſtas. Secundo Pontifici conceſſa eſt poteſtas, teſte Trident. *ſeſſ. 21. cap. 2.* ut in ſacramentorum diſpenſatione ſalva illorum ſubſtantia ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum ſacramentorum venerationi pro rerum, temporum; & locorum varietate magis expedire judicaret. At permittere conſecrationem ſub una tantum ſpecie, omiſſa alterius ſpeciei conſecratione, non mutat ſacramenti ſubſtantiam, ſicuti non mutatur ob receptionem ſacramenti ſub una tantum ſpecie. Ergo eſt Pontifici conceſſa poteſtas permittendi conſecrationem ſub una tantum ſpecie. Tertio æqua obligatio eſſe videtur ſacerdoti conſecrandi ſub utraque ſpecie, ac conſumendi conſecratum. At Pontifex diſpenſat, ne utramque ſpeciem conſecrans utramque recipiat, ut patet in ſacerdotibus denuò conſtitutis, qui cum Epiſcopo ordinante concelebrant, qui ſub utraque ſpecie non communicant, Ergo poterit diſpenſare ne aliqui ſub utraque ſpecie conſecrationem præſtent. Quarto Chriſtus Dominus ſub una tantum ſpecie de facto conſecravit, cum diſcipulis euntibus in caſtellum Emaus apparuit, & in fractione panis ſe illis oſtendit, ut ex communi ſententia probant ibi Tolet. & Maldonat. At ſi nunquam futurum erat licitum ſacerdotibus ſub una tantum ſpecie conſecrare, Chriſtus Dominus qui ſe Apoſtolis magiſtrum, & doctorem exhibebat, nullatenus id faceret. Quintò teſtatur Raphael Volaterran. *lib. 7. geographiæ, cap. 4.* Innocent. VIII. de facto cum Novergitis diſpenſaſſe, ut ſub ſpecie tantum panis conſecratio fieret. Quod factum approbat Onuphrius Panuin. *chronica ſub an.* 1490. Henriq. Claud. Saintes, & alii ex Doctoribus ſupra relatis. Sexto plures, graveſque Doctores firmant conſecrationem ſub utraque ſpecie ſolum ex Eccleſiæ conſtitutione haberi: Sic docuit Adrian. *illa q. 6. de Euchar.* Major. *in 4. diſt. 9. q. 3. §. tertio arguitur* & Navarr. *cap. 25. n. 91.* Quod ſi verum eſt, manifeſtè convincitur poſſe Pontificem diſpenſare. Sed gratis admiſſo ex jure divino præceptam eſſe conſecrationem ſub utraque ſpecie, non inde infertur non poſſe Pontificem diſpenſare, ſiquidem in voto, juramento, matrimonio rato, reſidentia parochorum ſæpè Pontifex diſpenſat, quorum obligationes ex jure divino ortum habent.

6. Nihilominus tenendum eſt utriuſque ſpeciei conſecrationem ad eſſentiam ſacrificii Euchariſtici neceſſariò requiri. Sic pluribus firmant Suar. *diſp. 75. ſect. 6.* Vaſq. *diſp. 223. cap. 3. &* 4 Ægid. de Coninch. *queſt. 83. art. 1. dul. 5. num. 102.* Ratio eſt, quia ſacrificium à Chriſto inſtitutum eſt repræſentativum ejus paſſionis, & mortis, juxta illud: Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis. At conſecretione unius tantum ſpeciei non repræſentatur Chriſti mors de facto. Non enim repræſentat corpus exangue, tametſi cum ſanguine non repæſentet. Et licet ſolum corpus repræſentet ſanguine non repræſentato, non inde fit repræſentare ſeparationem corporis à ſanguine, ſiquidem eam repræſentationem habere poſſet, tametſi corpus Chriſti à ſanguine ſeparatum non eſſet. Requiritur ergo ad hanc repræſentationem utriuſque ſpeciei conſecratio, ex eo enim quod corpus, ſeparatim à ſanguine conſecretur, ea conſecratione ſeparata, ſeparatio corporis à ſanguine denotatur, quæ ſeparatio unius tantum ſpeciei conſecratione abundè ſignificata non erat.

Dices potuiſſe Chriſtum Dominum ſub una tantum ſpecie conſecrari, ſed ea conſecratio verum eſſet ſacrificium ſuæ mortis rememorativum. Ergo conſecratio ſub una ſpecie vera repræſentatio mortis Chriſti eſſe poteſt, & conſequenter verum ſacrificium? Adde conſecrationem panis, & vini verum ſacrificium eſſe, non tantum quia paſſionem, & mortem Chriſti commemorat, ſed præcipuè, quia Patri æterno ſub ſpeciebus panis, & vini Chriſtus offertur in ſupremi dominii recognitionem. At hæc ratio cuilibet ſpeciei ſeorſim ſumptæ competit, ſub qualibet enim Chriſtus ſuo Patri offertur. Ergo cujuſlibet ſpeciei conſecratio, ut ab alia diſtincta veram ſacrificii rationem habet?

7. Ad primum reſpondeo, concedendo potuiſſe Chriſtum ſub una tantum ſpecie ſacrificium rememorativum ſuæ paſſionis inſtitui. At ſpectata rerum natura, non aptè quidem eſſet inſtitutum, ut optimè probat Vaſq. *diſp. 223. cap. 3. &* 4. ſiquidem ea conſecratio ex ſe, & ſecluſa Chriſti inſtitutione nullam convenientiam, & aptitudinem haberet ad ſignificandum corpus à ſanguine ſeparatum fuiſſe, ſed totam ſignificationem ex Chriſti voluntate acciperet. Non eſt autem credendum de facto ſic fuiſſe inſtitutum, ſiquidem conſecrationem utriuſque ſpeciei inſtituit, qua aptiſſimè corpus à ſanguine fuiſſe ſeparatum ſignificatur, ut ſupra probatum eſt. Præterea ſi in qualibet ſpecie ſeorſim ſumpta Chriſtus vellet de facto mortem ejus repræſentari, non unicum, ſed duplex ſacrificium Euchariſtia eſſet. Nam unitas ſacrificii Euchariſtici non ex re repræſentata, & oblata, ſed ex repræſentatione, & oblatione deſumenda eſt, ſiquidem in repræſentatione, & oblatione ratio ſacrificii incruenti conſiſtit. At eſſet duplex repræſentatio, & oblatio & una ab alia diſtincta. Ergo eſſet duplex ſacrificium integrum, & completum, quod eſt abſurdum, & contra Trident. *ſeſſ. 22. cap. 1. & ſeqq.* Ad ſecundum admitto conſecrationem panis, & vini verum eſſe ſacrificium, quia ſub ſpeciebus panis & vini, æterno

Patri

Patri ejus Filius offertur, sed non utcunque sed mistice mactatus, & immolatus. Cum autem unius tantum speciei consecratione non significetur mactatus, & immolatus, sed ad hanc significationem necessariò utriusque speciei ut consecratio concurrere debet, ea de causa in unius tantum speciei consecratione sacrificii non consistit.

8. Hinc primo infertur jure divino statutum esse consecrationem sub utraque specie esse faciendam. Quia jure divino statutum est consecrationem Eucharistiæ sic fieri, ut ea consecratione sacrificium commemorativum passionis Christi Domini offeratur, sicuti definivit Trident. *sess.22. cap.1. & 2.* At ex dictis constat sola consecratione unius speciei memoriam passionis ejus non recoli; sed necessariò utriusque consecrationem concurrere debere. Ergo jure divino utriusque consecratio est statuta. Præterea Trident. *sess.22. cap.1. & cant.2.* expresè affirmavit Christum Dominum utriusque speciei consecrationem Apostolis, eorumque successoribus præcepisse illis verbis Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem. Neque valet dicere Christum Dominum præcepisse utriusque speciei consecrationem, sed non simultaneam. Quia præcepit consecrationem, sicuti ipse fecit, at ipse simul utramque speciem consecravit: ergo utriusque consecrationem simultaneam præcepit. Et licet Lucas post consecrationem panis ante calicis consecrationem referat Christum dixisse illa verba. Hoc facite in meam commemorationem, non inde inferri potest salius panis consecrationem fieri posse. Tum quia ipse Lucas indicat post consecrationem calicis id ipsum præcepisse illis verbis *Similiter & calicem*, adverbium enim *similiter* refert subsequentia facta esse sicut & præcedentia. Tum Paul.1. Corinth.11. post cujusibet speciei consecrationem protulit Christum præcepisse id ipsum fieri in sui memoriam. Ergo utriusque consecratio à Christo præcepta est omnibus sacerdotibus. Ergo nullum est fundamentum asserendi consecrationem unius speciei sine alia fieri posse. Præterea non constat jure divino singulis Sacerdotibus præceptam esse ullius speciei consecrationem, tametsi ordini sacerdotali præceptafuerit. Ergo ut præceptum illud Lucæ 22. à Trident. declaratum consecrandi utramque speciem omnes, & singulos sacerdotes astringat, intelligendum est casu quo consecrare, & sacrificare velint. Tenentur ergo ex obligatione juris divini unius speciei consecratione facta, aliam simul consecrare. Et ita sustinet D.Thom.3 *p. quæst.74. art.1. & quæst.80. art.12. ad 3. & ibi* Caietan. *q.1.* Sylvest. *Eucharistia 1. q.5.* Dominic. Sotus *in 4. dist.9. q.1. art.2. in fine.* Suar. *disp.43 sect.3.* Vasq. *disp.223. cap.3.* & alii apud ipsos.

9. Secundò infertur longè probabilius esse Pontificem dispensare non posse: ut in una tantum specie consecratio fiat, quia dispensare non potest, ut hoc sacramentum conficiatur. absque eo quod sacrificium offeratur. At essentia sacrificii Eucharistici est utriusque speciei consecratio, ut probatum est. Ergo non potest dispensare, ut consecratio sub una tantum specie fiat. Sic ex communi sententia tradit Suar. *disp.43. sect.4.* specialiter *conclus.3.* Vasq. *dicta disp. 223. c.3. num.20.* Ægid. *quæst.83. art.1. dub.4. in fine, num.102.*

10. Superest satisfacere argumentis *num 5.* adductis, quibus probatur posse Pontificem dispensare. ut in una tantum specie consecratio fiat. Ad primam ex probatione nostræ sententiæ, constat unius speciei consecratione sacrificium cruentum Christi non repræsentari. Ad secundum admitto Pontifici concessam esse potestatem in sacramentorum administratione mutandi, & alterandi prout sibi visum fuerit expedire, salva illorum substantia, nego tamen ad Eucharistiæ substantiam non pertinere utriusque speciei consecrationem, cum Eucharistiæ sacramentum perfectum non sit, in una tantum specie, sed necessariò utramque postulet. Ad tertium concedo quemlibet sacerdotem consecrantem principaliter obligatum esse consecratum consumere. Secus vero qui accessoriè solùm, & ob aliquam sacram significationem consecrant, qualiter contingit in noviter ordinatis: hi enim oblatum consumere non tenentur, cum ad perfectionem sacrificii unius sacerdotis consumptio sufficiat. Ad quartum admitto ad eum casum unicam speciem Christum consecrasse, quia ad sui manifestationem, & discipulorum solatium ea solum sufficiebat, sed inde inferri non debet unam speciem absque alia consecrari posse, cum stet divinum præceptum de utriusque specie consecratione. Ad quintum nego unquam Pontificem dispensasse, neque credendum est Volaterrano, & Onuphrio, tum quia illius dispensationis nec vestigia adsunt. Tum quia Volaterr. non dicit Innoc. dispensasse, ut panis consecratio fieret absque calicis consecratione, sed dispensasse, ut calix sine vino consecraretur, quod absurdum est, cum non possit Pontifex sacramentorum materias mutare. Tum quia non apparet occasio, & legitima causa, ob quam hæc dispositio concessa fuerit, cum nulla provincia cognoscatur, in qua vinum conservari non possit. Non enim Christus Dominus sacramentum sui corporis, & sanguinis instituerat pro tota Ecclesia, sciens aliquam suæ Ecclesiæ partem eo frui non posse. Quinimo neque excogitari potest ratio honestans dispensationem. Nam cum hoc sacramentum non sit necessitatis, sed utilitatis, major utilitas, & convenientia cernitur, ut ritus sacrificandi integer, & immutatus in Ecclesia perseveret, quam ut excusetur detrimentum quod uni, vel alteri provinciæ provenire potest ex carentia sacrificii dimidiati, & imperfecti. Ad sextum negamus obligationem consecrandi sub utraque specie ex humano jure provenire, ex divino namque provenit, ut probatum est. Quo posito ut probabilius affirmamus Pontificem dispensare non posse, & ad probationem dicimus in votis, juramentis, matrimonioque rato dispensare, remittendo nomine ipsius Dei obligationem, qua remissione facta nec votum, nec juramentum, neque matrimonium ratum persistit, ac proinde non propriè in jure divino dispensat. Jus enim divinum, quod nequaquam à Pontifice tolli potest, est quod perseverante voto, juramento, & matrimonio rato obligatio nascatur. Quod vero votum, juramentum, & matrimonium ratum non dissolvatur causa rationabili intercedente, & à legitimo ministro, non est juris divini, potius enim ex divino jure habetur horum dissolvendorum potestatem Pontifici commissam esse. Idem dicendum est de residentia parochorum, ex jure divino obligationem esse, ne parochus absque legitima causa absit. At causa legitima intercedente conforme est juri divino abesse posse.

11. Advertunt tamen & bene plures Doctores, præcipuè Suar. *disp.43. sect.4 concl.1.* Azor. *t.1. lib.10. c.19. quæst.3.* Layman. *lib.5. sum. tract.5. cap.7. in principio*, sæpe contingere posse, quod sub una tantum specie consecratio fiat ob impotentiam physicam, vel moralem alteram consecrandi: Vt contingit si consecrata hostia reperias aquam loco vini appositam esse, neque invenias vinum, quod consecrare possis, vel non invenias absque magno scandalo, aut sine manifesto vitæ periculo. Quia eo casu dici non potest sub una tantum specie voluisse consecrare; sed unius tantum speciei consecrationem permi-

ſiſſe. Aliud enim eſt ſacrificium imperfectum facere, quod ob nullam cauſam licet, ut benè Suar. *dicta ſect. 3. in fine*: aliud imperfectum permittere, quod ex rationabili cauſa honoſtari poteſt.

PUNCTUM III.

De ſacrificio, quod Chriſtus in ultima cœna, & in ara Crucis obtulit, & horum cum ſacrificio Miſſæ comparatione.

1. *In ara Crucis Chriſtus Dominus ſe in ſacrificium obtulit.*
2. *Deinde in ultima Cœna, cum Euchariſtiam inſtituit.*
3. *Explicatur qualiter ſacrificium Miſſæ cum prædictis conveniat, vel ab eis differat.*

1. COnſtat ex Tridentin. *ſeſſ. 22. cap. 1. & 2.* Chriſtum Dominum in ara crucis ſe in ſacrificium Patri æterno obtuliſſe; quia ſe occidendum obtulit ex intentione recognoſcendi Patrem, ut ſupremum Dominum, vitæque & mortis authorem. Etenim cum Chriſtus Dominus à Patre æterno fuerit ſacerdos conſtitutus, ut propitiatio eſſet pro noſtris, & totius mundi peccatis, in eorum ſatisfactionem ſe ipſum liberè obtulit occidendum: in qua oblatione utpote libera ſacrificium cruentum conſtitutum eſt. Neque inde fit Martyres cum ſeipſos tyrannis occidendos tradunt ſacrificium ſui obtuliſſe, quia ipſi non ſunt ſacerdotes à Deo conſtituti, ut propriam vitam in ſacrificium exponant, neque habent vitam in ſua poteſtate proxima, ſed tantum remota, quatenus ſe liberè tyrannis, offerunt, non tamen jam oblati, & tormentis affecti poſſunt ſuam vitam conſervare, ſicuti potuit Chriſtus, qui poteſtatem habebat ponendi animam ſuam, & iterum ſumendi illam quolibet dolore, & tormento affectus, quod ad verum ſui ipſius ſacrificium neceſſariò requiritur.

2. Deinde ex eodem Concil. Trident. *ſeſſ. 22. cap. 1.* certum eſt Chriſtum Dominum in ultima Cœna cum ſacramentum Euchariſtiæ confecit, ſacrificium ſui obtuliſſe. Nam cum fuerit ſacerdos à Patre conſtitutus ſecundum ordinem Melchiſedech *Pſal. 109.* & ad Hebr. 7. debebat in ſacrificandi ratione cum Melchiſedech convenire. At niſi dicamus ſacrificium obtuliſſe, cum de facto panem, & vinum conſecravit, & ſub ſpeciebus panis, & vini ſe Patri æterno obtulit, nulla alia apparet ratio, ob quam eum ſacerdotio Melchiſedech convenire poſſit. Ergo dicendum eſt in ea actione verum obtuliſſe ſacrificium. Præterea ratione de ſacrificii eſt, ut aliquid à ſacerdote offeratur, quod ex ſui mutatione ſufficienter exprimat Deum vitæ & mortis Dominum eſſe. At oblatio, quam ſui ipſius Chriſtus Patri æterno fecit conſecrando panem & vinum, ſufficienter expreſſit Patrem æternum vitæ, & mortis eſſe authorem, ſiquidem ſub ſpeciebus panis, & vini myſticè mactatus, & verè mactandus oblatus eſt. Ergo.

3. Ex his facile eſt explicatu, qualiter ſacrificium Miſſæ cum ſacrificio ultimæ Cœnæ, & Crucis conveniat, vel ab eo differat. Et quidem in omnibus his unicam eſſe hoſtiam, unicumque ſacrificium quoad rem oblatam definivit Tridentin. *ſeſſ. illa 22. cap. 1. & 2.* Nam in omnibus his idem Chriſtus offertur, diverſimodè tamen. In Cruce offertur cruentè per ſanguinis veram, & realem effuſionem, in Cœna verò, & in miſſa incruentè offertur; illius ſanguinis effuſi vera repræſentatione. Quocirca quoad modum offerendi nemini eſſe dubium poteſt ſacrificium crucis & ſacrificium ultimæ Cœnæ, & quod nos offerimus in Miſſa diverſum eſſe, tametſi quoad rem oblatam idem omnino ſit.

Præter hanc differentiam aliæ plures inveniuntur, quæ tamen ſacrificii unitati non obſtant, quia non obſtant rei oblatæ unitati. Primò ſacrificium Miſſæ differt à ſacrificio cœnæ, & crucis quoad offerentem; nam eſto in omnibus ſit Chriſtus offerens: in ſacrificio cœnæ, & crucis, fuit immediatus offerens ex certa ſententia. At in ſacrificio Miſſæ ſecundùm probabilem ſententiam eſt mediatus, licèt præcipuus, miniſterio enim ſacerdotum ſe Chriſtus Patri æterno offert, quatenus ſacerdotes inſtituit, qui hoc ſacrificium offerrent, illiſque offerre præcepit, & ſuis meritis impetravit poteſtatem offerendi. Ex qua differentia alia ſecunda non mediocris naſcitur, ſcilicet oblatione in cœna, & in cruce facta Chriſtum Dominum mereri nobis peccatorum remiſſionem. At oblatione in Miſſa non mereri, ſed quod in vita meruit nobis applicari. Tum quia non eſt in ſtatu merendi. Tum quia in ſupradicta ſententia non eſt immediatus offerens qui ex propria libertate ſe ipſum Patri in Miſſæ ſacrificio offerat, ſed ſicuti Dominus qui pecuniam tribuit famulo, ut in pauperes diſtribuat, non eſt ipſe immediatus diſtributor pecuniæ, ſed famulus, nec ipſe in diſtributione meretur, ſed ſolum in conceſſione pecuniæ, & voluntate quam habet, ut in pauperes diſtributio fiat. Sic Chriſtus Dominus ſe, ſuæque vitæ, & paſſionis meritum nobis in hoc ſacramento reliquit Patri offerendum, & applicandum tam pro vivis, quam defunctis ſacerdoteſque inſtituit, ut hanc facerent oblationem, & applicationem. Non igitur in hac oblatione, & applicatione, quæ ſacerdotum miniſterio fit, ipſe mereri poteſt. Tertiò differt ſacrificium Miſſæ à ſacrificio crucis, & cœnæ, quod ſacrificium Miſſæ ſit utriuſque viva repræſentatio. At ſacrificium cœnæ, eſto fuerit repræſentatio cruenti ſacrificii crucis futuri, non tamen fuit imago alterius incruenti ſacrificii. Sacrificium item crucis neque incruenti, neque cruenti ſacrificii repræſentatio fuit. Tandem ex loco, tempore, & materia aliàs differentias accidentales colligere poteris, ſed prædictæ ſufficiant.

PUNCTUM IV.

Qui ſint offerentes in ſacrificio Miſſæ.

1. *Sacerdotes ſunt offerentes.*
2. *Chriſtus Dominus eſt principalis offerens.*
3. *An Chriſtus immediatè offerat. Negat* Vaſq. *quibus probet.*
4. *Verius eſt immediatè offerre.*
5. *Solvuntur oppoſitæ rationes.*

1. NEmini eſt dubium ſacerdotes poteſtatem habere hoc ſacrificium offerendi, & verè offerre, quia ad hoc miniſterium ſunt ordinati. Quam poteſtatem non amittunt, tametſi excommunicati, & degradati ſint, quia ſacerdotalis ordo acceptus, ex quo hæc poteſtas naſcitur, deleri non poteſt, ut latius proſequitur Suar. *diſp. 77. ſect. 2.* Vaſq. *diſp. 216. cap. 1.* Reliqui extra ſacerdotem ſolum dicuntur offerre denominativè, & impropriè, quia nec ipſi conſecrant, neque ad hoc munus ſunt deputati. Dicuntur autem denominativè offerre quatenus per ſacerdotem qui eorum vices gerit Deo munera ſibi data offerunt tum poſtulando, tum ſtipitem tribuendo, tum aſſiſtendo Miſſæ ſacrificio.

2. Chriſtus vero Dominus, qui eſt ſacerdos in æternum conſtitutus eſt præcipuus, & principalis offerens in hoc ſacrificio, ut manifeſtè colligitur ex Trident. *ſeſſ. 22. c. 2.* & Florentin. in decreto Eugen. IV.

Tum

Tum quia ipse sacrificium instituit, illique virtutem, & efficaciam suis meritis concessit. Tum quia ipse sacerdotes instituit, qui nomine ipsius, ipsumque præsentantes offerrent, eisque sic offerre præcepit in qua voluntate semper perseverat. Quæ rationes sufficere videntur, ut Christus esse, & dici posset offerens præcipuus. Neque inde fit Deum sacrificia antiqua instruentem dicendum esse offerentem mediis sacerdotibus, tametsi infinitam dignitatem illis sacrificiis communicaret, quia nemo sibi ipsi offerre sacrificium potest, neque antiqui sacerdotes nomine Dei instituentis sacrificia Deo offerebant. Est enim id impossibile, cum Deus non sit, neque esse possit sacerdos, cujus nomine Deo sacrificia offerantur. Secus verò procedit in Christo, qui ratione humanitatis, & sacerdos est constitutus, & Deo interior, & nomine ipsius sacerdotes offerre Deo sacrificia possunt.

3. Grave tamen dubium est, an non solum ob prædictas rationes Christus Dominus sit offerens præcipuus, sed quia ipse immediatè, & per se offert tametsi sacerdotum ministerio? Negat Vasqu *disput.* 225. *cap.* 2. 3. *&* 4. adducitque pro se Scotum, Gabrielem, & Cordub. qui id expressè non affirmant. Movetur primò ab inconvenienti, quia si Christus immediatè offerret Missæ sacrificium, ea oblatio meritoria esset, quia procedit à persona Deo grata, & quia oblationi promissio mercedis annexa est. Quid ergo ad rationem meriti deficit? Secundò si Apostoli in triduo consecrarent, sine dubio sacrificium Deo offerrent, sicuti non offerimus. At eo casu Christus immediatè, & per se ad sacrificium non concurreret, cum non existeret, ergo neque modò concurrit. Tertiò Christus Dominus non immediatè, & per se consecrationis verba profert, sed mediis sacerdotibus, qui eatenus sacrificium offerunt, quatenus consecrant, cum in consecratione essentia sacrificii Eucharistici sita sit. Ergo si Christus Dominus non immediatè consecrat, quia immediatè non profert consecrationis verba, nullatenus poterit se immediatus offerens. Quartò hic concursus immediatus Christi ad sacrificium, nec dignitatem Christi, ejusque personam decere videtur, neque necessarius est ad sacrificii valorem, & efficaciam. Ergo non est asserendus. Quod non deceat personam Christi sic probo. Non enim decet Christum rogare Patrem, ut sui sacrificium per manus Sancti Angeli suscipiat, sicuti rogat sacerdos, ergo neque offerre. Item nec decet Christum, quod ipse immediatè Eucharistiam sumat, ergo neque consecret. Utramque enim actionem nomine ipsius sacerdos præstat, & fortè in utraque sacrificii essentia consistit. Quod vero hic concursus immediatus ad sacrificii valorem non sit necessarius, inde manifestè probatur. Nam dignitas sacrificii non tam ex dignitate immediatè offerentis, quam ex dignitate rei oblatæ, & virtute quæ illi communicata est desumitur. Cùm ergo Christus Dominus suis meritis impetraverit, quod ipse sub speciebus panis, & vini Patri æterno sacerdotum ministerio offerri possit, ipsique oblationi quantum est ex se virtutem, & valorem contulerit infinitum, necessarius non est concursus ipsius Christi immediatus.

4. Nihilominus verius censeo Christum Dominum immediatè speciali actu, & affectu hanc facere consecrationem, & oblationem tametsi simul cum sacerdote, & ipsius ministerio faciat. Sic Suar. *disput.* 77. *sect.* 1. Ægid. de Coninch. *quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 6. *num.* 108. Moveor, quia negari non potest sacrificio Missæ specialem quandam dignitatem ex hujusmodi concursu provenire, sicuti proveniret honorationi, quam alteri deferres, si non solum medio legatario, sed te ipso immediatè illum honorares, aptiusque hoc concursu declaratur qualiter Christus sit sacerdos in æternum, quam si solum mediatè, & remotè concurreret, siquidem hac via non semel, sed in perpetuum offert quoties sacrificium fuerit. Melius item cognoscitur quomodo sacrificium Missæ ejusdem valoris, & dignitatis sit, idemque sacrificium, ac fuit sacrificium in ultima cœna, & in cruce oblatum, quippè quod non solum ex parte rei oblatæ, sed ex parte offerentis idem est.

5. Neque obstant rationes adversæ. Non prima, nam ex eo quod Christus sit immediatus offerens, non infertur oblatione mereri, quia ad merendum pro aliis requiritur specialis Dei acceptatio, & promissio, quam non habent opera Christi, postquam ex vita migravit, ne occasio daretur suspicandi non integrè, & perfectè nostram redemptionem meruisse. Ad secundum concedo eo casu Apostolos consecrantes idem sacrificium oblaturos fore, ac modò offerimus, quia esset eadem hostia cum eodem valore, & virtute nomine Christi oblata, tametsi Christus immediatè non offerret, immediatum enim concursum Christi in sacrificio Missæ non ex necessitate sacrificii, sed ex majori convenientia adstruimus. Ad tertium nego Christum Dominum verba consecrationis non proferre, profert namque sed sacerdotum ministerio, qui non in propria persona, sed in persona Christi loquuntur dicentes. Hoc est corpus meum. Hic est calix sanguinis mei. Quo modo loquendi hic concursus immediatus non leviter significatur. Nam si Christus non immediatè consecrationem operatur, ut quid in persona ejus, verba consecrationis proferuntur; reliqua enim sacramenta nomine ipsius Christi sacerdotes conficiunt, sed quia Christus non immadiatè, sed mediatè illa conficit, sacerdotes non in persona Christi, sed in propria persona loquuntur. Cum ergo in confectione hujus sacramenti diversimodè procedant, satis indicatur Christum Dominum in hoc sacramento speciali modo concurrere, scilicet immediatè, & proximè. Ad quartum nego hunc concursum, immediatum in sacrificio dedecere personam Christi, tametsi orationes illum dedeceant. Aliud enim est orare, ut sacrificium acceptum sit, & nobis prosit, aliud ipsum sacrificium conficere, & offerre, & oblata consumere. Orationes namque cum non sint à Christo institutæ, sed ab Ecclesia, & nomine Ecclesiæ fiant, mirum non est quod ad illas immediatè Christus non concurrat. At consecratio, oblatio, & consumptio cum sint à Christo instituta, & nomine ipsius fiant; benè possunt fieri à Christo. Fateor tamen hunc immediatum concursum necessarium non esse valori, & dignitati sacrificii Missæ; at esse nimis convenientem ob rationes dictas in probatione conclusionis.

Punctum V.

Pro quibus offerri possit, & debeat Missæ sacrificium.

1. *Præmittuntur aliqua certa.*
2. *Pro omnibus vivis offerre hoc sacrificium potes.*
3. *Examinatur, an pro infidelibus offerre sacrificium possis ex directa intentione ut convertantur. Affirmant aliqui.*
4. *Verius est oppositum.*
5. *Solvuntur contrariæ rationes.*
6. *Objicitur textus* in c. Apostolicam de presbytero non baptizato, *Cui facere videtur* Ambros.
7. *Explicatur prædictus* textus, *&* Ambros.
8. *Pro quibus defunctis hoc sacrificium offerri possit expenditur.*

1. Missæ sacrificium pro aliquo offertur, cum in ejus commodum, & utilitatem offertur:

Dupliciter autem ſacrificium offerre potes, vel ut perſona privata, vel ut publica à Chriſto, vel Eccleſia conſtitutus. Item ut effectum habeat ex opere operato,& virtute ſacrificii,vel ut effectum habeat ex opere operantis, ſicut quodlibet aliud bonum opus. His poſitis.

2. Dicendum eſt te poſſe non ſolum ut privatam perſonam, ſed ut publicam & nomine Chriſti, & Eccleſiæ hoc ſacrificium tam pro vivis,quam pro defunctis offerre. Conſtat ex Trid. *ſeſſ.22.c.2.* Sed in quorum vivorum, & defunctorum utilitatem hoc ſacrificium offerri poſſit, pergimus explicare.

Et quidem pro omnibus vivis tam fidelibus,quam infidelibus, & excommunicatis te poſſe ut perſonam privatam, ſeu nomine proprio hoc ſacrificium offerre communis eſt ſententia, Nam cum omnes capaces ſint alicujus doni ſpiritualis vel temporalis recipiendi, in illius conſecutionem ſacrificium offerre potes, ſicut & quodlibet bonum opus, maximè cum hæc oblatio ſingularis nullibi inveniatur prohibita. At ut perſona publica, & nomine Chriſti, & Eccleſiæ nequis pro excommunicatis offerre, quia hi ab Eccleſia, ſuorumque bonorum participatione ſunt præciſi, uti conſtat *ex c. à nob s cap.ſacris. De ſentent.excommunicat.* Quod ſi hac prohibitione non obſtante ſacrificium pro excommunicato applices,credo probabilius applicationem nomine Chriſti factam firmam eſſe, & effectum habituram pro illorum capacitate, quia hæc applicatio ex poteſtate ordinis à Chriſto accepta provenit, quam Eccleſia impedire non poteſt, tametſi uſum illius poſſit prohibere. Secus vero eſt dicendum de applicatione nomine Eccleſiæ facta, hæc enim contra voluntatem Eccleſiæ effectum habere non poteſt. Sic Ægid. de Coninch. *q.83. art.1. dub.9. concl.2.*

Pro reliquis fidelibus quantumvis peccatores exiſtant, nomine Chriſti, & Eccleſiæ offerre ſacrificium petes,& debes,quia & ipſi capaces ſunt alicujus boni obtinendi ſcilicet converſionis,& nullibi inveniuntur excluſi, quinimo in oblatione Miſſæ omnes comprehenduntur juxta Trid.*ſeſſ.22.c.2.*Quocirca ſi aliquem velis ab hac communi oblatione excludere, non levis odii indicium eſſet, graveque peccatum committeres, ſicuti colligitur ex S.Thom. 2.2. *qu.25. art.8. & 9.* Navarr. *c.19. de orat. n.120.* Suar. *diſp.68. ſect.2.* & Bonac. alios referens, *diſp.4. q. ult. pun.5. num.3.*

Pro infidelibus, ſeu non baptizatis nulla eſt obligatio hoc ſacrificium offerendi, quia in oblatione ab Eccleſia inſtituta hi non comprehenduntur. Nam licet cum calix offertur, offeratur pro totius mundi ſalute, ex qua oblatione pro infidelium converſione videatur offerri. Non enim totius mundi ſalus obtineri poteſt, niſi infidelibus converſis, attamen pro illis non directè, ſed indirectè offertur, ſiquidem in hac oblatione non tam eorum bonum, quam bonum fidei, & Eccleſiæ augmentum ſpectatur.

3. An vero pro iis infidelibus directè ex directa inquam intentione ut convertantur, hoc ſacrificium in perſona Chriſti & Eccleſiæ offerre poſſis, ut fructum ex opere operato in illis habeat? Doctores diviſi ſunt. Affirmant Bellarm. *lib.2. de Miſſa c.6.* Henriq. *lib.9. c.15. n.6.* Suar. *diſp.78. ſect.2. concl.3.* Eman. Saà, *verbo Miſſa n.40.* Ægid. de Coninch. *q.83. art.1. dub.9. concl.3.* tametſi in fine illius concluſionis contrarium indicet Filiuc. *tract 5. cap.2. quæſt.9.* Bonac. *diſp.4. q.ult. pun.5. n.4.* Laym. *lib.5. tract.5. cap.2. à n.6.* Moventur primo, quia hi infideles indigent ad fidem converti, quam converſionem tum orationibus, tum ſacrificiis procurare gratum Deo, & pietati Chriſtianæ, conforme eſſe videtur. Non igitur eſt prohibitum. Secundo ſacrificium crucis pro iis omnibus directè oblatum eſt, fuit enim univerſalis omnium redemptio, & ſatisfactio. Ergo & ſacrificium Miſſæ, quod idem eſt pro omnibus, offerri poterit, ut ſic unum ſacrificium cum alio convenientiam habeat. Tertiò in antiqua lege offerebantur ſacrificia directè pro infidelium converſione, pro Dario 1. Eſdræ 6. pro Spartiatis 1. Machab 12. pro Heliodoro 2. Machab.3. Sed noſtrum ſacrificium veteribus ſacrificiis excellentius eſt. Ergo ſi vetera ſacrificia pro infidelibus offerri poterant, illiſque prodeſſe, à fortiori noſtrum ſacrificium pro illis offerri poterit, & prodeſſe. Quartò plures patres teſtantur orationes, & oblationes pro infidelibus ab Eccleſia offerri. Sic teſtatur Clemens Roman. *l.8 conſtit.c.6.alias 7 & c.11.aliàs* 22.Cæleſtin. *Epiſt.1. ad Epiſcopos Galliæ c.11.* Aug. *epiſt.10. ad Vitalem.* Chryſ. *de Adam, & Eva paulò ante finem, & hom.77. in Joann.ſub finem,*& favet Paul 1. ad Tim.2. ubi præcipit orationes, & obſecrationes pro omnibus fieri, ſpecialiter pro Regibus, qui tunc erant infideles, quem locum explicans idem Chryſoſt. *hom.8. in princ.* Auguſt. *diſt.59. ad 5. quæſt.* & alii expreſſis verbis affirmant pro ethnicis oblationes,& orationes fundendas eſſe. At una ex præcipuis orationibus eſt deprecatio, quæ medio ſacrificio oblato fieri poteſt. Ergo. Denique in die paraſceves pro catechumenis, & infidelibus ſpecialiter Eccleſia orat. Signum ergo eſt eos non eſſe à ſacrificio penitus excluſos.

4 Nihilominus verius exiſtimo pro infidelibus etiam catechumenis,qui per baptiſmum in fide generati non ſunt, licitum non eſſe, nec fuiſſe ſacrificium Miſſæ nomine Chriſti, & Eccleſiæ applicare non ſolum pro obtinenda pœnæ temporalis peccatis debitæ remiſſione,ſed neque pro obtinendo aliquo ſpirituali, vel temporali bono. Sic docuit Gabr. *in lect.34. in can. litt.* A. Dominic. Sotus, *l.9. de juſtit. q.2. art.2. ad 3. §. At quia & in 4. diſt.11. q.2. art.7. ad 2.* Vaſq. *d ſp. 227. c.3. & ſeqq.* Azor. *1. p. l.10. c.22 q.1.* Barthol. ab Angelo *dialog.5. §. 489.* & alii, & videtur eſſe expreſſa ſententia Aug. *l.1. de anima & ejus orig. c.9. ante med. in 7. t.* ubi adverſus Vincentium Pelagianum probat parvulis decedentibus ante baptiſmum ſacrificium offerri non poſſe, eo ſolum quia non ſunt per baptiſmum, vel Martyrium regenerati. Quis enim (inquit) offerat corpus Chriſti, niſi pro eis qui ſunt membra Chriſti? nemo autem fit membrum Chriſti niſi aut baptiſmate in Chriſto,aut morte pro Chriſto. Cum Ergo hæc ratio non ſolum parvulos,ſed vivos adultos non baptizatos comprehendat; efficitur ex ſent. Aug. pro ipſis offerri ſacrificium non poſſe, quod ipſe Aug. *eo l.c.11.*expreſſis verbis indicavit.Idem clariſſimis verbis expreſſit conc.Bachar.*1. can.35.*& Chryſ.*hom.69. ad pop.Antioch.& ſerm.3.in epiſt.ad Philipp.in mor.expoſit.* D.Thom. *q.79.art.7.ad 2.* Ratio efficax eſt. Quia non eſt credendum Chriſtum Dom. Euch. in ratione ſacrificii inſtituiſſe pro iis,pro quibus in ratione ſacramenti non inſtituit,neque effectum ſacrificii communicandum eſſe, quibus ſacramenta communicari non poſſunt. Præterea ſi ſacrificium Miſſæ ex opere operato effectum habere poſſet in non baptizatis, ut quid Eccleſia catechumenos peractis orationibus, & finita lectione Evangelica excludebat, ne oblationi, conſecrationi, & conſumptioni præſentes eſſent?

5. Neque obſtant rationes contrariæ. Ad primam concedo gratiſſimum eſſe Deo converſionem infidelium procurare, mediis tamen à Chriſto inſtitutis. Cum autem ſacrificium Euchariſticum inſtitutum non ſit, ut pro ipſis infidelibus directè offeratur, non poteſt Deo eſſe gratum illorum bonum illius oblatione procurare. Ad ſecundam concedo ſacrificium crucis pro omnibus oblatum eſſe, quia fuit oblatum per modum meriti. At ſacrificium Euchariſtiæ non offertur per modum meriti, ſed meritum crucis quod in ipſo continetur, inſtar ſacramenti applicatur: cum autem ſacramentum applicari non poſſit iis, qui non ſunt membra Chriſti& Eccleſiæ,neque ſacrificium

applicari

applicari poterit. Ad 3. concedo ſacrificia veteris legis applicari potuiſſe pro gentibus, aliiſque nationibus à Judæis, non quidem ut effectum haberent ex opere operato, ſed ex merito, & interceſſione operantis: qua ratione etiam ſacrificium Euchariſticum diximus applicari poſſe infidelibus, ſecus ut effectum habeat ex opere operato, & inſtar ſacramenti. Ad 4. concedo olim plures orationes directè pro infidelibus fundi à ſacerdote nomine Chriſti & Eccleſiæ, nunquam tamen fuiſſe ſacrificium oblatum, quia ad orationis fructum infideles capaces ſunt, ſecus vero ad fructum ſacrificii utpote pro fidelibus tantum inſtituti. Adde præſenti tempore ſolum in die Paraſceves nomine Eccleſiæ ſacerdotem pro gentibus non baptizatis orare, tum ut indices neminem à paſſione Chriſti, quæ tunc ſpecialiter commemoratur, excluſum eſſe. Tum quia eo die ſacrificium non offertur, quo facto indicatur orationem pro iis offerri poſſe ſed non ſacrificium.

6. Quod ſi objicias textum *in cap. Apoſtolicam ſedem, de Presbytero non baptizato*, ubi interrogatus Innocent. an poſſint nomine Eccleſiæ orationes fundi pro presbytero qui è vita deceſſit credens eſſe baptizatum, cum tamen baptizatus non eſſet, reſpondit Epiſcopo Cremonen. ſopitis quæſtionibus Doctorum, Patrum ſententias teneas, & in Eccleſia tua juges preces, hoſtiaſque Deo offerri jubeas pro presbytero memorato. Nomine autem *hoſtias*, ſacrificium Miſſæ intellexiſſe videtur, ſiquidem in Eccleſia nihil aliud eſt quod propriè hoſtia nuncupetur, idque clarè denotat teſtimonium Ambroſ. *in orat. de obitu Valentin. Imperatoris* decedentis è vita, cum ad baptiſmum properaret, quo Innocent. quæſtionem ſibi propoſitam decidit. Inquit enim Ambroſ. Date manibus ſancta myſteria, pio requiem ei poſcamus affectu. Date ſacramenta cœleſtia, animam piam noſtris oblationibus proſequamur: quæ verba ſine dubio indicant & Ambroſium, & Innocent. ſentire pro hominibus ſine baptiſmo decedentibus, attamen illum deſiderantibus ſacrificia offerri poſſe. Id ipſum non leviter confirmant quæ referuntur *cap.* 10. libri inſcripti *Ordo Romanus*, ibi enim apponitur Miſſa, quæ celebrari conſueverat, cum catechumeni ad baptiſmum eligebantur, in cujus oratione infra actionem dicitur: Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ quæſumus Domine, ut placatus accipias, quam tibi offerimus pro famulis, & famulabus tuis, quos ad æternam vitam, & beatum gratiæ tuæ donum eligere, atque vocare dignatus es. Cum igitur catechumeni ſint qui fuerant electi, & vocati, pro iis ſacrificium convincitur oblatum eſſe. Quod expreſſius ſignificatur in oratione. *ibidem* relata, cum catechumeni in primo ſcrutinio electi erant. Sic enim ſacerdos orabat. Exaudi nos omnipotens Deus, & famulos tuos fidei Chriſtianæ primitias hujus ſacrificii tribuas operatione mundari. Offertur ergo ſacrificium pro ipſis catechumenis immediatè.

7. Reſpondeo neque Innocent. neque Ambroſ. de ſacrificio fuiſſe locutos, ſed de oratione, ut docuit ibi Gloſſa in figuratione caſus, & de eleemoſynis, quæ hoſtiæ, & ſacrificia ſæpè nuncupantur. Ea vero quæ ex libro *Ordo Romanus* referuntur, probabilem habent expoſitionem, ſi dicas eas orationes, & oblationes non fundi pro famulis, & famulabus electis, nec dum baptizatis, ſed pro ipſis qui ad baptiſmum electi fuerunt, & quibus fuit baptiſmus collatus. Quod ſi de catechumenis nondum baptizatis ſint intelligendæ, ut verius videtur, ſiquidem eæ orationes proferebantur antequam illis baptiſmus eſſet collatus, reſpondere debes pro ipſis offerri non immediatè & directè, ſed mediatè, vel offerri pro ipſis, quia eo tempore Eccleſia Romana ſecuta eſt opinionem probabilem, affirmantem pro catechumenis offerri ſacrificium poſſe, à quo uſu rem exactius conſiderans abſtinuit. Neque eſt inconveniens, quod Eccleſia in iis quæ ad ſacramentorum adminiſtrationem accidentaliter pertinent aliquando quoad factum, & materialiter minus ſecurè, & veritati conformis proceſſerit, ut latius tradit Vaſq. *d. diſp. 227. cap. 3. num. 22.*

8. Hucuſque diximus de vivis, pro quibus hoc ſacrificium nomine Chriſti, & Eccleſiæ offerri poteſt, ſupereſt dicendum de defunctis. Hi namque ſunt in quadruplici differentia: Beati, damnati, decedentes ſola originali culpa, in purgatorio exiſtentes. Pro beatis namque offerri hoc ſacrificium directè non poteſt, quia neque ſatisfactione ulla, neque bono aliquo indigent, ideoque dixit Innocent. *in cap. cum Marthæ de celebrat. Miſſar.* injuriam facere Martyri qui orat pro Martyre, offertur tamen in illorum memoriam, & honorem, quia non leviter honorantur Sancti ſi in gratiarum actionem pro victoriis ab eiſdem obtentis ſacrificium Miſſæ Deo offeras. Sicuti dixit Trident. *ſeſſ. 22. cap. 3.* Pro damnatis nequaquam ſacrificium offerri poteſt, quia ſunt extra ſtatum ſalutis, neque pœna peccatis debita remiſſionem habere poteſt, ſicuti definitur *cap. obeuntibus 13. q. 2. & in concil. Bracharen. 1. cap. 3.* Si enim pro iis orationes fundi non poſſunt, nec ſacrificia poſſunt offerri. Neque his obſtat textus *in cap. tempus 13. quæſt. 2.* ubi ex Auguſt. in Enchirid. *cap. 109. & 110.* refertur ſacrificia offerri pro baptizatis omnibus, pro valdè bonis in gratiarum actionem, pro non valdè malis in propitiationem, pro valde malis in qualemcunque vivorum conſolationem. Sentit ergo Auguſt. pro damnatis ſacrificium offerri poſſe, ii enim ſub valdè malis videntur intelligendi, ſicuti placet *Gloſſa in dicto capite.* Non inquam obſtat, quia ut ex eodem textu colligitur, ſolum offerri ſacrificium poteſt pro iis, qui cum in vita exiſterent, ſibi prodeſſe poſtea ſacrificium meruerunt: at decedentes in mortali nunquam hoc meritum habere poſſunt. Quocirca mediocriter malos, & valde malos exiſtentes in purgatorio intellexit Auguſt. qui virtute ſacrificii à pœna liberantur, vel ſaltem tolerabilior fit eorum damnatio, quia pœna aliquantulum remittitur. Sic explicuit S. Thom. *in 4. diſt. 45. quæſt. 2. art. 2. qq. 1. ad 2.* Quod ſi Auguſt. pro defunctis valde bonis beatos intellexit, pro non valde malis exiſtentes in purgatorio, pro valde malis damnatos, dicendum eſt judicaſſe pro omnibus iis ſacrificium offerri poſſe, dum neque in cœlo, neque in inferno, neque in purgatorio cognoſcuntur eſſe, ut ipſis proſit eo modo, quo fieri poſſit, beatis in honorem & gloriam, exiſtentibus in purgatorio in peccatorum expiationem, damnatis in vivorum conſolationem, qua tolerabilior fiat eorum damnatio, tametſi pœnæ inflictæ nulla ſit remiſſio. Pro decedentibus in peccato originali nequaquam ſacrificium offerre potes, qua ii inter damnatos computantur, cum ſint extra ſtatum ſalutis, neque ab eo ſtatu liberari poſſunt. Supereſt ergo ut ſolum pro exiſtentibus in purgatorio ſacrificium directè offerre poſſis, tam ut eſt ſatisfactorium quàm ut eſt impetratorium. Ex Trident. *ſeſſ. 22. c. 2. & can. 3.* & in his ferè omnes Doctores conveniunt, quos ſupervacaneum duxi recenſere.

Punctum VI.

Quos effectus habeat Miſſæ ſacrificium, & quam intentionem, & applicationem ſacerdos habere debeat, ut prædicti effectus obtineantur.

1. *Triplicem effectum Miſſæ ſacrificium habere poteſt, & qualis ſit.*

2. *An hoc sacrificium remittat peccata mortalia in attrito? Proponitur ratio dubitandi.*
3. *Communis sententia negat sacrificio hanc virtutem. Solvitur dubitandi ratio.*
5. *Iustis ex opere operato augmentum gratiæ non concedit.*
6. *Neque immediatè peccata venialia remittit.*
7. *Pœnas pro peccatis debitas immediatè remittit.*
8. *Impetratorium est donorum tum spiritualium, tum temporalium.*
9. *Qui ex prædictis effectibus infallibiliter conferantur.*
10. *An ad hanc concessionem virtutem habeat infinitam? Proponitur negativa pars.*
11. *Astruitur affirmativa.*
12. *Objectio proponitur, & fit satis.*
13. *Æquè sacrificium singulis prodest pro pluribus oblatum, ac si pro singulis oblatum esset.*
14. *Objectiones proponuntur, illisque fit satis.*
15. *Quam dispositionem habere debeant ii, pro quibus sacrificium offertur.*
16. *De intentione requisita, ut effectum sacrificii obtineatur.*
17. *Validè, & licitè applicari posse sacrificium sub conditione contingente docuit* Navarra.
18. *Verius est oppositum. Et quid* Clemens VIII. *in hac parte statuit.*
19. *Exequias, & officium defunctorum qualiter pro se possit celebrare.*

1. Missæ sacrificium sicut quodlibet bonum opus triplicem effectum habet, nempè satisfactionem pro culpis commissis, meritum gratiæ, & gloriæ, & impetrationem alicujus beneficii à Deo conferendi. Hos effectus explicuit Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. & 2. Oriri autem possunt hi effectus ab oblatione sacerdotis. Tum quatenus Christi personam induit, & nomine Christi sacrificium æterno Patri offert. Tum quatenus induit personam Ecclesiæ, & nomine Ecclesiæ sacrificat. Tum quatenus est persona singularis, & nomine proprio sacrificium præsentat. Secundum omnes prædictas rationes ea oblatio & satisfactoria, impetratoria, & meritoria est. Non quia Christus Dominus denuo satisfaciat, impetret, & mereatur, est enim extra statum denuò satisfaciendi, & merendi, & in multorum sententia impetrandi. Sed quia sacerdos personam Christi gerens, applicansque illius meritum, satisfactionem, & impetrationem in oblatione ex divina institutione contenta, satisfacit, impetrat, & meretur: impetrat & satisfacit, & sibi, & aliis, mereri autem sibi solum potest. Ecclesia vero medio sacerdote offerens pro peccatis suorum fidelium satisfacit, illisque beneficia impetrat, mereri tamen nequit, quia nemini à Christo datum est mereri alterius peccati remissionem, nec gratiæ augmentum: mereri autem sibi non possunt justi quatenus hoc sacrificium offerunt, quia in singulorum potestate libera non est sacrificium. Quapropter solus sacerdos nomine proprio sacrificium offerens sibi, & aliis impetrare, & satisfacere potest, mereri vero sibi tantum. Vide Cordub. *lib.* 1. *quæst.* 3. Petr. Navarr. *lib.* 2. *de restit. cap.* 2. *difficult.* 6. *à num.* 248. *in nova edit.* Suar. *disp.* 79 *sect.* 1. & 2. Vasq *disput.* 229. *cap.* 2. Est autem differentia non levis inter hos effectus; nam effectus provenientes ab oblatione sacerdotis, quatenus gerit personam Christi & Ecclesiæ non pereunt, nec minuuntur ex indignitate sacerdotis offerentis. Sicuti neque eleemosyna, quam Dominus elargitur per famulum vitiosum non vitiatur ex famuli malitia: effectus vero provenientes ab oblatione sacerdotis, quatenus privata persona est, omnino pereunt ea indignitate posita. Rursus, est alia differentia, quia effectus provenientes ab Ecclesia, & à sacerdote nomine proprio in omni sententia sunt limitati, quia fundantur in sanctitate Ecclesiæ & ipsius sacerdotis, quæ limitata est, & potius dici debent effectus ex opere operantis, quam ex opere operato, cum non proveniant ex institutione Christi, ejusque promissione. Quocirca in præsenti non est sermo de effectibus, quos habere potest Missæ sacrificium ex persona sacerdotis privata, seu ut alii dicunt ex opere operantis ij enim communes sunt aliis bonis operibus, seu sermo est de effectibus, quos Missæ sacrificium vi sua ex divina institutione habet, seu ut dicitur ex opere operato; qui ex indignitate sacerdotis non minuuntur. Hi effectus esse possunt remissio peccati, gratiæ augmentum, cujuslibet boni spiritualis, vel temporalis impetratio.

1. Quæstio igitur prima est, an hoc sacrificium virtutem habeat remittendi peccata mortalia saltem in homine attrito, sicuti baptismus & pœnitentia? Ratio dubitandi desumitur ex concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 2. affirmante hoc sacrificium esse propitiatorium, eoque placatum Deum ingentia crimina, & peccata dimittere, id ipsum testantur communiter Ecclesiæ Patres, Ambros. *lib.* 1. *officior. cap.* 48. *in fin.* Cyrill. Hierosol. *cateches.* 5. *mystagog.* Hieron. *epist.* 146. *ad Damasum. num.* 16. D. Thom. *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 2. *art.* 2. *qq.* 2. *ad* 4. & alii quos plena manu referunt Doctores statim referendi. Quod si dicas Concilium, & Patres intelligi debere non de immediata peccatorum remissione, sed de mediata, media inquam pœnitentia, quam Deus virtute hujus sacrificii concedit? Obstat: quia eo posito sacrificium non esset propitiatorium, sed solum impetratorium; impetraret namque auxilium, quo contritio, & pœnitentia de peccatis conciperetur. At Trident. decidit sacrificium & propitiatorium esse, & impetratorium. Ergo non impetratione tantum sed alia via peccata remittit, atque adeo immediatè.

3. Nihilominus communis sententia defendit sacrificium non habere virtutem remittendi peccata mortalia instar sacramenti, sed solum impetrandi auxilium pœnitentiæ, qua remittantur. Sic pluribus relatis firmant Azor. *t.* 1. *lib* 10. *cap.* 20. *quæst.* 3. Suar. *t.* 3. *in* 3. *p disp.* 79. *sect.* 3. & 4. Vasq. *disp.* 228. *cap.* 2. Petr. Navarra, *lib.* 2. *de restit. cap.* 2. *difficult.* 8. *num.* 340. & *difficult.* 9. *num.* 347. Ægid. de Coninch. *quæst.* 83. *art.* 1. Ratio à priori est, quia hoc sacrificium eam virtutem habere non potest nisi ex institutione. At nullibi constat sic fuisse institutum. Quinimo contrarium non leviter colligitur ex Trident. *dicto cap.* 2. ubi explicans modum, quo Deus hoc sacrificio placatus ingentia crimina, & peccata dimittit, inquit; Gratiam, & donum pœnitentiæ concedens. Non igitur immediatè peccata remittit, sicut & sacramentum sed media gratia, & dono pœnitentiæ. Quod manifestius explicuerat præcedentibus verbis, cum dixit per ipsum (scilicet sacrificium) fieri, ut si cum vero corde, recta fide, cum metu, & reverentia contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno; quasi diceret, contritis (contritione inquam imperfecta, de qua idem concilium *sess.* 14. *cap.* 4. & pœnitentibus accedentibus ad hoc sacrificium virtute illius auxilium conceditur opportunum, quo misericordiam consequantur, & gratiam inveniant, qua omnia peccata deleantur. A posteriori, seu ab inconvenienti probari supradicta sententia potest, quia si sacrificium instar sacramenti peccata mortalia remitteret offerenti, vel ei pro quo offertur, conscius peccati mortalis, & sciens sacrificium pro se dum erat attritus obtulisse, vel oblatum esse, justificaretur. Posset ergo communicare, si

urgeret

urgeret necessitas communicandi nulla præmissa confessione, nulloque contritionis motu excitato, quia verè communicaret in gratia, quod videtur absurdum. Deinde sequitur sacramentum pœnitentiæ non esse medium necessarium ad remissionem peccati, siquidem sacrificio ex divina institutione remitti potest, eo enim ipso, quo sacrificium ex divina institutione virtutem habeat remittendi peccata, manifestè infertur ex divina institutione pœnitentiam necessariam non esse ad peccati remissionem.

4. Neque ratio dubitandi urget, cui benè ibi satisfactum est, ad probationem respondeo, sacrificium Missæ & esse propitiatorium, & esse impetratorium sub diversa consideratione; est inquam propitiatorium, quatenus eo placatur Deus, ne peccata vindicet, sed remittat donum pœnitentiæ concedens; impetratorium est, quatenus eo plura alia beneficia tum spiritualia, tum temporalia impetrantur. Adde nullum esse inconveniens hoc sacrificium quatenus est propitiatorium esse impetratorium auxilii pœnitentiæ, qua remittuntur peccata, cum tamen sæpè impetratorium sit, quin propitiatorium sub ea ratione existat.

5. Quæstio secunda, an sacrificium vi sua, & ex opere operato justis augmentum gratiæ immediatè concedat? Negant & meritò omnes Doctores in supradicta conclusione relati, aliàs liceret hoc sacrificium offerre pro parvulis baptizatis, ut augmentum gratiæ reciperent, quod est inauditum. Deinde posset qui nullum fere opus bonum in vita gessit superare gratia, & gloria eos, qui in vinea Domini multum laborarunt, si plurima sacra pro eo oblata fuissent. Præterea si ex vi suæ institutionis habet sacrificium instar sacramenti concedere augmentum gratiæ, & primam gratiam aliquando concedere poterit, sicuti sacramentum, quod est contra præcedentem conclusionem.

6. Quæstio 3. an saltem peccata venialia hoc sacrificium immediatè remittat? Affirmat Canus *lib.2. de locis c.12. §. qui vero.* Azor.1. *p. lib.*10. *cap.*20. *q.*4. probant argumento deducto ex sacramentalibus, quibus plures Doctores virtutem concedunt peccati venialis remittendi, à fortiori sacrificio Missæ est concedenda. Contrarium verius est, ut docet Suar. *disp.*79. *sect.*5. Vasq. *disp.*128. *cap.*3. Ægid. de Coninch. *q.*83. *art.*1. *dub* 8. *n.*136. *concluſ.*2. Quia peccatum veniale cum animæ inhæreat, & propria voluntate contractum sit, nullatenus convenit remitti sine propriæ voluntatis retractatione, & gratiæ habitualis infusione: atqui sacrificium non immediatè causat retractationem, neque gratiæ infusionem. Ergo. Præterea concilium, & Patres solum affirmant sacrificium esse expiatorium, & propitiatorium, illoque peccata remitti, quin ullam distinctionem faciant de peccatis mortalibus. Si igitur peccata mortalia vi sacrificii immediatè non remittuntur, neque venialia remitti debent.

7. Quæstio quarta, an pœnas pro peccatis debitas hoc sacrificium immediatè remittat? Communis, & certa sententia affirmat, ut videre est apud D.Thom. *q.*79. *art* 4. Ægid. de Coninch. *quæst.*83. *art.*1. *dub.* 8. *n.*141. *concl.*4. Petr.Nav. *lib.*2. *de rest t cap.*2. *difficult.*6. *n.*338. Suar *d sp.*79. *sect.*6. Colligiturque apertè ex Trid. *sess* 25 *c.*1. definiente suffragiis fidelium, & maximè hoc sacrificio animas fidelium in purgatorio existentes juvari. Juvari autem non possunt alia via, quàm immediata pœnarum remissione. Ergo. Deinde hoc sacrificio virtus passionis Christi immediatè applicatur tam vivis, quàm defunctis. Præstat ergo ut hæc applicatio sit efficax, & infallibilis quoad aliquem effectum, qui nullus alius excogitari potest præter pœnarum remissionem. Adde: hæc remissio per extrinsecam condonationem Dei fieri potest. Ergo nullum est inconveniens, quod virtute sacrificii immediatè fiat.

8. Quæstio quinta. An virtute hujus sacrificii dona tam spiritualia, quàm temporalia impetrentur? Certum est impetrari, quod manifestè indicat Trident. *sess.*22. *cap.*2. *& can*3. affirmans pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, aliisque necessitatibus hoc sacrificium offerri, sicuti de facto Ecclesia sæpè offert, ad eum finem orationes fundit, quæ nullatenus fierent, si virtute hujus sacrificii ea bona impetrari non possent. Advertit tamen optimè Vasq. *disp* 228. *cap.*4. *num.*52. bona temporalia virtute hujus sacrificii non concedi, nisi quatenus animæ saluti deservire possunt, quia Christus pro bonorum temporalium consecutione absque respectu ad spiritualia mortuus non est. Non igitur pro ipsis absque hoc respectu passio Christi in hoc sacrificio contenta applicari potest.

9. Quæstio sexta. Quinam ex prædictis effectibus infallibiliter conferantur: Respondeo solam remissionem pœnæ pro peccatis debitæ infallibiliter conferri, reliquos verò effectus quando divinæ providentiæ melius placitum fuerit. Sic Vasq. *disp.*229. *cap.*2. Ægid. de Coninch. *quæst.*23. *art.*1. *dub.*8. *concl.*3. 4. *&* 5. Bonac. *disput.*4. *quæst. ult. punct.*3. Probo, quia huic sacrificio sicut & Sacramento assignare debemus aliquem effectum, qui non ponenti obicem infallibiliter concedatur. At nullus alius assignari potest præter remissionem, pœnæ, eaque de causa tam pro vivis, quàm pro defunctis hoc sacrificium offertur. Ergo hic effectus est infallibilis. Quod vero nullus alius effectus sit infallibilis, probo. Nam peccatorum remissio medio auxilio opportuno, quo ad pœnitentiam excitamur, infallibilis esse non potest, aliàs nullus foret peccator, pro quo sacrificium oblatum esset, qui de peccatis commissis non pœniteret, & misericordiam non consequeretur. Ex eadem ratione convincitur donum perseverantiæ vi hujus sacramenti petitum non infallibiliter obtineri, aliàs fere nullus damnaretur, cum rarus sit, pro quo hoc sacrificium oblatum non sit, non solum in genere, sed in specie, & in particulari. Idem argumentum fieri potest de aliis spiritualibus donis scilicet charitate, patientia, humilitate, &c. Bona item temporalia experientia manifestat vi hujus sacramenti infallibiliter non obtineri. Sæpe enim sacrificium offerimus pro salute corporis, pro pluvia, pro serenitate, pro belli victoria, pro fœlici rerum eventu, & similibus obtinendis quæ tamen sæpè non obtinentur. Neque inde fit prædictos effectus sacrificio tribuendos non esse, sunt enim sacrificio tribuendi, siquidem ad eos obtinendos Christus Dominus sacrificii oblationem instituit, eique virtutem concessit, uti constat ex Trident. *sess* 22. *c.*2. *& can.*3. Quod vero non semper obtineantur, sed solum quando divinæ providentiæ placitum fuerit, non probat sacrificium ad eorum consecutionem institutum non esse, sed solum probat non esse institutum pro infallibili eorum consecutione, sed pro consecutione divinæ providentiæ conformi. Exemploque Eucharistiæ quatenus sacramentum est declarari potest, inter illius namque effectus ex opere operato enumeratur à mortalibus præservatio, qui tamen effectus non semper, & infallibiliter obtinetur, sed quando divinæ providentiæ placitum est, ut latius suo loco diximus.

10. Quæstio septima. An sacrificium virtutem habeat infinitam pro supradictis effectibus concedens? Ratio dubitandi est, quia sacrificii valor, & operatio non ex re oblata, sed ex oblatione desumi debet, aliàs sacrificium, ut à sacerdote nomine proprio offertur, virtutem, & valorem infinitum haberet ad impetrandum, & satisfaciendum; quod nullus concedit. At oblatio virtutem infinitam habere non potest, siquidem non procedit ab offerente infinitè grato. Sacerdos enim tametsi Christi personam gerat, non est

Deo infinitè gratus, aliàs ejus oblatio ex opere operantis meritum infinitum haberet, quod est absurdum. Quod si dicas eam virtutem infinitam habere ex eo quod Christus non solum remotè, sed proximè sacrificium offerat. Obstat, quia ea oblatio prout à Christo procedit non est denuò meritoria, nec satisfactoria, nec fortè impetratoria, tametsi per eam meritum, satisfactionem, & impetrationem suæ vitæ applicet. Ergo ex ea applicatione non est virtus hujus sacrificii desumenda, præcipuè cum incertum sit Christum eo modo ad sacrificium concurrere, necessarioque concedendum sit sacrificio, quod in triduo fieret eandem virtutem, & valorem, qui præsenti sacrificio conceditur.

11. Dicendum tamen est cum communi omnium sententia, virtutem, & valorem sacrificii Missæ ex se infinitum esse tam secundùm intensionem, quam secundùm extensionem. Sic Petr. Navarra aliis relatis, *lib.2. c.2. n.168.* Vasq. *disp.230. cap.3. & disp.231. cap.3.* Suar. *disp.79. sect.11. & 12.* Ægid. de Coninch. *q.83. art.1. dub.10. concl.6. n.167.* & alii apud ipsos. Ratio est quia nullum inconveniens nascitur ex eo quod Christus Dominus hanc virtutem, & efficaciam tribuerit sacrificio, quinimò maximè conveniens fuit, ut sic sacrificium cum sacramento conveniat. Si enim cuilibet sacramento hanc virtutem & efficacitatem infinitam syncathegorimaticè cõcessit, eo quod merita suæ Passionis continet, ideoque quo major est suscipientis dispositio, eo abundantiorem fructum sacramentum confert, ut quid sacrificio hæc virtus deneganda erat? Quocirca asserendum est quo major fuerit dispositio & devotio illius pro quo hoc sacrificium offertur à sacerdote in persona Christi, eo majorem esse fructum, qui per hoc sacrificium communicatur. Ergo quoad intensionem ejus virtus & valor finitus non est, cum nunquam finiri possit. Quoad extensionem vero inde probatur. Si enim pro pluribus æquè dispositis sacrificium sacerdos offerret, non videntur singuli minus de sacrificio participare, ac si pro singulis offerretur. Aliàs cum plures sacerdotes eandem hostiam consecrarent, idemque sacrificium pro seipsis offerrent, minorem fructum perciperent, & quo plures Missæ adstarent, minor fructus ex opere operato, & vi sacrificii singulis communicaretur, quæ certè absurda sunt. Adde hanc infinitatem satis indicare Ecclesiam cum pro omnibus vivis, atque defunctis hoc sacrificium offert, neminemque ab illius participatione excludit.

12. Dices, ergo iniquè agit sacerdos, & contra charitatem debitam uni tantum fructum sacrificii applicans, cum omnibus applicare possit absque singulorum diminutione, superfluéque Ecclesia pro unius necessitatis impetratione plura sacra multiplicaret, cum eadem virtus & efficacia utpote infinita in uno sacro adsit, quæ adesset in pluribus, frustraque moriturus plura sacra facienda relinqueret, cum eundem effectum uno sacro, ac pluribus obtinere posset, nullamque injustitiam sacerdos committeret plura integra stipendia à pluribus accipiens, si æquè pro pluribus sacrum faceret, siquidem æquè singulis prodest, ac si pro singulis offerretur?

Respondeo negando iniquè agere sacerdotem applicantem uni in particulari sacrificii fructum, cum posset pluribus applicare absque diminutione, quia incertum est ex applicatione pluribus facta fructum non diminui, ob quam incertitudinem non peccat sacerdos uni tamen aplicans, tametsi posset pluribus applicare. Ad secundum nego superfluè Ecclesiam pro unius necessitatis impetratione plura sacra multiplicare, nam esto in quolibet sacro eadem virtus impetrandi contineatur, ac continetur in omnibus. At applicatio illius virtutis efficacior est pluribus sacris factis, quam una tantum cæteris paribus, sicuti in sacramento cernitur, quælibet enim hostia consecrata virtutem habeat ex se conferendi gratiam ita abundantem, sicuti habent omnes hostiæ consecratæ. Non tamen inde infertur utilius non esse pluries communicare, quam semel quia virtus ex se infinita finito modo communicatur juxta suscipientis dispositionem, ac proinde ex multiplicatione communionis augeri effectus potest. Si in præsenti dicendum est, quodlibet inquam sacrificium etsi virtutem infinitam habeat impetrandi quantum est ex se, de facto tamen limitationem suscipit ex intentione offerentis, & ex dispositione illius pro quo offertur. Et ex his constat qualiter moriturus utiliter procedit plura sacra facienda pro se relinquens, præcipuè cum ex quolibet sacro specialis Deo cultus, & honor accrescat. Ad ultimum nego sacerdotem non committere injustitiam plura integra stipenda accipiens à pluribus, quia esto fructus sacrificii non diminuatur, & ex hac parte nulla illis fiat injustitia, fit tamen maxima ex eo quod contra singulorum voluntatem integram sustentationem à quolibet accipiat, cum ab uno tantum acceptaturus esset.

13. Ex his deducitur solutio illius quæstionis, an sacrificium missæ pro pluribus oblatum æquè profit singulis, ac si pro singulis offerretur? Existimo namque probabilius æquè singulis prodesse, maximè si pro pluribus figillatim offeratur. Sic tenent Vasq. *dicta disp 231. cap.3.* Petr. Navarra, *lib.2. cap.2. num.168. in 2. edit.* & alii ab eisdem relati. Ratio est, quia duplicem fructum ex opere operato hoc sacrificium habet, scilicet propitiationem, seu impetrationem, & satisfactionem. Nullus autem ex his effectibus ex consortio plurium, pro quibus offertur minui potest. Ergo sacrificium Missæ ex opere operato pro pluribus oblatum æquè prodest singulis, ac si pro singulis offerretur. Et in primis quoad effectum impetrationis, cui Suar. *disp.79. sect.12. concluſ.3.* nullam limitationem concedit, sic probo. Quia hæc efficacia ex nullo capite minui potest, cum sacrificium ob infinitam dignitatem, quam in se habet aptissimum sit, ut eo placatus Deus moveatur ad quælibet beneficia concedenda. Quod si dicas minui ex oratione, & petitione cui adjungitur. Non enim sacrificium impetrat, nisi quatenus orationi adjungitur, quia non impetrat nisi quod petitur, & postulatur, id est faciet ut impetretur id quod medio sacrificio postulatum est. Atqui petitio in generali, & pro pluribus facta minoris efficacitatis est, quam si pro uno solo fieret. Ergo ex hac parte efficacitatis sacrificii ad impetrandum minui potest? Obstat, quia ut eleganter probat Petr. Navarra. *lib.2. de restit. cap.2. n.259.* ex ea parte virtus sacrificii minui non potest, primò quia impetratio non fundatur in proportione, & convenientia orationis cum beneficio petito, sed in liberalitate Dei, quæ non minuitur, etiamsi pro multis oratio fiat: quare licet sit tepida, potest impetrare, & de facto impetrat aliquando beneficium, quod oratio fervens non impetravit. Secundo quia esto in reliquis orationibus virtus impetrandi minuatur ex plurium consortio, pro quibus orationes funduntur, quia nititur orantis dignitati. At oratio quæ meritis Christi innititur, & nomine ipsius fit minui non potest, quia merita Christi diminutionem non patiuntur. Neque inde fit inutile esse multiplicare sacrificia, & pluribus sacrificiis idem ipsum expostulare, quia cum hic effectus non semper concedatur, sed quando juxta divinam providentiam expediens fuerit, fortè decrevit Deus petita concedere, si ab eo importunè petantur, secus si semel tantum postulatio fiat. Et quia aliquando in concessione non spectat Deus virtutem, & efficaciam quam habet oratio ad impetrandum, sed meritum, & condignitatem ipsius postulantis, vel ejus pro quo petitio facta est, beneficium concedi debet.

Quoad

Quoad effectum satisfactionis ea consideratione probo in singulis non minui, tametsi pro pluribus offeratur, sed unicuique fructum correspondere juxta propriam dispositionem, quæ principaliter metienda est ex gratia, & donis spiritualibus, quibus est effectus is pro quo sacrificium offertur, & ex devotione, & affectu, quem ad sacrificium habuit. Quia sic sacrificium instituere, ut applicatum pluribus æquè singulis prosit ac si pro singulis offerretur, & dignitatem sacrificii & libralitatem Dei non leviter commendat, nostramque salutem maximè promovet. Ergo affirmandum est.

14. Quod si dicas usu, & praxi Ecclesiæ contrarium significari, siquidem sacerdos solum applicat Missam ei à quo stipendium accepit, quam certè credendum est aliis fore applicaturum, si fructus ex opere operato non minueretur ex applicatione aliis facta? Respondeo ut supra, ab hac applicatione cessare ab incertitudinem, an fructus sit dividendus; ne ergo exponatur huic dubio, tutiorem partem licet minus probabilem sequitur. Et ob eam causam non potest sacerdos pro uno sacro plura integra stipendia à pluribus accipere, quia sub lite est, sitne fructus minuendus. Et præterea stipendium non pro sacro confertur, sed in sustentationem sacerdotis sub obligatione sacrum faciendi. At injustum est, & contra voluntatem concedentium stipendium velle pluribus integris stipendiis acceptis unico sacrificio satisfacere. Si vero objicias secundò ex hac infinitate inferri convenientius esse, ne sacerdoti relicta esset potestas applicandi fructum sacrificii, sed ipsum sacrificium ex institutione Christi applicatum esse tam vivis, quam defunctis? Negandum est quia, sacerdotum dignitatem decebat hæc libera applicatio, ut pote qui constituti sunt dispensatores mysteriorum Dei. Quod si tertiò urgeas unico sacrificio omnes animas purgatorii liberari posse, sicuti si pro singulis singula sacra oblata essent omnibusque æquè unum sacrum pro ipsis oblatum, ac plura pro singulis oblata prodesse. Neganda est sequela, quia sacrificium prodest animabus purgatorii secundum mensuram gratiæ, quam habent, & devotionem, qua existentes in hac vita procurarunt sacrificium, & secundùm intentionem sacerdotis, cùm autem hæc æqualia esse non possint in omnibus animabus purgatorii, efficitur non æquè omnibus sacrificium prodesse. Deinde cum sacerdos dupliciter possit sacrificium pro animabus purgatorii applicare, generaliter, & confusè, vel specialiter; credendum est ex applicatione generali majorem fructum provenire iis, pro quibus sacrificium applicatur, quam si specialiter applicatum esset.

Quæstio octava. Quibus sacrificii fructus ex opere operato communicetur, quamque dispositionem habere debeant ad illum percipiendum. Duplex genus personarum ad hoc sacrificium concurrit. Vnus est offerentium, alterum eorum pro quibus offertur. Offerens, propriè est sacerdos, quia solus ille consecrat, reliqui vero fideles tametsi ministrent sacrificio, vel ad illud postulatione, aut stipendio dato concurrerint, solum denominativè, & extrinsecè offerentes dicuntur. Dubium ergo est, an sacerdoti quatenus offerens est, reliquisque fidelibus sub hac ratione effectus sacrificii ex opere operato communicetur? De sacerdote communis sententia affirmat, teste Suar. *disp. 79. sect. 9. circa finem.* De reliquis docet Navarra *lib. 2 de restit. c. 2. à n. 28.* Probarique potest. Tum quia sacerdos nomine Ecclesiæ offert hoc sacrificium pro omnibus, qui illud offerunt. Sentit ergo offerentes fructum ex sacrificio participare. Tum quia sacrificium consistit in oblatione, quæ æquè offerentes, ac illos pro quibus offertur respicit. Nihilominus censeo ex opere operato, & ex Christi institutione nullum effectum sacerdoti quatenus offerens est, & à fortiori nec reliquis fidelibus, quatenus offerentes sunt, communicare. Sic Vasq. *disp. 231. cap. 3. n. 12.* ibique rationem optimam reddit, quia Christus Dominus quatenus seipsum Patri obtulit, non suscepit in se sacrificii fructum, quia non pro se, sed pro aliis obtulit. Ergo sacrificii effectus ex opere operato non offerentibus, sed illis pro quibus offertur communicatur. Adde effectus hujus sacrificii ex opere operato relinquitur sacerdoti personam Christi gerenti communicandus. Non igitur ipsi quatenus offerens est, neque aliis fidelibus quatenus offerentes sunt, communicatur, aliàs independenter à sacerdotis voluntate, & applicatione communicaretur. Rationes contrariæ non urgent. Non enim ex eo quod sacerdos nomine Ecclesiæ sacrificium offerat pro iis qui illud offerunt, inferunt sacrificium in offerentibus quatenus tales sunt, habere effectum ex opere operato, sed solum ex opere operantis, & per modum impetrationis. Neque ex eo quod sacrificium ad sui constitutionem æquè respiciat offerentes, ac eo pro quibus offertur, inferri potest illius effectum offerenti applicari, sicuti non infertur sacramenti effectum applicari ministro, tametsi sacramentum ut sic æquè ministrum, ac suscipientem respiciat. Restat ergo sacrificii fructum ex opere operato iis tantum pro quibus offertur, communicari.

15. Quam vero dispositionem habere debeant? Breviter respondeo, si de remissione pœnæ, quæ est effectus infallibilis, & proprius sacrificii, loquamur; necessariò debet in gratia existere, quia ut ex D. Thom. communiter recepto, *quæst. 79. art. 7. ad 2.* constat, nemini remittitur pœna debita pro peccatis, quin culpa mortalis fuerit remissa. Si vero de effectu impetrationis loquamur, peccatoribus convenire potest, ut pote qui illius capaces sint, iis enim medio sacrificio impetrari à Deo donum pœnitentiæ potest, sicuti docet concil. Trident. *sess. 22. cap. 2.* Supradicti effectus efficacius, & abundantius communicatur iis, qui specialius ad hoc sacrificium concurrerunt vel postulatione, vel stipendii concessione, vel sacri ministratione. Expedit enim ut sacrificium, sicut & sacramentum, effectus communicet abundantiores melius disposito.

16. Quæstio nona. Quam intentionem habere debeat sacerdos, ut sacrificium Missæ iis pro quibus offertur, ex opere operato prosit? Duplicem intentionem habere sacerdos potest: primò propriam, aliam ex debito. Aliqui Doctores sentiunt non posse sacerdotem mutare intentionem ex debito, quia sacerdos ut minister Christi operatur. Tenetur ergo juxta ejus voluntatem operari: at voluntas Christi est, ut intentioni debitæ satisfaciat. Ergo hanc mutare non potest. Quocirca sacerdos obligatus ex obedientia, vel justitia, vel charitate alicui sacrificium applicare, non videtur hanc intentionem mutare posse. Sic Scotus *quodlib. 20. §. de secundo art. vers. de secundo.* Gab. *in can. Missæ, lect. 26. lit. P. & Q.* Nihilominus verissimum est propriam applicationem sacerdotis necessariam esse, ut sacrificium habeat effectum, Sic Suar. *disp. 79. sect. 9.* Ægid de Coninch. *quæst. 83. art. 1. dub. 9. concl. 8.* Layma. *lib. 5. sum. tract. 5. cap. 2. assert. 4.* Vasq. *disp. 231. cap. 6.* Ratio est, quia effectus sacrificii ex opere operato nemini conceditur nisi medio sacerdote, hic enim solus est constitutus dispensator mysteriorum Dei, & in ordinatione potestatem accepit sacrificium offerendi, & consequenter ejus fructum applicandi pro vivis, & defunctis. Ergo dum sacerdos sacrificium non applicat, effectus sacrificii nemini applicatur. At ex eo præcisè quod sacerdos obligatus sit sacrificium alicui applicare, non infertur necessariò quod ipse applicet, potest enim eo omisso sibi, vel alteri applicare. Ergo ex intentione debita propriè effectus sacrificii non applicatur.

Rursus

Rursus hanc intentionem & applicationem habere potest sacerdos confusam, vel specialem. Confusam voco, cum sub quadam generalitate pluribus sacrificium applicat, ut si sacerdos sacrificium applicaret omnibus fidelibus hujus civitatis, omnibus consanguineis in purgatorio existentibus, vel omnibus fidelibus vivis, atque defunctis. Specialem voco, si intentionem referat in personas signatas, & determinatas. Si sacerdos sub ratione confusa pluribus sacrificium applicet, minus prodest singulis, quam si pro singulis specialiter, & in particulari applicatum esset. Nam cum sacrificii effectus pendeat ex applicatione sacerdotis, conveniens fuit, ut applicationi perfectiori abundantior effectus concederetur, ut benè notavit Vasq *disp.231. c.6. n* 38. Prædictam applicationem sive generalem, sive specialem habere sacerdos debet, vel ante consecrationem, vel in ipsa consecratione, quia eo tempore personam Christi sustinet. Unde transacta consecratione jam non est in potestate sacerdotis effectum sacrificii alicui applicare, quia jam non est sacrificium, neque expectare debet sacrificii fructus applicationem sacerdotis subsequentem. Ægid. de Coninch. *q.*83. *art.*1. *dub* 9. *concl.*9. Quod si aliquando contingat aliquem sacerdotem consecrare hostiam, alium calicem, ei qui calicem consecravit, competit sacrificii applicatio, quippe, sacrificium perfecit, expedit tamen ut præcedentis sacerdotis intentioni se conformet, tametsi obligatus non sit. Vasq. *disp.*231. *cap.*6. *in fine.* Quapropter debet sacerdos ut fructuosè sacrificet alicui, vel aliquibus sub speciali, vel generali intentione fructum sacrificii applicare. Quod si contingat applicationem specialem esse, consultum est ne uni tantum fiat, sed pluribus, ne fortè sacrificii fructus inapplicatus existat ob incapacitatem subjecti, cui fuit applicatus. Opus tamen non est, ut expresè & formaliter applices, sufficit virtualiter, & implicitè, ut si ante sacrificium intentionem habuisti fructum applicandi ei cui ex justitia, vel obedientia applicare obligatus es, tametsi tempore sacrificii oblitus illius fueris.

17. Dubium tamen grave est, an validè, & licitè possis applicare sacrificium sub conditione contingenter futura. V. g. an possis celebrare pro eo, qui sequenti die erimus è vita decesserit, vel à te sacrificium expostulaverit, stipendiumve concesserit? Affirmant Navarra *lib.*2. *de restit. c.*2. *n.*370. Aragon. 2.2. *quæst.*85. *art.*3. *dub. penult.* Joann. Bap. Conrad. 2. *p. casuum conscient. quæst.*355. consentit ex parte Cordub. *lib.*1. *qq.*4. *dub.*6. Moventur, quia potes intentionem habere, cum sacrum facis: ut fructus statim applicetur ei, qui sacrificium postulaturus est siquidem Deus id optimè novit: vel intentionem habere potes, ut in acceptione divina reservetur ei postmodum applicandi. Nulla enim in iis intentionibus repugnantia, aut implicatio cernitur. Nam ex prima intentione sacrificii fructus non suspenditur, sed statim applicatur, cum sacrificium perficitur. Et licet ex posteriori intentione sacrificii fructus suspendatur, hæc suspensio contraria non est sacrificii fructibus. Tum quia de facto plures sacrificiorum fructus, qui ob incapaciratem eorum quibus fuerunt applicati non habuerunt effectum in thesauro Ecclesiæ, & acceptione divina reservantur per Pontificem applicandi. Cur ergo non poterunt reservari applicandi ex intentione sacerdotis sacrificantis: Adde effectus sacrificii quoad impetrationem non conceditur, cum sacrificium fit, sed intuitu sacrificii facti opportuno tempore concedendus reservatur. Cur ergo satisfactio non poterit opporruno tempore concedenda reservari.

18. Nihilominus verius censeo non esse in potestate sacerdotis reservare sacrificii fructum applicandum ei qui postmodum moriturus est, vel stipendium largiturus, quia sacerdoti datum non est fructum sacrificii applicare, nisi quando sacrificat, quia nomine Christi applicat, ac proinde cum Christi personam sustinet applicare debet. At applicans sub conditione futura non applicat, cum Christi personam sustinet, sed reservat applicandum; adveniente conditione caret potestate applicandi. Ergo invalidè hoc applicationis modo utitur. Ab inconvenienti id ipsum probari posset, quia inde sequeretur sacerdotem applicare sacrificii fructum posse peccatori in mortali existenti sub conditione quod à peccato resurgat, quod alienum est ab usu Ecclesiæ. Non igitur sub conditione contingenter futura effectus sacrificii applicari potest. Sic Suar. *disp.*79. *sect.*9. Ægid. de Coninch. *q.*83. *art.*1. *dub* 9. *concl.*10. Vasq. *disp.*231. *cap.*7. *in fine*, *& disp.*234. *cap.*3. *n.*22. Barbos. 2. *p. de perf. ct. Episcop. alleg* 24. *à numer.* 12.

Quod si sacerdos velit, ut cum fit sacrificium applicetur fructus ei, quem Deus scit postea eleemosynam concessurum, vel ex hac vita prius decessurum. Verius existimo eam applicationem validam esse posse, quia est absoluta, & independens ab aliqua conditione futura. Nam esto sit futurum contingens quisnam primo stipem pro Missa sit concessurus. At Deum id scire non est contingens futurum, sed præsens, & necessarium; secundum quam præsentiam, & necessitatem fructus sacrificii applicatur, nec reservatur applicandus ad tempus mortis, vel concessionis stipendii, Verum esto hæc applicatio valida esse possit, ac credo ea non satisfieri ei qui postmodum Missam petit, & stipem elargitur? quippe est contra voluntatem ipsius ea anticipata applicatio, ipse enim intendit petitione, & stipendii elargitione se ad fructum sacrificii recipiendum disponere, qua dispositione tempore sacrificii caruit, præterquam quod eo tempore fortè fuit ad fructum sacrificii recipiendum incapax. Ob hanc causam meritò Clemens VIII. ex decreto sanctæ Congregat. 15. Novembr. anno 1605. consuetudinem illorum, qui Missas anticipata intentione celebrant, pro iis qui postmodum stipem erant elargituri, tanquam periculosam, & fidelium scandalis, & offensionibus obnoxiam, & à vetusto Ecclesiæ more abhorrentem explosit, & improbavit. omnibusque Episcopis in suis diœcesibus, & Prælatis regularium in suis Ordinibus exterminandam præcepit, ut latius refert Barbos. *in remiss. concil. sess.*22. *in princip. & 2. p. de potest. Episc. alleg.*24. *numer.*12. *& seqq.* ubi pluribus relatis firmat adversus dictam prohibitionem non procedere capellanum, qui Missas ex obligatione dicendas anticipatè recitaret, neque qui recitaret pro intentione illius, qui obligatus est Missas commendare, quia in iis casibus fructus sacrificii non suspenditur postmodum applicandus, sed statim applicatur juxta intentionem præsentem certam, & determinatam. Et insuper is pro quo sacrificium applicatur, non speratur melius se dispositurum ad sacrificii fructum percipiendum.

19. Ex his dicenda est, quæstio, an laudanda sit consuetudo, qua aliqui pii viri usi sunt celebrandi exequias, & officium defunctorum pro se dum viverent? Et quidem si prædictum officium & sacrificium ea intentione fieret, ut illius fructus reservaretur in acceptatione divina applicandus post hujus vitæ egressum, laudanda ea consuetudo non esset, sed omnino reprobanda utpotè inutilis, & infructuosa. At si celebrantes sacrificium funebre intendunt satisfactionis fructum sibi tunc applicari, & virtute illius sacrificii beneficium aliquod suo tempore concedendum impetrare, non est ita manifesta prædictæ consuetudinis deordinatio, ea tamen conditione posita, ut orationes, & preces, quæ mortuum aliquem denotant, non referantur ad vivos, quod certè fieri potest. Etenim sæpè contingit

te vivente ſtipendium ſacerdoti concedere, ut pro te ſacrificet, cui intentioni ſacerdos ſatisfacit, ſi Miſſam defunctorum celebret, quia Miſſa defunctorum æque tibi prodeſſe poteſt, ac quælibet alia. At eo caſu orationes, & preces, quæ defunctos denotant, non ad te referuntur, ſed ad defunctos in purgatorio exiſtentes. Similiter ergo officium & ſacrificium funebre celebrare poteris, ut illius fructus tibi applicetur, dummodò non intendas orationes, & preces defunctorum ad te referre. Adde non ſolum orationes defunctorum ad te referre non potes, ſed neque fructus qui mediis illis ex ſacrificio oblato conſequitur. Nam ſacerdos orationes, & preces Eccleſiaſticas decantans, & mediis illis ſacrificium offerens, ut miniſter Eccleſiæ procedit, cujus intentionem mutare non poteſt, neque illorum fructum aliis ab Eccleſia deſignatis applicare: ſolum enim tibi applicare poteſt, & debet fructum ſacrificio correſpondentem, quatenus in perſona Chriſti ſacrificium offert. Quam applicationem nullatenus impedit ſacrificium funebre, cum æquè ex illo, ac ex quolibet alio fructus ſacrificii obtineatur. Non ergo damnanda eſt conſuetudo illorum, qui pro ſe dum vivunt exequias, & officium funebre decantari curant, ut eo pacto mortis memoriam præſentiorem habeant. Sicuti fecit Albert. Magnus, *teſte* Ferdinando Caſtillo, 2 *p. Hiſtor. Gener. S. Domin. lib.* 3. *cap.*46. & Henriq. 2. Comes de Rotenec. Epiſcop. Ratiſpon. 33. apud Vvigulcum Undium in Hiſtor. Sic ſuſtinet Pinel. *lib.*2. *de Miſſa c.*7. *q.*3. Navarr. *lib.*3. *conſil. conſ.*6. *de celebrat. Miſſar. edit* 2. Zerola *in prax Epiſc.*2. *p. verbo Miſſa verſ.*10. Barboſa *in remiſſion. concil. ſeſſ.*22. *cap.*2. *in fine.*

Nihilominus etſi prædicta conſuetudo illa moderatione appoſita per ſe illicita non ſit, exiſtimo tamen nullatenus eſſe permittendam, primò, & præcipuè, quia eſt aliena ab uſu, & conſuetudine Eccleſiæ Romanæ, quæ officium funebre non pro vivis, ſed pro defunctis decantari curat. Secundò quia ex ea conſuetudine datur fidelibus occaſio ſuſpicandi ſic mandantem celebrare, & celebrantem velle orationes, & preces ab Eccleſia pro defunctis inſtitutas ad vivos referre, quod & ſuperſtitioſum eſt, & veritati contrarium. Tertiò quia ex illius officii funebris celebratione, nulla ſpecialis utilitas tam quoad ſatisfactionem, quam quoad impetrationem tibi provenit, quæ provenire non poſſit ex cujuſlibet officii celebratione, ut quid ergo tale ſacrificium petendum eſt? Quod ſi dicas ut mortis memoriam efficacius excites? Obſtat; quia hanc memoriam eadem efficacitate excitare poteris, ſi officium funebre in memoriam alicujus defuncti, vel omnium defunctorum fidelium celebrari cures. Nulla igitur eſt convenientia, ob quam in tui memoriam quaſi jam ſæculo mortuus eſſes, officium funebre celebretur, quinimo impropriè & contra veritatem fit. Et ita docet Paul. Layman. *lib.*5. *ſum. tract.*5. *capitul.*2. *num.*15.

Punctum VII.

Quibus diebus, & qua hora licitum ſit ſacerdotibus celebrare.

1. *Licitum, & conſulendum eſt ſingulis diebus omnibus ſacerdotibus non impeditis celebrare.*
2. *Excipiuntur communiter tres dies, ſed de feria quinta hebdomadæ ſanctæ nulla eſt prohibitio.*
3. *Feria ſexta paraſceves nemini licet celebrare.*
4. *Sabbatho ſancto privatim non licet tametſi aliqui oppoſitum ſentiant probabiliter.*
5. *Ante ſolemnem Miſſam nequaquam eſt probabile.*
6. *Eodem die ſemel tantum ſacerdos ſacrificare poteſt.*
7. *Excipitur dies natalis Domini.*
8. *Excipiuntur neceſſitatis caſus & qui ſint.*
9. *Judicium fertur de prædictis caſibus.*
10. *Affirmant aliqui cauſam ſufficientem, ut his eodem die celebretur, ſufficere ter, & quater.*
11. *Contrarium verius.*
12. *Qua hora ſit Miſſa celebranda.*
13. *Quæ excipiantur ab hac regula.*
14. *Poſt meridiem non licet celebrare. Et quæ excipiantur.*

1. SIngulis diebus non ſolum licitum, ſed & conſulendum eſt omnibus ſacerdotibus ſacrum facere, quia non ſolum in eorum utilitatem, ſed in utilitatem publicam totius Eccleſiæ, & animarum in purgatorio exiſtentium ſacrificium cedit. Ob quam cauſam ſacerdotibus, quibus alias more laïcorum, conſultum non eſſet ſpectata eorum diſpoſitione ſingulis diebus communicare, celebrare conſultum eſt, ut benè notavit. Vaſq. *diſp.*232. *in fine.*

2. Excipiuntur autem communiter tres dies, quibus privatim celebrare non licet, videlicet feria quinta in cœna Domini, feria ſexta paraſceves, & ſabbatho ſancto. Sed de feria quinta in Cœna Domini communis eſt Doctorum ſententia, nullam eſſe obligationem abſtinendi à ſacrificio, neque ex jure ſcripto, quia nullum eſt, neque ex conſuetudine quæ vim legis habeat. Nam eſto pluribus Eccleſiis introductum ſit unicam Miſſam ſolemnem celebrari, in qua omnes ſacerdotes communicent, id non eſt introductum per modum obligationis, ſed devotionis ut aptius Apoſtolorum communio de manu Chriſti Domini commemoretur. Adde prædictam conſuetudinem abrogatam jam eſſe, cum paſſim videamus eo die ſacrificium celebrari tam Romæ, quam extra. Et ita ſuſtinent adverſus Francolinum, *lib. de hor. canonic.*30. *num.*4. Navarr. *in ſum. cap.*22. *num.*88. Angeles *in floríb. quæſt.*8. *de valore Miſſæ.* Vaſq. *diſp.*232. *cap.*2. *num.*24. Suar. *diſp.*80. *ſect.*1 Ægid. de Coninch. *quæſt.*83. *art.*2. *dub.*2. *num.*2. *num.*210. Layman. *lib.*5. *tract.*5. *cap.*4. *num.*9. Movet tamen optimè Vaſquez *dicto loco* has privatas Miſſas celebrari debere antequam ſolemnis in Eccleſia finiatur. Nam ea finita nequeunt ſacerdotes abſque gravi culpa Miſſas privatas dicere, quia jam incepit officium paraſceves cum veſpere dicantur, & recolitur memoria realis mortis; & ſepulturæ Chriſti Domini. Ob quam cauſa feria ſexta paraſceves celebratio interdicitur, ut jam dicimus.

3. Feria ſexta paraſceves omnes Doctores teſtantur nemini licitum eſſe ſacrificare ob prohibitionem factam ab Innocent. I. *epiſt.*1. *ad Decent. cap.*4. & refertur *cap. ſabbato. de conſecrat. diſt.*3. Rationem congruentiæ reddit D. Thom. *quæſt.*83. *art.*2. *ad* 2. quia eo die Eccleſia recolit realem Chriſti Paſſionem, & mortem. Non igitur expedit myſticam, & incruentam mortem exhibere. Verum ſicut ſacerdos ex præconſecratis feria 5. communicat, eodem modo quilibet alius communicare poterit: quia more laicorum eo die communicare interdictum non eſt, quinimo permiſſum, ſicuti tradit aliis relatis Laym. *libro* 5. *ſum. tractat.*5. *capit.*4. *aſſert.*6 Eman Saà, *verbo Miſſa num.*23. & optimè probat Vaſq. *diſp.*232. *cap.*2. *à num* 19.

4. De ſabbatho ſancto eſt major difficultas, an liceat privatim ſemoto ſcandalo celebrare? Affirmant Sotus *in* 4. *diſt.*13. *q.*2. *art.*2. §. *ſecundo arguitur*, ſaltem ex licentia Prælati. Gutierr. *l.*1. *can. q. cap.*30. *n.*30. Suar. *diſp.*80. *ſect.*2. Ægid. de Coninch. *q.*83. *art.*2. *dub.*2. *n.*211. Scortia, *lib.*2. *c.*6. Moventur, quia prohibitio facta in *c. ſabbatho de conſecr. diſt.*3. omnino abrogata videtur ex eo quod Miſſa quæ mane reſurrectionis celebranda erat, retracta ſit ad Sabbatum

batum ante meridiem. Nam ea celebratione cessat jejunium, & luctus ob mortem, & passionem Dominicam, quæ fuit causa, ob quam sacrificium incruentum eo casu prohiberetur, succeditque memoria resurrectionis quæ ab eo tempore recolitur.

Nihilominus etsi supradicta sententia probabilis sit, & à viris timoratæ conscientiæ in praxim redacta, probabiliorem & veriorem existimo contrariam cum Navarr. *c.* 25. *n.*88. Francolino *de tempore horar. canon. c.* 30. Henriq. *lib* 9. *c.*24. *num.*3. Laym. *lib* 5. *tract* 5 *cap* 4. *assert.*7. Vasq. *dicta disp.*232. *c.*2. *num.*24. Ratio præcipua est,quia ut Doctores oppositæ sententiæ tenentur fateri,usque adhuc non est introducta consuetudo eo die celebrandi publicè in Ecclesia, præter unam Missam solemnem, ad summum enim aliqui secretò in privato sacello ausi sunt celebrare: at ex hac celebratione,inferri non potest præceptum latum in *capite Sabbatho* derogatum esse absolutè, sed solum quoad unicam Missam solemnem, siquidem de sola illa est consuetudo manifesta; consuetudo namque derogans præceptum publica, & manifesta,& à majori parte usitata esse debet.Secundò si prædictum præceptum ob consuetudinem celebrandi solemniter cessavit non solum quoad Missam solemnem, sed quoad privatas; ergo licitum erit per se non solum in privato sacello, & secreto oratorio celebrare, sed etiam publicè in Ecclesia, quia præter supradictum præceptum nulla alia extat prohibitio. Tertiò pro Missa solemni illius diei nullus introitus designatur, quia prophetiæ, quæ præmittuntur loco introitus deserviunt, at pro Missis privatis nullus est designatus introitus,neque aliquid præmittitur,quod loco introitus deservire possit. Censet ergo Pontifex nullam aliam Missam præter solemnem celebrari posse. Aliàs iis privatis Missis introitum designaret, sicuti fecit in vigilia Pentecostes, in qua quia privatæ Missæ celebrari possunt, illis introitus designatus est, tametsi pro Missa solemni nullus fuerit introitus designatus, sed prophetiæ præmissæ loco introitus succedunt. Quartò antiquo tempore cum Missa noctis resurrectionis celebrabatur, nullus alius eam Missam celebrabat, sed reliqui sacerdotes Missam dicebant de die resurrectionis. Aliàs si omnibus datum esset Missam pro nocte resurrectionis signatam celebrare, quis posset Missam de die resurrectionis dicere,nisi bis eodem die celebrasset,quod est inauditum. Cum ergo sola celebratio,quæ nocte resurrectionis facienda erat ad sabbathum retracta sit, efficitur unico sacerdoti concedi, siquidem antiquo tempore uni tantum in qualibet Ecclesia concedebatur.

5. Illud vero certum existimo stante probabilitate contrariæ sententiæ affirmantis quemlibet sacerdotem celebrare privatim posse, nemini id esse licitum antequam Missa solemnis incœpta sit, quia usque ad illud tempus memoria realis possionis ab Ecclesia colitur, quo durante cultu nullum est sacrificium celebrandum *ex dicto cap. Sabbatho de consecrat. dist.*3. Ob hanc enim rationem diximus nemini licitum esse feria quinta in cœna Domini post finitum sacrificium solemne illius diei, & sacramentum reconditum privatim celebrare, tametsi antea licitum esset.

6. Eodem die semel tantum celebrare sacerdotem posse, quia semel tantum Christus mortuus est, colligunt omnes Doctores cum D. Thom. *quæst.*83. *art* 2. tum ex Ecclesiæ consuetudine. Tum ex Alexand.I I. *in c. sufficit de consecrat. dist.*1. sed præcipuè ex Innocent. I I I. *in c. censuisti de celebrat. Missar.* ubi consultus Pontifex, an presbyter duas Missas valeat celebrare: respondit, quod excepto die Nativitatis Domini, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare. Item ex Honorio I I I. *in c. te referente eodem tit.* ubi utitur verbo, mandamus.

7. Ab hoc præcepto excipitur primò dies Nativitatis Domini in quo concessum fuit à Telesphoro relato *in c. nocte sancta de consecrat. dist.*1. tres Missas celebrare. Idemque tradit Innocent. in textu nuper relato. Ratio mystica hujus exceptionis, sicuti docuit D. Thom. *art.*2. *ad* 2. fuit ut hac trina sacrificii repetitione significaretur trina verbi nativitas, prima qua ab æterno nascitur à Patre. Secunda,qua in tempore ex B. Virgine natus est. Tertia,qua quotidie in cordibus nostris nascitur. Vel ut placuit Bedæ *serm. de nativit.* ad significandum triplicem legem, naturalem,scriptam,& legem gratiæ. Monet tamen Navar. *in sum. c.*21. *n.*2. *& lib.*3. *consil. cons.*1. *de celebr. Miss. edit.* 2. & bene nullum extare præceptum prædictas Missas celebrandi, vel audiendi; sed satis esse si una legatur,vel audiatur. Quia hæc concessio privilegium est, non præceptum.

8. Secundò excipit Innocent.III. in *c. consuluisti* necessitatis casum,ibi: Nisi causa necessitatis suadeat. Qua posita admittit Innocent. repeti celebrationem posse. Varii casus enumerantur, in quibus hanc necessitatem intervenire censent Paludan. *in* 4. *dist.*12. *q.*1. *art.*4. *post* 4. *conclus.* Antonin. 3. *p. tit* 13. *cap.*6. *§.* 5 Durand. *lib.*4. *rational. divin. officior. cap.*1. *n.*25. Sylvest. *verbo Missa.*1. *q.*7. Navarr. *cap.*25. *num.*87. Henriq. *l.*9. *c.*30. Primus, si parochus duas habeat Ecclesias parochiales, & non sit qui commodè possit in una illarum celebrare, poterit ipse in utraque celebrare, nam cum parochiani habeant jus ut in propria parochia Missam quam audire possint, celebretur, & nullus sit alius præter parochum qui eam commodè celebrare possit, vel velit, urget parochum necessitas celebrandi. Secundus ob communicandum infirmum in periculo mortis constitutum. Tertius ob repentinum adventum alicujus Episcopi, vel magni principis, quem decet singulis diebus Missam audire. Quartus ob peregrinorum multitudinem supervenientem die festo. Quintus ob multitudinem populi ad festivitatem concurrentem, quem basilica capere non potest, poterit Sacerdos Missam iterare, ne multi sacra auditione priventur. Ob quam causam concedit Navarr. *dicto cons.*2. *de celebrat. Missar.* & Azor. *l.*10. *c.*24. *q.*6. *§ sed quares.* Laym. *lib.*5. *sum. tract.*5. *c.*4. *n.*6 in Anglia ubi pauci sunt sacerdotes quemlibet sacerdotem bis celebrare posse, non solum diebus festis, sed profestis, ne fidelium multitudo sacrificio careat. Sextus ob nuptiarum benedictionem, maximè si finiatur eo die tempus benedictionum. Septimus ob sepeliendum defunctum, si ibi adsit consuetudo neminem absque sacro sepeliri. Octavus ob concurrentiam officiorum eodem die,ut in quadragesima, in rogationibus, in vigilia,in quibus una Missa de festo, altera de tempore dici debet, & in ea Ecclesia ea consuetudo servatur. Denique subdunt Nav. *dicto c.*25. *num.*87. & Henriq. *lib.*6 *c.*30. necessitatem reperendi celebrationem arbitrio prudentis judicandum esse.

9. Verum esto prædicti casus antiquo tempore spectato concedendi essent: at præsenti tempore, in quo obligatio, ne sæpius quam semel celebretur, strictior urget ob usum, & consuetudinem receptam, admittendi omnes non sunt.Nam excluso primo casu vix in reliquis adesse potest necessitas, sed solum utilitas repetitæ celebrationis, cum tamen Innocent. I I I. necessitatem exegerit pro repetita celebratione concedenda. Quod ut clarius fiat expendamus sigillatim casus enumeratos. Primum de parocho habente duas Ecclesias omnes admittunt, quia illa est aperta necessitas, quinimo non solum ad dies festos, sed ad profestos facultatem extendit & satis probabiliter Suar. *disp.*80. *sect.*3. *circa finem*, illius parochiæ fideles commoditate audiendi sacrum privati existant. At idem est, cum parochus gravi morbo, vel absentia impeditur, celebrare poterit alius propinquus parochus

chus vices illius gerens in ea parochia, & in propria (si commode inveniri non possit simplex sacerdos, qui unica celebratione prædictum defectum suppleat) Secundus casus de communicando infirmo morituro vix practicus esse potest. Nam si ante sumptionem hostiæ monitus sis, debes particulam hostiæ infirmo communicando reservare. Si autem sumpta hostia, & ablutione monearis, nequis ob communicandum infirmum iterum celebrare, quia præceptum celebrandi jejunè strictius obligat, neque omitti debet ob hanc proximi necessitatem. Quocirca ut prædictus casus locum habeat, moneri, vel recordari debes infirmi sumpta hostia ante ablutionem. Cum ergo casus sic contingerit, satis probabile est te posse iterum celebrare, quia illa est gravis proximi necessitas, & fortè ex illa communione pendet æterna illius salus. Et ita hunc casum expressè admittit Ægid. de Con. *q.*83. *art.*2. *dub* 3. *n.*215. Bon. *disp* 4. *de sacr. q. ult. p.*7. *n.*10. tametsi Vasq. *disp.*232 *c.*5. *circa finem* contrarius sit. Tertium casus Vasq. Ægid. Bon. & Suar. *disp.*80. *sect.*3. *post med.* non admittunt, & meritò, quia non videtur res tanti momenti devotioni Episcopi, vel ulterius principi satisfacere, ut ob illius causam consuetudo Ecclesiæ in celebratione præscripta omittenda sit. Quartum; & quintum casum censerem admittendum, si ingens fidelium multitudo Missam audire deberet, secus si exigua decem, vel 20. & non esset alius sacerdos qui celebrare posset. Moveor tum authoritate Leonis Pontificis *epist.*81. *ad Dioscor. cap.*2. qui manifestè indicat eo casu duplicem Missam dici posse ab eodem inquam sacerdote, nam à diversis nihil novi diceret. Tum argumento deducto ex parocho duarum, qui secundum omnium sententiam duas Missas celebrare eodem die potest, ne unius Ecclesiæ parochialis priventur commoditate audiendi sacrum. Ergo impedire ne plures absque sacrificio remaneant, sufficiens causa est bis sacrificandi. Et ita sustinent Suar. *disput.*80. *sect.*3. *in fine.* Ægid. de Coninch. *dub.*3. *circa finem.* Nec dissentit Layman. *dicto lib.*9. *tract.*5. *cap.*4. *numer.*6. Septimum, & sextum casum reprobant & bene Vasq. *dicto cap.*5. *circa finem.* Suar. & Ægid. *locis allegatis.* Non enim in illis adest necessitas, quæ honester repetitam celebrationem. Quæ enim necessitas esse potest, quod sacerdos qui ante inceptum sacrum monitus non fuit de nuptiis benedicendis, sacrum repetat ob illarum benedictionem, cum possit earum benedictio in sequentem diem differri. Quod si eo die tempus nuptiarum finiatur, non obinde honestatur sacri repetitio. Non enim illa digni sunt conjuges nuptiarum benedictionem intempestivè postulantes. Deinde quid refert quod defunctus absque Missa sepeliatur, cum sæpè id fiat, Octavus casus approbari videtur ab Alexand. II. *in cap. sufficit de consecrat. dist.*1. & eo tempore cum exiguus esset numerus sacerdotum sustineri poterat, at in præsenti tempore non censeo admittendum, sicuti neque amittit Ægid. de Coninch. *quæst.*83. *artic.*2. *dub.*3. *num.*216. Vasq. *disputat.*232. *cap.*5. *numer.*40. Quia majoris momenti est observatio hujus generalis præcepti, ne ad uno sacerdote bis eodem die celebretur, quam observatio consuetudinis particularis Ecclesiæ dicendi duplicem Missam, præcipuè cum non sit, neque esse possit consuetudo, quod ab uno sacerdote duplex illa Missa dicatur.

Deinde si prædictis casibus quos insufficientes esse censemus ad Missæ repetitionem alia gravis causa adjungatur, videlicet querimoniæ, & pertubatio populi, eo quod sacerdos repetendæ celebrationi non acquiescat, cum ex gravium Doctorum sententia id facere possit, credo sufficienter honestari sacrificii repetitionem: quia eo posito casus est necessitatis. Sic notavit Ægid. de Coninch. *quæst.*83. *art.*2. *dub.*3. *in fine* Layman. *lib.*5. *sum. tract.*5. *cap.*4. *n.*6.

10. Sed inquires, an non tantum bis sed ter, & quater possit sacerdos eodem die celebrare, si causa subsit, quæ binam celebrationem honestavit? Affirmant Suar. *disp.*80. *sect.*3. *circa finem.* Ægid. de Coninch. *q.*83. *art.*2. *dub.*3. *n.*213. Layman. *lib* 5. *sum. tract.*5. *c.*4. *n.*6. *vers. quæres.* Quia cum binam celebrationem sola necessitas concedat, & trinam concedere poterit. Unde sacerdos trium Ecclesiarum præfectus triplicem Missam celebrare poterit.

11. Cæterum existimo graviorem causam requiri pro trina, & quaterna celebratione, quam pro bina, utpote res rarò, vel nunquam usitata. At stante ea graviori causa sacrificium multiplicari poterit, sed raro, vel nunquam credo eam causam eventuram, nisi in præfectura trium Ecclesiarum, quæ ex urgentissima tantum causa concedi potest, & graviori quidem quam ea quæ communiter expostulatur ad duarum Ecclesiarum præfecturam. At ea præfectura concessa potest sacerdos in prædictis Ecclesiis eodem die celebrare. Nam eo ipso, quo quis pluribus Ecclesiis præficitur, à superiore approbata est sacrificii repetendi necessitas. Adverto ut rem omnino indubitatam nunquam repeti sacrificium posse, si in Missa ablutio sumpta est. Quia præceptum celebrandi jejunè ob prædictas causas, & occasiones occurrentes derogari non potest.

12. Quoad horam in qua Missæ celebrandæ sunt, Doctores conveniunt spectato jure communi non quidem scripto (nullum enim est) sed consuetudine firmato ante diem celebrari non posse. Ratio hujus consuetudinis ea fortè fuit, quia nocturnum tempus regulariter aptum non est, ut cum ea reverentia, & populi concursu, qua tantum sacrificium decet, celebratio fiat, vel (ut aliis placet) ipsomet tempore significetur Christum in hoc sacrificio oblatum candorem esse lucis æternæ, omnesque mundi tenebras sua claritate dissolvere. Ab initio autem diei usque ad meridiem sacra dici possunt. Neque huic doctrinæ obstat decretum Telesphori *in epist ad Fratres & Epis. quæ est in* 1. *t. epist. pontificum c.* 2. & refertur *cap. nocte sancta de consecrat. dist.*1. ubi excepta nocte nativitatis Domini, inquit, reliquis temporibus Missarum celebrationes ante horam diei tertiam minimè sunt celebrandæ, quia eadem hora Dominus crucifixus est, & super Apostolos Spiritus sanctus descendisse legitur. Non inquam obstat, quia ut plures Doctores sentiunt hoc decretum non de Missis privatis, sed solemnibus latum est, quæ regulariter ante horam tertiam diei numquam inchoantur. Si autem de missis privatis intelligatur, ut videtur intelligendum, affirmare debemus consuetudine contraria abrogatum esse. Tempore enim Telesphori rari erant sacerdotes, & vix una Missa in populo dicebatur, ideoque conveniens erat, & fortè sub præcepto ne ante horam tertiam diei inchoaretur, ut sic possent omnes facilius ad eam audiendam concurrere. At cum tempore præsenti tot sint sacerdotes, totque sacrificia, expediens fuit, ut omnibus horis diei Christus, qui vera lux est, offeratur.

Dum inchoari censeo hora cum dimidia ante ortum solis, neque enim hæc res mathematicè, sed moraliter metienda est, ut benè dixit Victor. *de Euch. n.*97. & tradunt Suar. Bonac. Rodrig. statim referendi, quare si uno, vel altero quadrante ante auroram sacrum incipias, finias vero auroræ initio, non peccas, ut docent Navarr. *sum. capite* 25. *n.*85. Suar. *disp.*80. *sect.*4. §. *secundo quæritur.* Henriq. *lib.*9. *c.*24. *n.*5. Saà, *verbo Missa n.*29. Rod. *t.*1. *q. regul. q* 43. *art.*1. Bonac. *disp.*4 *q. ult. punct.*9. *n.*4.

13. Ab hac regula excipi primò debet natalis Domini, in quo post mediam noctem celebrari sacrum potest ex concessione prædicta Telesphori: Sed an

unam tantum Missam, an omnes tres quilibet sacerdos ante auroram celebrare possit? non conveniunt Doctores, Sylvest. *verbo Missa*, 1. *quæst.6. dicto* 1. Armilla *eodem num.25.* Tabiena §.4. Navarr. *cap.25. num.87.* Bonac. *supra num.5.* consentit solam primam Missam dici posse, favetque rubrica Missalis id ipsum præscribens. Sed rectius contrarium sentiunt Suar. *dict. disp.80. sect.4. vers. tertio.* Ægid. de Coninch. *q.83. art.4. dub.4.* Laym. *lib.5. sum. tract.5. cap.4. numer.2.* Vasquez *disp.232. cap 3. numer.31.* Eman. Saà, *Missa*, *n.17.* Quia Telesphorus in *dicto cap. nocte sancta* privilegium non restrinxit ad primam Missam, sed absolutè affirmavit presbyteros nocte sancta Missas celebrare posse. Non igitur est à nobis restringendum. Præterea hac consuetudine celebrandi tres Missas ante auroram utuntur sæpè Clerici timoratæ conscientiæ absque ullo populi scandalo, vel admiratione. Signum igitur est id licitum esse. Neque obstat quod Rubrica Missalis contrarium præscribat, quia non præscribit ut necessarium, sed ut conveniens vel ut aliis placet pro Missis solemnibus, & Conventualibus non privatis.

Secundo excipitur necessitatis casus, qualis esset communicandi infirmum, hæc enim honestare potest celebrationem post mediam noctem ex benigna juris interpretatione, nulla Episcopi requisita licentia. Non enim credendum est Pontificem velle consuetudinem hanc cum gravi proximi detrimento observari. Sic docuit Vasq. *disp.232. cap.3. num.30.* Victor. *de Eucharist. n.95.* Laym. *lib.5. sum. tract.5. cap.4. assert.2.* Ad idem reduci potest, si populus peregrinationem instituturus est: hæc enim legitima causa est celebrandi non quidem statim post mediam noctem, benè tamen dimidia, vel una hora ante auroram, præcipuè accedente Episcopi licentia si præsens adsit, nam cum ex privilegio, & dispensatione sæpè eo tempore celebretur, credendum est stante ea urgenti causa nolle Pontificem, ut vim habeat consuetudo celebrationem ante auroram prohibens. Sic docuit Henriq. *lib.9. cap.24. n.5.* Layman. *lib.5. sum. tract.5. cap 4. n.3.* Ob commoditatem autem specialem sive tui, sive alterius solum anticipationem brevem admittit Layman. & benè licitam esse.

Tertiò sumitur exceptio ex contraria consuetudine, quod dixerim quia in Gallia, in Belgio, & superiore Germania consuetudo introducta est, ut in hyeme tribus, vel quatuor horis ante solis ortum Missa auditione, ne famuli, & operarii excusentur à Missæ celebretur, sed eam audire possint, antequam laborare incipiant. Cum ergo hæc consuetudo rationabilis sit, derogare potest obligationem generali consuetudine introductam. Et ita sustinent Navarr. *cap.25. n.85.* Ægid. de Coninch. *q.83. art.2. dub.4.* Laym. *lib.5. sum. tract.5. c.4. n.3.* Vasq. *disp.232. c.3. n.29.*

Quarta exceptio sumitur ex dispensatione Episcopi, stante enim causa aliqua rationabili, V. g. ob commoditatem itineris potest Episcopus, & sibi, & aliis dispensationem concedere, ut ante auroram celebratio fiat, quia ea moderatione videtur dicta prohibitio universalis recepta. Sic Glossa, *in cap. ul. de privileg. in 6.* Navarr. *cap.25. num.85.* Ægid. *dub.4. num 217.* Layman. *dicto cap.4. num.3.* Vasq. *cap.3. num.28.*

Quinta sumitur ex privilegio concesso regularibus, ut possint una hora ante auroram, & alia post meridiem celebrare cujus privilegii meminit Rodrig. *tom.1. quæst. regul. quæst 43. art.1.* & refertur in *compend. privileg. Societ. Jesu, verbo Missa, n.3.* Ex quo privilegio infert Rodrig. *supra*, Suar. *disp.80. sect.4. §. tertia exceptio.* Filliuc. *tract.5. cap.4. quæst.7. num.112.* Bonac. *disp.4. q. ult. punct.9. n.7. in fine.* Religiosum ex licentia posse fermè tribus horis ante ortum solis Missam inchoare. Nam cum ex jure communi juxta probabiliorem opinionem omnibus concessum sit duabus penè horis ante ortum solis Missam inchoare, privilegium concedens præventionem unius horæ intelligi debet de præventione à jure communi non concessa, aliàs nihil privilegium operaretur. Quod si dicas sæpè privilegium à sede Apostolica concedi celebrandi duabus horis ante ortum solis. Ergo ex jure communi id fieri non potest. Ergo privilegium celebrandi hora ante auroram non extenditur ad tres horas ante solis ortum? Respondeo verum esse ex jure communi, certum non esse auroram comprehendere duas horas ante ortum solis, quinimo probabilius esse solam horam, vel horam cum dimidia comprehendi, ideoque privilegium concedi posse celebrandi duabus horis ante ortum solis. At cum privilegium Religiosis concessum non sit de celebrando una hora ante ortum solis, sed una hora ante auroram, & aurora ex probabiliori sententia comprehendat spatium horæ cum dimidia ante solis ortum, efficitur duabus horis cum dimidia, plus minusve ante ortum solis celebrari posse.

14. Missæ celebrandæ sunt ab aurora usque ad meridiem. Post meridiem vero nemini licet Missam inchoare ex consuetudine jam recepta, & à Pio V. sub pœna suspensionis ferendæ approbata *in Bulla* quæ incipit *Sanctissimus in Christo Pater.* Et tradunt Suar. *disp.80. sect.4.* Vasq. *disp.232. c.4.* Layman. *lib.5. cap.4. n.4.* Bonac. *disp.4. de sacram. disput. ult. punct.9. n.6.* Ægid. de Coninch. *q.83. art.2. dub.4. in fine.* Nam esto antiquo tempore jejunium protrahebatur usque ad solis occasum, licitum esse hora tertia pomeridiana sacrum facere, at cessante ea consuetudine simul etiam usus, & consuetudo cessavit hora tertia post meridiem celebrandi, quinimo consuetudine firmatum est ultra meridiem plus minusve ne Missa inchoëtur, tametsi contrarium doceat. Nav. *cap.25. num.87.* Vivald. *in candelab. cap. penult. de Euchar. num.50.* Pitigianum *disp.13. quæst.12. art.4.* Llamas 3. *p. method. cap 5. §.18.* quibus favet D. Thom. *q 85. art.2.* aliique antiqui Patres apud Vasq. *supra* asserentes hora tertia post meridiem Missam absque ullo privilegio dici posse, quia eo tempore Christus se Patri æterno cruentè obtulit. Non igitur esse potest indecens, si ea hora incruentè immoletur, eaque de causa testatur Navarr. se sæpè cum iter ageret hora tertia post meridiem celebrasse. Sed nullatenus hæc sententia etiam ut probabilis admittenda est, cum manifestè repugnet consuetudini receptæ, & introductæ, & ab Ecclesia Romana approbatæ. Aliàs inutilia essent privilegia concedentia facultatem celebrandi hora post meridiem, si jure communi spectato omnes possent non solum una hora, sed tribus horis post meridiem celebrare. Quod si roges quantum temporis spatium differre debeat sacerdos post meridiem celebrationem, ut moraliter peccare censeatur? Respondeo cum Bonac. *dicto punct.9. num.6.* per horam debere esse, quia alias non videtur nimia dilatio.

Supradictam doctrinam limitare debes, ne procedat casu quo post meridiem Missa solemnis, & concio ad populum finita sit, nam eo casu introducta est consuetudo, ut eo finito officio aliquæ Missæ privatæ dicantur, ne plures sacri auditione careant. Deinde limita in necessitate communicandi ægrotum, satisfaciendi populo, vel peregrinis serò accedentibus, poterit enim in his necessitatibus sacerdos jejunus Missam inchoare duabus, vel tribus horis post meridiem, maximè ex dispensatione Episcopi, si ibi adsit. Valet enim Episcopus ex rationabili causa facultatem concedere post meridiem celebrandi, sicuti potest concedere, ut ante auroram celebretur.

Ex

Ex privilegio autem Pontificis omnibus Religiosis aliqua justa causa intercedente concessum est, una hora post meridiem celebrare. Quinimo sacerdotem, qui ratione itineris, vel alia de causa non potuit die festo ante meridiem celebrare, posse hora post meridiem Missam inchoare ex recepta consuetudine testantur Henriq. *lib.9. cap.24. numer.6.* Suar. *disp.80. sect.4.* Rodrig. *quæst.43. artic.2.* Mirand. *man. Prælat. tom.1. quæst.40. art.11.* Laym. *lib.5. sum. tract.5. cap.4. numero.5.*

Punctum VIII.

De loco ad sacrificium requisito.

1. *Locus sacer est ad sacrificium requisitus.*
2. *Expenditur quis possit Ecclesias consecrare, & benedicere.*
3. *Est peccatum mortale secluſa necessitate, & dispensatione extra locum sacrum celebrare.*
4. *Explicatur necessitas.*
5. *Expenditur dispensatio.*
6. *Episcopi etiam stante* Trident. *designare possunt oratoria.*
7. *Non est illis sublata per* Trident. *potestas celebrandi, vel faciendi celebrare extra Ecclesiam.*
8. *Ex privilegio qualiter possint extra Ecclesiam Mendicantes celebrare etiam stante* Trident.
9. *Quid sit concessum Religiosis Societatis Jesu.*
10. *In mari etsi plures Doctores censeant celebrari non posse, tametsi periculum absit sanguinis effundendi. Probabilius est oppositum.*
11. *Ecclesia non debet esse polluta.*
12. *Quibus modis polluatur. Remissivè respondetur.*
13. *Qualiter Ecclesia reconcilietur.*
14. *Ecclesia polluta solo sacrificio in eà celebrato non reconciliatur, tametsi aliqui contrarium sentiant.*
15. *Quando censeatur Ecclesia consecrationem, seu benedictionem amittere latè examinatur.*

1. COnstans est omnium sententia cum D. Th.3. *part.83. art.3.* neminem posse jure ordinario absque necessitate & sine dispensatione, vel privilegio extra Ecclesiam, seu locum sacrum Missam celebrare, colligitur *ex cap.1. cap. nullus, cap. sicut de consecrat. dist.1.* & ex Trident. *sess.22. c. de observand. in celebrat. Missar.* Et licet antiquo jure locus ab Episcopo consecratus pro celebratione requisitus fuerit, at consuetudine firmatum est benedictum sufficere, quinimo esse authoritate Episcopi erectum, seu deputatum ad prædictum finem, uti tradunt Sanch. *l.9. de matr. disput.15. n.24. & 36.* Suar. *disp.81. sect.3.* Vasq. *disp.233. cap.1.* Ægid. de Coninch. *q.83. art.3. dub.1.* Laym. *lib.5. sum tract.5. c.5. in princ.*

2. Quod si roges quis possit Ecclesias consecrare, & benedicere? Respondeo si consecrandæ sunt, solus Episcopus eas sacrare poterit, neque simplici sacerdoti committi potest, nisi à Pontifice, uti dicitur *cap. Nemo de consecrat. dist.1. c. tua fraternitas, c. aqua de consecrat. Eccles.* & tradunt aliis relatis Lud. de Mirand. *manu. Prælat. t.2. quæst.39. art.1. concl.3.* Bonac. *de sacram. disp.4. quæst ult. punct.9. num.8.* Barbosa *2. p. de potest. Episcop. alleg.27. n.1.* ubi optimè advertit consecrationem fieri quolibet die tam festino, quam feriali *cap. tua de consecrat. Eccles.* sed non absque dote à patrono signata, aliàs Episcopus obligaretur dotem ex propriis assignare, juxta Gloss. & textum in *cap. cum. sicut de consecrat. Ecclesiæ.* Nostris verò Paul. III. privilegium concessit, ut si Episcopus illius diœcesis requisitus distulerit per quatuor menses consecrationem postulatam, possit quicunque alius Episcopus consecrare. Idemque concessit Honorius IV. Minoribus, & Carmelitanis Joann. XXII. prout referunt Mirand. *tom.2. Man. Prælat. quæst.39. artic.1. conclus.3.* Barbosa *2. part. de potest. Episcop. alleg.27. numero 11.* Si verò Ecclesia consecranda non est, sed benedicenda, simplici sacerdoti committi potest, & de facto Minoribus concessit Leo X. ut possint suas Ecclesias, oratoria, & cæmeteria benedicere ad suum tantum usum, quo privilegio utuntur Societatis Superiores casu quo Ordinarii abessent, vel ægrè benedictionem concederent. Habetur *in comp. privileg. Societ. verbo benedicer §.1.*

3. Et licet Sotus *in 4. dist.13. quæst.2. artic.3.* & Eman. Saà, *verbo Missa. n.20.* Lud. Lopez *instruct. conscient. t.2 cap.79. ante §. superest*, existiment non esse peccatum mortale secluso scandalo, & contemptu extra locum ab Episcopo deputatum celebrare, audiendi non sunt. Nam negari nonpotest esse aliquod peccatum violare legem supradictis decretis firmatam, & consuetudine approbatam. At hæc lex gravem materiam respicit, siquidem transgressoribus illius gravis pœna infligitur in *dicto cap. Nullus.* Neque obstat (ut inquit Sotus) hanc pœnam solum tempore primitivæ Ecclesiæ servari: quia esto pœna abrogata sit, præceptum abrogatum non est, ac proinde si sub gravi culpa antiquo tempore obligavit, & modò obligat. Et ita sustinent Sanch. Suar. Ægid. Laym. & Vasq. supra multis allegatis Barbosa *de potest. Episcop.2. alleg.3. n.2.* Nullam tamen pœnam suspensionis, vel interdicti ipso jure incurrunt hujus præcepti violatores, quidquid affirmet Sylvest *verbo Missa, 1. quæst.3. §.5.* Henriq. *lib.9 cap.27.* moti *ex cap. Episcop. de privileg. in 6.* Quia non est sermo de celebrantibus extra locum sacrum, sed de celebrantibus vel celebrare facientibus in loco interdicto per censuras Ecclesiæ, quibus Ecclesiæ ingressus interdicitur. Sicuti benè notarunt Suarez *disputat.81. sect 3. non longè a principio.* Ægid. *quæst 83. art.3. dub.1.* Pœna vero depositionis, quæ à Sylvestro Papa in *dicto cap. nullus presbyter*, imponitur, non ipso jure, sed ferenda est, ut ex textu constat.

4. Dixi absque necessitate. Nam ea stante poterit quilibet extra locum sacrum etiam sub dio celebrare. Ex dicto cap. *sicut de consecrat. dist.1.* Exempla sunt primò si longam peregrinationem peragas per loca deserta, seu infidelium ubi non occurrit Ecclesia, poteris extra illam in altari viatico celebrare, ne tanto sacrificio diu privatus existas. Sic relatis Palud. Sylvest. Soto, docet Suar. *disp.81. sect.3* Saà, *Missa. n.20.* Ægid. de Coninch. *quæst.83. artic.3. dub 1. num.224.* Henriquez *lib.9. cap.27.* Layman. *lib 5. sum. tract.5. cap.5 n 3.* Neque huic doctrinæ obstat privilegium Episcopis iter facientibus concessum *in c. ult. de Privileg. in 6.* ut in quolibet honesto loco in altari portatili celebrare possint, quia ex vi illius privilegii possunt absque necessitate, sola commoditate spectata sub territorio, vel subdio celebrare. Sacerdos vero secluſa necessitate id non potest, sicuti benè advertunt Ægid. *dicto num.224.* Vasq. *cap.1. num.7.* Suar. *dicta sect.3.* Layman. *dicto cap.5. num.3. in fine.* Secundo si Ecclesiæ dirutæ sunt, ne populus sacrificio careat, poteris extra locum sacrum celebrare. Habetur, *cap. concedimus de consecrat. dist.1.* & tradunt relati Doctores. Tertiò si locus sacer exiguus sit, nec possit advenientium capere multitudinem poteris extra illum sacrum facere, ne plures careant sacrificio. Sic Navarr. *c.25. n 82.* Henr. *lib.9 cap.27.* Laym. Suar. Ægid. Vasq. *locis allegatis.* Quartò in bello, ne milites diebus festis sacrificio priventur, poteris in castris sacrificare. Et idem est in littore maris, ut navigantes non valentes navem

deferere, ſacrum audiant. Sic Layman. & Vaſq. ubi ſupra. Quod ſi adverſus prædicta objicias textum *in c. ſicut de conſecrat. diſt.1.* ubi Felix Pontifex ſummam neceſſitatem expoſtulat, ut ſacrum fieri poſſit extra Eccleſiam? Reſpondeo cum Vaſq. *dicta diſp.233. c.1. num 5.* conſuetudine firmatum eſſe minorem neceſſitatem ſufficere.

5. Dixi ſine diſpenſatione. Nam poſſe Epiſcopum in hac lege diſpenſare concedunt Doctores *ex cap. Miſſarum de conſecrat. diſt. 1.* ibi: Miſſarum ſolemnia non niſi in locis ab eo conſecratis, vel ubi ipſe permiſerit. Debet tamen adeſſe cauſa legitima hujus diſpenſationis, aliàs nulla erit. Quod ſi dicas ex cauſa legitima quemlibet ſacerdotem propria authoritate poſſe extra locum ſacrum celebrare, ideoque diſpenſationem Epiſcopi fruſtraneam eſſe, reſpondeo non eſſe fruſtraneam, nam ſæpè cauſa neceſſitatis eſt dubia, ut propria authoritate poſſis extra locum ſacrum celebrare; accedente vero Epiſcopi diſpenſatione id licitum tibi eſt, ut benè explicat Vaſq. *diſp.233. c.1. num.5.* exemplo perſonæ nobilis ægrotantis, quacum diſpenſare poteſt Epiſcopus, ut in ejus domo in loco decenti profanis uſibus deſtinato celebretur, ut Miſſam audiat, communionemve recipiat. Ob quam cauſam non videtur poſſe ſacerdos propria authoritate celebrare. Neque hæc poteſtas per Trident. *ſeſſ.22. decreto de obſervandis, & vitandis in celebrat. Miſſar.* ullo pacto reſtricta eſt. Nam in eo decreto non de poteſtate diſpenſandi una, vel altera vice, ſed de poteſtate ordinaria concedendi facultatem liberam celebrandi in loco etiam aliis profanis uſibus deſtinato ſermo eſt, uti benè advertit Navarr. *cap.25. numer.82.* Suar. *diſput.81. ſect.3.* Ægid. de Coninch. *quæſt.83. art.3. dub.1. num.225.* Vaſquez *diſput.225. capite 1. numer.3.* Layman. *lib.5. um. tractat.5. capit.5. numero 4.* Etenim jure antiquo ſpectaro *cap. in his de Privileg. cap. ult. eodem tit. n.6. cap. Miſſarum de conſecrat. diſp.1.* poterant Epiſcopi cauſa aliqua rationabili intercedente facultatem liberam concedere celebrandi in loco aliis etiam profanis uſibus deſtinato, ut poſt alios comprobat Tuſchus, *tom.4. litt. A. concluſ.31* Gutierr. *can. quæſt. lib.1 cap.30. num.25.* Barboſa *de poteſt. Epiſcop. 2. p. allegat 23. numer.6.* Quæ poteſtas ordinaria reſtricta eſt à Trident. quatenus lege univerſali ſtatuit, ne patiantur Epiſcopi privatis in domibus, ac omnino extra Eccleſiam, & ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab eiiſdem ordinariis deſignanda, & viſitanda ſanctum hoc ſacrificium à ſæcularibus, vel regularibus quibuſcumque peragi, privilegiis quibuſcunque non obſtantibus. Ex quibus manifeſtum eſt non poſſe Epiſcopum extra Eccleſiam, & oratoria ad divinum tantum cultum dedicata permittere celebrare, liberam facultatem concedendo, ſecus verò diſpenſando una vel altera vice. De hac enim poteſtate Concilium locutum non eſt, uti docent Suar. Ægid. Layman. Barboſa. *d. alleg.23. in fine.*

6. Rurſus ex ſupradictis verbis Trident. manifeſtè conſtat non eſſe Epiſcopis ſublatam facultatem deſignandi oratoria, in quibus ſacrificium peragatur, quinimo ea facultas ibi ſupponitur, ſiquidem oratoria ab eo deſignanda, & viſitanda ſunt. Solum enim tollitur ab eis facultas conceſſa *in cap. Miſſarum de conſecrat. diſt.1.* permittendi aliis celebrationem liberam, & per modum privilegii in privatis domibus, & omnino extra Eccleſiam, & extra oratoria ad divinum tantum cultum dedicata. In oratoriis ergo, ſicut in Eccleſia permittere optimè poſſunt celebrationem, maximè aliqua rationabili cauſa intercedente. Atque ita docent Vaſq. *diſp.233. capit.1. numer.3.* Eman. Rodrig. *tom.3. quæſt. regular. quæſt.43. art.6.* Suarez *diſputat.81. ſect 3. verſ. addit verò.* Saà, *verbo Miſſa numer.10.* Barboſa alios referens *alleg.23. numer.8.* Fagundez *de primo Eccleſ. præcep. lib 3. cap.12. à num.9.* Neque huic doctrinæ adverſatur breve Pauli V. editum anno 1617. quo omnibus Prælatis aufertur poteſtas concedendi licentias celebrandi in domibus privatis, etiamſi nobiliſſimæ ſint, quia (ut opinor) intelligi debet de facultatibus perpetuis celebrandi in locis non permanenter divino tantum cultui dicatis, quia Paul. V. ſolum eo brevi intendit decretum Trident. renovare, & denuo ſtabilire.

7. Major difficultas eſt, an ſublata ſit Epiſcopis poteſtas libera celebrandi, vel faciendi celebrare extra Eccleſiam, & ſubdio conceſſa ipſis *in cap. ult. de privileg. in 6.* eo quod Concilium expreſsè mandaverit Epiſcopis, ne patiantur omnino extra Eccleſiam, & extra oratoria ad divinum tantum cultum dedicata ab eis deſignanda, & viſitanda ſanctum hoc ſacrificium peragi. Non igitur poterunt neque ipſi celebrare, neque aliis facultatem celebrandi concedere. Cæterum omnino tenendum eſt prædictam facultatem reſtrictam non eſſe à Trident. Quia Trident. ſolum præcepit Epiſcopis ne permittant ſæculares extra Eccleſiam, & oratoria ab eiſdem deſignanda, & viſitanda celebrare, non tamen prohibet ipſemet celebrare, imo nec prohibet ut ſui cauſa alii celebrent, quia eo caſu non tam celebrant ex facultate quam Epiſcopi concedunt, quam ex facultate Epiſcopis data, qua facultate conſentientibus Epiſcopis uti poſſunt: atque ita ut certum reſolvit, deciſumque refert Azor. *tom.1. lib.10. cap 26. quæſt.4.* Vega *in reſponſo. caſu 4. p. caſu 33.* Barboſa aliis relatis *alleg.23. num.5.* Vaſq. *diſp 233. cap.1. n.7.*

8. Ex privilegio ſedis Apoſtolicæ conceſſo *in cap. in his 30. de privileg.* Poterant Fratres Prædicatores, & Minores extra Eccleſiam ubicumque fuerint celebrare, ſine parochialis juris præjudicio, quod privilegium renovatum, & ampliatum eſſe à Sixto IV. Alexand. VI. comprobat Man. Rodrig. *tom.1. quæſt. regul. quæſt.43. art.4.* Sed non caret difficultate, an prædictum privilegium à Tridentino *ſeſſ.22. decreto de obſervand. & evitand. in celebrat. Miſſar.* fuerit revocatum? Negat Eman. Rodrig. *tom.1. regular. q. quæſt.45. articul.5.* infirmo fundamento ductus. Primo, quia Trident. non videtur regularibus prohibere prædicti privilegii uſum, ſed ordinariis præcipit, ut eo privilegio non obſtante cenſuris, aliiſque juris remediis compellant regulares, ne illis utantur. Ergo dum non compelluntur, uti illo poſſunt. Secundò quia eſt privilegium, jure communi conceſſum, quod ad ſui revocationem expreſſam poſtulat mentionem. Sed contrarium verius eſt, uti docet Navarr. *cap.25. numer.82.* Henriq. *lib.9. cap.27. numer.3.* Suarez *diſput.81. ſect.3. verſ. quarta exceptio.* Vega *in reſponſ. caſ. conſcient.4. p. caſu 32.* Barboſa *2. p. de poteſt. Epiſcop. alleg.23. n.4.* colligitur manifeſtè ex Bulla Gregor. XIII. Societati Jeſu conceſſa, quæ incipit: *Uſum altaris viatici.* Ratio ea eſt, quia concilium non ſolum præcipit ordinariis regulares compellere, ne privilegio celebrandi extra Eccleſiam utantur, ſed ne id permittant privilegiis quibuſlibet non obſtantibus. Sentit ergo concilii privilegium eo decreto derogari, alias regulares permitti deberent ſupradicto privilegio uti, neque ulla ratione compelli poſſent ab eo uſu abſtinere.

9. Verum eſto prædictum privilegium revocatum ſit à Trident. at noviter eſt conceſſum Religioſis Societatis Jeſu à Paulo III. & Gregor. XIII. ut conſtat *ex compend. privileg. verbo altare*, & tradit Man. Rodrig. *dicta q.43. art.4* quo privilegio gaudebunt alii Religioſi; qui in noſtrorum privilegiis

com

communicant. Igitur Paul. III. in Bulla quæ incipit *licet debitum* edita anno 1549. circa medium inquit. Liceat Præpositis, & de eorum facultate universis Fratribus, & Sociis Societatis hujusmodi in presbyteratus ordine constitutis in locis in quibus degunt, & eos pro tempore morari contigerit habere oratoria, & in eis, ac quocunque alio honesto, & congruenti loco in altari portatili cum debita reverentia, & honore etiam tempore interdicti, quavis etiam Apostolica authoritate appositi januis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis submissa voce Missas, & alia divina officia celebrare, &c. Item Gregor. XIII. in Bulla quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem* edita anno 1575. concedit, ut in oratoriis, & capellis, quæ ipsius Societatis Provinciales per se domibus, collegiis, & aliis locis, ubi aliqui Societatis residebunt, approbaverint, & ad divinum dumtaxat cultum deputaverint, Missæ, & alia divina officia alterius licentia desuper minimè requisita celebrari possint. Tandem Idem Gregor. anno 1579. in Bulla quæ incipit: *Usum altaris* inquit. Usum altaris viatici Societati vestræ à fælicis recordat. Paulo Papa III. concessum, deinde à Concil. Trident. universè subditum vobis eatenus restituimus, ut intermissiones, quæ à superioribus fiunt, presbyteri vestri servata alias forma dictæ conclusionis Missæ sacrificium licitè valeant celebrare, super hujusmodi altari, ubique gentium, etiam in castris militum, modò loca etsi communia, & profana, tuta & honesta sint, & Generalis, aut per eum Provinciales Præpositi eo tunc utendum fore judicaverint.

Ex quibus privilegiis constat manifestè superiores in domibus professis, & collegiis Societatis oratoria designare posse, in aliis verò locis extra collegia, ubi aliqui ex Societate resederint, necessario Provinciales designaturos fore. Ad hanc tamen designationem nulla est Episcoporum designatio requisita, ut colligitur manifestè ex dictis Bullis, & sic usus obtinuit. Oratoriis verò designatis non solum nostri, sed & sæculares Clerici ibidem celebrare poterunt, quia concessio non tam personas, quam locum spectat. Secùs est de privilegio altaris viatici, quod missionariis Societatis à Gregor. XIII. conceditur, spectat enim personas, non locum, sicuti benè advertit Layman. *lib.5.sum. tract.5. cap.3. num.5.* Secundò infertur neminem ex Societate celebrare extra Ecclesiam, & prædicta oratoria posse nisi ex licentia Provincialis, quam ipse concedere non valet nisi occasione missionum. Constat ex prædicta Bulla Greg. XIII. de altari viatico.

10. Sed inquires, an in mari, vel flumine propria authoritate ob occurrentem necessitatem, quæ aliàs in terra celebrationem honestaret vel ex dispensatione Episcopi, vel ex privilegio Societati concesso ubique in missionibus in altari portali celebrandi celebrare possis? Negant communiter Doctores teste S. Antonino. *3.part. titul.13. cap.6. §.6.* Navarr. *cap.25. numero 82.* Suar. *disputat.81. section.* Ægid. de Coninch. *quæst.83. art.3. dub.1. num.226.* Vasq. *disput.233. cap.1. num.4. vers. caterum.* Bonac. *disp.4. quæst. ult. punct.9. num.12.* Moventur, quia regulariter est periculum sanguinis effundendi ob continuam navis agitationem. Et licet una, vel alia vice hoc periculum cessare videatur, non inde lex prohibens prædictam celebrationem cessat, quia lex non spectat periculum utcunque, sed regulariter contingens. Deinde quia vix in navi locus decens celebrationi inveniri poterit. Ob quas causas videtur consuetudine receptum in mari celebrari non posse. Nihilominus satis probabile est stante mari tranquillo posse in navibus Indicis, & similibus celebrari, sicut in terra: quia in prædictis navibus & locus decens invenitur, & periculum morale effusionis sanguinis nullum est, ut experientia testatur. Ob quam rationem audivi frequenter in navibus celebratum esse, usuque comprobatum nullius inconvenientis adesse periculum. Atque ita docent licitum esse Durand. *in rationali lib.4. cap.1. n.14.* Scortia, *lib.2. cap.13.* Eman. Saà, *verbo Missa. n.19.* Henriq. *cap.27.* Anglez. *q. de valore Missæ. art.2.* Graffis. *1. p. decis. lib.2. c.42. num.10.* Bartolom. ab Angelo *de Missa. §.620.* Layman. inclinat, *lib.5. tract.5. cap.5. num.4.* Fagund. *de primo Ecclesiæ præcepto, lib.3. c.10. n.14. & 15.* testaturque à Clement. VIII. & Paulo V. permissum esse.

11. Præterea Ecclesia consecrata, seu benedicta ut sit apta sacris peragendis, violata, seu polluta esse non debet: aliàs grave peccatum esset in ea sacrificium celebrare, quin prius reconcilietur: docent omnes Doctores, ut videre est apud Sylvest. *verbo consecratio 2. quæst.9.* Navarr. *sum. cap.25. num.256.* Suar. *disp.81. sect.4.* Zenedo *ad decret. collect.153.* Azor. *lib.10. cap.26. quæst.13.* Barbos. *alleg.28 n.54.* & colligitur ex toto *tit. de consecrat. Eccles.* Nulla tamen pœna ipso jure incurritur, ut satis indicat textus *in cap. is qui de sentent. excommunicat. lib.6.* & tradunt præcitati Doctores. A prædicto peccato excusatur sacerdos, si dum peragit sacrum violatio contingit. Nam esto consecratio facta non sit, si tamen canon fuerit inchoatus, potest sacerdos Missam perficere absque reconciliatione: quia moraliter reputatur sacrificium inceptum. Secus esset si ante canonis inceptionem violatio contigisset, deberet expectare reconciliationem, vel Missam omittere. Sic Coninch. *dub.1. num.236.* Suar. *disp.81. sect.4. in fine.* Layman. *lib.5. tract.5. caput.5. vers. addendum quarto.*

12. Quod si roges quibus modis Ecclesia pollui, seu violari contingat? Vide quæ diximus *tract.11. disp.1. de immunit. Eccles. p.1.* & ultra ibi allegatos Ægid. de Coninch. *q.83. art.3. dub.1.* Layman. *lib.5. sum. tract.5. cap.5. asser.3.* Barbosa *2.p. allegat.28.* neque enim aliquid novi addendum occurrit.

13. Reconciliatur autem Ecclesia (si consecrata sit) per Episcopum, aqua ab ipso, vel alio Episcopo benedicta vino, & cinere admixta, prout habetur in Pontificali Romano. Neque hanc potestatem ipse sed solus summus Pontifex simplici sacerdoti concedere potest, ut expressè habetur in *cap. proposuisti, & cap. aqua de consecrat. Eccles.* & subditur ibi ratio, quia licet Episcopus committere possit quæ jurisdictionis existunt, tamen quæ ordinis Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus Clericis demandare, & ita tradunt Azor. *2.p. instit. moral. lib.9. cap.5. q.5.* Zenedo *ad decret. collect.135. num.1.* Mirand. *man. Prælat. t.2. q.39. art.8. conc.2.* Layman. *lib.5. sum. tract.5. cap.5. n.11.* Barbosa *2. p. alleg.28. num.55. & 56.* Unde non est audiendus Saà, *verbo Ecclesia*, affirmans ex commissione Episcopi presbyterum reconciliare Ecclesiam posse.

Cæterum Prælati regulares ex concessione Leonis X. facta Minoribus possunt Ecclesias quacunque ex causa violatas reconciliare aqua per Episcopum benedicta, quam & ipsi benedicere possunt, si Episcopus per duas diætas? hoc est per 14. leucas, ut dicit Glossa *verbo duas diætas, in cap. nonnulli de Rescrip.*) absens fuerit, habetur inter privilegia Mendicantium *verbo benedicere. §.14.* & in nostrorum privileg. compend. *verbo Ecclesia § 2. & in §.1.* dicitur. Possunt nostri facere benedici, aut consecrari Ecclesias Societatis cum cæmeteriis, & primum lapidem poni per quoscunque Episcopos, si Diœcesani intra quatuor menses id facere distulerint ex concessione Pauli III. Idem quoad altaria consecranda concessit Honor. Minoribus, ut in eorum monument. *conces. 212.* notarunt Ludovic. 1. de Mirand.

c. 2. man. Prælat. q. 39. art. 8. Henriq. *lib 9. c. 27. §. 6.* Barboſ. *2. p. de poteſt. Epiſcop. alleg. 28 n. 64.* Rodrig. *t. 1. quæſt. regul. quæſt. 19. art. 6. lib. 5 ſum. tract. 5. cap. 3. num 12.*

14. Si vero Eccleſia non conſecrata, ſed tantummodo benedicta ſit per ſimplicem ſacerdotem, ſola aſperſione aquæ benedictæ, & orationibus ab Eccleſia inſtitutis quæ in Manuali Romano habentur, purificari poterit. Gloſſa *in c. ſi Eccl. de conſecrat. Eccleſ. verbo lavetur:* per textum ibi. Henriq. Layman. Barboſa *ſupra num. 57.* Neque opus eſt aquam eſſe ab Epiſcopo benedictam, ſed ab ipſomet ſacerdote benedici poteſt, uti colligitur *cap. ultim. de conſecrat. Eccleſ.* ibi: Aqua protinus exorcizata lavetur. Solum enim expoſtulat aſperſionem aquæ exorcizatæ, ſeu benedictæ. Quo ergo fundamento expoſtulanda eſt Epiſcopi benedictio? Adde ſi ab Epiſcopo aqua neceſſario benedicenda eſſet, non protinus lavari, ſeu purificari Eccleſia poſſet. Sic notavit Henriquez & Layman. & Mirand. *ſupra.* & Barboſa, *num. 57.* adverſus Tolet. *lib. 5. cap. 8. num. 15.* Dubium tamen eſt, an Eccleſia polluta reconcilietur ſacrificio in ea peracto ſive bona, ſive mala fide peractum ſit? Affirmant Eman. Saà, *verbo Eccleſia num. 19.* Caſtro *lib. 2. de lege pœnali num 9.* & probabile reputat Avila, *5. p. de cenſur. diſp. 7. dub. 3.* Moventur, quia nulla major purificatio excogitari poteſt, quam ea quæ ex tanto ſacrificio naſcitur, uti videtur probare textus *in cap. de fabrica de conſecrat. diſt. 1.* ibi: Conſecrationem cujuſlibet Eccleſiæ in qua Spiritus ſancti arrha non ponitur, celebritatem ſcimus tantum eſſe Miſſarum. Et ideo ſi qua Sanctorum baſilica à fundamentis etiam fuerit innovata ſine altaris motione; ſine aliqua dubitatione cum in ea fuerit Miſſarum ſolemnitas celebrata, totius conſecrationis ſanctificatio implebitur. Si vero ſanctuaria quæ habebat ſublata ſunt, rurſus eorum repoſitione, & Miſſarum ſolemnitate reverentiam ſanctificationis accipiet.

Cæterum contrarium tenendum exiſtimo cum Navarr. *cap 27 num. 256.* Azor. *t. 1. lib. 10. cap. 26. q. 13.* Layman. *lib. 5. ſum tract. 5. cap. 5. verſ. addendum quarto.* Quia conſecratio Eccleſiæ ejuſve purificatio jure poſitivo ſtatuta ſunt, at nullibi ſtatutum eſt ſacrificium loco reconciliationis ſuccedere: ſicuti in omnium ſententia non ſuccedit loco eo conſecrationis Ergo abſque ullo fundamento id affirmabitur. Neque his obſtat quod Epiſcopus abſens, vel impeditus reconciliationem facere, licentiam concedere poſſit in Eccleſia polluta celebrandi, uti docet D. Thom. *q 83. art. 3. ad 2.* Suar. *diſp. 81. ſect. 4. verſ. his poſitis.* Eman. Saà, *verbo Eccleſia n. 23.* Avila, *5. p. de Cenſur. diſp. 7. dub. 3.* quia inde potius infertur ſacrificium non eſſe inſtar reconciliationis, aliàs ſimplex ſacerdos ex commiſſione Epiſcopi reconciliare Eccleſiam conſecratam violatam poſſet, contra communem ſententiam. Poteſtas namque Epiſcopi concedendi celebrationem in Eccleſia polluta, non oritur ex poteſtate, quam habet Eccleſiam reconciliandi, ſed ex juriſdictione qua gaudet diſpenſandi in legibus Eccleſiaſticis urgente cauſa.

15. Supereſt dicendum quando Eccleſia conſecrationem, ſeu benedictionem amittat: ita ut nova conſecratione, ſeu benedictione indigeat? Pro hujus deciſione adverte benedictionem Eccleſiæ non tam parietibus, quam ſolo inhærere, è contra conſecrationem parietibus ineſſe. Etenim cum Eccleſia conſecratur, parietes ſacro oleo liniuntur, & cruces ibi figuntur juxta Eccleſiæ Romanæ ritum: at cum Eccleſia benedicitur, pavimentum aqua luſtrali aſpergitur. Ex quo fit corruentibus parietibus conſecrationem Eccleſiæ amitti, quinimo ſi parietes interius decruſtentur, cenſeri debet amiſſa conſecratio, quæ parietum cruſtis, ſeu ſuperficiebus inerat: uti colligitur ex textu *in cap. Eccleſius de conſecrat. diſt. 1.* At benedictio cum ſolo inhæreat, amiſſa non cenſetur parietibus deſtructis, ſeu combuſtis, ſicuti probat. *Lex, ade ſacra. 83. ff. de contrahend. empt.* ibi: Æde ſacra terræ motu diruta locus ædificii non eſt profanus. Et tradit Suar. *diſp. 81. ſect. 4. caſu 6.* Layman. *lib. 5. ſum. tract. 5. cap. 5. numero 13.* Sed hoc intelligendum eſt, modò authoritate ſuperioris deſtructa Eccleſia non ſit, cum ſpe proximæ reædificationis, ut pluribus firmavi *prædicto tract. 11. punct. 6. n. 7.*

Notanter dixi corruentibus parietibus, vel decruſtatis conſecrationem Eccleſiæ amitti, ſecus ſi ſolum ligna, & tecta corruant, vel comburantur, & parietes perſeverent, quia tunc Eccleſia eadem manere cenſetur *ex cap. lignis de conſecrat. Eccleſ. vel altaris.* Et ibi Gloſſa. Azor. *1. p. lib. 10. cap. 26. quæſt. 13. & 2. p. lib. 9. cap. 4 q. 6.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg. 27. num. 17.* Deinde debent parietes inſimul corruere: nam ſi minor pars corruat, non obinde conſecratio amittitur. Quinimo etiamſi parietes omnes deſtruantur, ſi tamen non ſimul, ſed ſucceſſivè per aliquot dierum, ſeu hebdomadarum intervalla fiat deſtructio, & illorum reparatio, conſecratio amiſſa cenſeri non debet, tametſi curſu temporis omnis materia Eccleſiæ de novo ſuperveniat, uti probat textus *in cap. de fabrica.* Juncta Gloſſa *verbo innovata, de conſecrat. diſt. 1. &* Gloſſa *in cap. propoſuiſti. verbo reconciliari, & in c. ligneis verbo parietibus de conſecrat. Eccleſ.* Sylveſt. *verbo conſecratio. 1. q. 3. verſ. tertiùt eſt.* Navarr. *c. 27. num. 158.* Suar. *diſp. 81. ſect. 4. caſu 6.* Barboſa, *alleg 27. num. 19.* Eman Saà, *verbo Eccleſia num. 18.* Layman. *lib. 5. ſum. tract. 5. cap. 5. num. 16.* Ratio eſt, quia pars, quæ ſemel de novo advenit, ut ſuppono, minor eſt ea quæ præexiſtit, Ergo per acceſſum ad præexiſtentem conſecratam conſecrata cenſetur, quippe magis dignum trahit ad ſe minus dignum. *Argum textus in cap. quod in dubiis de conſecrat. Eccleſ. & in cap. unic. eodem tit. lib. 6.* Neque obſtat materiam quæ fuit à principio conſecrata totam periiſſe, ut obinde nova Eccleſia dicenda ſit, qui eſt nova phyſicè ſed non moraliter, & quoad effectum conſecrationis, *argum. leg. quod in rerum natura ff. de legat. 1. & in leg. gregge, ff. eodem tit. & leg. proponebatur ff. de judiciis.* ubi eadem communitas, & populus cenſetur, tametſi decurſu temporis perſonæ illius pereant, novæ ſuccedant.

Aliqui limitant hanc ſententiam, ne procedat quando animo reparandi omnes vel penè omnes parietes ſucceſſivè illorum deſtructio, & reparatio fit, quia cenſeri debet ea deſtructio in communi æſtimatione, ac ſi ſimul contigiſſet. Sic tanquam ſatis probabile defendit Layman. *lib. 5. ſum. tract. 5. cap. 5. n. 16.* cum Parnormit. *in c. propoſuiſti. num. 8. de conſecrat. Eccleſ.* Sed verius cenſeo hanc limitationem admittendam non eſſe, ſicuti neque eam admittunt Suar. Navarr. Barboſ. & alii ſupra relati, abſolutè docentes non indigere Eccleſiam nova conſecratione, ſi paulatim, & ſucceſſivè reparatio illius fiat, neque ullam de hac intentione mentionem facientes, & meritò, quia prædictæ rationes eodem modo procedunt ſive deſtructio, & reparatio minoris partis ex intentione deſtruendi, & reparandi majorem Eccleſiæ partem fiat, ſive non. Et enim quod magis dignum trahat ad ſe minus dignum, ita ut major pars conſecrata præexiſtens minorem partem advenientem conſecratam reddat, ex eo præcisè pendet, quod minor pars non conſecrata majori conſecratæ uniatur, non ex intentione, quod alia pars de novo deſtruenda, & reparanda poſtmodum ſit, talis enim deſtructio, & reparatio cum priori deſtructione, & reparatione non eſt conjuncta. Item non impedit eſſe unam Eccleſiam moraliter, & non diverſam, quod à principio intenderis illam integrè deſtruere, & reparare, ſi tamen ſucceſſivè,

&

& interpolate destruxeris, & reparaveris, sicuti non est diversus populus, cujus personæ successivè pereunt, & aliæ de novo succedunt, tametsi Deus illas personas interimens intendat tandem omnes interimere, & novas creare.

Punctum IX.

De Altari necessario ad Sacrificium.

1. *Altare & fuit, & est necessarium. Quotuplex sit.*
2. *Debet esse lapideum, qua parte continet corpus, & sanguinem Christi.*
3. *Debet esse consecratum, & quis consecrare possit.*
4. *Aliqui expostulant, ut reliquias Sanctorum contineat.*
5. *Verius est necessarium non esse.*
6. *Quando altare amittat consecrationem. Non amittit ex motione sigilli reliquiarum.*
7. *Quando ita frangitur ut pars quæ remanet commodè calicem, & patenam continere non possit, amittit consecrationem.*
8. *Tametsi cornua illius diminuantur, consecratio non amittitur.*
9. *Qualiter altare fixum motione execretur.*
10. *Altare portatile non execratur, esto à capsula lignea separetur.*
11. *Qualiter non possit sacerdos simplex celebrare in altari, in quo illo die Episcopus celebravit.*

1. ALtare ad sacrificium semper necessarium fuisse probat ex omnium sententia adversus hæreticos Bellarmin. *t.2. lib.1. de Missa c.16.* Si enim antiquæ legis sacrificia, imo & inania gentium sacrificia altare postularunt, quanto magis hoc admirabile, & divinum sacrificium expostulare debet. Quocirca consecrans absque altari gravissimum peccatum committeret. Duplex est altare, aliud fixum cujus mentio fit in *cap. si motum de consecrat. dist.1. & cap.1. de consecr. Eccles.* Aliud portatile, seu viaticum, de quo in *c. ult. de Privileg. l.6.* Dicitur fixum, quia fixum est Ecclesiæ, & ut ibi firmiter perseveret, consecratur. Econtra portatile dicitur, quia consecratur, ut ex uno loco in alium portari possit. Ad sacrificium igitur celebrandum quodcunque sufficit, quippe tam portatile, quam fixum verum altare est. Nam ut rectè monet Vasq. *disp.233. cap.2. num.10.* privilegium concessum Episcopis in *c.ult. de Privileg. in 6.* non fuit, ut possint in altari portatili in Ecclesia celebrare; hoc enim jure communi omnibus est concessum, sed ut possint extra Ecclesiam in quovis decenti loco in eo altari sacrificium peragere.

2. Hoc altare sive fixum sit, sive portatile debet esse lapideum qua parte Corpus, & Sanguinem Christi continere debet. Nam licet ante Sylvestrum Pontificem ob tyrannorum persecutionem in altaribus ligneis sacerdotibus permissum fuerit celebrare: at à tempore Sylvest. statutum omnibus est, ut non nisi in lapideo sacrificium peragatur, ut constat ex pluribus decretis quæ referuntur à Gratiano *de consecrat. dist.1.* & tradit Gregor. Nyssen. *orat. de baptismate.* August. *Serm.255. de tempore.* Chrysost. *hom.20. in 2. epist. ad Corinth.* Solo autem Pontifici summo reservatum est altare lignum, in quo D. Petrus obtulit, ut in eo ipse solus sacrificare possit, uti legitur in vita Sylvest. & in festo dedicat. Ecclesiæ Salvat. 9. Novembr. Adverte ex consuetudine recepta prædictum altare lapideum non ex duplici lapide colligato, sed ex uno integro coalescere debere, ut sic aptius unitas personæ, quæ in Christo est repræsentetur. Vasq. *cap.2. numer.16.* Bonac. *quæst. ultim. punct.9. n.13.* Item debet esse tantæ magnitudinis, ut pedem calicis, & patenam saltem ex majori parte continere possit, aliàs sacrificium ineptum erit. Sic ex communi sententia tradit Suar. *disp.81. sect.5.* Ægid. de Conin. *q.83. art.3. dub.2. n.242.* Laym. *lib.5. sum. tract.5. cap.5. n.2.* Vasq. *disp.233 cap.1 num.16.*

3. Deinde hoc altare debet esse per Episcopum consecratum, colligitur ex *cap. altaria de consecrat. dist.1.* Et licet ibi dicatur altaria chrismatis unctione, & Sacerdotali benedictione consecranda esse, nomine Sacerdotalis benedictionis omnes intelligunt Episcopalem. Non enim presbytero datum est aras consecrare, ut dicitur *cap. nullus presbyter. de consecr. dist.1.* ideoque solum pro Episcopis in Pontificali Romano præscripta est forma consecrandi altaria. Vetum ex commissione Pontificis nemini est dubium simplicem Sacerdotem posse altaria consecrare, ideoque Paul. III. an 1549. Societatis Jesu religiosis in remotissimis partibus degentibus, ubi catholicus Episcopus inveniri facilè non potest, concessit facultatem altaria consecrandi, quam facultatem Minoribus concessit Honorius III. ut in eorum monumentis habetur, *concess.212.* & refertur *in compend. privileg. Societ. Jesu, verbo Ecclesia. §.1.* Et Adrian. VI. Minoris ordinis Provincialibus Indiarum, & Fratribus, quibus ipsi commiserint facultatem dedit consecrandi altaria, & Calices etiam pro usu alieno in casu necessitatis, Episcopis in Provincia non existentibus, sicuti testatur Rodrig. *t.1. quæst. regul. q.28. art.2.* Quinimo Gregor. XIV. teste eodem Rodrig. omnibus Cistercienſis Ordinis privilegium concessit aras, & Calices consecrandi. Celebrare autem absque hoc altari lapideo consecrato ab eo qui potestatem consecrandi habuerit, mortale peccatum est, sicuti docent ex omnium sententia Vasq. *disp.233. c.2. n.12.* Suar. *disp.81. sect.5.* Eman. Saà, *verbo Altare in fine*, adversus Victor. *de Euchar. n.98.* affirmantem, si absit scandalum, aut contemptus, mortale peccatum posse.

4. Præter supradictas conditiones aliqui Doctores expostulant ut conditionem necessariam maximè pro altari fixo ut aliquorum Sanctorum reliquias in se habeat inclusas. Ita Durand. *lib.1. ration. divinor. officior. cap.7. n.21.* Sylvest. *verb. altare q.1.* Azor. *t.1. l.10. cap.27. q.8.* Scortia *lib.2. cap.14. n.4.* Favetque Ecclesia in introitu Missæ orans per merita Sanctorum, quorum reliquiæ in eo altari sunt. Supponit ergo ibi Sanctorum reliquias adesse. Moventur ii Doctores ex concil. Carthagin. *5. can.14.* & Africano *cap.50.* relatis *in cap. placuit de consecrat. dist.1* ubi præcipitur altaria in quibus nullum corpus, aut reliquiæ Martyrum probantur, ab Episcopis, qui locis eisdem præsunt (si fieri potest) everti. Quod si dicas præcipi everti altaria, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ certæ conditæ probantur, quia occasio erat superstitionis, non verò altaria reliquiis carentia. Obstat, quia eadem occasio superstitionis est, si altaria frequentes putans ibi aliquod sanctum corpus, vel reliquias Martyrum adesse, cum tamen nullum sit. Cum ergo illis temporibus nullum altare erigeretur, quin in eo sanctorum Martyrum reliquiæ conderentur, meritò præcipitur ea altaria everti, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur. At si propter populi tumultum id fieri non possit, admonentur fideles, ne ea loca tanquam Martyrum reliquiis sacrata frequentent. Deinde moventur ex *can.7. septimæ Synodi generalis*, ubi præcipitur ne templum sine sacris reliquiis consecretur, at templum non in parietibus, sed in altari continere reliquias debet. Ergo tacitè definitur, ne altaria sine sacris reliquiis consecrentur.

5. Cæterum etsi decentissimum sit, ut altaria maximè fixa reliquias probatas Sanctorum contineant, at id neque est, nec fuit necessarium ex præcepto. Sic docent Panormit. *c.1. de consecr. Eccles. à num.2.* Suar. *disp.81. sect.5.* Ægid. de Coninch. *q.83.*

*n.*241. Vaſq. *diſp.*233. *cap.*2. *num.*16. Layman. *lib.*5. *art.*3. *ſum. tract.*5. *capite* 5. *num.*8. Et quidem eſſe decentiſſimum, & à Prælatis Eccleſiæ procurandum per ſe patet, idque non leviter indicat illa oratio, quam in introitu Miſſæ ſacerdos recitat. Quod vero nunquam fuerit præceptum generale latum de hac reliquiarum continentia, probatur expendendo textus, quibus oppoſita ſententia nititur. Nam *cap. placuit* eſto præceptum contineret, cum non fuerit alicujus concilii Generalis, ſed Provincialis obligare non potuit univerſam Eccleſiam. Deinde nego Concilium prohibere altaria abſque reliquiis conſecrari pro ſacrificio celebrando, ſed prohibere abſque reliquiis conſecrari tanquam Martyrum memorias. Hæc enim altaria per agros & per villas tanquam Martyrum Memorias conſtructa abſque reliquiis meritò ſupradicta Concilia prohibent, & præcipiunt everti, quia ſuperſtitioſum eſt altaria frequentare ut corpus, & reliquias Martyrum continentia, cum tamen nullum corpus, vel reliquias Martyrum contineant: ideoque ſubdit Concilium. Nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, niſi ubi corpus, aut reliquiæ certæ ſint, aut origo alicujus habitationis, vel poſſeſſionis, vel paſſionis fideliſſima origine traditur. Nam quæ per ſomnia, & per inanes quaſi revelationes quorumlibet hominum ubicumque conſtituuntur altaria, omnino reprobentur. Textus vero *can.*7. *ſeptimæ Synodi generalis* non convincit, quia eſto præceptum ibi fuerit, nullum templum abſque Sanctorum reliquiis conſecrari: at non inde infertur quodlibet altare illius templi reliquias martyrum continere debere; ſufficit enim ſi aliquot illius reliquias contineat. Adde ad ſatisfaciendum prædicto præcepto opus non eſſe reliquias martyrum in ipſo altari ſumpto altari pro ara ſacrificii, includi, ſufficit ſi in altari communiter ſumpto adſint, ſicuti adſunt imagines, & alia altaris ornamenta.

Sed gratis admiſſo, quod antiquo tempore fuerit præceptum ne ullum altare conſecretur abſque reliquiis Sanctorum in ipſo incluſis, dicendum neceſſario eſt conſuetudine abrogatum eſſe. Etenim altaria ita multiplicata ſunt ex neceſſitate, ut vix pro tot altaribus reliquiæ certæ Sanctorum poſſint inveniri, nulla igitur eſt obligatio includendi ibi reliquias. Neque obſtat Eccleſiam in introitu Miſſæ orare Dominum per merita Sanctorum, quorum reliquiæ ibi ſunt, quia intelligi debet conditionaliter, ſi ibi ſint: præſtat enim hunc ſenſum Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic ſunt, id eſt quorum reliquiæ hic fuerint, & omnium Sanctorum. Sententia verò Durand. *lib.*1. *Rational. divin. officior. cap.*7. *num.*21. & Joan. Andr. *in cap. placuit de conſecrat. diſp.*1 aſſerentium loco reliquiarum particulam hoſtiæ conſecratæ apponi in ara poſſe, ſuſtinenda non eſt, ſed omnino reprobanda. Eſt enim contra reverentiam debitam ſacramento illud corruptioni exponere, atque ita relato Panormit. docet. Vaſq. *diſp.*233. *cap.*2. *num.*17. Ægid. de Coninch. *quæſt.*83. *art.*3. *dub.*2 *n.*242. Suar. *diſp.*8. *ſect.*5. Eman. Saà, *verbo altare in fine.*

6. Supereſt dicendum, quando altare tam fixum, quam portatile conſecrationem amittat: Affirmat communis ſententia altare reliquias Sanctorum in ſe continens conſecrationem amittere, ſi loculus, ſeu ſigillum eas reliquias continens frangatur, aut moveatur. Sic docent Canoniſtæ *in cap.*1. & *cap. ligneis de conſecrat. altar.* Silveſt. *verbo altare*, *quæſt.*8. Angel. §. 2. Saà, *numer.*1. Layman. *lib.*5. *ſum. tract.*5. *cap.*6. *numer.*9. *verſ. exinde*, Barboſa, *plures allegans*, 2. *part. de poteſt. Epiſcop. allegat.* 27. *numer.* 25. & 26. Bonac. *diſput.*4. *quæſt. ultim. punct.*9. *num.*15. Moventur *ex dicto capit.*1. *de conſecration. Eccleſiaſt.* ibi. Adhæc ſi altare mortum fuerit, aut lapis ille ſolummodo ſuperpoſitus, qui ſigillum continens confractus, aut etiam diminutus, debet iterum conſecrari.

Verùm ut rectè notavit Ægid. de Coninch. *qu.*83. *art.*3. *dub.*2. *num.*240. & Layman. *dicto loco* ex prædicto textu nullatenus colligitur altare execrari fractione, ſeu motione ſigilli reliquias continentis, ſed ſolum fractione, ſeu diminutione lapidis ſuperpoſiti ſigillo, quod longè diverſum eſt. At cum conſecratio ex jure tantum poſitivo pendeat, & communis ſententia affirmet fractione, ſeu motione ſigilli reliquias continentis altare execrari, credendum eſt uſu, & conſuetudine ſic firmatum eſſe, à quo recedere indecens erit, ſicuti notavit Layman. *dicto capit.*6. *numer.*

7. Deinde altare tam fixum, quam portatile conſecrationem amittit, ſi ita frangatur, aut diminuatur, ut pars quæ integra remanet calicem cum patena commodè continere non poſſit: quia eo ipſo redditur ineptum muneri ſacrificii. Sic omnes doctores referendi. At ſi pars quæ remanet commodè calicem cum patena continere poſſit conſecrationem non amiſit, quia non amiſit formam ſibi debitam, altaris enim forma alia ſignata eſt præter magnitudinem, quæ calicem cum patena contineat, quare ea magnitudine perſeverante & forma altaris remanet, & conſecratio perſeverat, uti colligitur *ex cap.*1. *ligneis cap. quod in dubiis*, *de conſecration. Eccleſ. vel altar.* & tradunt Sylveſt. *verbo altare*, *quæſt.*8. Eman. Saà, *numer.*1. Suar. *diſput.*81. *ſect.*5. Vaſq. *diſput.*233. *cap.*2. *ſub num.*12. Ægid. de Coninch. *quæſt.*83. *art.*3. *dub.*1. *num.*239. Bonac. *diſput.*4. *de ſacrament. quæſt. vult. punct.*9. *numer.*15. Barboſa *alleg.*27. *numer.*25. Layman. *dicto cap* 6. *num.*3. Cum autem dubium eſt, an diminutio, ſeu fractura impediat legitimam calicis, & patenæ continentiam Epiſcopus judicare debet, neque alteri arbitrium committitur. Barboſa Bonac. Laym. *loco alleg.*

8. Altaris conſecrationem amitti, ſi cornua illius frangantur, ſeu diminuantur, tametſi pars remanens calicem, & patenam commodè continere poſſit, affirmant Silveſt. *verbo altare quæſt.*8. Armilla *numer.*10. Henriq. *lib.*6. *cap.*28. *num.*1. *in com. litt.* R. Barboſa *alleg.*27. *num.*26. Bonac. *punct.*9. *num.*15. Moventur, quia illis in partibus ſacra fit unctio, & conſecratio. Ergo illis partibus pereuntibus conſecratio perit. Cæterum oppoſitum verius eſt, quia eſto illis in partibus unctio, & conſecratio facta fuerit, at tota ara ex ea unctione redditur conſecrata. Quam conſecrationem amittere non poterit, dum ſacrificio peragendo apta fuerit. Sic Layman. *lib.*5. *ſum. tract.*5. *capit.*6. *numero* 6.

9. Motione abſque fractione ulla altare fixum execratur ſi lapis ſuperpoſitus ab ſtructura, cui eſt affixus ſeparetur. Deciditur expreſsè *cap. ad hæc cap. quod in dubiis*, *cap. ligneis*, *de conſecrat. Eccleſ. vel altaris.* Quia ut dicit Gloſſa *in dicto c. ad hoc* altare fixum ut fixum & ſtabile perſeveret, conſecratur. Quod ſi altare fixum permanere firmiter poſſit, aliquibus lapidibus ſtructuræ dimotis, conſecrationem non perdit, quia abſolutè eandem formam retinet, ſub qua fuit conſecratum, ut benè aliis relatis docuit Vaſquez *diſp.*233. *cap.*2. *num.*13. Layman. *lib.*5. *ſum. tract.*5. *cap.*6. *num.*3. Suar. *diſput.*81 *ſect.*5. *in medio.* Quinimo ſi tota menſa ſimul cum lapidibus quibus inhæret de loco in locum moveatur, affirmat Vaſquez & Suar. non obinde execrari, quia prædicti textus non de motione, & ſeparatione locali, ſed de motione, & ſeparatione ab ſtructura loquuntur. Neque mihi diſplicet dictum Tabien: *verbo altare* §. 5 in cujus favorem propendet Suar. *dicta ſect.*5 *in medio*, altare fixum tunc amittere conſecrationem per ſeparationem ſuperioris menſæ à columnis, quando conſecratur,

ut

ut fixum, & immobile. Secus quando prius consecratur mensa, & postmodum structuræ superponitur: Ex eo autem quod altare fixum motione, vel fractione consecrationem perdat, Ecclesia nullatenus execrata censenda est, ex decisione textus *in cap. ad hæc de consecrat. Ecclesiæ*, declarantis, seu corrigentis textum *in cap. motum de consecrat. dist.2.* & tradunt Glossa *ibi.* Vasq. & Suar. *locis allegatis.* Adde execrata Ecclesia, quia ejus parietes combusti, vel collapsi sunt, altare consecratum permanere poterit. Et è contra altare execratum esse potest, tametsi Ecclesia consecrationem retineat, quia consecratione distincta consecrata sunt Sylvest. *verbo altare quæst.11.* Mirand. *tract.2. man. Prælat. quæst.39. art.7.* Suar. *disput.81. sect.5 vers. in tertia parte*, Barbosa *alleg 27. num.26.* Layman. *lib.5. tract.5. cap.5. in fine.* Aliter vero dicendum est de pollutione, nam altari polluto per sanguinis, vel seminis effusionem Ecclesia polluta est. Et è contra Ecclesia polluta omnia altaria fixa ibidem existentia polluta censentur, quia polluto quolibet loco Ecclesiæ contingens, totam Ecclesiam, ejusque cæmeterium contiguum afficit: ut notavit Layman. *loco allegato.*

10. Difficultas est, an altare portatile consecratione indigeat, si à ligneis seu capsula, cui est inclusum separetur: Affirmant Paludan. *in 4. dist.13. quæst.2. art.4. concl.2.* Angel. *verbo altare num.2.* & moveri possunt, quia textus *in cap.1. cap. quod in dubiis, cap. ligneis de consecrat. Eccles.* asserentes per fractionem, seu motionem lapidis ab structura consecrationem amitti, generaliter de altari loquuntur, nec decisionem limitarunt ad altare fixum. Cæterum etsi prædicti textus manifestè non expresserint, de solo altari fixo doctrinam intelligendam esse; At satis ex illis colligitur præcipuè cum altare portatile ut ex uno loco in alium moveri possit institutum sit, & capsula illa lignea, in qua ara includitur non pro forma, sed ad ornatum, & custodiam apponatur. Non igitur ex illius motione, & separatione amittere altare consecrationem debet, ut benè docuit Abbas, *dicto cap.1. de consecrat. Eccles.* Sylvest. *verbo altare quæst.9.* Suar. *disput.81. sect.5. in medio.* Vasq. *disput.233. cap.2. post med.* Ægid. de Coninch. *quæst.83. art.2. dub.2. n.239.* Eman. Saà, *verbo altare.* Layman. *lib.5. sum. tract.5. cap.6. num.3.*

11. Tandem *in cap ult. de consecr. dist.2.* statuitur, ut in altari in quo Episcopus Missam cantavit, presbyter eodem die aliam celebrare non præsumat ob reverentiam Episcopo debitam. Sed hoc intelligendum est inquit Azor. *instit. moral.1.p. lib.1 cap.17. quæst.10.* Barbosa *alleg.17. num 16. in fine*, quando Episcopus in suis Ecclesiis, & in propria diœcesi, & solemni cæremonia, & religione rem divinam celebraverit. Ex licentia tamen Episcopi, vel necessitate urgente optimè poterit sacerdos ibidem celebrare, sicuti notavit Glossa *suprad. cap.* Henriq. *lib 9. cap.28. numer.1.* Quinimo præceptum hoc consuetudine ferè ubique abrogatum esse testantur Scorcia *lib.2. de sacrificio cap.14. num.6.* Layman. *lib.5. sum. tract.5. cap.6. num.10.*

Punctum X.

De ornatu altaris, vasis, & vestibus sacris, aliisque ad celebrationem requisitis.

1. *Quibus linteis altare exornandum sit.*
2. *Parva palla, & purificatorium requiritur.*
3. *Requiritur lumen, & ex qua materia.*
4. *Item liber Missalis, & qualiter.*
5. *Debet esse altare Cruce exornatum.*
6. *Patena, & calix consecrata ab Episcopo vel habente privilegium.*
7. *Pyxis, in qua sacramentum reponitur debet esse benedicta, & ex materia qua calix, sed non necessario.*
8. *Adesse debent vestimenta sacra benedicta.*
9. *Ob decentiam calceatus sacerdos accedere debet.*
10. *Quando cooperto capite celebrare possit.*
11. *Debet in sacrificio sacerdos habere ministrum non fœminam, sed virum.*
12. *Expenditur sigillatim quando ornamenta altaris consecrationem, seu benedictionem amittant.*
13. *Quis possit sacra ornamenta tangere.*
14. *Recitatio matutinarum precum non necessariò præmitenda est celebrationi, etsi alii contrarium firment.*

1. PLura præmitti celebrationi debent: Primò decet integram mensam altaris linteo mundo cooperiri. Ex necessitate autem sola ea pars altaris, quæ ara vocatur cooperienda est duplici linteo, vel uno duplicato, quæ non oportet esse benedicta, quinimo in necessitate profana esse possunt, & ea postmodum utenda domino reddi, teste Saà, *verbo Missa. num.7.* Azor.1. *p. lib. 10. cap.28. quæst.8.* Layman. *tract.5. cap.6. numer.11.* Super hæc lintea apponi debet palla benedicta, quæ vulgo corporale vocatur. Unde altare triplici linteo ornandum necessariò est, neque plura requiruntur. Nam esto in *cap. si per negligentiam de consecrat. dist.2.* quatuor linteorum mentio facta fuerit. At consuetudine præscriptum est tria sufficere. duplex non benedictum, & alterum benedictum.

2. Secundò requiritur ex præscripto Ecclesiæ parva palla, qua Calix cooperiatur similiter benedicta, quæ non ex serico, neque auro elaborata qua parte calicem tangit sed ex lino debet esse. Sine hac sacrum dicere grave peccatum esse, nisi corporalia ita oblonga sint, ut calicem cooperire possint, testatur Suar. *disp.81 sect.6, §. 2.* His addendum est purificatorium, quo calix sumpto sanguine, & lotione purificatur, quod oportet esse benedictum, sed non ex necessitate, cum immediatè species sacramentales non attingat, neque alicubi inveniatur de hac benedictione præceptum. Prædicta corporalia benedicta debent esse ab Episcopo, vel ex ejus commissione à simplici sacerdote. Etenim quoties aliqua res sacranda non est Chrismatis unctione, simplici sacerdoti committi potest. De facto commissa est hæc facultas à sede Apostolica omnibus superioribus Societatis, ut constat ex *compend. privileg. verbo benedicere. §.3.* sed cum quadam limitatione: nam si corporalia, vestimenta, cæteraque ornamenta Ecclesiæ pro usu externorum benedicenda sunt, id fieri non potest, nisi necessitas urgeat, & Prælati distent, & sine illorum offensione. Præterea debent esse munda, ne horrorem, & scandalum generent aliàs graviter sacerdos contra reverentiam tanto sacramento debitam delinqueret, ut benè notavit Suar. *disp.81. sect.6. ante secundam conl.* Eman. Saà, *verbo sacra. num.5.* Pluribus relatis Bonac. *disp.4. quæst.ult. punct.9. num.24.* Quod de aliis sacerdotalibus vestimentis suo modo dicendum est *argum. cap. relinqui de custodia Eucharist.* & tradit Eman. Saà, *verbo sacra n.5.*

3. Tertio requiritur lumen ad sacrificium, sine quo sacrum dicere grave esset peccatum, colligitur manifestè ex *cap. ult. de celebrat. missar.* ubi quidam presbyter graviter damnatur, quia sine igne, hoc est lucerna, sacrificabat. Sufficit una lucerna, tametsi deceat plures esse. Et licet in Trident. *sess.22. decreto de observand. in celebr. missar.* prohibitum fuerit certum numerum candelarum ad sacrificium apponi, intelligendum est, si ille certus numerus ex superstitione

tione appositus fuerit, secus si ex religione fuerit præscriptus, ut benè notavit Vasq. *disp.*233. *cap* 2. *circa finem.* Materia hujus lucernæ certa debet esse, ut ex consuetudine constat. Si tamen hæc desit, & scandalum absit (facilè abesse potest) censerem peccatum non esse lucernam ex oleo abhibere, uti docuit Vasq. *disp.*233. *cap.*3. Quinimo adhibere sebaceam excusant à peccato Azor. *tract.*1. *lib.*10. *instit. moral. cap.*28. *quæst.*15. Tolet. *lib.*2. *sum. cap.*2. *num.*14. Bonac. *disp.*4. *de sacram. quæst. ult. punct.*9. *num.*31. Layman. *cap.*6. *num.*17.

4. Quartò requiritur liber Missalis saltem in quo Canon contineatur non ex aliquo jure positivo scripto, sed consuetudine firmato, & rubricis Missæ approbato. Quocirca communiter Doctores censent, ut videre est apud Navarr. *cap.*25. *num.*84. Henriq. *cap.*29. *n*7. Bonac. *disp* 4 *de sacram. q.ult. punct.*9. *num.*30. grave esse peccatum sine supradicto libro celebrare, ne sacerdos periculo errandi se exponat. Et licet aliquis sacerdos huic periculo morali expositus esse non videretur, eo quod firmiter memoria Canonem teneret, sufficit communiter hoc adesse periculum, ut lege prædicta omnes astringantur. Adde quemvis sacrum facientem facile distrahi, vel turbari posse, ita ut nequeat Canonem integrè recitare. Ut igitur hoc vitetur periculum, expedit omnino canonem scriptum ibi præsentem habere. Nihilominus non videtur improbabile posse sacerdotem absque Missali, cum facilè non reperitur, sacrum facere, si experientia competit nullum errorem commitere memoriter omnia recitans, quia abest periculum morale errandi. Sic Suar. *disp.*81. *sect.*6 Layman. *lib.*5. *sum. tract.*5. *cap.*6. *num.*17. *vers. idemq.* Vasq. *disp.*233. *cap.*2. *in fine*, ubi concludit, quod sacerdoti cui ita debilis est potestas videndi, ut nullatenus legere possit, si tamen hostiam debita cum reverentia levare, adorare, tractare, & sumere possit à sacrificio faciendo excludendum non esse, tametsi ut vitetur nota, expedit librum missalis præsentem habere.

5. Quinto requiritur altare aliqua cruce ornatum esse: nam esto in jure præceptum non sit, habetur tamen in regulis Missalis, & in cæremoniis, & ritibus Missæ; omissio autem hujus ornatus non videtur esse gravis culpa ob materiæ levitatem, sic docuit Suar. *disp* 81. *sect.*6. §. *quinto.* Layman. *lib.*5. *sum. tract.*5. *cap.*6. *n.*12. *vers.*8. Bonac. *disp.*4. *quæst.ult. punct.*9. *num.*30.

6. Sexto requiritur patena, & calix consecrata ab Episcopo vel aliis potestatem habentibus *cap.*1.*de Sacra unction.* §. *ult. & aliis de consecrat. dist.*1. Materia patenæ, & calicis debet esse ex auro, vel argento, vel si urget paupertas ex stanno, non vero ex lapide, ferro, ære, ligno, vitro aliisque similibus habetur *cap ut calix de consecrat. disp.*1. *cap.ult. de celebrat* & tradunt omnes Doctores. Plumbum ex opinione Eman. Saà, *verbo missa num.*8. & Hostiens. relati à Sylvest. *verbo calix in princip.* pro stanno reputatur. At rectius ipse Sylvest. & Paludan. *in* 4. *d st.*13. *quæst.*2. *art.*5. Vasq. *disp.*233. *cap.*4. *num.*30. Suar. *disp.*81. *sect.*7. Layman. *lib* 5. *sum. tract.*5. *cap.*6 *num* 12. existimant ex plumbo confici non posse, eo quod in *prædicto cap. ut calix* nulla allia materia argentum, aurum, & stannum apta ad conficiendum calicem judicatur, cum igitur plumbum diversum sit, permitti non debet. Adde plumbum facilè denigratur, & sordes contrahit, & ad vomitum provocat, quæ sunt præcipuæ rationes, ob quas in aliis materiis ab auro, argento, & stanno calix confici non permittitur. Adverte supradicta intelligenda esse de cuppa calicis, pes enim ex ære, ferro, aliave materia confici potest, teste. Vasq. *disp.*233. *cap* 4. *num.*30. Ægid. de Coninch. *quæst.*83. *art.*3. *dub.*3. *n.*244. Henriquez *cap.*28. *n.*2. Layman. *lib.*5. *sum. tract.*5. *cap.*6. *num.*12.

7. Solet hìc inquiri, an pyxis in qua sacramentum reponitur, debeat esse consecrata sicut, calix vel saltem benedicta, sicuti sunt corporalia, cum immediatè species sacramentales attingat? Item an debeat ex eadem materia conflari, ac calix, & patena conflantur? Sed breviter dicendum est non requiri ex necessitate esse consecratam, vel benedictam, quia nullibi cavetur, & præcepta imponenda non sunt absque fundamento firmo. Neque obest quod in Pontificali specialis benedictio pro pyxide assignetur, nam plures benedictiones ibidem assignantur non ut necessariæ, sed convenientes, ut pro vasis reliquiarum, pro campanis, pro altaris ornamentis. Decet tamen maximè pyxidem benedictam esse. Sic aliis relatis docent Azor. 1. *p. lib* 10. *cap.*27. *quæst.*7. Ægid. de Coninch. *quæst* 83. *art.*3. *dub.*3. Vasq. *disp.*233. *cap* 4. *n.*36. Layman. *lib.*5. *sum. tract.*5. *cap.*6 *in fine.* Bonac. *disp.*4. *quæst. ult. punct.*9. *n.*23. tametsi contrarium sentiat Barbosa. *alleg.*27. *n.*14 cui favet. Suar. *disp.*81. *sect.*7. *ad finem.* Reginald. *lib.*29. *n.*201. Materia pyxidis signata non est, expedit tamen esse auream, argenteam, vel saltem stanneam, ut notarunt Vasq. & Ægid. *loc. allg.* Monet tamen Vasq. pyxidem seu vasculum sacramenti super aram consecratam corporalibus benedictis coopertam collocari debere, uti consuetudine servatur. Si enim ad illius sacramenti consecrationem prædicta ara, & corporalia requiruntur, cur non ad permanentem illius consecrationem? Cæterum non crederem esse gravem culpam horum omissionem. Tum quia nullibi de hac observatione invenitur præceptum, sicuti invenitur pro sacramenti celebratione. Tum quia est longè diversa ratio. Etenim in celebratione requiritur ara, quia sacrificium celebratur. Deinde quia sacra hostia immediatè super aram, & corporalia collocatur, & insuper collocatur ibi sanguis, qui si aliquando effundi contigerit, expedit ne extra sacra linteamina effluant, quæ in Eucharistia in sacrario reposita non procedunt. Alias si ex celebratione argumentum desumendum esset, tribus linteis ara deberet ornari, sicuti ornatur in celebratione, quod tamen consuetudine observatum non est.

8. Septimo requiruntur pro sacrificio vestimenta sacra ab Episcopo, vel ab alio habente potestatem benedicta, nempè amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, & casula, sine quibus, vel aliquo illorum celebrare grave esse peccatum testantur communiter Doctores apud Vasq. *disp.*233. *in fin.* Navar. *cap.*25. *n.*84. Suar. *disp.*82. *sect.*2. *&* 3. Ægid. de Coninch. *dub.*3. *n.*250. Bonac. *disp.*4. *de sacram. quæst.ult. punct.*9. *n.*26. colligiturque ex *cap. vestimenta de consecrat. dist* 1. *& ex cap. Ecclesiast.*23. *dist.*2. ubi sub excommunicationis pœna arctatur sacerdos cum stola sacrificare, idemque est de reliquis vestibus. Et licet Scotus, & Richard. relati à Navarr. & Eman. Saà, *verbo Missa num* 10 quibus favet Sylvest. *eodem* 1. *num.*1. sentiant cingulum non esse necessariò benedicendum. Contrarium tamen servandum est ex præscripta consuetudine, & ex Pontificali Romano, & ex dicto *cap. vestimenta.* Movent tamen Suar. *d sp.*82. *sect.*2. *in fine.* Eman. Saà, *n.*11. Azor. *lib* 10. *cap.*28. *q.*9. uti posse stola pro manipulo, aut cingulo, aut manipulo pro stola, si habeat longitudinem debitam, ut humeros cooperiat, quia videntur plus minusve ejusdem esse formæ, quæ est horum vestimentorum essentia. Si autem hæ vestes duplices sint, id est ex parte interiori, & exteriori singulæ benedictæ manent, si separentur, sicuti notarunt Eman. Saà, & Suar. *supra*, quia unica benedictione sacratæ sunt Significatio mystica horum vestimentorum optimè traditur à Suar. *supra*: & colligitur ex orationibus ab Ecclesia institutis, quas sacerdos recitare debet, cum se ille sacris vestibus induit. Sed an ex gravi culpa teneatur eas orationes recitare? non conveniunt Doctores,

tores. Navarr. *cap.25. num.73.* & Azor. *1. p. lib 10. cap.29. quæst.5.* affirmant, quia est gravis Ecclesiæ cæremonia. Sed verius est illarum omissionem solam culpam venialem constituere. Non enim majori rigore ea cæremonia recepta est, teste Henriq, *lib.9. cap.14. ad finem.* Pitigian. *dist.13. q.2. ant.10.* Bonac. *disp.4. de sacram. q.ult. punct.9. n.32.* Layman. *lib.5. sum. tract.5. cap.6. n.12. vers.8.*

9. Octavo in rubricis missalis præscribitur, ne sacerdos celebraturus accedat absque calceis, & quin superior vestis talum attingat, quæ ob decentiam præscribuntur, sed non sub gravi obligatione secluso contemptu, uti ex communi sententia testantur Vasq. *disp.233. cap.4. in fine.* Henriq. *lib.9. c.26. num.3.* Suar. *disput 82. sect.3.* Saà, *num.15.* Bonac. *disp.4. de sacram. quæst.ult. p 9. n.29.* Ægid. de Coninch. *q.83. art.3. in fine.* Layman. *lib.5. sum. tract.5. cap.6. n 16.* ubi affirmat nullam esse culpam occurrente aliqua necessitate sine calceis celebrare.

10. Nonò debet sacerdos discooperto capite celebrare ex textu in *c. Nullus Episcopus de consecr. dist.1.* Ob causam tamen infirmitatis potest Episcopus licentiam concedere velato capite celebrandi, uti docent Suar. *disp.82. sect.3.* & Bonac. *quæst. ult. p.9. num.29.* Quinimo rationabili causa certa intercedente posse fieri absque Episcopi licentia testatur expresè Vasq. *disp 233. cap.4.* asseritque in Pollonia omnes Sacerdotes etiam religiosos hymali tempore usque ad consecrationem velato capite altari adesse, probatque ex dicto *cap. nullus*, quod præsumptionem requirit. At qui ex necessitate facit, non temerè facit. Consentit Layman. *lib.5. sum. tract 5. cap.6.* Henriq. *lib.9. c.26. num.3.* Navarr. *lib.3. conf.7. de celebrat.missar. in postrema edit.* Saà, *verbo Missa. n.17.* Azor. *c.18 q.16.* & alii.

11. Decimo tenetur sub gravi culpâ Sacerdos in sacrificio habere ministrum, qui sacrificio inserviat, & respondeat, isque vir sit, non fœmina. Colligitur ex *cap. proposuit de Filiis presbyteror.* Et licet in *c.p. hoc quoque de consecrat. dist.1.* requiratur duos esse sacrificio præsentes, contraria consuetudine abrogatum est, teste Azor. *lib.10. cap.29. quæst.1.* Vasq. *q.83. art.5.* vel ut aliis placet, textus ille non de Missis privatis, sed solemnibus loquitur, quæ pluralitatem ministrorum habere debent, cum in hoc ejus solemnitas consistat. Quinimo Gloss. *dicto cap. hoc quoque*, & Turrecrem. *ibi.* Sotus *dist.13. quæst 2. art.5. ad 12.* Graffis *lib.2. sum. cap.42. n.3.* Azor. *lib.10. cap.29. quæst.3.* Saà, *verbo Missa. num.18.* existimant urgente necessitate, v. g. communicandi infirmum, vel audiendi sacrum die festo, posse absque ministro celebrari. Et fortè huic probabili opinioni nititur consuetudo Belgica, ut sacerdotes præsertim in pagis absque ministro celebrent, cujus consuetudinis meminit Layman. eamque approbat *lib.5 sum. tract.5. c.6. n.13.* Sed certè hæc consuetudo sic generalis permittenda non esset, aliàs in ea regione lex Pontificia abrogata esset. Adde præceptum communicandi infirmum, & celebrandi die festo non obligat, nisi cum celebratio servatis Ecclesiæ ritibus, & cæremoniis fieri potest, ut bene notavit Vasq. *in præsenti, q.83. art.5.* Bonac. *disp.4. de sacram. quæst. ult. p 9. num 34.* illud tamen existimo certum nullo casu licere fœminam sacrificio inservire, & veluti ministram sacerdoti respondere, sed satius esse absque ministro celebrare, quàm fœminam in ministrum altari adhibere. Est enim hoc specialiter prohibitum in *cap. inhibendum de cohabitat. cleric. & mulier.* Et tradit Ægid. de Coninch. *quæst.83. art 5 num.264* & *ibi* Vasq. Suar. *disp.87. sect.1. ad finem.* Bonac. aliis relatis *disp 4. de sacram. quæst. ult. punct.9. num.33.* Neque huic doctrinæ obstat consuetudo urgens in monasteriis monialium: quæ sacerdoti è choro respondent. Id enim nullam indecentiam involvit.

12. Supereſt triplex quæstio enodanda. Prima, quando censeantur ornamenta altaris suam benedictionem, vel consecrationem amittere? Cui quæstioni unico verbo fieri posset satis, si respondeas, quoties prædicta formam ab Ecclesia præscriptam amittunt, additione, diminutione, vel fractione, & benedictionem, seu consecrationem amittere. Sed claritatis gratia omnia sigillatim expendamus. Corporalia diminutione, seu ruptione amittunt benedictionem, cùm inepta reddantur, ut calicem cum patena continere possint, quia ea continentia est illorum forma. Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Casula benedictionem perdunt, si suis Officiis exequendis inepta fuerint. Unde si ab Alba manicam abscindas, nova benedictione indiget, quia usui ad quem distinata est, deservire non potest. Cingulum si ita rumpatur, ut neutra pars cingere sacerdotem possit. Stola si nequeat sacerdotis humeros operire. Et sic de reliquis. Sic Navar. *cap.25. num.84* Suar. *disp.82. sect.2. & 3* Ægid de Coninch. *quæst.83. art.3. num.250* Bonac. *disp.4. de sacram. quæst. ult punct.9. à num.26. & seqq.* Barbos. *alleg.27. num.45.* Layman. *lib.5. sum. tract.5. cap.6 num.6.* & alii apud ipsos Eodem modo præcitati Doctores de Calice & Patena loquuntur: affirmant namque consecrationem perdere, si usui ad quem sunt destinata, nequeant commodè deservire. Quod fractione cuppæ Calicis à cuppa vel pede contingere potest. Si verò cuppa tornatilis fuerit per illius à pede separationem consecratio non perditur, si iterum jugatur ex recepta Ecclesiæ consuetudine, quia sub ea conditione consecratur, ut separati possit, sicuti diximus de altari viatico, quod movetur à ligneis quibus includitur. Atque ita docent Henriq. *lib.9. cap.28. num.2.* Suar. *disp.81. sect.7.* Coninch. *quæst 83. articul.5. dub.3. numer.248.* Azor. *1. p. lib.10. cap.28. quæst.7.* Barbosa *alleg.27. num.40.* Bonac. *disput.4. de sacram. q. ult. punct.9. n.10.* Vasq. *disp.233. cap.4. n.35.* Layman. *lib.5. sum. t.5. ca .6. num.6.* Quod si Patena, & Calix qua parte species sacramentales attingunt deaurentur, Etsi Durand *lib.2. Rational. cap.6. numer.36.* Ægid. de Coninch. *quæst.83. art.2. dub.3. numer.246.* Eman. Saà, *verbo calix. numer.2.* Selva *de benefic.1.p. quæst.5. num.99.* existiment satis probabiliter non indigere nova consecratione, eo quod non sit diversus Calix, sed idem & sub eadem figura, sicuti Ecclesia consecrata, quæ denuò dealbatur. Et quia pars addita est longè minor præexistenti, ac proinde præexistens consecrata illam ad se trahere debet, & consecratam reddere, & denique amissione deaurationis præcisè consecratio non amittitur, non igitur amitti debet deauratione superveniente. Nihilominns probabilis est nova indigere consecratione, quia hæc consecratio fit propter immediatum contactum Corporis, & Sanguinis Christi, qui in parte consecrata necessariò faciendus est. At nova deauratione posita contactus non fit in parte consecrata, cum aurum supradictum consecratum non sit. Ergo. Neque rationes contrariæ urgent. Non prima, quia esto Calix denuò deauratus, idem reputetur quoad æstimationem, & materialem, & politicum usum, sicuti consecratus, & non consecratus, at quoad usum sacrificii nequaquam idem censeri debet, quia hic usus ex consecratione partis immediatè Corpus, & Sanguinem Christi tangentis desumendus est. Secus est in Ecclesia consecrata, cujus consecratio non in parietum superficie, sed in illorum crustis fixa est, ac proinde dealbatione amitti non potest. Et hinc dissolvitur secunda ratio, nam licet pars consecrata præexistens major sit in quantitate, quàm superaddita, quia tamen minor est, minusque principalis in usu sacrificii, cum non immediatè, sed mediatè sanguinem contineat, hac de causa nequit partem superadditam consecratam reddere.

reddere. Tertia nullius eſt momenti : Fateor libenter cum Suar. Ægid. Vaſq. Coninch. Layman. & aliis amiſſionis deaurationis conſecrationem non perdi, quia cum totus Calix conſecratus ſit, deaurationis amiſſione non redditur impotens ad Chriſti Sanguinem immediatè continendum in parte conſecrata, ſecus contingit, cum denuò deauratur, ſiquidem pars conſecrata, immediatè continere non poteſt. Sanguinem Chriſti. Atque ita ſuſtinent alios referentes Azor. 1. *p. inſtit. Moral. lib.* 10. *capit.* 28. *quæſt.* 4. Suar. *diſp.* 81. *ſect.* 3. Ugol. *de poteſt. Epiſcop. cap.* 31. *num.* 3. Barboſa, *allegat.* 27. *num* 38. Vaſq. *diſp.* 233. *cap.* 4. *num.* 34. Bonac. *diſp.* 4. *de ſacram. quæſt. ult. punct.* 9. *num.* 19. Layman. *lib.* 5. *ſum. tractat.* 5. *cap.* 6. *num.* 6.

13. Secunda quæſtio, quis poſſit Calicem, Patenam, Corporalia, ſacraque veſtimenta tangere? Et quidem dum Corporalia, Calix, & Patena Corpus, vel Sanguinem Chriſti continent, nemini præter ſacerdotem, vel diaconum licitum eſſe contingere, firmant ex communi ſententia Suar. *diſp.* 81. *ſect.* 8. Filliuccius *tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 135. Bonac. 4. *de ſacram. qu. ult. punct.* 9. *num.* 21. Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 5. *cap.* 6. *n.* 18. Et deciditur *cap. non oportet*, 1. *diſt.* 21. ibi : Non oportet ſubdiaconos licentiam habere in ſecretarium (quod Græci Diaconum appellant) ingredi, & contingere vaſa Dominica. Si verò actu Corpus, & Sanguinem Chriſti non contineant ab omnibus ſacratis hominibus tangi poſſunt. Cap. *ſacratas* 23. *diſt.* Qui autem ſub ſacratis hominibus intelligantur? non conveniunt Doctores. Nam Suar. *diſp.* 81. *ſect.* 8. exiſtimat intelligi omnes qui aliquo Ordine initiati ſunt, imo in probabili ſententia qui ſolum prima tonſura fuerint, initiati, quia verè à profanis hominibus diſtinguuntur, faveteque textu in *cap. non liceat*, 2. *diſt.* 23. ibi : Non liceat cuilibet miniſteria tangere niſi ſubdiacono, aut acolytho in ſecretario vaſa Dominica. Sed rectius Azor. 2. *p. lib.* 9. *cap.* 9. *quæſt.* 6. Henriq. *lib.* 9. *cap.* 28. Coninch. *quæſt.* 83. *art.* 3. *dub.* 3. *num* 249. Bonac. *diſp.* 4. *de ſacram. q. ult. p.* 9. *num.* 21. Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 5. *cap.* 6 *num.* 19. pro ſacratis hominibus ſolos ordinibus ſacris inſignitos intelligunt, eiſque concedunt ea ſacra vaſa tangere. Probant tum ex uſu, & conſuetudine, quæ nemini permittit hæc ſacra tangere, niſi ordine ſacro inſignitus ſit. Cum ex privilegiis, quæ à ſede Apoſtolica conceduntur minoribus ordinibus initiatis hæc ſacra vaſa tangendi, quæ privilegia neceſſaria non eſſent in jure communi iis omnibus prædictus contactus eſſet permiſſus. Tum ex *cap. Nemo de conſecrat. diſt.* ubi tantum diacono permittitur corporalium prima lotio, ſtatuiturque aquam mitti in piſcinam. Neque obſtat textus, in *cap. non liceat* permittens acolytho hæc ſacra tangere, quia intelligi debet in defectum ſubdiaconi ſacrificio miniſtrantis ex privilegio ſedis Apoſtolicæ Mendicantibus conceſſo, omnes qui ex voluntate ſuperioris ſacriſtæ officio funguntur, tametſi nullo ordine ſint inſigniti, poſſunt ſacra vaſa, & ornamenta tangere, ac ſi ſacris ordinibus initiati eſſent : habetur *in monum. Ordin. conceſſ* 9. & refertur *in compend. noſtror. privileg. verbo ſacra* §. 1.

Verum eſto laicis, & clericis inferioribus permiſſum non ſit ſacra vaſa, & corporalia tangere extra neceſſitatem, ſi tamen id faciant ſecluſo contemptu non cenſetur culpa gravis, ſed venialis tantum ob materiæ levitatem. Suar. *diſp.* 81. *ſect.* 8. Ægid. de Coninch. *quæſt.* 83. *art.* 3. *dub.* 3. *num.* 249. Bonac. *diſp.* 4. *de ſacram. quæſt. ult. p.* 9. *n.* 31. Vaſq. *diſp.* 233. *cap.* 4. *in medio.* Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 5. *cap.* 6. *n.* 19. Sanch. *lib.* 43. *ſum. cap.* . *n.* 27. & alii. Intercedente vero cauſa aliqua rationabili nullam eſſe culpam firmant Suar. Ægid. Layman. Vaſq. & Sanch. ſuprà. Eaque de cauſa corporalia, & purificatoria poſt primam lotionem fœminis maximè virginibus integrè lavanda, & reficienda traduntur, quia hoc munus exactius quam viri præſtare poſſunt, uti benè notarunt prædicti Doctores. Si autem de vaſculis, ornamentiſque tum ſacerdotis, tum altaris immediatè Corpus, & ſanguinem Chriſti non attigentibus, communior ſententia, & in praxi recepta eſt à quolibet etiam laïco contingi, ſed cum reverentia poſſe, ſicuti teſtantur Suar. Ægid. Layman. Neque obſtat textus, in *cap. veſtimenta de conſecr. diſt.* 1 ubi de omnibus veſtimentis etiam non ſacratis dicit Stephanus Papa ab aliis non debere contingi, aut ferri niſi à ſacratis hominibus. Non inquam obſtat, quia ut explicat Suar. *diſp.* 81. *ſect.* 8. §. 2 illa verba præceptum non continent : vel ſi continent non de quolibet contactu, ſed de eo qui ad profanum, & communem uſum dirigeretur, intelligi debent, vel certè conſuetudine ipſa abrogatum eſt id præceptum.

14. Tertia quæſtio, an recitatio matutinarum precum præmittenda neceſſariò ſit celebrationi? Affirmant Gabr. *lect.* 2. *in can.* Antonin. 2. *p. tit.* 13. *cap.* 4. §. 1. Francolin. *tract. de temporib. hor. can. c.* 42. Azor. *lib.* 10. *cap.* 28. *quæſt.* 17. Navar. *cap.* 23. *num.* 83. *& de hor. canon. cap* 3. *num.* 70. Vega *reſponſ. caſ. conſcient.* 1. *p. caſu.* 54. Henriq. *lib.* 9. *cap.* 24. *n.* 7. Graffis *lib.* 2. *deciſ. aur. cap.* 40. *n.* 6. & alii relati à Bonac. & Barboſ. locis referendis. Moventur ex recepta conſuetudine & ex Rubricis Miſſalis. Cæterum verius exiſtimo nullum eſſe peccatum, vel tantum eſſe veniale. Quia communior ſententia docet non eſſe mortale privatim Primam ante Matutinum dicere, & Tertiam ante Primam. Sed minorem connexionem habet Miſſa cum matutinis precibus, quam horæ canonicæ inter ſe. Quinimo culpa quæ in hac parte eſſe poteſt; deſumi non debet ex eo quod Miſſa non recitatis matutinis dicatur, ſed ex eo quod matutinum dictum non fuerit hora conſueta. Quare ſi ex aliqua cauſa rationabili excuſatus eſt ſacerdos à dicendis matutinis abſolutè, vel à dicendis illis hora conſueta, ſicuti contingit cum infirmus eſt, nullam culpam committit illis non præmiſſis celebrando. Atque ita ſuſtinent alios referentes Suar. *diſput.* 82. *ſection.* 1. Coninch. *quæſt.* 83. *art.* 3. *dub.* 4. *numer.* 220. Scortia, *lib.* 2. *de ſacrificio Miſſæ cap.* 6. Ludovic. Mirand. *t.* 1. *man. Prælat. q* 40. *art.* 12. Layman. *liq.* 5. *ſum. tract.* 5. *c.* 4. *n.* 5. Bonac. *diſp.* 4. *de ſacram. quæſt. ult. punct.* 9. *n.* 8. Barboſ. 2. *p. de poteſt. Epiſc. alleg.* 24. *n.* 15. Neque rubricæ miſſalis matutinum præcipiunt præmittendum, ſed conſulunt, ut latius dixi *tract.* 7. *de hor. canon. diſp.* 2. *p.* 4. *n.* 6.

Advertunt tamen communiter prædicti Doctores negantes eſſe peccatum celebrare Miſſam matutinis precibus non recitatis, non eſſe intelligendum de Miſſa conventuali, & ſolemni in illis Eccleſiis, ubi ex conſuetudine preces publicè canuntur, ibi enim miſſam conventualem precibus matutunis non recitatis celebrare abſque gravi cauſa peccatum mortale eſſet, tum ob ſcandalum. Tum quia obſtaret illius Eccleſiæ publico, & convenienti regimini.

Punctum XI.

De obſervandis in celebratione Miſſarum.

1. *Obſervare tenetur ſacerdos quæ in Miſſali præſcribuntur.*
2. *Ob nullam cauſam licet ſacrificium imperfectum facere, benè tamen imperfectum relinquere.*
3. *Non licet ſacrificium interrumpere abſque cauſa.*
4. *Quæ cauſæ honeſtent interruptionem ante conſecrationem.*
5. *Quæ cauſæ conſecratione inchoata.*
6. *Omnes defectus contingentes in ſacrificio ſuppleri debent.*

debent quoad fieri possit. Specialiter agitur de defectibus accidentalibus.

7. *Qualiter substantiales defectus suppleri debeant.*

1. Assertio prima. Sacerdos obligatus est servare quæ in Missali Romano reformato præscribuntur, constat ex præcepto Pii V. relato in principio Missalis. Et ex Trident. *sess. 22. decreto de observand. in celebrat. missar.* Servanda tamen sunt sub gravi culpa, si materia gravis sit? sub levi, si sit levis. Gravitatem materiæ desumes primò ex essentia, & integritate substantialis sacrificii. Unde si sacrificium imperfectum relinquas sive essentialiter, sive integraliter peccatum committes, sicuti si consecres Panem, Calice non consecrato, vel consecrata utraque specie utramque non sumas. Secundò ex integritate sacrificii accidentali, hoc est ab Ecclesia instituta. Etenim Ecclesia in sacrificii ornatum, & decorem, specialemque cultum pluribus partibus exornavit, videlicet introitu, epistola, Evangelio, oratione &c. Omissio ergo cujuslibet partis integræ ex his quæ pro omni sacrificio sunt ab Ecclesia institutæ, censenda est gravis materia. Quapropter peccares mortaliter, si Confessionem, vel Introitum, vel Evangelium, & à fortiori quamlibet integram orationem ex canone omitteres. Secus vero si *Gloria*, *Credo*, aliasve orationes, quæ non in omnibus sacrificiis recitantur, sed in aliquibus, quia hæc non sunt partes integrales sacrificii absolutè sumpti, sed hujus, vel illius diei. Tertiò ex significatione, hac enim de causa diximus te mortaliter peccaturum, si omittas vino miscere. Et idem est de divisione hostiæ, & mixtione illius cum sanguine.

Econtrà fit gravem injuriam reputandam non esse omissionem illius partis, quæ neque ad integritatem sacrificii etiam accidentalem, neque ad specialem aliquam significationem dirigitur, sed potius ad illius ornatum, decentiam & specialem cultum pertinet, aliàs omissio cujuslibet cæremoniæ, & ritus peccatum mortale constitueret, nullusque ferè esset sacerdos qui celebrando mortaliter non peccaret, cùm pauci sint qui ita exactè ritus, & cæremonias observent, ut unam vel alteram non omittant, aut sinistrè faciant.

Debes tamen advertere ex prædicta Bulla Pii V. & ex Trident. *sess. 22. decreto de observand. in celebrat. missar.* non solum te peccare posse omissione alicujus partis sacrificio pertinentis, sed etiam additione alterius partis extraneæ. Et quidem si animo inducendi novum ritum additio fiat, certum est peccatum esse mortale, si autem ex imprudenti devotione contingat, à mortali excusari poterit, præcipuè si additio levis fuerit, sicuti latius notat Suar. *d sp. 83. sect. 3. & disp. 84. sect. 1.* Ægid de Coninch. *quæst. 83. art. 4. n. 266.*

2. Assertio secunda. Ob nullam causam etiam ob vitandam mortem tibi licitum est sacrificium imperfectum facere, benè tamen permitti imperfectum relinqui, constat ex dictis *hoc præsenti tract. punct. 2.* Non enim tibi licitum est consecrare Panem animo non consecrandi. Vinum neque consecrare Panem, & Vinum animo non consumendi utramque speciem, quia essentia, & integritas sacrificii tantæ considerationis est, ut meritò debeas bono cuilibet temporali præferre: nullatenus autem præferres, si ob vitandam mortem velles in una tantum specie consecrare, vel utraque specie consecrata, utramque non sumere. Quod si dicas inde probari consecrata una specie, te non posse à consecratione alterius cessare, quinimo neque à consumptione utriusque, tametsi periculum mortis immineat, aliàs bonum temporale vitæ, essentiæ, & integritati sacrificii præferretur, siquidem ne moriaris, vis sacrificium dimidiatum relinquere? Respondeo bonum temporale, essentiæ & integritati sacrificii indirectè præferri posse, secus directè, & formaliter. Cùm ergo consecras unam Hostiam animo non consecrandi aliam, vel animo non consumendi utramque ob malum mortis vitandum, directè, & formaliter præfers tuam vitam sacrificii essentiæ, & integritati: at cum consecrata Hostia, Vini consecrationem omittis ob malum mortis vitandum, formaliter, & propriè non præfers tuam vitam sacrificii essentiæ, & integritati sed Vini consecrationi aliàs debitæ. Adde præceptum divinum negativum esse, ne unam speciem consecres, quin animum habeas consecrandi aliam, & utramque sumendi. At quod consecrata una hostia alteram consecres, & utramque sumas, affirmativum est præceptum. Præcepta autem negativa regulariter strictius obligant, quam affirmativa. Ergo, &c.

3. Assertio tertia. Sacrificium inceptum nequis absque rationabili causa interrumpere, quia ex præcepto saltem Ecclesiastico lato a Pio V. obligaris Missam usque ad finem continuò prosequi, colligiturque *ex cap. illud cap. nihil 7. quæst. 1.* ibi: Nullus absque proventu patentis molestiæ minister, vel sacerdos cum cœperit imperfecta officia præsumat omnino relinquere. Si quis hæc temerariè præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit. Bonac. *pluribus relatis disput. 4. quæst. ult. punct. 10. num. 25.*

4. Causæ autem legitimæ, ob quas sacrificium ante consecrationem, vel consecratione facta interrumpi potest, variæ sunt. Et quidem ante consecrationem minores causæ sufficiunt, siquidem usu receptum est ob concionem populo habendam, ob ordines celebrandos sacrificium interrumpi. Primò ob adventum Episcopi, Ducis, vel populi processionis, quos decet integrè Missam audire, neque est alius sacerdos qui celebret, poterit missa inchoata, si oblatio nondum facta est, relinqui, & iterum à principio inchoari. Teste Navarr. *c. 25. n. 86.* Henriq. *lib. 9. c. 30. n. 3.* Saà, *verbo Missa n. 21.* Scortia *lib. 2. c. 18.* Azor. *1. p. lib. 10. c. 23. q. 2.* Laym. *lib. 5. sum. t. 5 c. 7. circa fin.* Secundò etiam facta oblatione ante Canonem incœptum poteris incœptam Missam relinquere, si excommunicatus, irregularis, vel non jejunus existas quia potius decet à sacrificio desistere, quam ab irregulari, excommunicato, vel non jejuno fieri. Sic D. Thom. *q. 83. art. 6.* Et ibi Ægid. Henriq. *lib. 9. c. 30. n. 5.* Quinimo secluso scandalo, & gravi nota videris obligatus à sacrificio desistere, sicuti docet Ægid. supra, quia præceptum de sacrificio semel cæpto prosequendo minoris momenti esse videtur, quam negativum præceptum prohibens ab excommunicato, irregulari, & non jejuno fieri. Secus vero existimo dicendum de sacerdote, qui alicujus peccati mortalis nondum confessi recordatur, nam esto absque gravi nota posset ab incepta Missa desistere, credo obligatum non esse, quia præceptum confessionis præmittendæ celebrationi non urget, cum abest copia confessoris, & celebratio absque indecentia omitti non potest, sed contritione concepta poterit sacerdos Missam prosequi, ut cultus debitus tanto sacrificio observetur, sicut ex doctrina D. Thom. colligit Sotus *in 4. dist. 13. q. 2. art 6. ad 2.* Et consentit Ægid. de Coninch. *q. 83. art. 6. n. 272.* Tertiò si ante incœptum canonem superveniat interdictum speciale, vel cessatio, neque habeas privilegium januis clausis celebrandi, vel superveniat interdictum generale, nec permittaris claudere januas, & interdictos excludere, vel si denunciatus excommunicatus expelli nequeat, potes, imo teneris à sacrificio incœpto desistere: quia intentio Ecclesiæ, cum præcipit sacrificium inceptum prosequi, est cum

proſecutio fieri poteſt ſervatis illius præceptis, ſecus illis contemptis. Henſiq. *lib.9. cap.* 30. *n* 5.

5. Verùm poſt cœptum Canonem, quia jam cenſetur ſacrificium quaſi ſubſtantialiter inchoatum gravior cauſa requiritur, ut poſſis à ſacrificio incœpto deſiſtere, tametſi aliquantulum interrumpere poſſes. Tum ut propriæ neceſſitati, tum ut alienæ conſulas. Si enim gravis morbus, vel neceſſitas ventris, quam ſuſtinere non poſſis ſuperveniat, poteris ſacrificium incœptum etiam poſt conſecrationem, ut prædictæ neceſſitati ſatisfacias interrumpere & morbo, vel neceſſitate ceſſante ſacrificium continuare. Quod ſi morbus ejus conditionis ſit, ut nequeas per te ipſum ſacrificium inchoatum perficere, alius ſacerdos tametſi excommunicatus, vel non jejunus exiſtat, perficere poterit incipiens ab ea parte, in qua crederis ſacrificium reliquiſſe, quia eſto conſecratio facta non ſit, adeſt tamen illius proxima præparatio, quam minus convenit caſſam relinquere, quam obſervare legem jejunii, & excommunicationis. At ſi conſecratio facta fuerit omnes Doctores docent liberum eſſe ſacerdoti etiam non jejuno (ſi jejunus non reperiatur) ſacrificium perficere, quia perfectio ſacrificii utpote juris divini ſtrictius obligat quolibet præcepto Eccleſiaſtico. Sed an eo caſu teneatur ſacerdos ſacrificium perficere? non eſt conſtans ſententia, ut videri poteſt apud Azor. *lib.*10. *cap* 33 *q.*1. Suar. *diſt.*85. *ſect.*1. *in fine.* Navarr. *cap.*25. *n.*88. Ægid de Coninch. *quæſt.*83. *art.*6. Placet tamen horum Doctorum reſolutio obligatum eſſe ſacerdotem perficere, quia præceptum divinum eſt, ne ſacrificium mutilum relinquatur, cum id fieri poſſit abſque gravi incommodo, quippe ea perfectio tantum ſacramentum decet. At prædictum præceptum primò aſtringit ſacerdotem ſacrificium inchoantem. Secundò & in illius defectum reliquos omnes qui illud obſervare poſſint. Ergo deficiente ſacerdote qui ſacrificium inchoavit, quilibet alius ſacerdos qui ibi præſens fuerit, obligatus eſt perficere, aliàs muneri ſuo non ſatisfaciet. Neque obſtat textus in *cap. n hil.*7. *quæſt.*1. aſſerens liberum eſſe Epiſcopo, vel preſbytero conſecrationem exequi officii cœpti, quaſi non ſit obligatorium. Non inquam obſtat, quia ut benè advertit Suar. *diſp.*85. *ſect. in fine*, vox illa *liberum* non eſt deſumenda contrariè, prout obligatorio opponitur, ſed poſitivè prout ab obligatorio præſcindit, præſtat enim hunc ſenſum; in poteſtate ſacerdotis eſt officii cœpti conſecrationem exequi, an vero teneantur Epiſcopus, vel ſacerdos eam poteſtatem ad actum reducere prædictus textus non decidit. Si verò vox illa *liberum* contrariè deſumenda eſſet, intelligi textus debet de defectu contingente ante conſecrationem, quo caſu probabilius cenſeo cum Laym. *lib.*5. *ſum. tract.*5. *cap.*7. *in medio*, & Azor.1. *p. lib.*10. *cap.*33. *quæſt.*1. ſacerdotem non eſſe obligatum ſacrificium incœptum perficere, tametſi Canon ſit inchoatus, quia conſecratione non facta ſacrificium ſubſtantialiter, & propriè inchoatum non eſt.

Ut alienæ neceſſitati maximè ſpirituali conſulas, poteris ſacrificium etiam facta conſecratione incœptum relinquere, poſt modum perficiendum. Sic docent. Henriq. *lib.9. cap.*30 *n.*3. *& ſeqq.* Zambran. *de Euchar. cap.*4. *dub.*6. *n.*5. Laym. *lib.*6. *ſum. tract.*5. *c.*7. *à n.*2. Quod ſi roges, quæ neceſſitas proximi cenſeatur ſufficiens ad prædictam interruptionem? Reſpondeo ſolam neceſſitatem, quæ dilationem non patitur recipiendi aliquod ſacramentum ad ſalutem moraliter neceſſarium ſufficientem eſſe, etiamſi è templo exire debes, ut prædictæ neceſſitati ſuccurras. Unde ſi infirmus ita ſit morti proximus, ut moraliter cenſeatur expectare non poſſe ſacrificii finem, ut ei ſacramentum neceſſarium miniſtretur, poteris ab altari diſcedere, & in domum infirmi pergere, ut ei ſacramentum miniſtres omiſſis precibus, & orationibus in ſacramentorum miniſtratione præſcriptis, ſed poſt peractum ſacrificium recitandis. Et idem eſt ſi pœnitentiæ ſacramentum ſuſcipere non poſſet, poſſet tamen Euchariſtiam, vel Extremam-Unctionem, quia eo caſu Euchariſtia, vel Extrema-Unctio eſt prædicto infirmo moraliter neceſſaria. Secus eſſet ſi paulò antè pœnitentiæ ſacramentum infirmus ſuſcepiſſet, num eo caſu permitti poſſet abſque viatico mori, cum moraliter ad ſalutem illi neceſſarium non ſit. Quod intelligendum eſt, ſi à templo exire debes, nam ſi infirmus in ipſo templo exiſtat, poteris illi & viaticum, & Extremam-Unctionem miniſtrare quia illa brevis interruptio ex neceſſitate proximi honeſtatur, & cum in templo exiſtas ab altari non cenſeris moraliter diſcedere. Sic docent Zambran. & Layman. ſuprà.

6. Aſſertio quarta. Omnes defectus tam ſubſtantiales, quam accidentales in ſacrificio contingentes ſuppleri debent quoad fieri poſſit, de qua re latè Pius V. in rubrica Miſſalis, D. Thom. *q.*83. *art.*6. & ibi omnes ejus expoſitores. Si defectus accidentalis in verbis, vel actionibus contingat, qualis eſſet omiſſio Evangelii, Offertorii, alicujus orationis, Canonis, & ſimilium, ſi multum progreſſus non es, quando advertis, debes repetere, ſi abſque gravi nota facere potes: regulariter non teneris, tum quia vix abſque nota fieri poteſt. Tum quia omnia quæ dicuntur, & aguntur in hoc ſacrificio ſunt ita inter ſe connexa, ut ſi à propriis locis extrahantur, non benè inter ſe cohæreant. Sic D. Thom. *quæſt.*83. *artic.*6. & ibi Ægid. de Coninch. *num.*281. Suar. *diſput.*85. *ſect.*2. Bonac. *diſp.*4. *de ſacram. quæſt. ult. punct.*10. *num.*16. At ſi accidentalis defectus in materia conſecranda accidat, vel quia appoſitus eſt panis fermentatus, cum azimus apponendus eſſet, vel quia unum eſt nimis acidum, vel non eſt aqua mixtum, & advertis defectum ante conſecrationem, ſupplere omnino debes, ſi facta conſecratione defectus prævideatur, tolerandus eſt, & per pœnitentiam ſupplendus. Quod ſi defectus levior ſit eo quod vinum ſit aliquantulum acidum, vel hoſtia non ſatis integra, ſuppleri debet ante oblationem ſi prævideatur, at oblatione facta diſſimulandus eſt. Suar. *dicta diſp.*85. *ſect.*2. Ad accidentales defectus pertinet, ſi Hoſtia cadat in Calicem, ita ut frangi non poſſit, quia & ſumi poteſt ſimul cum Sanguine, tametſi ritus, & cæremoniæ circa illam præſcriptæ fieri non poſſint. Unde non eſt nova Hoſtia, nec novus Sanguis conſecrandus. Sic ex D. Th. *q.*83. *art.*6. & communi ſententia tradit Ægid. ibi *n.*282. Henr. *lib.*9. *c.*37. *n.*5. Bon. *diſp.*4. *de ſacr. q. ult. p.*10. *n.*17. Item pertinet ad accidentales defectus, ſi vinum congelatum ſit. Sed facilè hic defectus tolli poteſt admotis Calici pannis ardentibus, ſed ſi deficiant, digitis, aliquid ſanguinis liquefacere potes, ut ſumptio fiat, ſicuti notavit Suar. *diſp.*85. *ſect.*1. *v.*3. Henr. *c.*37. *n.*5. Bon. *diſp.*4. *de ſacr. q. ult. p.*10. *n.*18.

7. Si defectus ſubſtantialis in ſacrificio contingat, majori diligentia ſupplendus eſt. Sicuti advertunt D. Thom. *quæſt.*83. *art.*6. & ibi Ægid. Suar. *diſp.*85. *ſect.*1. Laym. *lib.*5. *ſum. tract.*5. *c.*7. Bonac. *diſp.*4. *de ſacram. quæſt. ult. punct.*10. Primò contingit defectus ſubſtantialis, ſi cum protuliſti conſecrationis verba, non habuiſti legitimam intentionem conſecrandi, vel non protuliſti ea ſuper debitam materiam, quo caſu teneris, cum primum advertis materiam in qua eſt defectus iterum conſecrare, ne in tam enormi fictione procedas, neve ſacrificium mutilum facias, neve populo proponas adorandum, quod nulla veneratione eſt dignum. Secundò defectus ſubſtantialis contingit, ſi ſumpta Hoſtia deprehendis loco vini aquam appoſitam eſſe, qui defectus ſi ante Calicis ſumptionem prævideatur, alius Calix legitimus

con

consecrandus est & sumendus, & postmodum sumendus Calix aquæ cum particula Hostiæ ibidem existentis. Quod si defectus prævisus non fuerit, quousque Calicem aquæ sumpseris non debes ex ore evomere, est enim id indecens, sed sumpta aqua simul cum particula Hostiæ Calicem legitimum consecrabis, incipiens ab illis verbis : Simili modo, &c. usque ad illa : Hæc quotiescunque feceritis. Aliam hostiam consecrare obligatus non es, uti ex communiori sententia docet Navarr. *cap.25. num.81.* Suar. *disp.85. sect.1.* Ægid. *q.83. art.6. num.277.* ibi Vasq. Henriq. *cap.37. num.4.* Bonac. *disp.4. de sacram. q. ult. punct.10. num.5.* Layman. *lib.5. sum. tract.5. c.7. in fine :* quia moraliter censetur præsens consecratio Hostiæ consumptæ, sicuti contigit, cum hoc sacramentum primò institutum est à Christo Domino qui consecratum Panem Discipulis distribuit, & illo sumpto Calicem consecravit, deditque Discipulis suis. Præterea quia in *cap. pastoralis de Sacrament. non iterandis*, statuitur repetenda non esse in sacramentorum confectione quæ legitimè facta sunt, quod æquè in sacrificio locum habere debet. At consecratio Hostiæ legitimè facta est. Ergo hæc non est iterum repetenda. Præterea si nova Hostia simul cum Sanguine consecranda esset, cum horum consecratio perfectum sacrificium constituat, prius sacrificium inchoatum ex prioris Hostiæ consecratione imperfectum relinqui videtur. Secus vero contingit, quando solus Sanguis consecratur, etenim hæc consecratio simul cum consecratione Hostiæ præcedentis unum sacrificium integrum constituit. Non igitur nova Hostia est consecranda. Neque obstat contrarium in Rubricis Missalis præscribi, quia non præscribitur ut necessarium, sed ut conveniens ob sententiam probabilem D. Thom. insinuantis simul cum sanguine novam Hostiam consecrandam esse. Qui vero huic opinioni D. Thom. & Rubricarum instructioni adhærere voluerit, novamque Hostiam simul cum Sanguine consecraverit, intentionem habere debet prius sacrificium inchoatum novo illo sacrificio perficere, atque adeo consecratio sanguinis simul cum novæ Hostiæ consecratione, & perfectum sacrificium constituit, & sacrificium prius inchoatum, & mutilum reddit perfectum. Tertiò contingit substantialis defectus, ex eo quod impediaris à sumptione Calicis ob venenum ibi oppositum, vel ob animal illuc cadens, quod horrorem causat, & ad vomitum provocat. Et quidem si defectum prævides ante consecrationem, aliam speciem offerre, & consecrare debes relicta priori, si post, debes animal extrahere, & species consumere, si absque gravi incommodo facere possis. At si nec tu, neque alius sacerdos adsit, qui absque periculo morali saltem vomitus Sanguinem sumat, alia species Vini apponenda est, consecranda, & sumenda, & priores species Vini stupa imbibantur, & in sacrarium reponantur, & postquam fuerint siccæ comburantur, & cineres in piscinam mittantur simul cum cineribus animalis in Calicem cadentis. Quod idem faciendum est, quando contingit sacramentum evomi, putrefieri, aut ab animali comedi : debent inquam comburi, & cineres in piscinam mitti. Quod si miraculosè Hostia, vel Sanguis evanesceret, aut in aliam formam mutaretur, probabile reputant Suar. Azor. Ægid. *locis allegatis*, obligationem non esse novam speciem consecrandi, quia miraculoso facto censetur Deus sacrificium illud dimidiatum acceptare. Quartò contingit defectus ob effusum Sanguinem, vel ob Hostiam vento valido delatam. Et quidem si reperiatur pars aliqua Hostiæ etiam minima, vel aliquid ex speciebus Sanguinis superfuerit, non erit necessarium aliam speciem consecrare, cum perfectum sacrificium fieri possit. Si vero contingat Calicem omnino effundi, vel Hostiam non apparere, consecranda est alia species ob integritatem sacrificii. De Sanguine effuso quid agendum sit, colligi potest *ex cap. si per negligentiam de consecrat. dist.2.* & ex rubricis Missalis. Si cadit in terram, radendus est locus, & cineres concremandi, & in piscinam projiciendi, si vero in tabulam, vel tapetem, fugatur, & radatur, pars autem tapetis, seu cujuslibet alterius vestis nec benedictæ, nec nimis pretiosæ scindatur, & combusta illius cineres in piscinam projiciantur. Si verò in pallas benedictas, vestésque sacerdotales ceciderit, fugatur, & tribus vicibus Calice suppositò lavetur, & aqua ablutionis accipiatur, vel sumatur in piscinam mittenda. Si Sanguis aram attingit, sumatur, lambatur, & purificetur ut potuerit. Pœnæ vero in *suprad. cap.* impositæ, non sunt ipso jure latæ, sed ferendæ, & jam per consuetudinem reservatum est Ordinario, ut pro qualitate culpæ, & negligentiæ pœnam imponat, sicuti notavit Navarr. *sum. cap.25. n.89.* Suar. *disp.85. sect.1. post med.*

Punctum XII.

De obligatione celebrandi ob ordinem acceptum.

1. *Jure divino obligatur sacerdos ex communi sententia, aliquando celebrare.*
2. *Contrarium probabilitate non caret.*
3. *Ob scandalum obligatur sacerdos celebrare.*
4. *Decet sacerdotes quotidie celebrare, sed non tenentur.*
5. *Qualiter teneantur Episcopi, & Rectores Ecclesiarum.*

1. COmmunis est sententia quemlibet Sacerdotem ratione Ordinis, & officii assumpti jure divino obligatum sub gravi culpa esse aliquando sacrificium offerre. Sic D. Thom. *q.82. art.10.* Navar. *cap.25. n.88.* Suar. *disp.80. sect.1.* Vasq. *disp.232. c.1.* Valent. *disp.6. q.1. punct.3.* Henriq. *lib 9. c.13. n.2.* Azor. *1. p. lib.10. cap.24. q.1.* Bonac. *disp.4. de Sacram. q. ult. p.7. n.1.* Ægid. de Coninch. *q.84. art.2. dub.1.* Laym. *lib 5. sum. tract.5. c.3. n.1.* & alii communiter. Ratio desumitur ex illis verbis Christi *Lucæ 22.* Hoc facite in meam commemorationem ; quibus Christus Dominus Apostolis, & eorum successoribus præceptum imposuit, uti declaravit Trid. *sess.22. cap.1.* sacrificium offerendi. Cum ergo omnes sacerdotes, & singuli eorum sint Apostolorum successores, efficitur omnes, & singulos sacerdotes obligatos esse aliquando sacrificare. Deinde omnes Sacerdotes in ordinatione non solum accipiunt potestatem sacrificandi, sed munus, & officium offerendi dona, & sacrificia pro peccatis, juxta illud ad Hebr.5. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis. At nemini officium aliquod conceditur, qui sub gravi culpa non obligetur prædicto officio, & muneri satisfacere, si Materia gravis est. Ergo nullus est sacerdos, qui obligatus non sit sub gravi culpa sacrificare, cum hæc materia gravissima sit. Fateor huic sententiæ communis sensus fidelium, existimantium sacerdotem absque legitima causa longo tempore cessantem à sacrificio perditis moribus esse, ideòque D. Ambr. relatus à D. Th. *q.82. art.10. in argum. sed contra* (inquit) Grave est quod ad mensam tuam mundo corde, & manibus innocentibus non venimus, sed gravius est, si dum peccata metuimus, etiam sacrificium non reddamus. Et Innoc. III. in *c. dolen. de celebr. Miss.* inter abusus aliquorum Sacerd. quos ibi reprehendit, enumerat quod vix quater in anno sacrificabant. Si autem nullam obligationem sacrificandi haberent, non esset illis culpæ tribuendum, neque Trident.

ſeſſ.23. cap.14. de reformat. ita graviter præciperet Epiſcopis, ut curent ſacerdotes ſaltem diebus Dominicis, feſtis ſolemnibus Miſſam celebrent. Neque Pius V. juberet opinionem contrariam Cajet. abradi, & expungi ex commentariis Sancti Thomæ, & ſicuti fecit in impreſſione Romana operum D. Thom. ſi eam probabilem exiſtimaret.

2. Nihilominus etſi prædicta ſententia ut communior, & longè probabilior tenenda, & conſulenda ſit, contraria ſententia ſcilicet ſimplicem ſacerdotem ſecluſo ſcandalo obligatum non eſſe aliquando ſacrificare, probabilitate non caret. Eam enim docet Alex.4. *p. q.11. memb.2. art.4. §.1. q. quæ incipit Conſequenter quæritur*, &c. Bonav. *in 4. diſt.12. p.2. art.q.1. in corp. & ad 3. & ad ultim.* Cajet. *quæſt.82. art.10.* Victor. *de Euchariſt. n.93.* & probabilem reputant Layman. Bonac. & Suar. *locis allegatis.* Ratio eſt, quia obligatio præcipuè gravis imponenda non eſt abſque fundamento legitimo, at nullum eſſe videtur ex quo firmiter colligatur. Et in primis ex jure divino non videtur hæc obligatio ſufficienter colligi, nam eſto latum fuerit à Chriſto Domino præceptum illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, videtur explicari poſſe de præcepto offerendi hoc ſacrificium in Chriſti commemorationem, vel potius de præcepto, quod omnes Sacerdotes ſimul ſumptos aſtringit, non de præcepto, quo ſinguli, & diviſim teneantur. Expediebat namque in Eccleſia hoc ſacrificium non deeſſe, ideóque Chriſtus Dominus Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus præcipit, ne ab illius obligatione ceſſarent, quod optimè ſervari poteſt, tametſi unus, vel alter ſacerdos nunquam ſacrificaret. Et juxta hanc explicationem dicendum eſt traditum fuiſſe ſacerdotibus munus, & officium ſacrificandi, & quidem quoad poteſtatem, ut quoties vellent, poſſent ſacrificium offerre; quoad obligationem verò quoties Eccleſiæ ſacrificium defuerit. Deinde ex jure Eccleſiaſtico nullus eſt textus hanc obligationem firmiter probans. Nam eſto in *c. dolentes.* referat Pontifex ut abuſum, negligentiam illorum ſacerdotum, qui vix quater in anno celebrant, inde non infertur ex vi ordinationis aliquando obligatos eſſe celebrare. Sed ſolùm infertur celebrationem omittendam non eſſe ex negligentia, & torpore, benè tamen ob reverentiam ſacramenti, & indignitatis propriæ exiſtimationem. Adde, ſi ſupradicti Sacerdotes bis, vel ter in anno ſacrificabant, ſanè obligationis ex ordinatione contractæ ſatisfaciebant, ſiquidem uſque ad illud tempus declaratum non erat, quoties ſacerdotes celebrare deberent. Præterea in *ipſo c. dolentes* nullum de celebratione ſacrificii præceptum fertur, ſed de recitatione officii nocturni, & diurni. Neque illa verba textus. *Hæc & ſimilia ſub pœna ſuſp. penitùs inhibemus*, referenda ſunt ad celebrationis abſtinentiam, ſed ad varios modos irreverentiæ contra debitam officii divini attentionem, ideoque in forma præcepti hæc ſolùm continentur, ſicuti benè advertit Vaſq. *diſp.232. c.1. n.6.* Minùs colligi poteſt ex Trid. *ſeſſ.23. c.14.* Stat enim optimè præceptum imponi Epiſcopis, ut curent ne ſacerdotes diebus Dominicis, & feſtis à celebratione abſtineant, quia ipſi ſacerdotes obligati ſunt celebrare, quia poſſunt curare exemplo, conſilio, & exhortatione, utpote ad opus ſummè perfectum: imo poſſunt hanc diligentiam facere medio præcepto impoſito, ſi id judicaverint bono Eccleſiæ regimini expedire, ſicuti in diœceſi Mediolani teſtatur Bonac. *diſp.4. de ſacram. quæſt. ult. p.7. num.3.* impoſitum eſſe. Adde ſi ex prædicto loco Trident. obligatio celebrandi ſacerdotibus ineſſet omnibus Dominicis, & feſtis ſolemnibus obligati eſſent, quod nullus uſque adhuc dixit Pius verò V. opinionem Cajetani ex commentariis D. Thom. expungit, non ut improbabilem, ſed ut minus probabilem, ſententiæ D. Thom. contrariam. Ambr. relatus explicari poteſt de omiſſione celebrationis ex negligentia, & torpore, quæ certè aliqua culpa eſt, item de omiſſione ſacrificii abſoluta, non de omiſſione ſacrificii à quolibet ſacerdote per ſe ipſum oblati. Deinde prædicta verba in Ambroſio non inveniuntur, ſicuti teſtatur Vaſq. *loco allegato.* Ratione verò probabilitas hujus ſententiæ non leviter confirmari poteſt. Nam ſi ſacerdotes ſinguli obligati eſſent ex præcepto divino aliquoties ſacrificare, neceſſariò tempus implendi hoc præceptum determinatum eſſe deberet, vel ex jure divino vel ex Eccleſiaſtico, quippe eſt præceptum affirmativum, quod non ſemper, ſed ſuo tempore ſignato obligat. At neque ex jure divino, neque Eccleſiaſtico conſtat quod ſit tempus executioni hujus præcepti determinatum præter caſum, quo Eccleſiæ ſacrificium deficeret. Ergo extra hunc caſum nulla eſt ſacerdoti obligatio. Quod ſi dicas cum communi ſententia jure divino determinatum eſſe tempus ſcilicet quater in anno. Argum. *cap. dolentes de celebrat. miſſar.* Obſtat: quia vel hæc quaterna celebratio exequenda eſt intra trium menſium ſpatium, vel intra annum. Ex jure divino neutrum colligi poteſt. Ergo gratis fingitur. Præterea *ex caput dolentes* jam probatum eſt nullum de ſacrificio præceptum inferri poſſe.

3. Dixi in aſſertione, *ſecluſo ſcandalo.* Etenim ſacerdos, qui ſex vel octo menſes abſque rationabili cauſa à celebratione abſtinet, ſcandalum generat, & malè audit apud omnes, meritoque judicatur ſuæ ſalutis immemor, cùm fructum tanti ſacrificii ex incuria, & negligentia percipere omittat. Si enim 2. Machabæor.4. cum non mediocri planctu, & dolore refertur quod illius temporis ſacerdotes circa altaris officia dediti non eſſent, ſed contempto templo, & ſacrificiis neglectis feſtinarent participes fieri paleſtræ, quid fieret ſi ſacerdotes legis gratiæ contempto templo, & ſacrificio Chriſti neglecto ad vana, & fortè turpia properarent? uti communiter præſumitur qui tantum ſacrificium celebrare contemnit, & tradit Suar. Azor. Henriq. Bonac. & alii *in princ.* relati.

4. Illud verò eſt certum ſimplices ſacerdotes etſi poſſint ſingulis diebus celebrare, idque maximè deceat, tum ob Dei cultum, & honorem, tum ob Eccleſiæ fructum, tum ob cujuſque utilitatem propriam, at nulla lege ad prædictam quotidianam celebrationem aſtringuntur.

5. Epiſcopi verò, & Prælati Eccleſiarum Cathedralium, & collegiatarum, & conventualium tenentur curare, ut in prædictis Eccleſiis ſaltem unum ſacrum ſingulis diebus fiat, uti colligitur *ex cap. cum creatura. De celebrat. miſſar.* An autem peccent ii Prælati moraliter, ſi uno vel altero die ſacrum abſque legitima cauſa omittere permittant? non conveniunt Doctores, Sotus *diſt.13. quæſt.2. art.2.* Suar. *diſp.80 ſect.2.* Victor. *de Euchariſt. num.44.* negat caſu quo exiguus ſit numerus ſacerdotum illius Eccleſiæ. Affirmant. Layman. *lib.5. ſum. tract.5. cap 3. num.5.* & Ægid. *quæſt.85. art.3. dub.1. numero 203.* Ego verò exiſtimo conſuetudinem ſpectandam eſſe, ſi enim conſuetudine firmatum ſit quotidianum in illa Eccleſia ſacrificium, graviter peccaret Prælatus illius Eccleſiæ, ſi abſque publica cauſa omitti ſacrificium permitteret. Tum quia illa conſuetudo vim legis habet. Tum quia *in c. cum creatura* præceptum imponitur de quotidiano ſacrificio illis Eccleſiis celebrando, à quo præcepto Prælatus excuſari non poteſt, niſi ex præſcripta contraria conſuetudine, vel aliquo impedimento legitimo ſuperveniente. Tum quia fideles non leviter offenderentur, ſi ſacrum abſque cauſa viderent omitti. Quod verò Abbas, & Gloſſa, *in cap. cum creatura*, aliique Canoniſtæ ſentiunt in prædictis Eccleſiis duo ſacra facienda eſſe quotidie,

aliud

aliud pro defunctis, aliud de tempore, nullum fundamentum habet neque in prædicto textu, neque in alio jure, ut benè obſervavit Ægid. de Coninch. *quæſt.* 83. *art.* 2. *dub.* 1. *n.* 204. Laym. *lib.* 5. *ſum. t.* 5. *c.* 3. *n.* 5. Etenim ex *prædicto cap. cum creatura* ſolùm colligi poteſt ob anniverſarium defunctorum non eſſe Miſſam feſti, vel feriæ omittendam, ſi ſacerdotum numerus competens fuerit, non verò quod ſimul cum Miſſa feriæ, vel feſti anniverſarium defunctorum quotidiæ fiat, cum id ſit contra praxim Eccleſiæ, quæ ſolemnioribus feſtis anniverſarium non permittit. Quocirca ſi vis ſcire quot ſacra in qualibet Eccleſia teneatur Prælatus curare ut celebrentur, illius Eccleſiæ conſuetudinem, & fidelium fundationes inſpicere debes, ſicuti notarunt Ægid. & Laym. *ſuprà.*

Punctum XIII.

De obligatione faciendi ſacrum titulo capellaniæ; vel beneficii ſimplicis, & curati.

1. *Capellanus obligatur Miſſas juxta tenorem fundationis celebrare, & fructum pro intentione fundatoris applicare.*
2. *Impeditus celebrare an poſt modum ſupplere debet, & quid ſi in loco ſignato non celebravit? Remiſſivè reſpondetur.*
3. *Qualiter teneantur beneficiarii ſimplices celebrare.*
4. *Parochus obligatur celebrare omnibus diebus, quibus populus tenetur.*
5. *Qualiter aliis diebus teneatur.*
6. *An teneatur applicare fructum pro ovibus? affirmant plures.*
7. *Verius videtur oppoſitum.*
8. *Qualiter poſſint ſtipendium pro Miſſis dicendis accipere.*

1. CErtum apud omnes eſt capellanum obligatum eſſe non ſolum Miſſas celebrare in fundatione præſcripta, ſed illarum fructum ſecundùm intentionem fundatoris applicare, ita ut nequeat novum ſtipendium pro illa Miſſa ab aliis accipere. Ponimus namque redditus capellaniæ æquare debito ſtipendio ſacrificii, ex alia parte à fundatore conceduntur, ut ſecundùm ejus intentionem ſacrificium fiat. Non igitur eſt locus aliis fructum ſacrificii applicandi. Quod ſi redditus inſufficientes ſint, penes Ordinarium eſt poteſtas reducendi Miſſas ad legitimum numerum, juxta ea quæ diximus *tract.* 13. *de benefic. diſp.* 1. *punct.* 6. *à n.* 24. Solùm adverto ſi capellania quotidianum ſacrificium per ipſum capellanum præſcribat, non peccare capellanum ſemel in hebdomada omittentem ſacrum, teſte Bonac. *diſp.* 4. *de ſacram. q. ult. p.* 7. *n.* 6. Laym. *l.* 5. *ſum. t.* 5. *c* 5. *n* 6. quia obligatio dicendi ſacrum, ſub intelligi debet ſalva honeſtate, decentia, & reverentia debita. Argum. *ſignificatum de Prabend.* Et ibi Abbas. Navar. *c.* 15. *n.* 135. Henriq. *l.* 9. *c.* 24. *n.* 4. Azor. *l.* 10. *c.* 24. *q.* 7. Sed difficile eſt à capellano maximè ſæculari ſingulis diebus abſque ulla intermiſſione ſacrificium debita cum honeſtate, & reverentia celebrari, tum ob negocia, & occupationes occurrentes, tum ob varias dæmonis tentationes, & mundi illecebras. Ergo credendum eſt obligationem impoſitam à fundatore non eſſe eo rigore ſumendam, quin in hebdomada aliquem diem intermiſſionis, & vacationis concedat. Sic uſus obtinuit.

2. Sed an capellanus cum legitimè impeditus eſt celebrare, teneatur per alium ſupplere? Et quid ſi in loco deſignato non celebravit, ſed alibi. Vide quæ diximus *præd. p.* 6. *à n.* 25.

3. Beneficiarii ſimplices, quales ſunt dignitates, canonicatus, & præſtimonia per ſe obligationem non habent ſacrum faciendi, & à fortiori neque applicandi illius fructum pro aliqua perſona determinata, quia jure communi id cautum non eſt. At ex fundatione beneficii, & ex recepta conſuetudine optimè poſſunt prædicti beneficiarii obligari non ſolum ad ſacrum faciendum aliquibus diebus determinatis, ſed etiam ad applicandum illius fructum ſecundùm determinatam intentionem.

4. Parochus verò obligatus eſt ſacrum facere per ſe, vel per alium omnibus illis diebus, quibus parochiani obligantur audire: eſt omnium ſententia, quia officium parochi eſt miniſtrare parochianis quæ illis neceſſaria ſunt ad ſalutem, & ob hujuſmodi cauſam decimæ, & obligationes conceduntur. Unde ſi populus ita numeroſus ſit ut ſimul ſacrificio aſſiſtere non poſſit, parochus curare debet mediis aliis clericis quibus juſtum ſtipendium concedat plura ſacra fieri juxta beneficii redditus, quod arbitrio Ordinarii decidendum eſt.

5. Aliis vero diebus non eſt ita certa obligatio, ſatis tamen indicatur à Concil. Trident. *ſeſſ.* 23. *c.* 14. *in fine*, aliquibus ex illis eſſe. Si enim communiter Doctores docent obligatum eſſe parochum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſacramentum parochianis miniſtrare, non ſolum quando ipſi obligati ſunt accipere, ſed etiam quando ipſi pro augmento devotionis, & charitatis rationabiliter poſtulant; eadem ratione affirmare debent hoc ſacrificium miniſtrandum eſſe non ſolum cum ipſi obligati ſunt audire, ſed etiam quando rationabiliter poſtulant, ideoque Sotus *in* 5. *diſt.* 15. *q.* 2. *art.* 2. exiſtimat aliquoties in hebdomada obligatum eſſe parochum celebrare, & probabile reputat Azor. *lib.* 10. *cap.* 24. *quæſt.* 2. Illud verò eſt certum, ſi populus numeroſus ſit, & beneficii fructus non exigui, poſſe Epiſcopum, & debere parochum aſtringere, ut aliquoties bis, vel ter in hebdomada celebret maximè ſi in eo oppido non ſint Eccleſiæ collegiatæ, vel conventuales aliquas pro ſacrificio audiendo concurrere populus poſſet. Sic Laym. *lib.* 5. *ſum. tract.* 5. *cap.* 3. *n.* 2. conſentit. Bonac. *diſp.* 4. *de ſacram. q. ult. punct.* 8. *n.* 4.

6. Difficultas ergo eſt, an illis diebus, quibus parochus obligatus eſt celebrare, teneatur ſacrificii fructum pro ſuis ovibus applicare? Affirmat Sotus *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 2. *artic.* 2. & *lib.* 9. *de juſtit. q.* 3. *art.* 1. §. *nihilominus.* Movetur, quia parochus non tantùm aliter à parochianis, ut eos paſcat verbo, & exemplo, & ſacramentorum adminiſtratione, ſed etiam ut comparatione illorum officium ſacerdotis exerceat. At ſacerdotis officium eſt ſacrificium pro populo offerre, juxta illud *ad Hebr.* 5. Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis, &c. Communis tamen ſententia docet parochum obligatum eſſe pro ſuis ovibus fructum ſacrificii applicare non ſemper, ſed aliquoties arbitrio prudentis juxta beneficii fructus, & illius obligationes, quia Trident. *ſeſſ.* 23. *c.* 1. *de reform. in princ.* expreſſè definivit præcepto divino teneri parochum oves ſuas agnoſcere, pro eis ſacrificium offerre &c. Eſt igitur hæc obligatio ſaltem aliquoties in anno arbitrio prudentis exequenda. Sic docet Barb. 2. *p. de poteſt. Epiſc. alleg.* 24. *n.* 23. Bonac. *diſp.* 4. *de ſacram. q. ult. p* 7. *à n.* 5. ubi exiſtimat ex prudentis arbitrio parochum obligandum eſſe Miſſas præcipuis ſolemnitatibus Domini, & Dominicis, vel ſaltem ſemel in hebdomada pro ovibus applicare.

7. Cæterùm verius exiſtimo ex beneficii curati vi nullam parocho ineſſe obligationem applicandi fructum ſacrificii pro ſuis ovibus. Sic Navarr. *c.* 25. *n.* 92. Regin. *praxi lib* 23. *n.* 238. Vaſq. *diſp.* 234. *c.* 4. Suar. *diſp.* 86. *ſect.* 1. *verſ. de benefic.* Naldus, *verbo parochus num.* 18. Paul. Fraxind. *de obligationib. ſacerd. ſect.* 3.

prænot.2. §.2. Poſſevin. *de officio curat. cap.2. num.4.* Ægid de Coninch. *q.83. art.1. dub.11. concl.3.* Neque diſſentit Layman. *lib.5. ſum. tract.5. cap.3. n.3.* Ratio ea eſt, quia officium curati eſt paſcere oves verbo, & exemplo, & ſacramentorum adminiſtratione, ſacrificiique diſpenſatione. Hoc autem fieri poteſt, tametſi fructus ſacrificii ſpecialiter ovibus non applicetur, ſed ſolum ea generali applicatione, qua omnibus fidelibus, & præcipuè ſacrificio intereſſentibus applicatur, & ita intelligendum eſt Trident. & locus Pauli *ad Heb.5.* Confirmat Suar. hanc ſententiam exemplo Epiſcopi, & prælati regularis, quos à ſacrificio pro ſuis ſubditis offerendo conſuetudo excuſat, cum tamen verè parochi ſint, & Epiſcopis redditus abundantiſſimi ſoleant concedi. Deinde ſi ob fructus beneficii perceptos obligatus eſſet beneficiarius ſacrificium pro ovibus offerre, partem illius obligationis retineret, ſi beneficium reſignaret reſervata penſione, cùm penſio ſit pars fructuum beneficii, at in penſionario nullus hanc obligationem agnoſcit, quippe neque celebrandi obligationem habet. Ergo, &c. Præterea parochiani ſæpè parocho ſtipendium concedunt pro Miſſis dicendis, ſæpè capellanias inſtituunt videnté & conſentiente Epiſcopo, ſi autem parochus titulo beneficii præcipuè abundantis obligatus eſſet ſæpius pro parochianis celebrare, neque titulo capellaniæ fundarentur, neque ſtipendium ita frequenter concederetur.

Movent tamen Doctores ſpecialiter Ægid. & Layman. ſupra, obligatum eſſe parochum ex charitate, & juſtitiæ æquitate ſæpè intra & extra ſacrificium pro ovibus exorare. Verùm huic oblationi exiſtimo abundè ſatisfacere pro illis ſacrificium, & orationes communes fundendo, niſi aliquando gravi aliqua neceſſitate premantur, ad cujus remedium credat ſpecialem orationem neceſſariam eſſe, quod vix contingere poteſt.

8. Ex his inferturan poſſint, parochi ſtipendium accipere pro Miſſis dicendis? Et quidem ſi ſingulis diebus tenerentur ſacrificare pro populo, ut placuit Soto, nequaquam poſſent ſtipendium accipere, quia ſtipendium conceditur, ut concedenti ſpecialiter Miſſæ ſacrificium applicetur, quod fieri nequit, cum jam ſint ratione beneficii obligari populo ſacrificium ſpecialiter applicare. Sicuti docuit Suar. *diſp 86. ſect.3. concl.3.* Si verò una, vel altera vice in hebdomada obligentur, ut tenet communis ſententia, cum hæc obligatio determinato diei aſtricta non ſit, poterunt parochi ea ſtipendia pro Miſſis dicendis accipere, quæ executionem prædictæ obligationis non impediant. Sed quia verius exiſtimamus parochos ratione beneficii, non eſſe obligatos fructum beneficii ſpecialiter pro ovibus applicare, conſequenter affirmandum eſt poſſe quolibet die, quo aliàs obligati non ſunt, ſtipendium accipere pro Miſſis celebrandis, & ita docuit Vaſquez *diſp.234. cap.1. &* 4. Notanter dixi quo aliàs obligati non ſunt, nam ſi ex conſuetudine, vel fundatione, vel Ordinarii lege, & præcepto aliquibus diebus determinatis ſacrificare pro populo obligentur, non poterunt ſtipem accipere, ut eo die concedenti ſacrificium applicent, niſi fortè concedens ſtipem conſcius ſit illius obligationis, nam eo caſu præſumitur ſtipem concedens, & petens eo die ſacrificium contentus eſſe, ut ſecundaria intentione ei ſacrificium applicetur, ut tradunt Sotus *lib.9. de juſt.q.3 art.1.* Suar. *diſp.86. ſect.3. concl.3.* Henriq. *lib 9. cap.22. n.6.* Layman. *lib.5. ſum tract.5. cap.3. n.4.* Quod ſi ſtipem concedens non poſtulet ſacrificium fieri die quo parochi aliàs aſtringuntur, debent parochi ſtipem recipientes pro eo celebrare illis diebus, quibus, nulla obligatione tenentur: quia hæc præſumenda eſt concedentis voluntas.

PUNCTUM XIV.

De obligatione ſacrificandi ob promiſſionem ſimplicem vel ſtipendium acceptum.

1. *Ex promiſſione ſimplici oriri poteſt obligatio. Regulariter non oritur.*
2. *Ex ſtipendio oritur obligatio ex juſtitia ſacrificandi in favorem illius, qui ſtipendium conceſſit. At omiſſio unius ſacri non eſt cenſenda gravis culpa.*
3. *Accipi poteſt ſtipendium abſque labe ſimoniæ.*
4. *Expenditur quale ſit juſtum ſtipendium unius ſacri.*
5. *Nemini licet plura ſtipendia integra à pluribus accipere & uno ſacrificio facere ſatis.*
6. *An inæqualia ſtipendia accepta poſſis ad æqualitatem reducere, & juxta æqualitatem, ſacrificii numerum exolvere.*
7. *Probabilius eſt non poſſe.*
8. *An hæc obligatio fidelitatis ſit, vel juſtitiæ.*
9. *Si abundantiores ſtipes collegiſti pro Miſſis dicendis, an poſſis aliis minora concedere? Sub diſtinctione reſpondetur.*
10. *Obligatus dicere ſacrum de B. Virgine, de Defunctis, ſatisfacit, ſi celebret Miſſam de feſto eo die occurrente.*
11. *Qualiter pecces, ſi diu differas celebrare.*

1. NOn eſt dubium ex ſimplici promiſſione obligationem ſacrificandi oriri poſſe. Sed an hæc obligatio gravis ſit, pendet ex illa quæſtione, an promiſſio ſimplex gravem obligationem inducat, præcipuè cum acceptata eſt. Verùm poſita ſententia affirmante gravem ex promiſſione ſimplici obligationem oriri, cum materia gravis eſt, adhuc probabilitate non caret ex ſimplici promiſſione facta alicui pro illo celebrandi non oriri gravem obligationem, eo quod regulariter, & communi omnium uſu ſpectato ſic promittentes ſolum ex urbanitate promittant, ſolumque urbanitatis, & honeſtatis obligationem velint contrahere non juſtitiæ, regulariter, nec fidelitatis rigoroſæ, ideoque adimplentes promiſſum à mortali excuſantur, ſicuti benè notavit Suarez *diſp.86. in proœmio.*

2. Ex ſtipendio accepto oriri obligationem ſacrificandi in favorem illius, qui ſtipendium conceſſit, nemo eſt qui ambigat. Sed an hæc obligatio ita gravis ſit, ut ſolùm ob omiſſionem unius ſacri ſub ſtipendio promiſſi pecces mortaliter? non ſatis conſtat. Petr. Navarr. *lib.2. de reſtit. cap.2. dub.7. corol. n.329. in 2. edit.* affirmant eo quod unius ſacri privatione graviter concedens ſtipem defraudetur. Eſt enim ſacrum quolibet pretio temporali æſtimabilius. Item ſi ex voto, vel juramento, vel ex ſuperioris præcepto ſacrum debitum eſſet, nemini eſt dubium illius omiſſionem gravem culpam inducere. Ergo etiam inducit, cum ex ſtipendio debitum eſt. Sed rectius Sanch. *lib.1. de matr. diſp.5. n.25.* contrarium exiſtimat caſu quo ſtipendium datum in materia furti gravem culpam non inducat. Conſentit Fagund. *de primo Eccl. præcept. lib.3. c.8. circa fin. n.11* Non enim gravitas ſacrificii æſtimanda eſt in præſenti ex eo quod ſacrificium quolibet temporali pretio dignius ſit, aliàs cujuſlibet orationis omiſſio gravem culpam induceret, ſed illius gravitas deſumenda eſt ex damno, quod patitur is, cui ſacrificium erat applicandum. At hoc damnum in genere damnorum ſpiritualium, in quibus fieri debet comparatio, grave non eſt, ſiquidem levi ſtipendio redimi poteſt. Neque eſt ſimile de ſacrificio debito ex voto, juramento, vel ſuperioris præcepto. Nam eo caſu gravitas materiæ debitæ deſumitur ex cultu, & honore, qui Deo per ſacrificium exhibetur. Conſtat autem unicum ſacrificium eſſe graviſſimum,

& ſupremum Dei cultum, & honorem. Ergo illius omnis gravem culpam inducit.

3. Poſſe ſacerdotem ſive pauperem, ſive divitem abſque ulla labe ſimoniæ obligare ex juſtitia ad ſacrum faciendum pro intentione illius, qui ſtipem conceſſit, probavimus late *tract. de ſimon. punct. 5. & 11.* Non enim ſtipendium conceditur in pretium fructus ex ſacrificio applicandi, ſed in ſuſtentationem ſacerdotis ſub obligatione ut fructum applicet ſtipendium concedenti. De qua re Jacob. de Graffis *in aureis deciſion. lib. 2. cap. 96. num. 32.* Gutier. *Canon. quæſt. cap. 29. à n. 3.* Henriq. *lib. 9. c. 22.* Suar. *lib 4. de reliq. cap. 14. & 5. p. q. 83. art. 6. diſp. 86. ſect. 1.* Vaſq. *diſp. 234. per totam* Ægid. *eadem q. dub. 10. n. 192.* Zenedo *ad decret. collect. 44. à num. 3.* Barboſa aliis relatis, tum *in remiſſ. Concil. ſeſſ. 22. in princ.* tum *2. p. de poteſt. Epiſc. alleg. 24. num 2.*

4. Sed quale ſtipendium ſit juſtum pro unius ſacri obligatione? non conveniunt Doctores. Plures non infimæ notæ credunt juſtum ſtipendium eſſe, quod integræ ſuſtentationi ſacerdotis pro unico die ſufficiat. Sic Henriq. *lib. 9. ſum cap. 22. numer. 1. & 4 & in comment.* Ægid. de Coninch. *quæſt. 83. art. 1. dub. 10. circa finem.* Petr. Navar. aliis relatis *lib. 2. de reſtit. cap. 2. num. 315. & num. 320.* addit conſuetudine, & lege poſitiva contrarium ſtatui non poſſe. Quod ſi roges quæ ſub nomine ſtrictæ ſuſtentationis intelligantur? Reſpondet Navarra, ubi ſupra non ſolum victum, ſed & veſtitum tam proprium, quam ſuæ familiæ, hoc eſt illi neceſſariò ſervientium intelligi debere. Henriquez extendit ad victum, & veſtitum cognatorum, quos ſacerdos alere obligatur. Moventur ii Doctores, quia altari ſerviens de altari vivere debes, juxta Apoſtolum, relatum *in cap. cum ſecundum de Præbendis.* Cùm ergo ſingulis diebus unico tantùm ſacrificio altari inſervire poſſis, ob illud ſacrificium eo die ſuſtentari debes. Neque obſtat te poſſe aliis ſacerdotalibus muneribus eo die vacare, ſcilicet prædicationi, horarum recitationi, ſacramentorum adminiſtrationi, quia hæc ſacerdoti per accidens contingunt, neque ſunt illius proprium & ſpeciale munus, munus enim ſacerdotis proprium & præcipuum eſt ſacrificium offerre juxta Paul. *ad Hebr. 5.* Ergo ex hoc officio illius ſuſtentatio præcipuè petenda eſt.

Cæterùm omnino tenendum eſt juſtum unius Miſſæ ſtipendium non eſſe ex quantitate neceſſaria ad quotidianum victum deſumendum, ſed ex quantitate laboris impenſi in favorem illius qui ſtipem conceſſit. Cum ergo ſemihoræ labor, & occupatio ſufficienter tertia parte ſuſtentationis illius diei compenſari videatur, nullatenus integra illius diei ſuſtentatio expoſtulari poteſt. Quod optimè confirmatur tum ex communi uſu, & æſtimatione fidelium, & plurium diœceſum legibus taxantibus ſtipem congruæ unius diei ſuſtentationi inſufficientem, quæ leges, & conſuetudines non ſunt dicendæ injuſtæ. Tum ex eo quod pro Miſſa ſolemni abundantior ſtipes exigitur, quàm pro privata, & pro Miſſa tali tempore, & hora recipienda, quam pro Miſſa illis circunſtantiis carente, & pro duabus Miſſis una die recitatis, quàm pro unica, quod licitum non eſſet, ſi pro qualibet Miſſa integra illius diei ſuſtentatio concedi deberet. Neque obſtat proprium ſacerdotis munus eſſe ſacrificium offerre, inde enim ſolùm infertur præcipuum illius diei ſuſtentationem ob ſacrificium colligendam eſſe, at nullatenus infertur adæquatam colligi debere: cum plura alia ſint munera ſacerdotis, ex quibus ſuſtentatio peti poteſt. Quod ſi occaſio ea munera exercendi non ſe offert; non ideo petens Miſſam defectum ſupplere debet, aliàs ſi à ſacrificando impeditus eſſet ſacerdos, vel ſi eſſet expeditus non inveniret qui ſacrificium conceſſa ſtipe expoſtularet poſſet ab eo cui pœnitentiæ, vel Euchariſtiæ ſacramentum miniſtrat, ſuſtentationem illius diei integram, exigere, quod nemo concedet. Signum ergo eſt ſacerdotem altari ſervientem de altari vivere debere pro quantitate obſequii impenſi, ac proinde non integrum unius diei victum pro uno ſacrificio expoſtulare, poſſe ſed ad ſummum partem illius præcipuam. Sic docent Navar. *ſum. cap. 25. numer. 92.* Suar. *diſput. 86. ſect. 2.* Vaſq. *diſput. 234. cap. 3. à num. 18.* Layman. *lib. 5. ſum. tract. 5. cap. 1. quæſt. 2.* Rodrig. *tract. 1. quæſt. regul. quæſt. 43. art. 17.* Cordub. *lib. 1. quæſt. 4.* Bonac. *diſp. 4. de ſacram. quæſt. ult.*

Quod ſi urgeas, quæ pars ſuſtentationis juſtum ſtipendium cenſeatur pro unius diei ſacrificio? Dicendum eſt ex lege Pontificia, vel Epiſcopali; vel ex communi hominum exiſtimatione deſumendum eſſe. Etenim ſicut Princeps poteſt pretia rerum taxare: ſic Pontifex, & Epiſcopus taxare poterit quantitatem juſtam pro unius ſacrificii oblatione: de vero taxatione ceſſante non ex cujuſlibet ſingulari arbitrio taxatio juſta deſumenda, ſed ex communi hominum æſtimatione, ſicut in rebus venalibus contingit. Atque ita tradunt Vaſq. *diſp. 234. cap. 1. num 5. & cap. 3. num. 18.* Suar. Layman, & Navarr. *ſupra.* Barboſa, *1. p. de poteſt. Epiſc. alleg. 24. num. 2.* ubi plures refert. Nunquam tamen ſtipendium ita taxari poteſt, quia abundantius concedi poſſit à petentibus ſacrificium, & minus admitti poſſit à ſacrificantibus, ut bene probat Vaſq. *diſp. 234. cap. 1. num 6,* Suar. *diſp. 86. ſect. 2. concl. 1.* Mirand. *in manual. Prælat. t. 1. quæſt 41. art. 23.* Barb. *2. part. de poteſt. Epiſc. alleg. 24. num. 8.* Lex enim, & conſuetudo taxans ſtipendium obligat illud concedentes, ne minori ſtipendio velint ſacrificium exigere, & ſacerdotes ne abundantius taxato exigant, non tamen prohibet, nec prohibere regulariter poteſt uſum, & exercitium liberalitatis tam ex parte concedentium ſtipendium, quàm ex parte ſacerdotum celebrantium, ac proinde non prohibet, quin petentes ſacrificium concedant abundantius ſtipendium quam taxatum eſt, & celebrantes minori eſſe poſſint contenti.

5. Nemini tamen licitum eſt ab eodem, vel à pluribus plura juſta ſtipendia exigere, & unico ſacrificio ſatisfacere, ſicuti benè colligunt Vaſq. Suar. Layman. Bonac. Barboſa, & alii *ſupra.* Nam eſto ſacrificium pluribus applicatum æquè proſit ſingulis, ac ſi ſingulis applicetur: at ſtipendium non conceditur in pretium fructus applicandi, ſed in ſuſtentationem ſacerdotis, qui fructum applicare debet. Accipiens ab uno æquam, & juſtam pro unico ſacrificio ſuſtentationem, immeritò ab alio pro eodem ſacrificio ſuſtentationem expoſtulat ut benè Vaſq. Suar. Barboſ. Laym. Bonac. *ſupra.*

6. Difficultas ergo ſolum; an ſi ab uno, vel à pluribus accipias plura inæqualia ſtipendia pro Miſſa celebranda, poſſis ea ſtipendia ad æqualitatem reducere, & pro menſura juſti ſtipendii plures, vel pauciores Miſſas celebrare? V. g. Ponamus juſtum ſtipendium, quo ſacerdote invito minus dari non poteſt, neque abundantius exigi, eſſe numum argenteum Hiſpanicè *un real*, tradis dimidium, & poſtulas ſacrificium, poteritne ſacerdos dimidiatè tibi ſacrificium applicare, alteri concedenti dimidium regalis ſacrificium ſimul applicando? Affirmat Corduba *lib. 1. quæſt. quæſt. 4.* Azor. *3. p. ſum. lib. 12. cap. 6. q. 3.* Vaſq. *diſp. 234. cap. 3. n. 18.* Suar. *diſp. 86. ſect. 4.* cum aliis *poſt med.* Petr. Navar. *l b. 2. de reſtit. cap. 2. dub. 7. à n. 309. in 2. edit.* Henriq. *lib. 9. cap. 22. n. 4.* & probabile reputat Layman. *lib. 5. ſum. tract. 5. cap. 1. n. 13.* Ratio eſt quia inique petitur ſacrificium integrè offerre ſtipendio dimidiato conceſſo. Ergo ſacerdos dimidiatum ſacrificium offerens nullam injuſtitiam committit, ſed potius ſe indemnem ſervat, ſtipendium ad

æqualitatem reducens. Quis enim damnaret servum, cui justum pro famulatu est stipendium à Domino non conceditur, si se indemnem servet, & qua potuerit via damnum sibi factum resarciat. Neque obstat quod accipiens stipendium dimidiatum, tacitè, vel expressè promiserit integrè Missam applicare paupertate coactus, quia illa promissio nulla est, utpote inhærens injustitiæ, & inæqualitati stipendii, neque ex libera voluntate promittentis nascitur, sed ex necessitate, eo quod nullus alius invenitur, qui integro stipendio sacrificium expostulet.

7. Cæterum etsi supradicta sententia probabilis sit, probabiliorem existimo affirmantem sic accipientem stipendium obligatum esse sacrificium integrè offerre in favorem illius, qui dimidiatum stipendium concessit. Sic docuit Ægid. de Coninch. *q.*85. *art.*1. *dub.*9. *num.*195. Bonac. alios referens *disp.*4. *de sacram. q.ult. p.*7. §. 2. *sub n.*8. Ratio ea est, quia offerens stipendium infra taxam, petensque sacrificium sibi integrè applicari, intendit ut sacerdos eam partem remittat; quæ justo stipendio deficit, & ratione illius inæqualis stipendii obligetur ad sacrificium integrè offerendum. Ergo sacerdos acceptans illud stipendium censetur tum inæqualitatem remittere, tum se obligari velle ad sacrificium integrè offerendum virtute dimidiati stipendii. Antecedens manifestum videtur: si enim postulare potes à sacerdote, ut tibi integrè sacrificium applicaret nullo stipendio concesso, à fortiori petere potes sacrificium concesso dimidiato stipendio: nulla enim injustitia in hac petitione apparet, siquidem sacerdos facili negotio repellere petitionem potest. Ergo admittens illam contentus esse censetur illo dimidiato stipendio, & obligatus sacrificium integrè offerre.

8. An verò obligetur solum ex fidelitate ob promissionem simplicem, an etiam ex justitia virtute stipendii accepti? Difficultate non caret. Suar. *dicta disp.*86. *sect.*4 *post. med.* negat etiam facta expressa promissione obligari ex justitia, sed solum ex fidelitate, quia virtute stipendii, cum sit inæquale, obligari non potest. Sed verius existimo obligatum esse ex justitia, quia esto sacerdos liberaliter procedat in remittenda parte justi stipendii, & promissione facienda de sacrificio integrè applicando ob dimidiatum stipendium, ea remissione & promissione posita, obligatio applicandi sacrificium non ex promissione, sed ex stipendio aliàs inæquali liberaliter accepto nascitur, etenim concedens illud stipendium nullatenus concederet, nisi sub obligatione sacrificii integrè offerendi. Tenetur ergo sacerdos integre sacrificium in illius favorem offerre eo ipso quo illud acceptat.

9. Sed quid dicendum si abundantiora stipendia accepisti pro Missis dicendis, poterisne aliis sacerdotibus justum stipendium infimum concedere reservato tibi residuo? Negat Major. *in* 4. *dist.*45. *q.*2. *dub.*3. quem sequitur Navar. *sum. cap.*25. *num.*91. Cordub. *lib.*1. *q.*4. *dub.*5. Sub hac tamen limitatione, ne scilicet ex officio habeas stipendia pro Missis dicendis colligere, & aliis distribuere. Probant primò, quia voluntas concedendi stipedium est, ut integrè celebrandi concedatur. Tum quia in sustentationem celebrantis conceditur. Tum quia juxta quantitatem stipendii fructus sacrificii communicatur. Secundò nullus apparet titulus ob quem justè residuum stipendii retinere possis, non quia ab aliis sacrificia celebranda petis, huic enim petitioni levissimo stipendio fit satis; neque ex eo quod tibi à dante stipendium concedatur, ut probatum est. Ergo, &c. Tertiò videtur esse quædam lucri turpis acquisitio, & in spiritualibus negotiatio per se indecentiam continens & avaritiam redolens.

Cæterùm distinctione opus est, & certa ab incertis separanda. Primò certum est, sicuti tradit. Navarr. & Cordub. aliique referendi, colligentem stipendia pro Missis dicendis, sive laïcus sit, sive clericus, accipere posse stipendium, quod sibi pro hujusmodi labore fuerit designatum, vel aliàs fuerit justum, quia dignus est operarius mercede sua.

Secundò certum esse debet parochum, seu capellanum, qui ratione beneficii, vel capellaniæ ad plura sacra dicenda astringuntur, posse stipendio justo aliis concesso huic obligationi satisfacere reservantes sibi residuum. Sic post alios Suar. *disp.*86. *sect.*3. *circa fin.* Eman. Saà, *verbo Missa num.*45. Vasq. *disp.*234. *post med.* Layman. *lib.*5. *sum. tract.*5. *cap.*1. *quæst.*3. *concl.*1. Barbos. 2. *p. de potest. Episc. alleg.*24. *num.*11. Bonac. *disp.*4. *de sacram. q ult p.*8. *n.*18. Ratio est manifesta: quia fundatori capellaniæ, & beneficii nulla fit injuria, cum æquè illi profit sacrificium à capellano, seu beneficiato celebratum, ac celebratum à quolibet alio sacerdote. Ex alia parte capellanus, & beneficiatus titulo capellaniæ, & beneficii constituuntur domini fructuum, & reddituum sub obligatione dicendi sacra. Ergo satisfacientes huic obligationi, ut verè per alios sacerdotes satisfacere possunt, justum stipendium illis concedentes poterunt residuum sibi retinere, & ita usus, & praxis obtinuit, Tertiò probabilius est, si tibi abundantiora stipendia concessa sunt pro Missis à te celebrandis, posse licitè huic obligationi satisfacere mediis aliis sacerdotibus, quibus minus stipendium, sed justum concedis. Sic docuit aliis relatis Suar. Barbosa, Vasquez Eman. Saà, Bonac. *locis allegatis.* Ratio est, quia celebrantibus nullam injuriam, cum justum celebrationis stipendium tribuas; abundantius concedere non teneris, quia non tibi sub hac obligatione concessum est. Unde enim hæc obligatio, & intentio donantis constat, potius enim constat tibi absolutè esse concessum sub obligatione celebrandi per te, vel per alium. Si enim alii sacerdotes tuo nomine gratis celebrari velint nemini est dubium te integrum stipendium acceptum retinere posse. Ergo etiam retinere poteris, cum celebrant justo, sed infimo stipendio dato. Prædictum namque stipendium non retines ex donatione sacerdotum celebrantium, sed ex donatione illorum qui Missas à te petierunt: ipsi enim sacerdotes non donant tibi stipendium, sed te liberant ab obligatione quam habes celebrandi virtute stipendii accepti.

Notanter dixi pro Missis à te celebrandis: nam si stipendia tibi concedantur non ut tu celebres, sed ut aliis sacerdotibus celebrantibus tradas, nequaquam poteris (secluso speciali consuetudine, & voluntate expressa concedentis) aliquam partem stipendii retinere, quia retineres contra voluntatem concedentis; cùm non tibi tradatur, ut retineas, sed ut celebrantibus dones, injuriamque celebrantibus facis donans stipem infimam etsi justam, cum abundantior illis fuerit legata. Et tradunt Suar. Vasq. Barbos. Eman. Saà, & Layman. ubi suprà. Cognoscere autem quando tibi traditur stipendium absolutè, quando uti curatori & dispensatori, non est difficile. Si enim impeditus es celebrare in favorem illius qui stipem tradit, vel quia laicus es, vel quia esto si sacerdos, ex instituto ob stipendium celebrare non potes, sicuti Religiosi nostræ Societatis, manifestum est non tibi stipendium tradi ut illius sis dominus, sed ut illius sis dispensator, & distributor, neque ullam illius partem retinere potes, quæ à celebrantibus non fuerit concessa. Excipe nisi in aliquo casu donans stipendium expressè declaraverit tibi velle illius dominium concedi, sub obligatione tamen quærendi sacerdotes, qui obligationi celebrandi satisfacerent. Nihil enim huic voluntati obstare potest, si capax existas dominii pecuniæ traditæ. Cæterum etsi in rigore vera sint,

consul

consultum tamen est ab hac lucri cupiditate abstinere, sicuti benè inter alios monent Suar. & Bonac. *suprà.*

Argumenta in contrarium ex proximè dictis dissolvuntur. Ad primum nego voluntatem dantis tibi stipendium esse, ut celebranti semper concedatur: Id enim solum est, quando tibi traditur stipendium, ut celebrare facias, secus quando traditur, ut tu celebres. Et ad probationem, respondeo stipendium concedi in subsidium vitæ celebrantis per se, vel per alium, sicuti contingit in fructibus beneficii, vel capellaniæ. Ad secundam probationem nego diminui sacrificii fructum ex eo quod minore stipe concessa peragatur, sicuti non diminueretur, tametsi gratis fieret. Nam ut benè tradit Vasq. *dicta disp.234. cap.4. in fine.* fructus sacrificii, correspondet donanti stipem pro quantitate stipis primo concessæ, & affectu quem tunc ad sacrificium habuit. Ad secundum respondeo illam partem stipis te retinere titulo donationis oneroſæ. Tertium probat hanc stipendii retentionem non esse consulendam, quinimo censerem lege, & præcepto prohiberi debere, maximè cum eo animo accipitur, ut minori aliis concesso partem retineas.

10. Rursus dubitabis, an obligatus titulo stipendii, vel capellaniæ legere Missam de defunctis, vel de B. Virgine satisfacias si Missam celebres de festo eo die occurrente?

Negat Layman. *lib.5. sum. tract.5. cap.1. q.5.* quamvis non declaret, an peccatum mortale, an veniale committas. Movetur, quia voluntatem rationabilem fundantis capellaniam, vel stipendium concedentis exequi debes, at illa voluntas est rationabilis, ut suppono, siquidem ex aliqua honesta causa Missa de defunctis, vel de Beata Virgine eo die expostulatur, neque ea voluntas adversatur ritibus, & cæremoniis ab Ecclesia præscriptis, quippe Ecclesia permittit omnibus diebus, qui solemnitate duplici occupati non fuerint, Missas votivas celebrare. Ex alia parte negari non potest ea Missa petita ob specialem petentis affectum, & ob particulares preces, & orationes aptiorem esse ad impedimentum, ne quis ergo alia diversa missa satisfacere.

Nihilominus dicendum est te integrè satisfacere, si Missam de festo etiam simplici eo die ocurrente celebres omissa votiva petita. Quia decentius est te universali Ecclesiæ præscripto in celebratione conformare, quam ob voluntatem petentis privilegio, & permissione uti. Ad rationem oppositam respondeo, voluntatem rationabilem fundatoris capellaniæ, & concedentis stipendium exequendam esse, nisi executione alterius voluntatis superioris compensetur, sicuti compensatur executione voluntatis Ecclesiæ præscribentis eo die Missam de festo celebrari. Et quamvis illæ preces & orationes Missæ votivæ expostulatæ per se aptiores sint ad finem optatum impetrandum, at ea aptitudo sufficienter compensatur orationibus & precibus ob præscriptum Ecclesiæ factis, ex hac enim conformitate novam vim impetrandi obtinent, ob quam æquivalere possunt precibus, & orationibus petitis. Item devotione, & intercessione speciali illius Sancti. Atque ita sustinent Navar. *c.25. num.134.* Henriq. *lib.9. cap.23. num.6.* Azor. *1. p. lib.10. cap.32. q.5.* Eman. Saà, *verbo Missa, num.48.* Suar. *disp.83. sect.3. in med.* Mirand. *man. Prælat. t.1. q.22. art.21. concl.2.* Barbos. alios plures referens, *2. p. de potest, Episc. alleg.24. numer.32.* Bonac. *disp.4. q.ult. p.7. §.3. n.4.*

Si autem dies ferialis sit, & Missam illius diei celebres omissa votiva expostulata, vix credo (secluso scandalo) venialiter peccatorum, æquè enim militant in hoc casu superiores rationes adductæ: ut facilè eas expendenti constare potest. Ideoque Suarez *dicta disp.83. sect.3. vers. in quo est*, absolutè dixit: Quando aliquis ob stipendium, vel capellaniæ institutionem, vel ob aliam similem causam obligatur ad specialem Missam dicendam, decet si commodè potest præscriptam obligationem implere, quamvis, si absque scandalo id omittat ut Missalis ordinem servet, non peccabit, imo si propter solemne festum id faciat, melius faciet. Et Panormit. *in cap. quidam Laicorum de celebrat. Missar.* inquit celebranda est Missa de eo de quo fit officium, neque ad instantiam Laicorum dimittenda propria propter peculiares ex devotione. Adde te tantùm obligatum esse sacrificii fructum offerre in favorem illius, qui contulit stipendium, quatenus personam Christi geris, nam quatenus ut persona singularis offers, fructum illius applicare potes cui malueris, quatenus vero Ecclesiæ minister es constitutus, non tibi licet ab intentione & applicatione Ecclesiæ discedere; at fructus sacrificii in Christi persona oblati ex parte sacrificii idem in omnibus est, solumque pro majore, vel minore dispositione illorum quibus applicatur, augetur vel minuitur. Ergo quolibet sacrificio quoad præcipuam obligationem videris integrè satisfacere.

11. Ad extremum inquires, an pecces mortaliter, si diu differas sacrificia offerre in favorem illorum, quibus es obligatus? Affirmativa responsio certissima est. Si enim mora in debitis temporalibus solvendis peccatum mortale constituit, cur non in solvendis spiritualibus debitis, quæ tanto utiliora sunt, quanto excellentiora? Præterea ob hujusmodi dilationem non leve damnum provenit, ut rectè Petrus Navarra statim citandus, si sacrificia postulata sunt ad impetrandum tum salutem animæ, & corporis, tum pacem inter discordes, tum alium fælicem eventum, sæpè ob non celebrata suo tempore sacrificia perit impetratio. Si autem in satisfactionem animarum purgatorii fuerint sacrificia postulata, ex se constat quàm grave damnum animabus purgatorii proveniat ex hac dilatione: siquidem diu illis flammis acerbissimis cruciantur alioquin cito liberandæ. Est igitur dilatio sacrificiorum debitorum gravis culpa. Sic Sylvest. *verbo Missa. quæst.10. in fine.* Petr. Navarra, *lib.2. de restit. cap.21. num.250. in 2. edit.* Layman. *libr.5. sum. tract.5. cap.1. quæst.4.* Quæ autem dilatio diuturna judicanda sit arbitrio prudentis decidenda est ut dixit Navarra, suprà. Hoc autem arbitrium ex fine, ad quem obtinendum sacrificia postulantur, colligendum est. Si enim præcipuè ad impetrandum aliquem effectum postulantur sacrificia, non est dubium te gravem culpam committere, si intra tempus impetrationi aptum sacrificia non celebres, illudis enim postulantis intentionem. Si vero in satisfactionem animarum Purgatorii fuerint sacrificia præcipuè postulata, unius mensis dilationem satis gravem esse censerem. Et idem credo dicendum, si pro impetranda libertate alicujus gravis molestiæ, infirmitatis, & laboris postulata sacrificia fuerint: forte enim ob dilationem sacrificiorum pœnæ continuantur, quæ alioquin cessarent.

Punctum XV.

Qualiter Pontifex Episcopus, & Religionum Prælati, & Regis consiliarii stipendia taxare possint, & juxta eam taxationem Missarum numerum diminuere.

1. *Proponitur dubitandi ratio.*
2. *Pontifex ex rationabili causa Missarum numerum diminuere potest.*
3. *Explicatur privilegium Minoribus concessum.*
4. *Episcopus benè potest spectato communi jure Missas ad minorem numerum reducere. At spectato Trident. jure, sola anniversaria, & in Synodo diœcesana.*

5. *Guber.*

5. Gubernatoribus civitatum aliqui facultatem concedunt.
6. Verius eſt oppoſitum.
7. Fit ſatis oppoſitis fundamentis.

1. COntingit ſæpè Miſſas dicendas ex obligatione anniverſarii, capellaniæ, beneficii, teſtamenti, imo ſtipendii ad minorem numerum reduci: inquirimus ergo qua ratione hoc ſit penes Pontificem, Epiſcopum & religionum Prælatos? Ratio dubitandi eſt, nam ſi congrua ſtipes aſſignata ſit, non videtur poſſe Pontificem abundantiorem deſignare: ipſe enim non eſt dominus bonorum temporalium fidelium, ſed ad ſummum diſpenſator ex rationabili cauſa. At nulla rationabilis apparet deſignandi abundantiorem ſtipem, & juxta illam deſignationem numerum Miſſarum minuendi, cum juſta ſtipes fuerit deſignata, potius enim rationi congruit pias fidelium voluntates integrè executioni mandari, ſiquidem hac via excitantur fideles ad nova legata Eccleſiæ relinquenda, credentes integrè ſemper eſſe obſervanda. Econtra vero non leviter arcentur.

2. Cæterùm poſſe Pontificem ex rationabili cauſa ad minorem numerum Miſſas beneficii, capellaniæ, anniverſarii, & teſtamenti &c. reducere, & abundantius ſtipendium eo quo taxatæ ſunt, deſignare conſtans eſt omnium ſententia. Etenim Pontifici, ut ſupremo Eccleſiæ gubernatori, & bonorum ſpiritualium diſpenſatori convenit pro qualitate temporum, perſonarum, & circunſtantiarum determinare, & declarare quod ſit juſtum Miſſarum ſtipendium. Atque adeò ſtipendium, quod uno tempore juſtum fuit ſucceſſu temporis, & maximè accedente Superioris taxatione injuſtum, & inæquale eſſe poteſt. Quod ſi aliquando Pontifex ob paupertatem ſacerdotis, vel ob aliam cauſam, quæ ſibi rationabilis fuerit, abundantius ſtipendium, quam aliàs æquitas, & juſtitia poſtulat, deſignet, & Miſſas ad minorem numerum reducat, credendum eſt ex theſauro Eccleſiæ offerre, & applicare quidquid virtute ſacrificiorum alioquin debitorum obtinendum eſſet, ut benè ex communi ſententia advertit Suar. *diſp.87. in fine.* Henriq *lib.9. cap.22.*

3. Ex his infertur intellectus ad privilegium conceſſum à Leone X. Minoribus, & à Sixto IV. *in comp. Mendicant, verbo communicatio.* §. 2. ubi affirmatur poſſe Abbatem, ſeu Rectorem collegii, & conventus ad minorem numerum Miſſas dicendas reducere, unâque Miſſâ pluribus obligationibus ſatisfacere. Hæc tamen reductio jam fieri non poteſt à Prælatis Ordinum Mendicantium, niſi in capitulis Provincialibus, ſeu congregationibus generalibus juxta Trident. *ſeſſ.25. cap.4. de reformat.* idque cauſa legitima intercedente, ut benè notavit Man. Rodrig. *tom.1. quæſt. regular. quæſt.43. art.13.* Aliàs ea reductio non cedet in Dei honorem, & cultum, & Eccleſiarum utilitatem, ſicuti monet Concilium. Cauſa autem legitima reductionis eſt, ſi numerus religioſorum fuerit diminutus, aut redditus Monaſterii extenuati, vel impenſæ majores fiunt. Sic relatis Azor. *3. p. lib.12. cap.6. quæſt.5.* Fraxinell. *de obligat. face dot ſect.7. § 5. num.3.* docet Barboſa *2. p. de poteſt. Epiſc. alleg.29. num.3.* Neque obſtat hac reductione privari defunctos fructu ſacrificiorum alioqui debitorum, quia id eſt per accidens, cum eorum voluntas moraliter impleri non poſſit: præterquam quod credendum eſt (ut inquit Henriq. *dicto cap.22.*) fructum ex ſacrificiis applicandum compenſari communicatione indulgentiarum, & gratiarum, quæ illi religioni, vel conventui ſunt conceſſæ, quæque confratribus, & benefactoribus conceduntur, Pontificémque ex theſauro Eccleſiæ intentionem habere applicandi quidquid ad ſupplendum prædictum fructum neceſſarium fuerit.

4. Epiſcopus vero jure communi ſpectato poteſt rationabili cauſa intercedente Miſſas tum anniverſarii, tum capellaniæ, tum beneficii ad minorem numerum reducere neque ad eam reductionem Synodi diœceſanæ conſilio indiget: uti latius dixi *tract. de benefic. diſp.1. punct.6. numer.24.* Non enim Concilium *ſeſſ 25. cap.4. de reformat.* poteſtatem Epiſcoporum reſtrinxit, ſed inſtruit quid congruentius faciendum ſit, & in Miſſis capellaniæ, & beneficii docuit præter ibi allegatos Barboſa *2. p. de poteſt. Epiſcop. alleg.29. in fine.* Fateor tamen ex poteſtate à Trident. conceſſa non poſſe Epiſcopum Miſſas in fundatione beneficii ſeu capellaniæ ad minorem numerum reducere, benè tamen ex poteſtate juris communis. *Argum. c. cum acceſſiſſent, c. ex parte de conſtit.* Quia Trid. ſolùm de numero Miſſarum in anniverſariis relictos loquitur, non de Miſſis, quæ ex fundatione beneficii, vel capellaniæ habentur. Unde ſi Tridentini poteſtate uti Epiſcopus vellet in Miſſarum reductione, ſolas Miſſas anniverſariorum reducere poſſet; eamque reductionem neceſſario facere deberet in Synodo diœceſana, Sic pluribus firmant. Bonac. *diſp.ut.4. de ſacram. q.ult. punct.7. n.10.* Barboſa *2. p. de poteſt. Epiſc. alleg 29. n.10.* adverſus Henriq. *lib.9. c.22. n.6.* Mirand. *Man. Prælat. t.1. q.41. art.12.*

Sed an poteſtas à Trident. conceſſa tum Epiſcopis, tum religionum Prælatis extendatur ad anniverſaria poſt Trident. Affirmat Poſſevin. *lib.2. n.25. quæſt.9.* Mirand. *Man. Prælat. t.1. q 41. art.12.* Garcia *de benefic.7. p. cap.1. n.132.* Et moventur, quia Concilium generaliter loquitur, & diſpoſitio æquè neceſſaria eſt pro anniverſariis poſt Concilium ac ante Concilium relictis, & praxis ita obtinuit. Contrarium docent graviſſimi Doctores, quos referunt, & ſequuntur Bonac. *diſp.4. de ſacram. q.ult. punct.7. §.2. num.11.* Barboſa *allegat.29. n.5.* teſtantutque ſic à ſacra Congregatione deciſum eſſe. Sed credendum eſt (ut inquit Garcia) deciſionem ſingularem fuiſſe, vel conſuetudine contraria eſſe abrogatam.

Monet tamen Trident. *dicta ſeſſ.25. cap.4. in fine*, reductione Miſſarum facta ab Epiſcopo, ſeu religionum Prælatis ut eorum defunctorum, qui pro ſuarum animarum ſalute legata, & ad pios uſus reliquerunt ſemper commemoratio fiat, hoc eſt quoties jure reductionis celebrari contigerit: ſitque ſatis huic commemorationi, ſi per collectas, vel preces quæ in ſecundo Memento offeruntur, Miſſas pro illis defunctis applicet. Sic ex Congregat. Cardinal. teſtatur Barboſa *in remiſſion. Concil. dict. cap.4. in fine.*

5. Sed quid dicendum de gubernatoribus civitatum, Regiiſque conſiliariis, an ipſi poſſint Miſſas in teſtamentis, & in capellæ ſæcularis fundatione relictas ad minorem numerum reducere? Affirmant Fagund. *de primo Eccleſ. præcepto, lib.3. cap.7. n.16. & 17.* Movetur primo, quia hujuſmodi capellæ & anniverſaria fuerunt à ſæcularibus perſonis, & de bonis ſæcularibus fundata. Ergo tam ratione fundatorum, quam bonorum regiæ juriſdictioni ſubjiciuntur. Ergo Regi, ejuſque miniſtris pertinet ea gubernare. Secundò ad Regem, regioſque miniſtros pertinet procurare, ut ſubditorum ultimæ voluntates ad executionem juſtè, & rationabiliter deducantur, at nequeunt ſic deduci, niſi Miſſæ ad minorem numerum redigantur, & ſtipendium abundantius taxetur. Tertiò Rex, ejuſque miniſtri poſſunt diſpoſitiones ſuorum ſubditorum, quæ ſucceſſu temporis injuſtæ ſunt redditæ, ad æqualitatem juſtitiæ reformare. Quid enim obſtat huic reformationi, cum poſſit Rex legem concedere ne ullus ſacerdos obligetur Miſſam dicere abſque ſtipendio, quod ab Eccleſia cenſetur legitimum. Quartò proviſores regii jus habent (ex privilegio) ut creditur (à ſede Apoſtolica conceſſo) examinandi teſtamenta, & teſtamentorum rationes

ſumen

sumendi, procurandique ut justè, & rationabiliter, & cum utilitate defunctorum observentur. At observari hæc nequeunt, nisi leges, & dispositiones Missarum ad justum numerum reducant. Possunt ergo reducere, quippe quibus est potestas ad principale concessa, censetur concessa ad accessorium.

6. Nihilominus verius censeo nec Regem, neque ejus ministros se intromittere posse in taxatione justi stipendii pro Missis celebrandis, neque in redigendo numerum Missarum capellaniæ, & anniversarii secundùm eam taxationem. Quid enim magis gubernationi Ecclesiæ convenit, quam designare sacerdotibus debitam sustentationem, quatenus officio sacerdotis funguntur? quippe hæc potestas spiritualis est: tum quia respicit rem summè spiritualem, qualis est sacrificium. Tum quia versatur circa personas Ecclesiæ præcipuas, quales sunt sacerdotes, quibus stipendium ob sacrificii celebrationem designatur, ideóque Trident. *sess.* 25. *cap.* 4. solum Episcopis, & Prælatis religionum hanc potestatem taxandi Missarum stipendium, Missasque ad justum numerum reducendi concessit, nullúsque alius Doctor sæcularibus potestatibus eam taxationem, & reductionem remisit: gratis ergo, & absque fundamento illis conceditur.

7. Rationes autem, quibus Fagundez motus est, leviſſimæ sunt. Ad primam concedo ex bonis sæcularibus, & à personis sæcularibus anniversaria fundata esse, capellas erectas; nego tamen inde inferri bonorum illorum dispositionem sæculari potestati subjici; alias ferè omnia beneficia sæculari potestati subjicerentur, cum ex bonis sæcularibus, & à personis sæcularibus fuerint fundata. Ad hanc enim subjectionem parum refert unde, & à quibus personis fundata sint, si semel concedamus in potestatem Ecclesiæ bona illa esse translata, ut necessariò concedendum est. Ad secundam concedo, ad Regem regióſque ministros pertinere procurare, ut ultimæ voluntates suorum subditorum justè & rationabiliter executioni mandentur: concedo item non posse id procurare, nisi semel procurent stipendium pro Missis celebrandis designatum denuò taxari, eásque Missas ad minorem numerum reduci: at nego eam taxationem & reductionem ipsos facere posse: sed solum procurare debent, ut si legitimis superioribus fiat. Etenim sicut non possunt per se ipsos compellere sacerdotes, ut executioni mandent ultimas voluntates, quæ justæ, & rationabiles judicatæ sunt sic minus compellere poterunt, cum irrationabiles, & injustæ præsumuntur. Adde authenticè decidere quæ sit rationabilis, & injusta voluntas in designando Missarum stipendia ad eam potestatem pertinet, cui pertinet stipendii designatio. At constat hanc designationem soli Ecclesiasticæ potestati competere. Ergo sæculari potestati nec taxatio justi stipendii, nec Missarum numeri diminutio competere potest. Ex his constat solutio tertiæ rationis. Nam esto Rex concedere legem possit, ne sacerdotes ad Missas dicendas obligentur à sæcularibus nisi concesso stipendio quod ab Ecclesia justum fuerit indicatum; at judicare authenticè in casu dubio quod stipendium justum ab Ecclesia censeatur, non regi sed Ecclesiæ ejusque Prælatis competit. Sed demus stipendia in anniversariis, & capellaniis designata evidenter esse minora infimo justo, eo casu sacerdos, cui onus celebrandi titulo capellaniæ, vel aniversarii obligatione susceptа competit, non authoritate sæcularis potestatis, quæ nulla est, sed propria ex jure quod habet se indemnem servando, Missas ad minorem numerum reducere poterit juxta probabilem sententiam *punct.* 14. relatam. Quod sanè permitterem casu quod adire non posset Ordinarium, qui stipendium taxaret, & Missas ad minorem numerum reduceret. Sed quia hoc moraliter contingere non potest, ideò censeo capellanum, dum capellaniam retinet, neque Ordinarium adit, qui numerum Missarum diminuat obligatum esse, integrè prædicto oneri satisfacere, quia voluntariè eam obligationem subit capellaniam retinens, & Ordinarium non adiens. Ad quartum. Admittamus gratis rationes testamentorum apud regios ministros dari posse; Huic tamen potestati accessorium non est stipendia Missarum taxare, & illarum numerum à testatore præscriptum minuere, sed solùm est accessorium eam stipendii taxationem, & Missarum diminutionem ab Episcopo faciendam procurare, aliàs qui ex testatoris dispositione rationes capellaniæ sumeret, potestatem haberet ea stipendia taxandi, & Missas diminuendi, quod consuetudini, praxique receptæ contrarium est.

Punctum XVI.

De præcepto audiendi Sacrum festis diebus.

1. *Quæ sit materia hujus præcepti.*
2. *Explicatur præsentia humana.*
3. *Qualiter vagatio mentis hanc præsentiam impediat.*
4. *Satisfacis præcepto fundens orationes sive voluntarias, sive obligatorias.*
5. *Integro sacrificio assistere debes, neque potes absque gravi culpa notabilem partem omittere.*
6. *Quæ sit notabilis pars maximè post incœptum Canonem.*
7. *Quid si recedas à sacrificio, ut necessaria deferas.*
8. *Posse ab uno sacerdote dimidiam Missam, & postmodum ab alio aliam dimidiam audiri, firmant communiter Doctores.*
9. *Extenditur à* Bonac. *esto simul contingat. Sed displicet extensio.*
10. *Hoc præceptum quibus diebus fideles astringat.*
11. *Quas personas.*
12. *Quo in loco.*
13. *Quid de licentia quam Ordinarii concedere solent celebrandi in privatis Oratoriis sub obligatione, ne extranei Missæ præcepto satisfaciant.*
14. *Ob periculum Missa omittenda sæpè contingit peccatum mortale.*

1. MAteriam hujus præcepti esse præsentiam humanam & religiosam sacrificio Dominicis, & festis diebus peragendo constat *ex cap. missas, cap omnes fideles de consecrat. dist.* 1. & tradunt omnes: quia præcipitur actus humanus in Dei honorem, & cultum. Dicitur humana præsentia, si sensu aliquo percipis quid in sacrificio agitur, uti benè docuit in alio simili Sanch. *lib.* 3. *de matr. disp.* 13. *num.* 9. & 11. Dicitur religiosa, si ea præsentia ex se in Dei cultum cedat. Et licet Angel. *verbo feria numero* 24. censeat hanc materiam gravis obligationis non esse audiendus non est: quippe cæteri omnes Doctores meritò contradicunt, affirmantes hujus præcepti transgressionem peccatum mortale constituere: est enim defectus in maximo cultu, & honore, qui Deo exhiberi potest.

1. Ex præsentia humana, & religiosa requisita fit, si dormiens, vel ebrius sacrificio assisteres, præcepto non satisfacturum; quia humano, & religioso modo non assistis, & docent omnes. Item si huc, illucque circunspiciens, & fortè per totam Missam colloquia miscens, quia tua præsentia religiosa non est, sicuti esset si interruptim aliqua verba misceres, ut dixit Ægid. de Coninch. *quæst.* 83. *art.* 6. *dub. un. num.* 298. Quocirca mihi displicet sententia Soti, *in* 4. *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 1. *in fine.* Joan. Med. *tract. de confess. quæst. de pœnitentia tempore Missæ implenda* affirmantium colloquia etiam turpia executionem hujus præcepti non impedire, quibus non leviter favet Navarr. *cap* 13. *num* 27. *& cap.* 21. *n.* 6. Azor. 1. *p. lib.* 7. *cap.* 5. Suar. *disput.* 88. *sect.* 3. Bonac. *disp.* 4. *de sacram. q. ult. punct.* 1. *num.* 24. quatenus censet rarò confabulantes

lantes in Miſſa, & aſpicientes circunſtantes præceptum audiendi Sacrum violare, quia non ſolent eæ confabulationes continuæ eſſe per totam Miſſam, neque de rebus ſeriis, quæ moralem, & humanam præſentiam impediant. Etenim ſi confabulationes ſint per notabilem Miſſæ partem, tametſi non impediant moralem præſentiam, ſiquidem confabulantes de geſtis in ſacrificio teſtari poſſint; impediunt tamen religioſam præſentiam, quæ certè conſiſtere non poteſt cum fabulatione vana, & fortè turpi. Quod ſi dicas inde inferri, ſi aſſiſtas Miſſæ ſacrificio veſtibus te induens, vel aliam quamlibet exteriorem actionem exercens non ſatisfacere præcepto, tametſi de geſtis in ſacrificio teſtari optimè poſſis. Quod eſt contra communem ſententiam, de qua Navar. *ae orat. notab. 5. numer.* 49. Graffis *lib.* 2. *deciſ. cap.* 55. *numer.* 9. Henriq. *lib.* 9. *cap.* 25. *num.* 6. *in comment. lit.* 1. Bonac. *diſput.* 4. *de ſacram. q. ult. p.* 11. *num.* 24. Deinde inferri, ſi aſſiſtas Miſſæ ob pravum finem v. g. aſpiciendi fæminas præcepto non ſatisfacere, de quo Henriq. *num.* 4. Navar. *cap.* 21. *num.* 10. Suar. *diſput.* 88. *ſect.* 3. Bonac. *num.* 21. quia in his videtur religioſa præſentia de medio tolli. Negandum eſt enim ſi actio exterior etiam in templo facta per ſe indecora non ſit, & ex alia parte non te impediat ſacrificanti attendere, humanæ, & religioſæ præſentiæ non contradicit, ac proinde non obſtat, quin illam exercens ſatisfacias Miſſæ præcepto. Minus obeſt, quod ex pravo fine Miſſæ aſſiſtas, nam pravus finis non impedit præſentiam exteriorem ex ſe religioſam eſſe, tametſi illam impediat ſimpliciter, & perfecte eſſe religioſam, quod ad præceptum exequendum requiſitum non eſt, ut dicemus.

3. Sed an vagatio voluntaria mentis circa profana, & turpia hanc religioſam, & moralem præſentiam impediat? Affirmant ut probabilius Azor. *lib.* 7. *c.* 5. *q.* 2. Bonac. *diſp.* 4. *de ſacram. q. ult. punct.* 11. *num.* 4. Layman. *l.b.* 4. *ſum tract.* 7. *c.* 3. *aſſert.* 2. Et moventur, quia ſtante hac voluntaria vagatione præſentia moralis, & religioſa non videtur poſſe conſiſtere. Cæterùm ſub diſtinctione reſpondeo. Si vagatio mentis ita intenſa ſit, ut ob eam impediaris aliqualiter cognoſcere quid à ſacrificante agatur (quòd rarò contingit) nequaquam præcepto audiendi Sacrum ſatisfacis, quia ſolùm corpore, non tamen mente præſens es: hac enim de cauſa dormiens, vel ebrius aſſiſtens præcepto non ſatisfacis, quia de iis, quæ aguntur in ſacrificio reddere rationem non potes. At ſi voluntaria vagatio non re impediat ab ea attentione, qua poſſis eſſe teſtis ſacrificii peracti, credo non impedire præcepti executionem. Quia materia hujus præcepti ſolùm eſt externa ſacrificii præſentia moralis, & de ſe religioſa. Hæc autem conſiſtere poteſt, tametſi mens vanis, imo turpibus cogitationibus occupata ſit. Ergo. Et confirmari poteſt, quia ſi vagatio involuntaria ſit, omnes Doctores cenſent, teſte Suar. *diſp.* 88. *ſect.* 3. *circa med.* præcepti executioni non repugnare. Signum ergo eſt ex vagatione mentis regulariter præſentiam moralem, & de ſe religioſam non impediri. Et enim ſi hæc præſentia vagatione impediretur, tametſi involuntaria eſſet: nullatenus ea ſtante præcepto ſatisfaceres, ſicuti non ſatisfaceres, ſi involuntariè dormires, ſed aliud Sacrum ſi poſſes, audire deberes: ut latius proſequitur Ægid. de Coninch. *q* 83. *art.* 6. *dub. un. n.* 302.

4. Hinc infertur à fortiori te optimè ſatisfacere poſſe præcepto audiendi Sacrum, ſive preces voluntarias, ſive ex obligatione recites, ſicuti docent Navarr. *cap.* 21. *num.* 8. Suar. *diſp.* 88. *ſect.* 3. *in fine.* Henriq. *lib.* 9. *ſum. tract.* 7. *cap.* 3. *verſ. tertium.* Bonac. *diſp.* 4. *de ſacram. q. ult. punct.* 11. *numer.* 25. Quia ea recitatio moralem, externam, & religioſam præſentiam non impedit.

Sed an eam præſentiam impediat, ſi tempore Miſſæ peccata fatearis, vel ad illa fatenda conſcientiam revolvas? Affirmat Bonac. *diſp.* 4. *de ſacram. quæſt. ult. punct.* 11. *num.* 26. *in nova edit.* adducitque Suar. & Azor. Sed immeritò ut dicemus. Movetur, quia auditio Sacri præcipitur per modum orationis, at qui ſuam conſcientiam examinat, & peccata fatetur non orat. Non igitur rem præceptam facit. Cæterùm verius eſt conſcientiæ examen, & peccatorum confeſſionem non impedire, quin præcepto audiendi Sacrum ſatisfacias, ſiquidem ſimul cum conſcienciæ examine, & peccatorum confeſſione attendere potes quid in ſacrificio agatur, qua attentione poſita præſens es moraliter, & religiosè ſacrificio. Satisfacis ergo præcepto; ſicut ſatisfacere poſſes, ſi confeſſiones in templo audires. Atque ita ſuſtinet Reginald. *lib.* 19. *numer.* 14. *in fine.* Molfeſius *tract.* 3. *cap.* 17. *numer.* 45. Neque contradicunt Suar. & Azor. ſolùm enim dicunt ob peccata fatenda non eſſe omittendam Miſſam, quod regulariter veriſſimum eſt: at non negant confitentem peccata ſimul poſſe ſacrificio intereſſe, & utrique obligationi ſatisfacere. Secundò infertur opus non eſſe, ut huic præcepto ſatisfacias, ſacerdotem audire, vel videre, ſufficit ſi ex ſignis cognoſcas quid agatur. Non enim viſio, ſeu auditio præcipitur, ſed moralis, & humana præſentia, quæ ſecluſa viſione, & auditione conſiſtere poteſt, ſicuti benè docent Navarr. *cap.* 21. *n* 8. Tolet. *lib.* 6. *cap.* 6. Con. *quæſt.* 83. *art.* 6. *dub. un. n.* 299. & 300. Layman. *lib.* 4. *tract.* 7. *cap.* 3. *poſt. princ.* Unde cæcus, & ſurdus Miſſæ intereſſe debent quia humano modo præſentes eſſe poſſunt, & tradit Bonac. *diſp.* 4. *de ſacram. quæſt. ult. punct.* 22. *num.* 19. Qui verò ſimul cæcus, & ſurdus eſſet, non video qua ratione humanam præſentiam exercere poſſit.

Qualiter autem ad humanam præſentiam libertas requiſita ſit, quæve intentio ſatisfaciendi præcepto, latè diximus *tract.* 3. *de legib. diſp.* 2. *p.* 17.

5. Hæc humana, & religioſa præſentia integro ſacrificio eſſe debet, ſicuti colligitur ex *cap. miſſas. cap. omnes fideles de conſecrat. diſt.* 1. Nam. Concil. Agathenſe relatum in *cap. miſſas* inquit: Die Dominico ſæcularibus totas (id eſt integras) audire ſpeciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem ſacerdoti egredi populus non præſumat. Quod ſi fecerit, ab Epiſcopo publicè confundatur. Quocirca ſi notabilem partem omittas, omnes Doctores cenſent te mortaliter peccaturum, quia præceptum grave in re gravi violas, ſi levem, venialiter peccaturus. Solùm inter Doctores eſt differentia in aſſignanda parte notabili. Et quidam ſi tertiam, vel quartam partem illius omittas, ſine dubio cenſendus es partem gravem omiſiſſe: v. g. ſi omitteres initium Miſſæ uſque ad Evangelium excluſivè, & orationes poſt communionem. Secus ſi audita Epiſtola poſt communionem diſcederes, uti docent ex communi ſententia Suar. *diſp.* 88. *ſect.* 2. Ægid. de Coninch. *quæſt.* 83. *art.* 6. *dub. un. numer.* 285. Quod ſi finito Evangelio accedas, & aſſiſtas uſque ad Evangelium Joannis incluſivè, probabile reputant Suar. *dicta ſect.* 2. Navarr. *cap.* 21. *numer.* 2. Eman. Saà, *verbo miſſæ auditio*, *numer.* 2. Henriq. *l.b.* 9. *cap.* 25. *numer.* 7. Layman. *lib.* 4. *ſum. tract. cap.* 3. *circa finem.* Bonac. *punct.* 11. *numer.* 17. te mortalis peccati reum non eſſe, quia ultimum Evangelium Joannis jam pars Miſſæ eſſe videtur; cum autem duplici Evangelio aſſiſtere non videaris obligatus: præcipuè cum antiquo tempore finita benedictione recedere omnes poſſent, per præſentiam ad Evangelium Joannis videris defectum primi Evangelii compenſaſſe. Et licet Navarr. Eman. Saà, Henriq. & alii exiſtiment te debere Evangelium prætermiſſum poſtmodum legere, vel audire, ſed rectius Suar. *dicta ſection.* 2. & Azor. *lib.* 7. *cap.* 3. *quæſt.* 2. cenſent

hanc

hanc lectionem, vel auditionem nullius considerationis esse, quippe non est pars Missæ, & sola Missa audiri præcipitur, & consequenter quæ illius fuerint partes.

6. Post inceptum Canonem usque ad communionem minoris partis omissio gravior materia censenda est, nam ut benè inquit Suar. *disp.88. sect.2. vers. ultimo denique*. in iis non tam est spectanda mora temporis, quam dignitas rei omissæ ob propinquitatem ad essentiam, & integritatem sacrificii. Quocirca si tempore consecrationis, & consumptionis è templo exires, tametsi reliquis partibus Missæ assisteres, sine dubio præcepto non satisfaceres, quia absolutè sacrificio præsens non fuisti, sacrificii namque essentia, & integritas in consecratione, & consumptione sita est. Quod si consecrationi assistens omittas consumptionem, vel è contra Suar. *loco allegato*, quem sequitur Layman. *lib.4. sum. tract.7. cap.3. in fine*, te excusat à mortali, eo quod hæc moraliter judicanda sunt, neque satis constat in qua ex illis actionibus essentia sacrificii sita sit. Sed rectius Coninch. *quæst.83. art.6. dub. un. num.285.* Didac. Nunez *ibi dub.2. post 3. conclus.* Henriq. *cap.25. n.7.* Bonac. *disp.4. de sacram. quæst. ult. punct.11. num.14.* te peccati mortalis damnant, quia esto non constet in qua ex illis partibus substantia sacrificii sita sit, at constat utramque ad essentiam, vel ad integritatem sacrificii pertinere. Qui autem essentiæ, vel integritati sacrificii assistere omittit, censeri non potest levem sacrificii partem omisisse. Facilius autem admitterem omissionem oblationis verbalis ante, vel post consecrationem factæ, alteriusve cujuslibet orationis ex Canone levem materiam esse.

7. Si autem pro deferendo vino, thure; aliisque ad sacrificium necessariis à sacrificio recedas, credunt Sylvest. *verbo missa.2. quæst.1.* Navarr. *cap. quando, de consecrat. dist.1. not.ab.10. n.19.* Henriq. *lib.9. num.8.* Eman. Saà, *verbo Missæ auditio, n.2.* aliique Doctores te præcepto satisfacere, quia esto physicè recedas, moraliter recedere non censeris, siquidem casu sacrificii recedis, & dum recedis, sacrificio inservis. Placet tamen limitatio, quam adhibet Bonac. *disp.4. de sacram. quæst. ult. pun 11. num.18.* Fagund. *de primo Eccles. præcepto, lib.2. cap.6 num.10.* ut intelligatur dummodo ab Ecclesia non recesseris nisi ad breve tempus, aliàs nescio qua ratione censeri posses præsens sacrificio, quantumvis ob illius causam recesseris. Non enim præsentia moralis cum absentia morali consistere potest. Qui autem à templo recedit etiam occasione deferendi sacrificio necessaria, absolutè absens est non solum physicè, sed moraliter à sacrificio: non igitur illi præsens esse potest.

8. Posse ab uno sacerdote dimidiam Missam audiri, & postmodum ab alio aliam dimidiam, & sic præcepto satisfieri docent Navarr. *cap.21. num.2.* Tolet. *lib.6. cap.7. in fine.* Eman. Saà, *Missæ auditio num.2.* Layman. *lib.4. tract.7. cap.3. in fine.* Bonac. *disp.4. de sacram. quæst. ult. pun.11. num. 13.* Ægid. de Coninch. *q.83. art.6. dub.un. n.286.* & alii, ob quorum Doctorum authoritatem est probabilis hæc sententia, & secura. Nam esto illæ partes independentes sint, neque unum sacrificium constituere possint, ideoque illis assistens nequaquam integro sacrificio propriè, & in rigore assistit; attamen ex benigna Ecclesiæ interpretatione communi Doctorum judicio approbata, reputandæ sunt partes unum sacrificium componentes, quoad affectum audiendi Sacrum, & satisfaciendi Ecclesiæ præcepto.

9. Hanc doctrinam extendit Bonac. *dicta disp.4. quæst. ult. pun.11. num.13.* ad eum, qui simul duorum sacerdotum sacrificium dimidiatum audiret, sicut contingit, cum unus sacerdos consecrat, & alius sacrum incipit, si usque ad hujus consecrationem assistas, credit te præcepto satisfacere. Movetur, quia utrique parti attendere optimè potes. Unde obligatus audire tria sacra ex pœnitentia satisfacere potest, si eodem tempore trium sacerdotum sacrificiis assistat, uti docuit aliis relatis Sanch. *lib.1. sum. cap.14. num.12.* Graffis, *lib.2. decis. cap.55. n.4.* Scortia *de sacrificio, lib.2. cap.20. num.10.* Neque enim diversitas temporum (ut inquit Sanch.) est in præceptis spectanda, sed res præcepta, quæ si intra idem tempus mandari executioni potest, diversitas temporum non requiritur. At res præcepta scilicet Missæ auditio præstari potest, tametsi postrema pars Missæ eodem tempore cum priori celebrantur, siquidem utrique præsens esse potest, sicut si diverso tempore celebraretur. Ergo.

Sed displicet hæc extensio, quippe communi Doctorum sententiæ adversatur, uti videre est apud Ægid. de Coninch. *q.83. art.6. dub. un. n.288.* Didac. Nunez. *ibi dub.2. respons. ad 3.* Molfes. *in sum. tract.3. cap.17. num.36.* Reginald. *lib.19 n.16.* Laym. *lib.4. sum. tract.7. cap. 3. in fine.* Nam hic modus sicut & præcedens satisfaciendi præcepto ex natura rei insufficiens est, siquidem illo posito Sacro propriè non interes, sed partibus duorum Sacrorum Sacrum non componentibus, est tamen sufficiens ex permissione Ecclesiæ sic Sacri auditionem acceptantis: at nullum est fundamentum, ut asseramus Ecclesiam acceptare Sacri auditionem media ex parte simultaneam, benè tamen successivam. Quinimo contrarium non leviter colligitur ex eo quod nullus Doctor præter Bonac. hanc simultaneam auditionem approbaverit, & plures eam expresse rejecerint successivam approbantes. Ergo, &c. Neque ratio qua movetur Bonac. urget. Fateor namque utrique parti simul attendere posse, sed quia non est attentio ad unius sacrificii partes, sed ad partes sacrificiorum, ea de causa non est Missæ auditio propriè loquendo, neque ex permissione Ecclesiæ; cum nullibi constet talis permissio. Et ad probationem concedo diversitatem temporum in præceptis non spectari, sed rem præceptam, nego tamen assistentiam ad duplicem partem Missæ diversam eodem tempore celebratam præcipi sub præcepto audiendi Sacrum, sed ad summum, ut permissio sub diverso tempore fiat ex benignitate Ecclesiæ. Exemplum autem adductum de eo qui tria sacra eodem die tenetur audire, tum ex pœnitentia, tum ex voto, tum ex præcepto est diversum. Nam si illa Sacra, simul celebrentur, illisque assistat propriè, & in rigore tria sacra audit, secus vero assistens duplici Sacro media ex parte.

10. Rursus hæc obligatio omnibus diebus tam dominicis, quam festivis fideles astringit. Nam licet in *cap. Missas de consecrat. dist.1.* solum de diebus Dominicis præceptum latum sit, consuetudo Ecclesiæ ad alios dies festivos obligationem extendit, juxta textum in *cap. si quis, cap. & hoc cap. omnes fideles, cap. qui die eadem dist. & cap. 2. de Parochis.* Solum de feria 6. parasceves est aliqua difficultas, an tenearis eo die sacro interesse, si festum Annunciationis occurrat? Affirmat Vasq. *disp.232. cap.2. num.18.* quia illum officium loco Missæ habendum est. Unde obligari Sacrum audire tenentur officio illius diei interesse ab eo puncto in quo sacramentum reconditum in altari collocatur à sacerdote consumendum. Contrarium non censeo improbabile. Non enim præceptum audiendi Missam obligare potest eo die, quo Missa nequit celebrari. Neque ex prædicto præcepto obligatio esse potest assistendi officio illius diei, cum sit officium longè diversum à sacrificio. Præterea sunt aliqui dies festivi ex statuto, consuetudine neque alicujus loci, tamen alibi non sunt, & tunc incolæ illius loci illius obligatione astringuntur, quatenus in illo loco existunt, secus si ab illo loco tempore obligationis recedunt. Sicuti ex probabiliori sententia defendi *tract.3. de leg. disp.1. punct.24. §.5.*

Peregrinos, forenſes,& vagos ibidem exiſtentes docui prædicta obligatione teneri *dicto punct.24. §.1. & ſeqq.* tametſi contrarium ſit ſatis probabile.

11. Quoad perſonas attinet : omnes utriuſque ſexus fideles ſi rationis uſum habeant prædicto præcepto ligantur, expreſsè colligitur ex *cap. omnes fideles, cap. cum ad celebrandum de conſecrat. diſt.1.* & ex uſu, praxique Eccleſiæ, ſicuti videre eſt apud Navarr, *cap.21. num.1.* Henriq. *lib.9. cap.15. n.1.* Sanchez *lib.1. ſum. cap.12. n.10.* Suar. *diſp.88. ſect.4.* Ægid. de Coninch. *q.83. art.6. dub. uno n.186.* Bonac. *diſp.4. de ſacram. q. ult. p.11. à n.7.* & alios.

11. Locus pro Miſſa audienda parochia fuit ex multorum Canoniſtarum ſententia, juxta *cap. ut dominicis. De parochiis. & cap. ſi quis etiam de conſecrat. diſt.1.* At conſuetudine firmatum eſt nullum locum eſſe determinatum, favetque Trid. *ſeſſ 22. decreto de obſervand. in celebrat. Miſſar.* quatenus ſolùm ex conſilio, & monito Epiſcoporum obligati ſunt fideles proprias parochias accedere, & ita tanquam certum tradunt poſt alios Suar. *diſp.88. ſect.2. poſt. med.* Barboſ. *alleg.24. n.17.* Quinimo non poſſe Epiſcopum præcepto, excommunicatione, aliave cenſura cogere fideles ad audiendum Miſſam in propria parochia aſſerit ex *praxi Epiſcop.1.p.verbo Miſſa §.6.* Barboſa *ſupra.* Etenim Epiſcopus juri communi,& privilegiis à Sede Apoſtolica conceſſis derogare non poteſt. Cum ergo cuilibet fideli jure communi conceſſum ſit quolibet loco poſſe præcepto audiendi Sacrum ſatisfacere, nequaquam poterat Epiſcopus contrarium velle, maximè ſi fideles in Eccleſis mendicantium ſacrum voluerint audire. Habent enim Mendicantes privilegium declarans quoſlibet fideles ibidem Sacrum audientes præcepto ſatisfacere, neque impediri poſſe, uti ex Leone X. refert Barboſa *dicta allegat.24. n.20.* Neque huic doctrinæ obſtat, quod poſſint fideles occaſione verbi divini audiendi obligari ad parochias accedere, quia non obligantur, ut Miſſæ præcepto ſatisfaciant, ſed ut in neceſſariis, & utilibus ad ſalutem inſtruantur à ſuis parochis. Qua etiam ratione obligari regulares poſſunt ab Epiſcopo, ut in ſuis conventibus diebus Dominicis in Miſſa conventuali declarent populo quæ feſta, & jejunia in ea hebdomada occurrunt, ne proprer ignorantiam contingat ea Eccleſiaſtica præcepta violari,ut benè advertit Eman. Rodrig. *t.1. regul. q.43. art.7.* & ex illo Barboſa *d. alleg 24. n.21.*

13. Solum eſt difficultas de licentia, quam Ordinarii ſolent concedere celebrandi in privatis oratoriis. Etenim ex præſcripto ſacræ Congregationis habetur teſte Quaranta *verbo miſſa, verſ. quanta.* Molfeſio, *tract.3. cap.17. num.70.* Ordinariis ſub hac forma concedere facultatem debere, ut ſoli familiares domus Eccleſiæ præcepto ſatisfaciant ibidem Miſſam audiendo, ſecus extranei. Ex qua conceſſione videtur inferri extraneos ibidem Miſſam audientes præcepto Eccleſiæ non ſatisfacere, ſicuti non ſatisfacerent præcepto communicandi tempore Paſchatis, ſi ibidem communicarent, ſed neceſſariò obligandi ſunt ad propriam parochiam, vel regularium Eccleſias accedere. Atque ita ſuſtinet Bonac. *di p.4. de ſacram qu. ult. pun.12. n.4.* Sed fateor hanc doctrinam mihi difficilem eſſe. Nàm ſi jure communi ſpectato non aſtringeris Miſſam in determinato loco audire, ſed liberum tibi eſſet quolibet in loco ſacrificio intereſſe. Si de facto in privato oratorio Miſſam audias, præcepto Eccleſiaſtico ſatisfacis, quia rem præceptam exequeris quantumvis nollet Epiſcopus te audientem ſacrum in privato Oratorio præcepto ſatisfacere. Non enim ipſe impedire poteſt præcepti ſatisfactionem ; ſi illius executionem non impedit. Secus procedit in communione paſchali, cum jure communi in propria parochia ſit. Quocirca crederem prædictum privilegium ſub illa forma conceſſum ſic eſſe explicandum, ut non audientes ſed celebrantes aſtringat, ita ut nemini ibidem concedatur poteſtas celebrandi, niſi aliquis ex familiaribus vellet ibidem diebus Dominicis, & feſtivis audire, ut præcepto Eccleſiæ ſatisfaciat.

14. Ad extremum adverto ſæpè contingere te audiſſe Miſſam,& tamen peccaſſe mortaliter contra hoc præceptum, eo quod voluntariè commoratus fuiſſe tanto tempore, ut te expoſueris periculo morali non inveniendi Sacrum, tametſi caſu evenerit inveniſſe, quod non impedit quin à principo peccaſſes. Econtra vero contingit te non audire ſacrum, nec tamen peccaſſe mortaliter, quia per te moraliter non ſtetit quin audires, ſed ſacerdoti ſacrum maturanti, & hora conſueta non celebranti tribuendum eſt. Unde confeſſarii diligentes debent eſſe in pœnitentibus examinandis ; an inquam ſe expoſuerint periculo omittendi ſacrum, an eo die, quo ſacrum omiſerunt, fecerint quantum in ipſis fuit, ut audirent.

PUNCTUM ULT.

De cauſis excuſantibus à præcepto audiendi Sacrum.

1. *Variæ ſunt cauſæ.*
2. *Ex impotentia ſpirituali ſumitur ſufficiens excuſationis cauſa. Et quæ hæc ſit.*
3. *Secundò ex impotentia corporali abſoluta.*
4. *Tertio ex impotentia morali.*
5. *Quarto ex titulo charitatis.*
6. *Quinto ex officio, ſeu juſta obedientia.*
7. *Sexto ex conſuetudine.*
8. *Septimo ex majori utilitate, vel neceſſitate.*
9. *Octavo ex parte ſacerdotis.*
10. *Omittens Sacrum ex impotentia vel malitia non tenetur alias preces loco Miſſæ ſubrogare.*

1. VAriæ cauſæ enumerantur, quæ hujus præcepti tranſgreſſorem liberant, de quibus latè Sotus *in 4.diſt.13.q.2.art.2.* Navar.*cap.21.* Azor.*lib.7.cap.7.* Henriq.*lib.9.cap.25.à n.10.* Graffis *1.p.lib 2. cap.35. & 36.* Bonac.*diſp.4 q.ult.p.ult.* Sed præ omnibus Suar. *d.88.ſect.6.* Ex quo ferè omnia dicenda mutuabimus.

2. Primum caput excuſationis eſt impotentia ſpiritualis id eſt ex cauſa ſpirituali proveniens, qualis eſſet, ſi fide data, & maximè juramento obfirmata, vel ex legitimo ſuperioris præcepto obligatus eſſes domi contineri. Item ſi excommunicatus, vel interdictus eſſes. Et licet negligens eſſes in abſolutione cenſuræ procuranda, non obinde adverſus hoc præceptum peccabis ; quia *ut in tract. de excommunicat.* latius dicemus. Et *tract.3. de legib diſp.1. punct.21.* diximus, ex vi hujus præcepti non teneris impedimenta tollere, quæ illius executionem impediant. Etenim ſolum te obligat dum liber es, & expeditus, & docent in præſenti Navarr. *cap.21. num.2.* Azor. *lib.7. cap.7. q1.* Suar. *diſp.88. ſect.6. n.1.* Henriq. *cap.25. n.11.* Saà, *Miſſæ auditio num.3.* Bonac plures referens *diſp.4. q. ult. p. ult. n.32.*

Sed eſt difficultas an ex interdicto generali excuſeris ab hoc præcepto, tametſi Bullam Cuciatæ, vel aliud ſimile privilegium habeas ? Affirmat Stephanus Davila referens Victoriam, & Canum, & aliquos viros doctos, *5.p. de cenſur. diſp.4. ſect.2. dub.6. concl.2.* Et probabilem reputat Eman. Saà, *Miſſæ auditio, num.4.* Movetur, quia interdicto locali non ſolum ſublatum eſt omnibus laïcis præceptum audiendi ſacrum, ſed loco illius appoſitum præceptum contrarium, ne ſcilicet eo in loco Miſſam audiant. At eſto per privilegium ab hoc ſecundo præcepto eximantur, poſſintque ſacrificio intereſſe, primum præceptum,quod occaſione interdicti ſublatum eſt,non cenſeatur durante

inter

interdicto redire, ergo ad audiendam Missam obligati non sunt. Secus procedit in carcere detentis, si permitterentur exire ad Missam audiendam, quia eo casu non censetur carcer durare, neque carcer tollit præceptum audiendi sacrum, sed suspendit illius executionem. Ex qua doctrina infert Stephan. Davila habitatores alicujus loci, in quo appositum est interdictum, obligatos non esse alio in loco Missam audire, quamvis distantia aliàs seclusa interdicto non excusaret à Missa ibidem audienda, quia interdictum locale tollit habitatoribus illius loci obligationem audiendi Sacrum. Sed rectiùs Suar. *disp.* 88. *sect.* 6. *num.* 2. Bonac. *disp.* 4. *de sacram. q. ult. punct. ult. num.* 24. aliique communiter negant te excusatum esse; quia interdictum locale nulla alia ratione censetur tollere præceptum audiendi Sacrum, nisi quatenus prohibet illius auditionem. At habentibus Bullam Cruciatæ, vel simile privilegium, non prohibet Missæ auditionem, ut de se constat. Ergo habentibus Bullam non est sublatum prædictum præceptum, ideoque obligatio audiendi Sacrum non ex privilegio, sed ex præcepto Ecclesiastico oritur. Religiosi vero & clerici quia secundùm jus commune *cap. quod in te de pœnitent. & remissionib. & cap. quod nonnullis de privileg.* non sunt comprehensi in locali interdicto, sed possunt divina celebrare servata moderatione, de qua in *cap. alma mater de pœnitent. & remissionib.* tenentur secundùm omnium sententiam Missam audire, quia comparatione horum non est interdictum, seu prohibitio facta. Unde ipsi potius dicentur non comprehendi prohibitione, quàm privilegio uti. Nomine religiosi Novitii, veniunt intelligendi, & nomine clerici, etiam prima tonsura insigniti, quippe est favor Ecclesiæ, & religioni factus. Uti docuit Navarr. *cap.* 25. *num.* 95. *& cap.* 27. *n.* 175. Sylvest Henriq. Et alii quos refert, & sequitur Avila *supra dub.* 4. *concl.* 3. *&* 4.

3. Secundum caput excusationis est corporalis absoluta impotentia, qualis esset, si ob ægritudinem quam pateris, vel ob carcerem quo detineris impotens esses adire templum, quia præceptum obligare non potest ad impossibile. Solum est aliqualis dubitatio, an tenearis audire Sacrum, si vi privilegii ab hac impotentia liberari possis. Exemplum est si privilegium habeas domi, in navi, vel in carcere celebrandi, quo privilegio utens poteris à prædicta impotentia liberari, siquidem in carcere, vel in navi detentus, vel domi ægrotans Sacrum audire posses, dubium ergo est an tenearis? Didac. Nuñez. *q.* 85. *art.* 6. *versus finem concl.* 2. *pag.* 521. censet te obligatum esse, quia ex præcepto audiendi Missam obligaris media apponere quæ tibi gravia non fuerint, sicuti non est privilegio prædicto uti. Verius & probabilius est ab hac obligatione te esse exemptum, quia non teneris uti privilegio maximè odioso juri communi contrario, & reverentiæ sacramenti parum conformi. Media igitur quæ ad executionem præcepti obligaris apponere, sunt media per se ad illius executionem ordinata, non extraordinaria, & quæ tantum ex promissione conceduntur. Atque ita sustinent Suar. *disp* 88. *sect.* 6. *num.* 2. Filliucius *tract* 5. *cap.* 7. *q.* 11. *num.* 224. Bonac. *disp.* 4 *de sacram. q. ult. punct. ult. n.* 14. Layman. *lib.* 4. *sum. tract.* 7. *c.* 4. *n.* 3. Adduntque prædicti Doctores Suar. & Bonac. eodem fundamento nixi, te non esse obligatum Sacrum audire, si pro illius auditione tibi necessarium est celebrantem conducere: est enim medium extraordinarium, neque in præcepto audiendi Sacrum contentum. Etenim hoc præceptum est de Sacro audiendo, quod aliàs celebratur, non quod indiget stipendii solutione, ut celebretur.

4. Tertium est moralis impotentia, quam inducit jactura alicujus boni mediocris æstimationis, vel aliqua difficultas, seu labor non mediocris in Sacro audiendo. Hoc enim præceptum, ut ferè omnes Doctores docent, suave est, & consequenter ex causa mediocriter gravi ejus obligatio cessare potest. Quæ autem sufficiat arbitrio prudentis relinquitur. Aliquos tamen casus enumerant Doctores, maximè Suar. *dicta sect.* 6. *num.* 3. ex quibus alii deduci possunt. Primo ex jactura vitæ certa est excusatio; siquidem vita ex bonis corporalibus est præcipuum. Unde si ob audiendam Missam in probabile periculum vitæ incurras, vel ob inimicitias, vel ob intemperiem aëris, vel ob aliam similem causam, manifestum est te esse excusatum. Secundò excusaris ex jactura salutis. Si enim cum infirmus sis, vel non satis robustus, probabiliter timeas aggravandam esse infirmitatem, vel retardandam convalescentiam, si domo exeas, & Ecclesiam adeas, excusaris ab obligatione. Ut autem securè procedas in casu dubio monet Bonac. *disp.* 4. *de sacr. q. ult. punct. ult. n.* 3. consilium medici, superioris, vel parochi postulandum esse. Sed ut benè Suar. *loco allegato*, optimè hoc periculum exploratus ex aliis negociis. Si enim timor aggravandi infirmitatem impediat egregiè lecto, vel domo ad negotia æqualis, vel majoris laboris, indicium optimum est adesse probabile periculum nocumenti. Secùs econtra. Idem quod dictum est de infirmo, dicendum est de fœminis gravidis, quæ quodam modo infirmantur. Ad hæc reduci potest, si longè ab Ecclesia habites, ad illamque accedere non possis absque gravi molestia, & difficultate quod prudentis arbitrio dijudicandum est spectata loci, temporis, & personæ qualitate. Regulariter distantia per leucam, si pedibus iter conficiendum est excusat, imo & minor distantia, si imbres, tempestates, aut nives ingruant, ut benè Suar. *d. sect.* 6. *num.* 3. Henriq. *n.* 10. Bonac. *n.* 12. Deinde si occasione Missæ audiendæ timeas rixas graves suboriendas esse, vel propter veteres aliquas inimicitias, vel propter locorum ordinem, & dignitatem, poteris ab audienda Missa excusari, quia tibi, aliisque grave nocumentum inde provenit, & tradit Navar. *c.* 21. *n.* 5. Azor *c.* 7. *q.* 1. Bonac. aliis relatis, *punct. ult. n.* 9. Suar. *sect.* 6. *n.* 4. Ob eandem causam Doctores communiter excusant mulierem, quæ timens gravem rixam, seu iram mariti, omittit Missam, ut convenienti tempore, & modo omnia præparet & occasionem perturbationis tollat; quod intelligendum est de perturbatione gravi, & alicujus momenti, secus de levi: hæc enim dissimulanda est, & patienter sustinenda. Sic Henriq. *n.* 30. Suar. *num.* 6. Bonac. *n.* 10. Ad idem est si maritus ob zelotypiam non permittat uxorem domo exire, quæ si absque gravi incommodo vitare non potest, poterit marito condescendere ad proprium damnum vitandum, ut latius docent Henriq. Azor. Suar. Bonac. *locis allegatis*. Tertiò excusatis ob jacturam honoris, quo titulo excusatur qui ab inimico timet injuriam gravem. Item qui non valet absque dedecore in publicum apparente, eo quod careat veste decenti, dum enim in eo statu est constitutus comparatur ei qui vinculis est alligatus *leg. in cad. m causa ff. ex quibus causis*. Huc spectat si fœmina nobilis, vel vir careat solito, & decenti comitatu, ob cujus defectum timet graviter contemni. Sic Navar. *c.* 21. *n.* 5. Henriq. *c.* 15. *n.* 30 Saà *Miss. audit. o. n.* 3. Bonac. plures referens *n* 8. Monet Doctores cautè in hac parte esse procedendum, neque extendenda licentia ad superfluos ornatus, & comitatus, considerandumque an possint secretò summo mane, vel in Ecclesia remota Sacrum audire absque probabili periculo prædicti nocumenti. Nam si ita est, nulla apparet legitima excusationis causa, cum facilè possint præceptum implere. Ad idem est si fœmina timeat gravem infamiam domo exiens, & coram aliis apparens, eo quod gravida sit, & non possit lapsum occultare nisi domi se contineat, cum tamen à populo ho-

nesta reputetur. Addenda est prædicta limitatio, modò non possit secretò Missam audire. Quartò excusaris ob jacturam bonorum temporalium. Si enim Sacrum audire non possis, quin domum solam relinquas cum periculo furti excusaris ab obligatione, sicuti ex communi sententia docent Navarr. Henriq. Suar. Bonac. *alii locis allegatis.* Hoc titulo excusatur viator, qui si Missæ assisteret, perderet comites in via, qui eum à latronibus securum reddebant, vel expensas suppeditabant, vel onera deferebant, vel viam monstrabant, vel tædium itineris longi non leviter levabant, quibus amissis timet à latronibus, vexari, vel etiam errare, vel cogitur onera portare, & expensas facere, vel cum gravi tædio iter conficere. Secus esset, si nullum aliud incommodum sequeretur, quam quod si solus deberet incedere: non enim ob leve solatium Missa relinquenda est, ut benè advertit Suar. *dicta sect. 6. num. 5.* Ægid. de Coninch. *q. 83. art. 6. dub. un. n. 314.* Bonac *disp. 4. de Sacram. q. ult. punct. ult. num. 6.* Layman. *lib. 3. sum. tract. 7. cap. 4. n. 3.* Item excusantur custodes gregum, qui non possunt Missam audire nisi grege solo relicto. Est enim regulariter periculum gravis damni, sicuti docuit Henriq. *num. 10.* Azor. *quæst. 7* Bonac. *num. 6.* Ægid. *num. 314.* Deinde excusant prædicti Doctores mercatores agasanos armentorum, equorumque reductores, qui si Missæ assisterent: graviores expensas essent facturi. Præterea excusat Suar. *n. 3.* Bonac. *n. 6.* molitorem, & quemlibet alium, cui in die festo permittitur, laborare, si ob audiendam Missam opus interrumpere debet. Sed crederem hoc intelligendum esse, dummodo ex intermissione non levis jactura rei temporalis proveniat.

5. Quartum sumitur ex titulo charitatis quando tibi necessarium est Missam omittere, ut subvenias proximò, vel ne illi damnum afferas. Quo titulo excusaris Missam omittens, ne infirmum deseras, cui tua præsentia necessaria est, tum ut remedia convenienti tempore adhibeantur, tum ne gravem laborem. & animi anxietatem solus relictus patiatur. Quod si dubius fueris, an tua præsentia sit necessaria, vel valde utilis, consilium alterius (si adsit) decet postulari. Rarò autem credit Suar. *disp. 88. sect. 6. num 4.* te bona fide, & animi pietate procedentem peccaturum mortaliter, tametsi tua præsentia necessaria non fuerit quia bona fides, & animi perturbatio excusationem præstat. Deinde aliqui Doctores ex hoc capite excusant fœminam scientem se à viro perditè adamari, quæ si Ecclesiam adeat, erit alteri occasio peccandi. Ob vitandam igitur hanc occasionem, & proximi peccatum se domi continere posse affirmant. Sotus *in 4. dist. 13. q. 2. art. 1.* Filliuccius, *tract. 5. cap. 7. q. 11. n. 227.* Saà, *Missæ auditio num. 3.* Bonac *dist. 4. q. ult. pun. ult. num. 15.* Addunt tamen non esse obligationem domi manere, quia non est scandalum datum, sed acceptum. At probabilius censeo, sicuti judicavi *tract. 6. de charit. disp. ult. p. 16.* hanc causam non esse legitimam excusationem: non enim præceptorum observatio omittenda est ob ruinam proximi, quam ipse sibi voluntariè sumit.

6. Quintum caput sumitur ex officio, seu justa obedientia, quo titulo excusantur milites custodientes castrum, portas civitatis, seu vigilias facientes, quando sine periculo hujus damni muneri suo deesse non possunt, ut Missam audiant. Item excusantur pastores noti valentes gregem deserere. Deinde vectores mercium, cursores qui muneri suo satisfacientes non possunt ad audiendam Missam detineri. Præterea matres, & nutrices, quæ infantes deserere non possunt, & satius regulariter est domi retinere, quam secum ad Ecclesiam deferre ob eorum inquietudinem, quæ adstantes molestat, & celebrantem perturbat, sicuti benè notavit Coninch. *q. 83. art. 6. dub. un. n. 286.* Henriq. *cap. 25. n. 10.* Bonac. *disp. 4. q. ult. pun. ult. n. 5.* Sed præcipuè hoc titulo excusantur famuli, qui ut Dominis suis ministrent, Missam omittunt. Et quidem si ministerium sit necessarium, juxta communem, & ordinarium vivendi modum, vel juxta occurrentes morales, & rationabiles occasiones, certum est nec dominos peccare præcipiendo, nec famulos parendo, tametsi ex illo obsequio Missa omittatur, quia est gravis, & rationabilis causa, & moralis necessitas. Quod semper intelligendum est (inquit benè Suar. *sect. 6. num. 5.* Ægid. de Coninch. *quæst. 86. art. 6. dub. unic. in fine)* dummodò famuli non possint mediocri diligentia adhibita opportunum tempus prævenire, ut Missæ locus sit. Extraordinariam diligentiam adhibere non tenentur. Non enim obligati sunt citius notabiliter surgere, ordinario, & secundum rationem moderato somni tempore detrahendo. At si ministerium non sit ita necessarium, sed possit in alium diem, vel in aliam horam sine incommodo differri, domini quidem iniquè faciunt, & graviter peccabunt id præcipiendo, cum non solum sint obligati sibi subjectos à Missa audienda non impedire, sed debitam curam, & diligentiam adhibere, ut Missam audiant, quia ad eos pertinet ne familia Ecclesiastica præcepta contemnat, sed potius exactè observet, sicuti firmavit Sylvest. *Missa. 2. q. 1.* Navarr. *cap. 21. num. 9.* & significavit Ambros. *homil. 33. quadrages.* relatus in *cap. an putatis, 86. dist.* & colligitur ex illo Pauli, 1. ad Corinth. 5. si quis suorum maximè domesticorum curam non habet fidem negavit, & est infideli deterior. Unde famuli si absque magno incommodo possunt subterfugere, & Missam audire non obtemperando dominis, tenentur facere, tametsi aliqua levis rixa intercedat. Si vero necesse sit aut dominos deserere, aut gravem iram, & dominorum turbationem sustinere excusari possunt, neque ob id præferunt mandatum hominis divino mandato, sed eo casu, & illis circunstantiis positis mandatum Dei utpote suave suspenditur, & illius obligatio cessat. Monent vero Ægid. Suar. Layman. & alii *locis allegatis*, debere famulos indicare domino se non audisse Sacrum, ab illoque facultatem expostulare, tametsi aliqualiter inde irascatur, quia debent quantum commodè possint, præcepti executionem procurare. Quod si monitus, & rogatus facultatem negaverit, excusabuntur juxta nuper dicta. Deinde monent, si hoc impedimentum Missæ audiendæ frequens fuerit, & quasi per consuetudinem obligatos esse nacta opportunitate herum deserere, & alium quærere, cui inserviendo præcepta Ecclesiæ servare possint. Quæ de famulis dicta sunt procedunt efficacius in uxore, comparatione parentum, & in militibus comparatione ducis, aliisque similibus, sicuti advertit Suar. *dicta. sect. 6. num. 5.*

7. Sextum sumitur ex consuetudine rationabili, & legitimo tempore præscripta à pastoribus Ecclesiæ tolerata, quæ sicut potest legem introducere, ita præexistentem valet abrogare vel temperare. Ex hoc titulo excusantur fœminæ, quæ per aliquot dies post partum ab ingressu Ecclesiæ abstinent, tametsi perfectè convaluerint, juxta *cap. unic. de purificat. post partum.* Ex reverentia inquam, & devotione, non ex superstitione, & observatione ritus, & legis Mosaïcæ, & tradit Cajet. *verbo festorum violatio.* Suar. *disp. 88. sect. 6. vers. sextum capit.* Majol. *de irregular. lib. 3. cap. 3. n. 4.* Bonac. *disp 4. de sacram. qu. ult. pun. ult. in fine.* Henriq. *lib. 9. cap. 25. n. 12.* Ob menstrua tempora non est Missa omittenda secluſa ægritudine, quia nullibi est talis consuetudo, teste Navarr. Bonac Henriq. & Suar. Supra. Neque contrarium colligitur ex Gregor. in *cap. ult. dist. 5.* dicente: Si mulier ex veneratione magna percipere Eucharistiam non præsumpserit, laudanda est, quia Gregor. loquitur de communione voluntaria, non de communione præcepta.

Hæc

Hæc enim sicut & missa non debet ob illam causam omitti. Ob mortem viri solent conjuges excusari à Missa audienda, quia plurib⁹ in locis est consuetudo recepta, ne domo egrediantur ob honestatem, & decentiam vidualem, & rationabilem ostensionem & significationem tristitiæ. Hæc tamen consuetudo non est extendenda, nec pro omnibus eadem regula observanda; nobiliores enim longiori tempore se domi continere possunt, ideóque affirmat. Navarra, *c.21. n.4.* Henriq. Suar. *locis allegatis*, hanc consuetudinem etiam annualem damnari non posse. Viduæ vero illæ quæ non obstante hac consuetudine domo exeunt ad alias res non æquè sacras, nec urgentes, nullatenus excusari possunt. Si enim viduitatis decentia, & tristitiæ significatio exitum non impedit; quo titulo impedire potest Ecclesiæ accessum. Nobiles virgines aliquibus in locis excusantur ab audiendo sacro, quia est consuetudo recepta, ne in publicum exeant, si tamen hanc consuetudinem violent ob ludos, & publica spectacula videnda, vix crederem excusari posse, tametsi eas excusat Navarr. Suar. & Bonac. *loc. allegatis*, præsumendum enim est consuetudinem ea moderatione receptam esse, ut fenestras fugiant, & domo se contineant. Quinimo Navarr. *dicto cap.21. n.9.* Henriq. *cap.25. num.12.* Suar. *sect.6. num.6.* Bonac. *pun. ult. num.2.* censent si prædictæ puellæ non possint domi solæ relinqui absque periculo pudicitiæ violandæ posse matrem, vel aliam personam ob eas custodiendas ab audiendo sacro excusari non in vi consuetudinis, sed ut muneri suo satisfaciat, honorique prospiciat. Sed raro hæc necessaria sunt potius consulerem matribus, ut filias secum ad Ecclesias ducerent, quam domi relinquerent. Vix enim ob tanti præcepti executionem periculum impudicitiæ adest, præcipuè si Ecclesias adeant ubi non est adolescentium concursus, & finita Missa statim domum revertantur.

8 Septimum est major utilitas, vel necessitas spiritualis: qua ratione aliqui excusant eum, qui omittit Missam ob concionem audiendam, vel peccata fatenda, sicuti excusat Angel. *verbo feriæ, n.45.* & alii quos tacito nomine refert Azor. *t.1. institut. lib.7. cap.7. quæst.7.* & 10. Nihilominus dicendum est pignus consilii præferendum non esse præcepto, etiamsi fingatur major utilitas; aliàs tibi liceret loco Missæ audiendæ contemplationi vacare. Quocirca sententia Angeli solum habere potest verum in casu necessitatis, quando vitæ periculum est, & præceptum confessionis urget, neque in aliud tempus commodè differri potest. Item quando crederes non inventurum postea, qui te in rebus fidei, & necessariis ad salutem instrueret, quia in his præcepta confessionis, & cognitionis doctrinæ Catholicæ utpote divina humano, & Ecclesiastico anteferuntur.

9 Vltimum caput excusationis sumitur ex parte sacerdotis, si sit nominatim excommunicatus, aut manifestus clerici percussor, quia prædictum sacerdotem teneris vitare maximè in rebus divinis, ea de causa si alius non est à quo Missam audire possis, ab obligatione audiendi sacrum excusaris, quinimo peccatores, si audires. Ob excommunicationem etiam notoriam, ob publicum concubinatum, aliudve peccatum scandalosum, etsi Laym *lib.4. sum. tract.7. cap.4. in fine* censeat te excusatum esse ab audiendo Sacro in tanti sceleris detestationem, *argumen. c. vestra, & ult. de cohabitat. clericor. & mulier. & c. prater 32. dist.* Attamen rectius Suar. aliis relatis *dicta disp.88. sect.6. circa finem*, oppositum affirmat. Non enim præceptum, quod commodè implere potes excusationem admittit, nisi ea excusatio aliquo jure vel firma ratione fulciatur; at nullum est jus, ex quo hæc excusatio colligi possit: nam prædicti textus temperati sunt à Concilio Constantiensi, ubi solùm excommunicatum denunciatum, & manifestum clerici percussorem obligamur vitare, cæteros verò peccatores publicos toleramus. A tolerato autem Missa audienda est, ut habetur in *dicto cap. vestra.* Ergo. Deinde nulla est ratio firma prædictæ excusationis. Non enim censendus es peccato sacerdotis iniquè celebrantis communicare, ex eo quod tolerata illius celebratione tanto sacrificio assistas, aliàs quoties tibi constaret Sacerdotem in peccato celebraturum, posses ab illius sacrificio recedere, & excusari à præcepto audiendi Sacrum, quod nemo concedet.

10. Denique etsi consultum sit omittentem sacrum vel ex malitia, vel impotentia aliquas orationes fundere, ut sic aliqualiter fructum sacrificii compenset; tamen nullo jure astringitur ad eas fundendas, quia nullibi est cautum loco Missæ prædictas orationes subrogari debere, aliàs essent orationes signatæ, & non arbitrio cujusque relictæ. Neque obstat Missam præcipi, ut eo sacrificio colatur Deus, ab eoque misericordiam postulemus, & impetremus ut inde inferas omisso sacrificio alia via esse Deum ex obligatione colendum, aliisque precibus exorandum; nam licet hoc maximè expediat, non tamen præcipitur, quia non finis præcepti, sed materia præcepti ex obligatione exequenda est, uti tradit Azor. *cap.7. quæst.14.* Suarez. *disput.88. sect.6. in fine.* Bonac. *disp.4. de sacram. q. ult. p. ult. num.16.* Laymann. *lib.4. sum. tract.7. capitul.4. in fine.* Et alii apud ipsos.



TRACTATUS XXIII.

ET

DISPUTATIO UNICA,

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

PUNCTUM I.

De nomine, & natura pœnitentiæ, quatenus est virtus.

1. *Vnde dicatur pœnitentia.*
2. *Nascitur necessariò ex amore alicujus boni peccato contrarii: & quod hoc sit.*
3. *Expenduntur motiva pœnitentiæ.*
4. *Quod sit motivum pœnitentiæ, ut est specialis virtus ab aliis distincta.*
5. *Qui sint actus pœnitentiæ à Concilio designati.*
6. *Fuga à peccatis ob pœnarum timorem honesta est.*
7. *Declaratur timor filialis, & servilis.*
8. *Qualiter prædicti actus ad justificationem necessarii sint.*
9. *Qualis sit actus pœnitentiæ specialis.*
10. *Plures negant requiri ad pœnitentiam, quæ extra Sacramentum justificet, actum charitatis formalem.*
11. *Alii oppositum tenent.*
12. *Approbatur hæc ultima sententia.*

1. POenitentia, quatenus virtus est, à pœna dicitur, quia pœnam, & dolorem tenere facit ob bona omissa, vel mala commissa. Sic Author *de vera, & falsa pœnit. cap.* 8. *&* 19. relatus *in c. Pœnitentia, 2. de pœnit. dist.*3. & habetur apud D. Aug. *tom.*4. Idem docuit Isidor. *lib.*6. *etymolog. cap. ultim.* Greg. *hom.*34. *in Evangelia*. & alii plures à Bellarm. *lib* 1. *de pœnitent. cap.*7. Suar. *tom.*4. *in* 3. *part. disput.*1. *sect.*1. Ægid. de Coninch. *disput.*1. *dub.*1.

2. Prædictus dolore, & pœna necessariò ortum habere debet ex amore alicujus boni: tum quia oritur à potentia appetitiva voluntatis, quæ primò, & per se, quod bonum est, appetit, & secundariò odit, & detestatur malum contrarium: tum, quia dolere non possumus de malo, quod malum non sit, comparatione alicujus objecti à nobis amati. Bonum autem amatum, cui peccatum contrarium est, & ob cujus contrarietatem illud detestamur, & de illo dolemus, multiplex est: tum ex parte Dei: tum ex parte nostri. Ex parte Dei est primò ipsius sanctissima voluntas, cui maximè peccatum displicet, & contradicit. Est item amor divinus, quo homines prosequitur, quem amorem destruit, & de medio tollit peccatum. Præterea est debitus honor, & reverentia: partim, quia naturæ rationalis, & totius boni author est: partim, quia est supremus legislator, & Dominus, quem honorem, & reverentiam non leviter lædit peccatum. Ex parte nostri est primò ipsa regula rationis, creaturæ rationali à Deo insita, cui peccatum repugnat, & contradicit: est item honestas virtutis quæ à nobis peccatum expellit. Est amicitia divina, & jus ad gloriam, quæ impedit peccata, seu de medio tollit, & loco illorum inimicitiam, & æternam damnationem subrogat. Est denique humanus honor, & fama; quam sæpè peccatum destruit.

3. Quocunque igitur ex prædictis modis de peccatis doleas, pœnitentiam agis: ideóque Ambros. relatus in *cap.*1. *de pœnitent. distinct.*3. Isidor. *lib.*6. *etymol. cap. ultim.* Augustin. *epist.*108. ad Seleucian. Author. *de vera, & falsa pœnit.* Gregor. *homil.*34. *in Evangel.* aliique Patres definientes pœnitentiam solius doloris meminerunt, motivo non expresso: quia vera pœnitentia ob quodcunque ex supradictis modis concipi potest. Sed eo casu pœnitentia non erit à reliquis virtutibus specialiter distincta, sed eadem cum illis. Quod expendendo prædicta motiva, ob quæ dolere potes de peccatis commissis cognosci potest. Si enim de peccatis doleas, quia ejus sanctissimæ voluntati, & bonitati, amorique repugnant, charitatis actum elicis: quia ad charitatem pertinet dolere de malo, quatenus Deo displicet, & malum illius est; sicuti ad ipsam charitatem pertinet velle bonum Deo, quatenus bonum illius est. Si vero doleas de peccatis, quia regulæ rationis adversantur; honestatis virtutem exerces, ad quam pertinet quodcunque bonum honestum appetere, & malum illi contrarium detestari. Si autem doleas de peccatis, quia speciali virtuti repugnant, scilicet fidei, temperantiæ, justitiæ, fortitudini; illius virtutis, ob cujus honestatem læsam doles, erit Actus. At si doleas, quia amicitiam divinam, & jus ad gloriam perdidisti, & condemnationem æternam incurristi: actum virtutis spei elicis: quia illius est bonum proprium supernaturale amare, & odisse contrarium. Dolere autem ex bono naturali amisso, scilicet, famæ, & honoris, non est propriè actus virtutis, sed amoris naturalis.

4. Vt ergo pœnitentia ab aliis virtutibus distincta sit, debet esse dolor de peccatis, quatenus divinam authoritatem offendunt, ejúsque honorem lædunt. Etenim divinum honorem illæsum servare, nullamque divinæ authoritati injuriam irrogare honestissimum est, & per se appetendum. Si ergo doleas de peccatis, quia illis divinus honor læditur, divinaque authoritas offenditur, actum virtutis pœnitentiæ ab aliis virtutibus distinctæ exerces: quia sub hac ratione nulla est alia virtus, quæ de peccatis doleat. Quocirca communiter Doctores definiunt pœnitentiam, esse detestationem, & dolorem peccati, quatenus contrararium est divinæ authoritati, & honori. Sic cum S. Thom 3. *p. q.*85. *art.*2. 3. *&* docuit Caiet. *ibi.*

Val.

Val. *disp.7. q.2. punct.1.* Henriq. *lib.4 sum. cap.19. n.1.* Suar. *disp.2. de pœnit.sect.3.* Ægid. *disp.1. de pœnit dub.4. n.23.* Laym. *lib.5. sum. tract.6. cap.1. n.2.* Bonac. *disp.5. de Sacram. Pœnit q.1. part.1. in princ.* Ratio hujus conclusionis est: quia dolor de peccatis ob prædictam rationem, nec est virtus charitatis, cum non procedat necessariò ex amore formali Dei; neque spei, cùm non spectet bonum pœnitentis proprium; neque justitiæ rigorosæ, cùm æquale Deo non reddat, neque aliquid ipsi tribuat, quod ab ipso non dimanet, ipsiúsque sit proprium. Restat ergo, ut ab alia virtute à prædictis distincta procedat, quæque pœnitentia stricte, & propriè nuncupatur, & pars cujusdam religionis sit, quatenus Deum colit, & honorat; aliqualisque justitia, quatenus Deo authoritatem, & cultum peccato ablatum, prout fieri potest, reddit, & reparat.

5. Porrò Trident. *sess.6. cap.6.* describens modum, quo regulariter adulti ad veram pœnitentiam disponuntur, multiplicem actum enumerat. Primus est gratia prævenientis, qua peccatori pessimus suus status repræsentatur, & ad illum deserendum ex benignitate Dei excitatur. Secundus est actus fidei, quo credunt, ob peccatum mortale æterna supplicia parata esse. Ex quo excitatur tertius actus, qui est timor illarum pœnarum, & voluntas fugiendi illas, quòd cùm certò sciant, alia via fugere non posse, nisi peccatum illarum causam detestando, moventur in illius detestationem. Quartus est spes veniæ: etenim divinam misericordiam considerantes, sperant, se remissionem impetraturos. Quintus, ex prædicta consideratione divinæ misericordiæ, qua peccatores ad se conversos benignissimè recipit, ex considerationeque divinæ bonitatis, qua dum peccarent, sustinuit, ac tandem ex consideratione dignitatis divinæ tam indebitè offensæ moventur in peccati detestationem, utpote quòd tantam bonitatem, ac majestatem offenderint. Et hæc detestatio, quæ ex amore divinæ bonitatis nascitur, contritio nuncupatur. Sextus, prædictam peccati detestationem sequitur voluntas sumendi de peccato vindictam, ut hac ratione Deo, qui est tantoperè offensus, fiat satisfactio. Septimus denique est firmum propositum nunquam Deum offendendi, quantum cum divina gratia fieri possit. Eosdem ferè actus enumeravit D. Thom. *q.85. artic.3.*

6. Ex prædictis actibus solus actus timoris pœnarum, & ob illarum causam à peccatis fuga, videri posset alicui minùs decens, & honestus: siquidem ex eo videtur inferri tacita voluntas non fugiendi peccatum, si pœnæ Inferni non essent. Cæterùm, catholica veritas docet, prædictum actum honestum, & decentem esse, quinimò sufficientem, ut simul cum Sacramento peccata remittantur, uti docuit Trident. *sess.14. cap.4. de contrit.* Aliud enim est ita esse peccatum affectum, ut nolles illud fugere, nisi pœna esset, aliud, velle absolutè fugere, quia pœna est. Primus affectus malus est: quia charitati oppositus. Secundus bonus, & utilis est: quia bonum, & utile est fugere peccatum, quocunque titulo illud fugias: sicuti malum est amare peccatum, quocunque titulo illud fames. Neque obstat, eo actu pœnam peccato præferri, ut inde inferas, si peccati patratio ad vitandam pœnam necessaria esset, te peccatum commissurum: quia esto comparatione illius actus pœna peccati fugæ præferatur, at non infertur absolutè præferri: potes enim comparatione unius actus magis diligere pœnam, quàm peccati fugam: siquidem ob vitandam pœnam peccatum fugis; secùs verò comparatione tui affectus, inclinationis, & dispositionis, qua spectata paratus esse potes omnem pœnam ob fugiendum peccatum sustinere. Exemplo David res est manifesta: ipse enim ita inclinavit cor suum ad servanda divina mandata propter territutionem, ut etiamsi retributio cessaret; non obinde mandatorum observatione desisteret.

7. Quocirca distinguunt Doctores cum D. Thom. 2.2. *q.19 art.4. & 3. part. q.85. art.5.* multiplicem timorem, ex quo peccatum vites. Primus, & præcipuus est timor filialis, qui ideò dicitur, quia ex amore Dei benignissimi Patris proficiscitur: etenim proprium filii est velle, patris bonum, timeréque quidquid patri displicet. Secundus est servilis, qui ex timore pœnæ nascitur: etenim servorum proprium est timore pœnæ dominis inservire. Hic timor & bonus esse potest, & malus bonus est, & utilis ad salutem, si à virtute supernaturali spei nascitur, excitetque peccati absolutam detestationem ob pœnam à Deo infligendam. At, si illi conjungatur talis in peccatum inclinatio, & affectus, ut si pœna non esset, peccatum committeres: talis timor pœnæ malus dici potest; non quidem in se, sed in affectu, qui illi per accidens conjungitur. Alius est timor peccati mundanus, qui ex timore pœnæ ab omnibus infligendæ nascitur, qui timor bonus est, nisi ei affectus in peccatum conjungatur; non tamen est utilis ad salutem, quia non ex virtute supernaturali, sed ex amore naturali sui ipsius nascitur. Vide Ægid. de Coninch. *disp.2. de pœnitent. dub.5.* Suar. *de fide, spe, & char. tract.2. disp.1. sect.4.*

8. Posito autem, omnes prædictos actus decentissimos, & honestissimos esse, examinandum est, qualiter justificationi peccatoris necessarii sunt. Et quidem gratiam prævenientem necessariam esse, nemo est, qui dubitet. Non enim valemus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est. Deinde necessarius est actus fidei, quo vera esse credantur, quæ divinitùs revelata, & promissa sunt; atque illud in primis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu. Præterea necessarius est actus spei, quo veniam à Deo impetrandam speres. Ex hujusmodi fide, & spe ad charitatis amorem divina gratia adjutus accedere potes, considerans divinam majestatem offensam; tametsi timore pœnæ non exciteris, voluntas verò satisfaciendi Deo, seu sumendi de peccato integram vindictam, regulariter detestationi peccati conjuncta est; aliàs nimis remissa, & tepida, imò suspecta esset detestatio. In rigore tamen loquendo, absque tali voluntate consistere potest detestatio peccati remissiva. Non enim teneris ex vi præcisè pœnitentiæ, secluso speciali præcepto Confessoris, vel Superioris, satisfactionem pro peccatis exhibere: sufficit, si paratus sis illam in hac vita, vel in Purgatorio sustinere, prout Deo placitum fuerit, uti docuit Scotus *in 4 dist. 20. quæst.2. art.2. sub finem* Vaga *lib.13. in Trident. c.22.* Henriq. *lib.3. de Sacram. c.24. n.6.* Suar. *de pœnitent disput.4. sect.3. n.8.* Suar. *disp.15. de pœnitent. sect. ult.* Ægid. de Coninc. *disp.2. de pœnitent. dub.6. n.60.* Propositum firmum, & absolutum nunquam peccandi non oportet in pœnitentia fieri actu distincto à detestatione, & dolore: etenim, qui seriò, & perfectè detestatur, & dolet peccati commissi, voluntatem virtualiter habet nunquam iterum peccatum committendi. Eáque de causa pœnitentia dicitur status mutatio, quia ab statu peccati ad statum gratiæ pœnitentem transfert, sicuti docuit August. *lib.5. homiliar. homil. ult. in fine.* Gregorius *homil.34. in Evangel.* Ambros. relatus *c.1. & c. de Pœnit. 2. de pœnit. disp.3.* & aliis.

9. Verùm si attentè prædictos actus enumeratos à Tridentino *sess.6. cap.6.* spectemus, vix invenimus aliquem actum virtutis specialis pœnitentiæ proprium. Nam detestatio peccati, & illius dolor, si ob pœnam, quam secum trahit à Deo infligendum, concipiatur, actus est virtutis Spei: si ob tantam majestatem offensam, actus est Charitatis. Unde, ut pœnitentiæ specialis proprius actus sit, concipi debet detestatio, & dolor de peccatis ob injuriam Deo factam, &

factam, & turpitudinem, quæ in hac injuria, & læsione cernitur, juxta id, quod tradit Trid. *sess* 14. *cap.* 5.

10. Difficultas autem est, an præcedere debeat necessariò actus charitatis formalis, ut pœnitentia extra Sacramentum efficax sit ad remissionem peccatorum. Negant Scot. *in* 4. *dist.* 14. *q.* 1. *art.* 3. §. *Ex his.* Gabr. *ib. q.* 1. *art.* 2. *conc.* 2. & 3. Navarr. *c.* 1. n. 5. Suar. *de pœn. disp.* 9. *sect.* 1. *n.* 6. Et moveri possunt: quia inde sequeretur, pœnitentiam non esse per se dispositionem necessariam ad remissionem peccati: siquidem inveniret peccatorem actu charitatis perfectè dispositum. Diligenti enim Deum ex toto corde, peccati remissio debetur, juxta illud Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo*, & 1. Joann. 4. *Qui diligit, ex Deo natus est.* Secundò, dolor de peccatis, quatenus divinum honorem lædunt, necessariò imperari debet ex amore divinum honorem illæsum servandi, quia ejusdem virtutis est amare honestatem sui objecti, & odisse malum ei contrarium. At prædictus amor non est amor charitatis, sed pœnitentiæ, seu justitiæ, & religionis erga Deum: siquidem detestatio hujus virtutis est actus. Ergo pœnitentia amorem charitatis non supponit. Tertiò, si prædicto dolori actus charitatis præcederet, necessariò inferret quidem detestationem, & dolorem peccati, qui ad charitatem pertineret, & non ad pœnitentiam: siquidem procederet ex amore Dei super omnia.

11. Verùm Canus *relect. de pœnit. part* 3. Petr. de Soto *lect* 4 & 5. *de pœnit.* Ægid. de Coninch. *de pœnit. disp.* 2 *dub* 6. *n.* 47. Paul. Laym. *lib* 5. *sum. tract.* 6. *cap.* 1. *num.* 4. Bonac. *de pœn. disp.* 5. *q.* 1. *punct* 2. *n.* 3. & alii censent, formalem actum charitatis præcedere pœnitentiam, quæ extra Sacramentum, & martyrium remittit peccatum. Moventur authoritate D. Thom. 3. *q.* 85. *art.* 5. enumerantis actus, qui ad nostram justificationem concurrunt, & quinto loco constituentis actum charitatis. *Quintus* (inquit) *est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum se ipsum.* Et *art.* 6. describens D. Thom. ea, quæ in justificatione impii concurrunt, ait: *In justificatione impii simul est motus liberi arbitrii in Deum, qui est actus fidei per charitatem formatæ; & motus liberi arbitrii in peccatum, qui est actus pœnitentiæ.* Horum tamen duorum actuum primus naturaliter præcedit secundum. Nam actus virtutis pœnitentiæ est contra peccatum ex amore Dei: unde primus actus est ratio, & causa secundi. Secundò, & præcipuè moventur authoritate Concil. Trident, *sess.* 14. *c.* 4. distinguentis contritionem ab attritione, affirmantisque, contritionem charitate perfectam extra Sacramentum justificare; secùs attritionem. Tertiò, ratione. Nemini extra Sacramentum remitti potest peccatum, nisi Deum super omnia diligat, aliàs, ut dixit Joan. 1. *cap.* 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Idque maximè decet: peccato namque à Deo summo bono avertimur. Debemus ergo pœnitentiâ ad ipsum converti: quod nulla alia ratione fieri potest, nisi actu perfectæ charitatis. Adde pœnitentiâ Deo reconciliamur, illiúsque amici constituimur: debet ergo ex amore amicitiæ procedere.

12. Hanc sententiam veriorem, & probabiliorem existimo, ideoque censeo, detestationem peccati justificatione extra Sacramentum proxime disponentem, ex amore Dei super omnia procedere, ac proinde non procedere ex amore servandi honorem divinum illæsum, & injuriam factam recompensandi ob honestatem, & decentiam, quæ in hoc objecto cernitur; quod est pœnitentiæ specialis formale objectum, sed ob ipsum Deum, & quatenus bonum illius est, eique debitum. Quod si dicas, inde fieri, actum specialis virtutis pœnitentiæ ad justificationem extra Sacramentum non disponere proximè, nullum est inconveniens, imo necessariò affirmandum: siquidem Trident. contritioni charitate perfectæ remissionem peccati tribuit; contritioni autem, quæ ex turpitudine peccati nascitur, quæque attritio nuncupatur, hanc efficaciam denegat. At detestatio, quæ præcisè ob divinum honorem illæsum concipitur, necessariò ex turpitudine, quæ in læsione divini honoris est, nascitur. Ergo hujusmodi detestationi remissio peccati extra Sacramentum concedenda non est. Si verò urgeas, inde fieri, non pœnitentia, sed charitate peccatum extra sacramentum remitti: tum, quia ante ipsam detestationem amor Dei præcedit, qui sufficiens est peccati dimittendi dispositio. Respondeo, negando, peccatum pœnitentia non remitti: siquidem detestatione remittitur. Etenim, ut *suprà* dixi, detestatio peccati proveniens ex charitate, pœnitentia est perfectissima, tametsi non sit specialis virtus à reliquis distincta: amor verò præcedens hanc detestationem non est sufficiens dispositio ad culpæ remissionem, si illius memor sis: quia stante amore, & cognitione peccati suspendere nequis detestationem, ac proinde utroque actu, & amoris, & detestationis te ad justificationem disponis. At, si peccati sis immemor, actu solo charitatis, & amoris Dei super omnia te optimè ad justificationem disponere potes. Neque inde fit tibi peccatum remitti absque illius pœnitentia: quia ille actus charitatis peccati pœnitentia est eminenter: siquidem detestationem inferret, si peccatum objiceretur, tametsi non sit pœnitentia formalis, quod non videtur necessariò requisitum, ut latè probat Ægid. de Coninch. *disp.* 2. *de pœnitent. dub.* 6. *a num.* 50. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 6. *cap.* 2. *num.* 3. Ex his constat solutio rationum prioris sententiæ, quibus non oportet sigillatim respondere.

Punctum II.

Qualiter pœnitentiæ virtus peccatum, tam mortale, quàm veniale remittat.

1. *Fides docet, pœnitentiam quodlibet peccatum delere posse.*
2. *Solvuntur objectiones aliquot.*
3. *Remisso uno mortali, omnia secundùm legem Dei remittuntur.*
4. *Culpa remissa, & pœna æterna remittitur.*
5. *Ad remissionem venialis pœnitentia formalis, vel virtualis requisita est.*
6. *Contritio perfecta omnia remittit.*
7. *Attritionem negant plures sufficere ad venialem remissionem extra sacramentum, & qualiter probant.*
8. *Expenduntur prædictæ rationes.*
9. *Satis est probabile, attritionem, quæ se ad peccata venialia extendit, peccata remittere.*
10. *Oratione Dominica, aliisque precibus veniam expostulantibus; peccatum veniale remittitur.*
11. *Limitat Layman hanc doctrinam, ut ex imperio charitatis prædictæ orationes procedant.*
12. *Rigida limitatio, etsi probabilis.*
13. *Sola charitas animæ inhærens videtur sufficiens.*
14. *Qualiter pani, aquaque benedictæ, & aliis sacramentalibus concedatur venialium remissio.*
15. *Nunquam peccatum, sive veniale, sive mortale, remittitur sine proposito formali, vel virtuali illud non committendi.*
16. *Expenditur triplex discrimen inter propositum cavendi peccata mortalia, vel venialia.*
17. *Peccata sic remittuntur, ut penitus extinguantur. Secus bona opera ab homine justo facta per peccatum.*
18. *Quare bona opera reviviscant, non verò peccata.*
19. *Proponitur objectio, & solvitur.*

1. Pœni

1. POenitentia quodlibet peccatum deleri posse, fide tenendum est. Neque enim est ullum peccatum in hac vita ita grave, quod pœnitentia deleri non possit, uti definitur in *cap. Firmiter. de summ. Trinit.* & colligitur ex illo Oseæ 13. *perditio tua, Israël: tantummodo in me auxilium tuum*, & pluribus comprobat Bellarm. *lib.2. de grat. & libero arbitr. cap.5.*

2. Neque obstat affirmari Matth.12. *num.31.* Marc.3. 29. Lucæ 12. 10. blasphemiam in Spiritum Sanctum, neque in hoc sæculo, neque in futuro remitti; quia id dictum non est, quasi id nunquam remittatur: credi enim probabiliter potest, aliquos ex his, qui in Christum blasphemabant, affirmantes in Beelzebub ejicere Dæmonia, conversos esse, & remissionem illius, aliorúmque peccatorum fuisse consecutos. Sed ideò negatur, eorum peccatum in Spiritum sanctum in hoc sæculo, vel in futuro remitti: quia regulariter, inquam, & ordinariè non remittitur, eò quod illius non doleant. Quòd provenit ex malitia, qua peccat, ob quam nullam in peccato excusationem habent, merentúrque à Deo deseri. Quòd si roges, qua de causa blasphemiam illam Judæorum, qua Judæi miracula Christi Domini Beelzebub tribuebant, appellaverit Christus Dominus peccatum contra Spiritum sanctum, cùm potiùs contra ipsum fuerit? Multipliciter Maldonat. *in prædictum locum* Matth. respondet. Sed ea responsio mihi videtur germanior, ideò adversùs Spiritum sanctum prædictum peccatum esse: quia erat adversùs effectum, qui Spiritui sancto specialiter tribuitur. Etenim Spiritui sancto specialiter appropriatur illuminare mentes, in veritatis cognitionem, & manifestationem. At illi Judæi de Christo blasphemantes ab Spiritu sancto illuminati erant, e úsque dono cognoscebant, miracula Christi Domini vera esse, neque à malo Spiritu procedere potuisse. Affirmare ergo ea miracula Principi Dæmoniorum esse tribuenda, est lucem à divino Spiritu communicatam obscurare, illi úsque divinæ communicationi, & efficaciæ resistere.

Neque item obstat quod 1. Joann.5. *num.16.* affirmatur, pro peccato ad mortem exorandum non esse, quasi illius salus omninò sit desperata. Nam ut benè explicat *ibi* Caietan. non prohibuit Joannes pro peccato ad mortem exorare: solùm enim declaravit se nolle præcipere, ut pro eo rogetur: quia esto ex parte petentis omnes conditiones adsint, ut petitio effectum obtineat: ex parte tamen illius, pro quo fit petitio, effectus impedietur. Qui enim ita peccat, ut in eo peccato usque ad mortem perseverare intendat, satis indispositum se reddit veniæ impetrandæ, cujuslibet pii viri precibus, & orationibus.

Neque tertiò obstat dixisse Paulum ad Hebr.6. *Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti; gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutésque sæculi venturi, & prolapsi sunt, iterum renovari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Quia, si expositioni Caietan. in hunc locum adhæremus, nullatenus probatur, voluisse Paulum, lapsos post Baptismum, Confirmationem, & verbi divini doctrinam, nullum remedium habituros, sed non esse habituros remedium baptismi iteratione: esset enim talis iteratio quædam recrucifixio Filii Dei sibimetipsis. Etenim Baptismo moriuntur in Christo, & quasi cum illo sepeliuntur, ad novitatémque vitæ resurgunt. Si ergo vellent iterum Baptismo renovari, sanè Christum in semetipsis crucifigerent, & sepelirent, cùm tamen unica mors, sepultura & resurrectio illius fuerit, unicóque Baptismo significari possit. Quod clariùs explicant sequentia verba, *& ostentui habentes*: quasi diceret: Hæc recrucifixio Filii Dei in illius publicam ignominiam cedit. Quod si non de renovatione per Baptismum; sed per pœnitentiam locus Pauli intelligendus sit, ut plures recentiores apud Cornelium *ibi* asserunt, verbum illud, *impossibile*, pro difficili sumendum est, juxta illud Jerem.13. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, & pardus varietates suas, & vos*, scilicet, Judæi, *poteritis benè agere, cùm didiceritis malè.* Et Sapient.12. de Chananæis dicitur: *Non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.* Et Joan. 12. *Propterea non poterant credere: quia iterum dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum.* Quibus locis, ut passim Patres declarant, non de impotentia absoluta, sed morali, id est, de difficultate gravi verba prædicta intelliguntur.

Neque quartò obstat, quòd idem Paul. ad Hebr. 10. dixerit: *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.* Si igitur nulla hostia nec sacrificium prædictis supereest, jam eorum salus desperata est. Non, inquam, obstat: quia hæc verba, ut inquit Caietan. non de pœnitentia Sacramenti, sed de pœnitentia Baptismi intelliguntur: quasi diceret Paulus. Voluntariè peccantibus post Baptismum non relinquitur Christus iterum in Baptismo crucifigendus: quia neque iterum Christus crucifigendus est in se, neque in Baptismo denuò instituto. Si verò hostia, & sacrificium pro pœnitentia sumantur, juxta illud Psalm.50. *Sacrificium Deo, spiritus contribulatus.* Voluntariè peccantibus non relinquitur pœnitentia, nisi difficillimè pro peccatis. Apertiùs tamen horum verborum sensum explicuit Ægidius de Coninch. *de pœnitentia, disputat.2. dub.1. in fine*, affirmans, Judæis post acceptam veritatis notitiam, volentibusque legem Moysis cum lege Christi conjungere, & sic voluntariè peccantibus, non relinquitur hostia pro peccatis: quia nec illis prodest, quam Christus de se obtulit, neque eæ hostiæ, quæ in antiqua lege offerebantur, cùm jam sint omninò abolitæ.

3. Rursus pœnitentia ita remittit peccatum ut uno remisso omnia mortalia secundùm legem Dei remittantur. Remittit namque peccatum media gratia, & charitate, quæ omnibus peccatis æquè repugnat. Notanter dixi, *omnia mortalia*, quia venialia gratiæ, & charitati simplici non contradicunt, ideoque unum sine alio remitti potest. Nunquam autem remittitur, quin simul infundatur gratia, ut pluribus firmat Suar. *disput.11. sect.2. num.20.* adversùs Bonavent. & Alens. quia peccatori, & inimico Dei nunquam remittitur: neque enim ad ejus remissionem, stante inimicitia, se disponere potest. Justo autem, etsi per divinam potentiam remitti possit absque ulla gratiæ infusione, sed non ex lege à Deo statuta. Decuit enim maculam, & deformitatem peccati, gratiæ pulchritudine deleri, quæ licèt ex se cum peccato veniali non pugnet, pugnat tamen ex intentione Dei volentis ex gratia peccatum veniale remittree, & non aliter.

4. Remissa culpa, si mortalis sit, & pœna æterna remittitur: quia ne quis filius Dei, & hæres regni cælestis esse, & simul addictus pœnæ æternæ sustinendæ, uti colligitur ex Paulo ad Rom.8. & tradit Trident. *sess.6. cap.7.* & 14. Attamen aliqua pœna temporalis, qualem Deus ab amico justè indicat exigendam, sæpè sæpius sustinenda monet, prout docuit idem Trident. *dicta sess.6. cap.14.* & sumitur apertè ex illo *Num.20. & Deuteron.33.* ubi Moyses, & Aaron privantur terræ promissionis introitu, in pœnam delicti prævaricationis jam remissi: & 2. *Reg.12.* punitur David morte filii, eò quod occasionem dederit amicis blasphemandi: & Joëlis 2. monet Deus, conversionem nostram fieri ex toto corde, in jejunio, in fletu, & in planctu; ideóque consulunt Cypr. *lib. de lapsis.* Tertul. *de pœnit.* Chrys. *hom. de pœnit. & confess.*

Gregor.

Gregor. *hom.*20. *in Evang.* & alii Patres, poſt accep tam juſtitiam, pœnitentiæ opera exercere : quia credunt aliquid reſtare pro peccatis remiſſis ſatisfaciendum. Dixi, *ſæpè ſæpius :* quia aliquando ita intenſa, & fervens contritio eſſe poteſt, ut virtute illius charitate informata, non ſolùm æterna pœna ; ſed etiam quælibet alia temporalis debita aboleatur. At, ſi de peccatis venialibus loquamur, cùm hæc non mereantur æternam pœnam, ſed temporalem, regulariter illis remiſſis, & pœna illis debita remittitur, aliquando tamen ita tepidus dolor eſſe poteſt, ut licèt culpam purget, reatum alicujus pœnæ ſubeundum relinquat.

5. Deinde ad remiſſionem venialis pœnitentia formalis, vel virtualis requiritur, uti docent D. Thom. 3. *part. quæſt.* 87. *art.*1. *ib.* Suar. & Vaſq. Coninch. *diſp.*2. *dub.*14 *num.*122. Layman. *lib.*5. *ſum. tract.*6. *cap.*4. *num.*12. Nam, cùm per veniale peccatum aliquo modo noſtra voluntas à Dei voluntate avertatur, decuit, hanc averſionem nova divinæ voluntati ſubjectione deleri. Hæc autem pœnitentia ſupernaturalis eſſe debet, id eſt, ex motivo ſupernaturali ; aliàs peccato veniali quod divinum honorem, authoritatem, & amicitiam offendit, non opponeretur. Præterquàm quòd remiſſio peccati venialis ſupernaturalis eſt, quippe ſupernaturalis ſalutis noſtræ fini congruit. Ergo pœnitentia, quæ huic remiſſioni neceſſaria eſt, ſupernaturalis eſſe debet, cùm finis, & media proportionem habere debeant : & tradit Ægid. de Coninch. *de pœnit. diſp.*2. *dub.*14. *concl.* 3.

6. Hæc igitur pœnitentia, ſi ſit contritio abſoluta, & perfecta, deteſtans peccatum veniale, quia Deo diſplicet, & ejus amicitiam, & honorem aliquo modo lædit ; ſufficiens diſpoſitio eſt ad omnium peccatorum remiſſionem : nullum enim peccatum cum ea diſpoſitione conſiſtere poteſt.

7. An verò ea attritio, quæ ex turpitudine peccati, vel ex metu gehennæ, & Purgatorii concipitur, ſufficiens ſit in homine juſto ad remiſſionem venialium extra ſacramentum, non conveniunt Doctores. Negant Vaſq *t.*4. *de pœnit. q.*87. *art.*1. *dub.*2. *n.*6. Paul. Layman. *lib.*5. *ſum. tract.*6 *c.*4. *n.*14. Moventur : quia inde ſequeretur, nunquam pœnitentiæ ſacramento peccatum veniale remitti : quia nunquam remitti poteſt, quin illius ſaltem attritionem habeas : hæc enim eſt neceſſaria ad effectum ſacramenti diſpoſitio : at poſita attritione, jam ipſum peccatum remittitur : non igitur ſacramentum pœnitentiæ operari remiſſionem poteſt. Secundò per peccatum veniale quodammodo avertimur à Deo, ejúſque amicitia : debemus ego formaliter, ſeu virtualiter ad ipſum converti. Sed attritio non eſt ad Deum converſio, quippe non eſt actus charitatis. Ergo attritio non eſt per ſe ſufficiens diſpoſitio ad peccati extra ſacramentum, remiſſionem. Tertiò, non remittitur peccatum, etiam veniale : niſi media gratiæ infuſione : at ut gratia extra ſacramentum infundatur, expoſtulat actum meritorium, qui ad finem ſupernaturalem ordinetur formaliter, vel virtualiter, aliàs cum ipſa gratia proportionem non habebit, ideóque dixit S. Th 1. 2. *q.*114. *art.*4. meritum vitæ æternæ primò pertinere ad charitatem, ad alias autem virtutes ſecundariò, quatenus à charitate imperantur. Ergo attritio, quæ à charitate non procedit, vel imperatur, neque remiſſionem peccati, neque gratiæ augmentum obtinere poterit.

8. Sed hæ rationes non convincunt. Primæ rationi reſpondet Coninch. *diſp.*2. *de pœn. dub.*14. *n.*126. in homine juſto attritionem peccatorum venialium non impetrare omnium illorum remiſſionem ; ſed aliquorum, prout divinæ bonitati beneplacitum fuerit : quia non in vi diſpoſitionis, & ſatisfactionis, ſed meriti peccatorum remiſſionem impetrat ; ideóque plura peccata Sacramento Pœnitentiæ remittenda relinquuntur. Sed diſplicet hæc ſolutio, eò quod gratis aſſeritur, virtute attritionis aliqua peccata remitti, & non omnia, cum æquè omnium ſit deteſtatio. Item, ſine fundamento negat, non remittere peccata vi diſpoſitionis, ſed ſolius meriti, cùm utramque rationem attritio contineat, & meriti comparatione gratiæ, & diſpoſitionis comparatione remiſſionis peccatorum. Secundò reſpondent alii, nullum eſſe inconveniens, peccata venialia Sacramento Pœnitentiæ de facto non remitti : quia id per accidens eſt, cum jam ſint attritione remiſſa. Sed hæc reſponſio ſuſtineri non poteſt : præcedere enim attritionem Sacramento Pœnitentiæ non eſt per accidens ; ſed per ſe, & neceſſariò. Ergo per ſe ſupponuntur venialia remiſſa. Non igitur ſacramento Pœnitentiæ unquam remitti poſſunt. Quocirca reſpondeo, ut vi ſacramenti venialia remittantur, ſacramentumque Pœnitentiæ æquè mortalia, ac venialia remittat, ſufficit fieri, venialium remiſſionem, quando homini peccatori peccatum mortale remittitur. Etenim ſi exiſtens in mortali non ſolum illius, ſed venialium attritionem habeas, & ea attritione ſacramentum Pœnitentiæ recipias, illud ſacramentum non ſolum mortale, ſed venialia tibi remittit. Ergo jam aliquando peccata venialia vi confeſſionis remittuntur tametſi in homine juſto non remittantur : ſicuti nec contrito mortalia remittuntur, quia jam ſunt remiſſa ; quod non eſt inconveniens. Secunda minus urget. Fateor per peccatum veniale quodammodo nos avertià Deo, illiuſque fieri inimici : ſed quia hæc non eſt formalis averſio nec formalis inimicitia ; ſed virtualis, quatenus eſt opus divinæ voluntati adverſum, eique diſplicet ; optimè accedente divina gratia aboleri poteſt converſione, quæ Deo placeat, ejuſque voluntati grata ſit : tametſi formale motivum gratitudinis ; & divinæ complacentiæ non habeat. Tertiæ. Admitto nullum peccatum veniale remitti ſine infuſione gratiæ, neque gratiam infundi abſque motu liberi arbitrii in finem ſupernaturalem formaliter, vel virtualiter : nego tamen deteſtationem peccati ob illius turpitudinem, vel ob privationem gloriæ, ſeu æternam damnationem non eſſe motum in finem ſupernaturalem ; ſiquidem divina fide cognoſcitur peccatum deteſtatum, conſecutionem finis ſupernaturalis impedire. Et ex hoc motivo concipitur deteſtatio.

9. Quapropter exiſtimo, ſatis probabile eſſe, in homine juſto attritionem, quæ ad peccata venialia ſe extendit, & gratiæ augmentum mereri, & medio illo augmento peccata venialia abolere. Sic docuit Suar. *de pœnit. diſp.*11. *ſect.*3. *aſſert.*3. Ægid. de Coninch. *de pœnit. diſp.*2. *dub.*14. *num.*124. *concl.*5. Nam eſto ſit ſatis apud Doctores controverſum, an operationes aliarum virtutum à charitate, ut meritoriæ ſint gratiæ augmenti, indigeant charitatis imperio vel ſufficiat illius moraliter perſeverans relatio, vel tandem fieri ab homine grato ſupernaturalem finem cognoſcente, uti videre eſt apud Vaſq. 1.2. *diſp.*127. *cap.*3. Suarez *de gratia, libr.*12. *cap* 8. & 9. Attamen negari non poteſt, operationibus illis à charitate imperatis meritum diſiunctum correſpondere ab eo, quod imperio charitatis correſpondet ; aliàs inutile, & ſupervacaneum eſſet, operationes virtutum moralium exercere. Ergo, quamvis aſſeramus (quod ſublite eſt) indigere operatione omnium virtutum imperio charitatis, ut conditione ad meritum, cùm ex ſe meritum habeant ea conditione poſita ; videtur effici manifeſtè, & attritionem hominis juſti procedentem ex virtute ſpeciali pœnitentiæ, prout ab imperio charitatis diſtinctam, & meritoriam novi gratiæ augmenti eſſe, & peccatorum, quibus opponitur, remiſſivam.

10. Non ſolùm attritione hominis juſti peccati venialis remiſſio obtinetur ; ſed etiam Oratione Dominica, aliiſque precibus veniam expoſtulantibus, uti

ari docuit Sanctus Augustinus *in Enchirid. cap. 71. & lib. 50. homil. ult. cap. 3.* Quinimo aliis operibus bonis virtutis, scilicet, jejunio, eleemosyna, humiliatione, si pro impetranda illorum remissione fiant. Nam hæc tacita postulatio, & impetrandæ remissionis venialium voluntas, est virtualis eorum detestatio, ut rectè inquit Ægid. de Coninch. *disp. de pœnitent. dub. 14. concl. 6. n. 159.* Non enim possumus seriò desiderare liberari à peccatis, quin ea peccata nobis displiceant.

11. Limitat tamen hanc doctrinam Paul. Layman. *lib. 5. sum. tract. 6. cap. 4. n. 15.* dummodo ex imperio charitatis ea opera procedant, motus ea sententia, quam latè tradiderat *lib. 2. sum. tract. 3. de charit. cap. 1. dub. 2.* scilicet nulla opera virtutis prodesse homini ad meritum sine eo, quod à charitate eliciantur, vel imperentur. Non enim videris dignus amicitia divina, & æterna cum Deo conjunctione, nisi eam consequi intendas: quod fieri non potest sine motu charitatis elicito vel imperato. Et ob hanc causam, inquit, appellatur charitas reliquarum virtutum forma, quia ad promendam vitam æternam mortuæ sunt absque charitatis motione & imperio. A charitate autem vitam, & efficientiam accipiunt. Ideoque dixit Paul. *ad Colossens. 3.* charitatem esse vinculum perfectionis & *1. ad Corinth. 13.* omnia absque charitate inutilia esse; charitate autem utilia fieri, ita ut nec fides ipsa supernaturalis esse possit, nisi quatenus per charitatem operatur, ut dicitur *ad Gal. 5.*

12. Sed hæc limitatio, etsi probabilis sit, mihi tamen semper difficilis visa est: ex ea namque manifestè infertur, rarò seculares homines, imò religiosos, augmentum justitiæ mereri, tametsi plures actus virtutum moralium, & theologicarum exerceant. Quis enim est ita Deo conjunctus, & amicus qui omnia opera virtutum ex imperio charitatis præstet? Aliàs si ob nulla opera virtutis merces esset accipienda, nisi ob ea quæ propter Dei gloriam, & ipsius amorem essent facta quomodo ii quibus beatitudo conceditur, quia necessitatem patientis miserti sunt, ignorant in die Judicii, se Christi misertos esse, uti colligitur ex illo responso? *Quando te vidimus esurientem & pavimus?* & quomodo diversa merces recipiendi Discipulum in nomine Discipuli, vel Prophetam in nomine Prophetæ, vel minimum Christi servum in nomine servi, promittitur Matthæi 10. Eadem enim merces omnibus concedenda esset, cùm ratio meriti una sit.

13. Quo circa crederem, satis probabile esse solam charitatem animæ inhærentem sufficientem esse, ut reliquarum virtutum operationes meritoriæ sint, & charitatis augmenti, & remunerationis æternæ: maximè si huic charitati aliqua actualis ratio, qua te, tuáque omnia in Deum, ut supremum bonum, & ultimum finem referas, adjungatur. Neque enim credendum est, piissimum, & benignissimum Deum, tot opera virtutum suorum amicorum absque præmio vitæ æternæ relicturum, eò quod ex relatione actuali in ipsum non processerint: satis enim videtur esse, quòd ad ipsum virtualiter referantur, quatenus sunt opera amici, & de objecto sibi grato. Neque aliud colligitur ex verbis Apostoli charitatem commendantis. Fateor namque, omnia opera virtutis ad meritum beatitudinis inutilia esse absque charitate habituali: quia ab hac charitate, tanquam à radice accipiunt vim, & efficaciam merendi: nego tamen inutilia esse absque actu proprio charitatis. Adde esse satis probabile charitatem, dum in anima residet, objecta aliarum virtutum attingere, & simul cum aliis virtutibus suos actus operari. Quòd si ita est, optimè intelligitur, qua ratione reliquarum virtutum charitas forma sit, radix, & perfectio. Sed de his alibi latiùs.

14. Insuper pani aquæque benedictæ, aliisque sacramentalibus virtus peccata venialia remittendi tribuitur, non quidem per se, & vi sua, aliàs essent Sacramenta, sed quatenus ex orationibus Ecclesiæ vim habent à Deo impetrandi pium motum voluntatis, quo venialia remitti possunt, sicuti habent potestatem compescendi Dæmones, sedandi tempestates, & noxia removendi, ut latius docuit D. Th. *q. 87. art. 5.* Suar. *de pœnit. disp. 11. sect. 2.* Ægid. de Con. *q. 71. art. 3. dub. unico, concl.* Paul. Layman. *lib. 5. sum. tract. 6. cap. 4. n. 16. concl. 8.*

15. Adde: nullum peccatum, sive mortale, sive veniale remittitur absque proposito formali, vel virtuali, nunquam illud iterum committendi: quia remitti non potest absque seria detestatione, illius peccati voluntatem, & affectum excludente: potes tamen, probabilem timorem habere in illud peccatum incidendi, si occasio se obtulerit: quinimo spectata tua fragili conditione judicare casurum, quia hoc judicium, & timor consistere potest cum efficaci voluntate actuali id peccatum pro viribus fugiendi, uti notarunt Ægid. de Conin. *disp. 2. de pœnit. dub. 14. concl. 7.* Paul. Layman *lib. 5. sum. tract. 6. cap. 4. assert. 8.*

16. Ex quibus triplex discrimen accipe inter propositum requisitum ad remissionem mortalis, & requisitum ad remissionem venialis. Primum est. Propositum requisitum ad remissionem peccati mortalis non solum opponitur peccato expressè detestato, sed cuicunque alteri: siquidem gratia vi cujus mortale remittitur, æquè omnibus mortalibus contradicit: at propositum requisitum ad venialis remissionem, non indiget opponi omnibus aliis venialibus, cum gratia compati possit cum omnibus peccatis venialibus. Sed fateor, hoc discrimen, quod verissimum est, non satis consequenter adstrui à Paulo Layman. ipse enim affirmat, nullam detestationem peccati, nullúmque illius vitandi propositum esse venialis remissivum, nisi à charitate procedat, vel imperetur, seu nisi ex motivo placendi Deo concipiatur. Cùm ergo hoc motivum æquè omnia venialia peccata afficiat, efficitur sanè in sententia Layman. non posse detestari unum peccatum veniale, absque alio, detestatione sufficiente ad illius remissionem: quod ipse repugnat concedere. Secundum est. Propositum peccati mortalis vitandi est absolutum, vitandi, inquam, omnia mortalia, tam singulariter, quàm collectivè sumpta, quia omnia divina gratia adjutus vitare potes: at propositum vitandi venialia non est ita absolutum, sed est propositum vitandi omnia, prout humana fragilitas permiserit, & singula absolutè: quia aliter vitare spectata gratia, quæ communiter concedi solet, impossibile est.

Tertium est. Propositum vitandi venialia non est necessariò ita firmum, & efficax, sicuti propositum vitandi mortale, neque ita efficaciter animum movet ad fugiendas peccati venialis occasiones, sicuti movet propositum vitandi mortale. Etenim peccatum mortale animæ malum longè gravius est, quàm veniale, difficiliúsque incurritur, cùm tamen occasiones committendi venialia passim contingant. Ex quo ulteriùs prudentissimè inferunt prædicti Doctores facilius absolvi posse relabentes in eandem speciem peccati venialis, quàm mortalis, quòd ipse relapsus non sit indicium defectus doloris ad illius remissionem necessarii, cùm provenire possit ex occasionibus frequenter oblatis, quæ non sic in peccatis mortalibus contingunt, à quarum fuga facilè excusantur, præcipuè si absque incommodo id facere non possint.

17. Ad extremum adverte. Peccata, sive mortalia, sive venialia, sic per pœnitentiam remittuntur, ut penitus deleantur, & extinguantur, juxta illud Actorum 3. *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Illis autem semel extinctis, tametsi pœnitens à justitia recepta decidat, illorum Deus nunquam amplius ad punitionem recordatur: quia, ut dicit Paul. ad Rom. 11. *Sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei.* Quòd si dicas, peccata non absolutè remittenda

per

per pœnitentiam, ſed ſub conditione ſi in pœnitentia perſeveraveris, obſtat: quia illa non eſſet peccati præſens remiſſio, ſed futura, neque per pœnitentiam eſſet delictum peccatum, ſed delendum, neque reconciliatus peccator, ſed reconciliandus, quod repugnat Trident. & Scripturæ ſæpè affirmanti, pœnitentia mundari noſtra delicta, uti pluribus confirmat Gratian. *de pœnitent. diſtinct.* 4. & D. Thom. *q.* 88. *art.* 1. & alii paſſim. Econtra bona opera ab homine juſto facta non penitùs extinguuntur peccato, ſed ſuſpenduntur, & impediuntur à remuneratione, dum peccatum perſiſtit: eo autem ſublato, redeunt, ac ſi nunquam extincta eſſent: de qua relati Suar. *opuſculo ſpeciali de reviviſcent à meritor.* Vaſq. *t.* 2. *t.* 2. *diſp.* 211. *cap.* 5. Ægid. de Coninch. *de pœnit. diſp.* 2. *dub.* 20.

18. Quòd ſi roges, quare bona opera reviviſcunt ad præmium, ſublato peccato: peccata verò remiſſa, ſublata gratia, non redeunt ad pœnam? Reſpondeo: quia Deus pronior eſt ad præmium, quàm ad pœnam, ad miſericordiam, quàm ad juſtitiam, juxta illud: *Et miſericordia ejus ſupera omnia opera ejus*. Et quia peccatis applicatur Chriſti plena ſatisfactio; ideóque redire non poſſunt: bonis verò operibus non applicatur peccatum, ut illorum ſatisfactio, neque ut forma, ea bona opera extinguens, ſed ſolùm ut impediens eorum præmium. Quare peccato remiſſo optimè ad præmium redire poſſunt. Adde, divinam bonitatem maximè decere, bona opera facta à ſuis amicis, ab amicitia poſteà deviantibus, apud ſe remuneranda retinere, ſi ad amicitiam redierint. At nullatenus decet, nec fieri poteſt, peccata remiſſa apud ſe punienda retinere, ſi à juſtitia receſſerint.

19. Neque obſtat, quòd per Prophetam Ezech. *cap.* 18. æquè aſſerat Deus, ſe non recordaturum tuorum bonorum operum, ſi à juſtitia diſceſſeris, ſicuti aſſerit, ſe non recordaturum amplius iniquitatum, quas operatus es, ſi illarum pœnitentiam egeris: quia id intelligi debet, dum in iniquitate perſeveraveris: quia eo ſtatu durante, non amplius bonorum operum recordatur Deus, ac ſi nunquam facta fuiſſent. At, ſi ab ſtatu peccati in ſtatum gratiæ te receperis, omnia bona opera, quia per peccatum ſepulta erant, reviviſcunt: aliàs pœnitentia facta, & juſtitia accepta, recordaretur Deus tuarum iniquitatum: ſiquidem ob illarum cauſam opera bona antea facta, & præmio digna privarentur præmio, iniquitáſque remiſſa tibi non leviter noceret, contra Ezechielem, *cap.* 18. & 33.

Punctum III.

Qualiter Pœnitentiæ virtus omnibus adultis neceſſaria ſit.

1. *Pœnitentiam omnibus adultis peccatum mortale committentibus neceſſariam eſſe, fides docet. Quæ pœnitentia, attritio, an contritio?*
2. *Sub diſtinctione reſpondetur.*
3. *Examinatur quædam limitatio ſuperioris doctrinæ de articulo mortis.*
4. *Abſque formali deteſtatione aliquando contingit juſtificatio.*
5. *Pœnitentia peccati tibi neceſſaria eſt triplici eventu.*
6. *Alios eventus plures Doctores enumerant: ſed non placent.*
7. *In articulo mortis pœnitentia per ſe neceſſaria eſt.*
8. *Extra articulum mortis nullum ſignari poteſt tempus determinatum.*
9. *Ex divino præcepto obligaris, ſecundùm probabiliorem, communémque ſententiam, ne diu pœnitentiam differas.*
10. *Solvitur quædam objectio.*
11. *Remiſſis peccatis nulla ſupereſt obligatio poſitiva deteſtationis, niſi Sacramentum ſis ſuſcepturus.*

1. Pœnitentiam formalem, vel virtualem eſſe neceſſariam ad ſalutem omnibus adultis peccatum mortale committentibus docet Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. ſumitúrque ex illo Lucæ 3. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.* Ratióque eſt manifeſta: nam per peccatum noſtra voluntas divinæ legi adverſatur, ejus amicitia perditur, & divina authoritas offenditur, & contemnitur, nobiſque ipſi grave malum irrogamus. Tenemur ergo procurare, quoad fieri poſſit hanc averſionem de medio tollere, tum ex charitate, quia amicitiam perditam obligamur reſtaurare, tum ex juſtitia, ſeu ſpeciali virtute pœnitentiæ, qua divinæ authoritati læſæ, & offenſæ ſatisfacere debemus, tum ex virtute, qua damnum, quod nobis intulimus, reſarcire debemus. At his omnibus obligationibus pœnitentia ſatisfacit, ut ex præcedenti Puncto conſtat. Eſt igitur pœnitentia neceſſaria.

2. Sed quæ pœnitentia, contritione, an attritio? Diſtinguendum eſt, ſi occaſio ſuppetit recipiendi Baptiſmum, vel Pœnitentiam, ſola attritio ſufficit: quia ut ex Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. manifeſtè colligitur, ea eſt ſufficiens diſpoſitio, ut ſacramentum gratiam conferat, divinam amicitiam reſtauret, honori divino læſo ſatisfactionem præſtet, & peccatum commiſſum non noceat; quæ ſunt cauſæ ob quas pœnitentia neceſſaria eſt. Atque ita docent; aliis relatis Henriq. *lib.* 4. *de ſacram. cap.* 6. *n.* 5. Suar. *de pœnit. diſput.* 15. *ſect.* 4. *n.* 13. Ægid. de Coninch. *diſp.* 3. *de pœnit. dub.* 1. *n.* 4. Paul. Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 6. *c.* 3. *n.* 2. Bonac. *diſp. de ſacram. Pœn. q.* 1. *punct.* 2. & latius *q.* 5. *part.* 2.

3. Limitant tamen communiter Doctores, quos refert, & ſequitur Valent. *t.* 4. *diſp.* 7. *q* 8. *punct.* 4. *ad finem.* Ægid. de Coninch. *diſp.* 3. *dub.* 1. *n.* 6. Filliuccius *tractat.* 6. *c.* 8. *quæſt.* 7. Zerola *de ſacram. Pœnit. quæſt.* 24. Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 6. *cap.* 2. *circa finem.* Bonac. *diſp.* 5. *q.* 5. *ſect.* 1. *part.* 2. *n.* 5. ne id procedat in articulo mortis: ob periculum enim æternæ damnationis, videris obligatus, contritione te ad ſacramentum ſuſcipiendum diſponere: etenim, cùm ſub lite ſit, an attritio cognita ſufficiat, ut Baptiſmus, & Pœnitentia effectum habeant: id enim negant Sotus *de natura & gratia. cap.* 15. Navar. *ſumm. cap.* 1. *num.* 37. & 41. & alii apud Valent. *de pœnitent. q.* 92. *dub.* 3. Suar. *diſp.* 5. *ſect.* 3. & *diſp.* 20. *ſect.* 1. ſi ad habendam contritionem non te excitas, cenſeris æternam ſalutem contemnere: quod eſt charitati propriæ, & divinæ amicitiæ adverſum.

Cæterum ſi certus moraliter eſſes, te ad ſacramentum ſuſcipiendum attritione diſponi, crederem nullam tibi eſſe obligationem conandi ad contritionem: quia ut ex prædictis Doctoribus conſtat, & latiùs *infrà* trademus, ita certus eſſe potes attritionem eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad gratiam in ſacramento ſuſcipiendam, ut nullam in contrarium firmam dubitandi rationem habere poſſis. Non igitur cenſeri potes, propriam ſalutem contemnere ſic ſacramentum ſuſcipiens; quippe nulli morali periculo damnationis te exponis. At quia moraliter de attritione certus eſſe non potes, ideo regulariter exiſtimo, te obligatum eſſe contritionem procurare, ut ſaltem attritionem attingas. Etenim ſi in eo periculo conſtitutus, ſola attritionis diligentia contentus ſis, timere ſanè potes, nec attritionem ſufficientem habiturum. Ut ergo attritionem habeas, contritionem procurare debes. Sic docuerunt Ægid. & Layman. *ſuprà*. Vide quæ diximus *tract. de char. diſput.* 1. *p.* 4.

4. Notanter dixi, pœnitentiam formalem vel virtualem neceſſariam eſſe: nam ut ex præcedentibus conſtat, aliquando remiſſio peccatorum, & juſtificatio contingit ex ſola dilectione Dei ſuper omnia, abſque formali peccatorum deteſtatione, & dolore: quinimo ex ſolo deſiderio abſoluto, & efficaci beatitudi-

nis

nis obtinendæ, & damnationis fugiendæ, mediis sacramentis Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, &c. si bona fide immemor peccatorum ea sacramenta recipias: quia dilectio Dei super omnia contritionem virtualiter continet desiderium beatitudinis attritionem. Solum Confessionis Sacramentum attritionem vel contritionem formalem expostulat, quia aliàs non esset confessio dolorosa, ut bene notavit Layman. *lib.5. sum. tract.6 c.2. n.3.*

5. Sed rogabis, quo tempore necessitas pœnitentiæ te astringat, sciens, peccatum mortale commisisse, neque illius sufficienter pœnituisse. Respondeo, si de necessitate per accidens sermo sit, triplici tempore obligaris. Primò cum aliquod sacramentum susceppturus es, vel ex officio administraturus quia obligaris dignè & sanctè sacramenta susçipere, & ministrare, ut latè dictum est *tract.18. de sacram. in genere.* Secundò si certò credas, ob tuum peccatum graviter Communitatem esse à Deo puniendam, ut contigit Israëlitis ob peccatum Achan. Jos.7. & ob peccatum David, 2. Reg.24. Sed rarò hæc certitudo concipi potest. Tertiò si gravibus tentationibus es vexandus, quas vincere non præsumis absque dolore peccati commissi, illiusque remissione obtenta. His igitur temporibus dixi, per accidens te obligatum esse ad pœnitentiam: quia non ex pœnitentia, sed ex aliis virtutibus, scilicet ex religione, charitate, fide, vel temperantia obligaris peccati pœnitere, ideoque omissio pœnitentiæ non est peccatum distinctum ab eo quod committis indignè sacramenta susçipiendo, vel ministrando, bonum commune contemnendo, tentationibus succumbendo, sicut in otavit Suar. *disput.15. sect.6.* Coninch. *disp.3. de pœnit. dub.3. à num.18* Layman. *lib.5. sum. tract.6. cap.2. num.4.* Bonac. *disp.5. de Sacram. quæst.5. sect.1. p.2. num.5.*

6. His addunt Navar. *cap.1. num.51.* Valent. *t.4. disp.7. q.8. p.4. post. med.* Zerola *de pœnit. cap.7. q.24.* si ob publicam aliquam necessitatem preces fusurus sis: quia videris obligatus impedimentum impetrationis removere. Alii, ut Angel. *verb. Feria, n.4.* & Scot. *in 3. dist.27. art.3. §. Quantum ad secundum*, censent, te esse obligatum pœnitere, si dies festus occurrat: quia aliàs non potes ritè diem festum sanctificare. Favétque Levit.23. *num.29. & 32.* afflictionem animæ in die Sabbathi præcipiens: quod de afflictione per contritionem videtur esse intelligendum.

Sed hæc admittenda non sunt, sicuti neque admittit Vasq. *de pœnit. q.86. art.2. dub.6.* Suar. *disp.15. sect.6.* Bonac. *disp.5. de Sacram. quæst.5. sect.1. p.2. num.6.* Non primum: quia sæpè non teneris ob publicam necessitatem preces fundere; & consequenter, nec te ad impetrandum disponere. Et esto, preces ex obligatione fundas, non obinde obligaris omnia impedimenta impetrationis removere, aliàs sub gravi culpa, & vagationem mentis, & peccata fugere esses obligatus, siquidem sæpè hæc impedimento sunt, ne postulatum impetres. Adde. Peccatum esto sit impedimentum peccatori, ut exaudiatur, cùm pro se orat; at, cùm orationem in aliorum favorem fundit, impedimentum absolutè non est, quia impetratio non tam nititur merito postulantis, quàm meritò Christi, in cujus nomine postulatur. Non secundum: quia dies festos nulla alia via, quàm præcepta, tenemur sanctificare: at nullibi est præceptum eos sanctificandi per contritionem, vel sacramenti Pœnitentiæ susceptionem, sed tantum per sacri auditionem, & ab operibus servilibus abstinentiam. Ergo, &c. Neque locus Levit.23. nobis est contrarius, quia *ibi* non præcipitur afflictio animæ per contritionem, & dolorem, sed per jejunia, aliaque pœnitentiæ exterioris opera: siquidem transgressores pœna mortis afficiuntur: quod ob omissam contritionem esse non poterat, utpote internam, & incognitam. Et præterea, quia ea lege innocentes tenebantur, qui tamen ad contritionem obligati non sunt.

7. Verum, si de necessitate pœnitentiæ per se loquamur, omnes Doctores conveniunt, sub gravi culpa te memorem peccati commissi obligatum esse in articulo mortis pœnitere, vel media contritione, si absit copia Confessoris, vel attritione saltem, si Sacramentum absolutionis recipias: quia obligatio recompensandi honorem divinum læsum, & amicitiam divinam redintegrandi, & damnationem propriam vitandi necessariò te astringit eo tempore; quo prædictæ obligationi satisfacere potes. At, si eam satisfactionem in articulo mortis omittas, non supereset tempus, quo præstari possit: quia post hanc vitam non est pœnitentia. Ergo in eo articulo pœnitere teneris. Ex quo fit, sic pœnitentiam omittentem speciale peccatum impœnitentiæ committere. Nam, licèt D. Thom.2. 2.*q.*14. *art.*2. dixerit perseverantiam in peccatis usque ad mortem, non esse speciale peccatum, intelligi debet comparatione illius, qui non advertit obligationem, quam habet pœnitentiæ, secus qui illius memor est.

8. Extra periculum mortis signari non potest tempus determinatum, quo extta Sacramentum Pœnitentiæ pœnitere de peccatis obligeris: nam esto affirmet Sotus *in 4. dist.17. q.2. art.6. concluf.5.* te obligatum esse conteri eo tempore, quo tenebaris ex præcepto Ecclesiæ peccata confiteri, & ob impœnitentiam excusaris, cæteri Doctores eam obligationem reprobant: quia ex obligatione absolutionis susçipiendæ obligatio ad contritionem nasci non potest: quippe est res omninò distincta.

Et licèt D. Antonin. *3. p. tit.14. cap.18. §.2.* Guillel Parisiens. *in lib. de Sacram Pœnitent. cap.10.* Thomas de Argentina, *in 4. dist.17. q.2. art.4. ad 4.* Sylvest. *verbo, Contritio, num.4.* affirment, te obligatum esse pœnitere peccati commissi, cum primum data occasione commodè potes, tum ob injuriam Deo factam, quam velle censeris, quoties illius pœnitere non vis, tum ob periculum æternæ damnationis, quod incurris, tum ob occasionem, quam Deo tribuis, ut deferat, & permittat in alia peccata labi, juxta illud Gregorii, *Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit.*

Nihilominis communior sententia, ut videre est apud Vasq. *de pœnit. q.86. art.2. dub.5. n.9.* Ægid. de Coninch. *disp.3. dub.3. n.24.* Valen. *tom.4. disp.7. q.8. punct.4.* Suar. *disp.15. sect.6.* Bonac. *disp.5. q.5. sect.1. p.2. n.7.* Paul. Layman. *lib.5. sum. tract.6. c.2. n.5* etsi consultissimum esse dicat, ut statim post commissum peccatum ad pœnitentiam confugias juxta illud Ecclesiast. *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira Dei*, &c. attamen hanc obligationem tibi non imponit, ut patet ex communi praxi Ecclesiæ, neminem obligantis fateri tempus pœnitentiæ dilatæ. Neque ob hanc voluntariam dilationem censeris velle formaliter esse in peccato habituali, sed solum velle non removere illud, quod distinctum est: sicuti non ex eo, quòd nolles impedire navis submersionem, quia non teneris, sequitur, quòd positivè velis eam submergi. Neque ob hanc dilationem voluntariam periculum morale æternæ damnationis incurris, cùm non sis in articulo mortis constitutus. Neque certum obinde est, te à Deo esse deserendum, & permittendum in nova labi peccata: nam esto hujus desertionis occasionem præbeas, benignissimus est, & sua patientia te vult ad pœnitentiam adducere. Denique ob injuriam illatam, cùm Deo non noceat, obligari non potes ad illius præsentaneam reparationem.

9. Verùm esto, nullum tempus, extra mortis periculum, determinatum signari possit, quo ita pœnitere obligatus sis, ut anteà obligatus non esses; ideóque

probabile sit, extra mortis periculum nullum esse divinum præceptum pœnitendi; satis insinuatum Durand. *in 4. dist. 17. q. 10. art. 1. in fine juncto art. 2.* Cajet. *verbo contritio, §. Tempus autem.* Navarr. *cap. 1. num. 27.* quia præceptum affirmativum esse non potest, nisi tempus illius obligationis exequendæ cognitum sit: at tamen nixus authoritate communis sententiæ probabilius existimo, te obligatum esse, ne diu, v.g. post tres, vel quatuor annos, pœnitentiam differas: censeris enim in hac dilatione, tum divinam amicitiam parvi pendere, cujus contemptus non leviter Deum offendit: ideóque Paul. *ad Roman. 2.* inquit: *An divitias bonitatis ejus, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm duritiam tuam, & impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram.* Cui consonat Proverb. 1. *Quia vocavi, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo vos*, &c. tum propriam salutem: siquidem in mortali diu persistent, gravissimam bonorum spiritualium jacturam facis, manifestúmque periculum incurris, novum peccatum committendi. Nam ut dixit Greg. hom. 11. in Ezech. *Peccatorem diu expectat Deus, ut redeat: non redeunti, atque contemnenti ponit offendiculum, ubi gravius impingat.* Et Concil. Milevitan. *can. 4.* definit, hominem sine gratia justificante non esse diu à novo peccato mortali continendum. Item, incurris periculum perpetuæ indurationis, juxta ea, quæ dicta sunt *ad Rom. 2. & Proverb. 1.*

10. Neque est verum, incognitum esse tempus hujus obligationis exequendæ: nam esto incognitum sit quoad terminum intrinsecum, satis enim incognitum est, pœnitentiam non esse longo tempore differendam: sic enim differens, maximè usque ad finem vitæ, timere potest, non quòd deserat peccata; sed quòd peccata illum sint desertura, ut dixit Aug. relatus in *c. Si quis positus*, & *cap. Qui egeret*, & *aliis, de pœnitent dist. 7.* & colligitur ex Ambros. *in exhortat. ad agendam pœnitentiam.* Cyprian. *lib. 4. epist. 2.* Chrys. *hom. 22. in epist. 2. ad Corinth.* & tradit Henriq. *lib 4. de Sacram. cap 6.* Suar. *disp. 15. sect. 6.* Ægid. de Coninch. *disp. 3. de pœnitentia, dub. 3. n. 32.* Paul Layman. *lib. 5. sum. tract. 6. cap. 2. num. 6.* Ubi optimè advertit, huic obligationi pœnitendi te satisfacturum, si annuam Confessionem, ab Ecclesia præceptam frequentes. Nam esto, Sacramento non accedas contritus, sed attritus; ea attritio simul cum Sacramento sufficit, ut amicitia divina restauretur, & peccatum commissum deleatur.

11. Ad extremum adverte, post peractam pœnitentiam, qua peccato remissa sunt, nullam tibi superesse obligationem novæ pœnitentiæ, quantumvis peccata memoriæ occurrant: esset enim dura obligatio, & absque fundamento imposita, uti ex D. Thom. *q. 84. art. 8. & 9.* colligunt Suar. *disp. 15. sect. 4.* Ægid. de Coninch. *disp. 3. dub. 4.* Paul. Layman. *lib. 5. sum. tract. 6. c. 2. in fine.* Bonac. *disp. 5. de Sacram. quæst. 5. sect. 1. p. 2. in fine.* Quinimò existimo, si immemor tuorum peccatorum Dilectione Dei super omnia, quæ est virtualis contritio, justificatus sis, te non esse obligatum, extra Sacramentum Pœnitentiæ, detestationem peccatorum habere: quia ad hanc solùm teneris, ut peccata tibi remittantur, & in filium, & amicum Dei accepteris, quod prædicta dilectione obtinuisti. Et fortè ob hanc causam dictum est Lucæ 15. justos pœnitentia non indigere. Atque ita tradunt Cordub. *lib. 1. q 2. dub. 2.* Vasq. *de pœnit. q. 80. art. 2. dub. 2. n. 11.* Bonac. *d. 5. q. 5. sect. 1. p. 2. num. 3.* Verum, si clavibus peccata subjiciendi sunt, teneris ratione sacramenti illorum habere detestationem: quia peccata materia Sacramenti non sunt, nisi dolore informata, ut *infrà* dicemus.

Punctum IV.

De Sacramenti Pœnitentiæ institutione & necessitate.

1. *Esse Sacramentum Pœnitentiæ distinctum ab aliis, fides docet.*
2. *Quando Christus hoc Sacramentum instituit.*
3. *Proponitur quædam objectio ex Sacramento Ordinis desumpta, & fit illi satis.*
4. *Secunda objectio ex initio legis Evangelicæ.*
5. *Prædicta objectio solvitur, & declaratur quando lex Moysis mortua, & mortifera fuerit.*
6. *Tertia objectio ex absentia Thomæ Apostoli: & fit illi satis.*
7. *Ad remittendas culpas, & deinde pœnas, est potestas Sacerdotibus concessa.*
8. *Qualiter Apostolis prædicta potestas concessa fuerit.* Joan. 20.
9. *Prædicta potestas est ministerialis.*
10. *Nomine clavium significatur dicta potestas.*
11. *Quæ sint partes essentiales, & integrales Sacramenti Pœnitentiæ.*
12. *Quæ sit ejus definitio.*
13. *Qualiter Sacramentum Pœnitentiæ necessarium sit; non solùm necessitate præcepti, sed medii.*

1. Esse Sacramentum Pœnitentiæ distinctum à reliquis sacramentis à Christo Domino institutum, definit Trident. *sess. 14. can. 1. & 2.* & Florent. decreto Eugenii *in litteris unionis.* Apostolis namque, & eorum in sacerdotali Ordine successoribus data est à Christo Domino potestas, ut nomine ipsius hominibus peccata remittant, & retineant, prout causa postulaverit. Debet ergo sufficientia, vel insufficientia causæ nota sacerdotibus esse, ut ipsi retentionem faciant, vel remissionem concedant, cujus concessio, vel retentio manifesta hominibus esse debet, aliàs non esset satis provisum. At hic modus visibilis remittendi peccata, reconciliandi homines Deo, distinctus est à reliquis sacramentis, ut de se liquet. Ergo hoc sacramentum Pœnitentiæ est à reliquis distinctum.

2. Instituit autem Christus Dominus hoc Sacramentum, cùm post resurrectionem Apostolis, absente Thoma, apparuit Joan. 20. ipsisque dixit: *Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis (inquit Trid. *sess. 14. cap. 1.*) potestatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos Apostolis, & eorum legitimis (in sacerdotali Ordine) successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit. Idem dixerat, *sess. 6. cap. 14.*

3. Semper objicies: Apostoli fuerunt ordinati, & consecrati Sacerdotes in ultima Cœna: ergo acceperunt tunc potestatem, non solùm in Corpus Christi verum; sed etiam in mysticum, hoc est, non solùm consecrandi, sed peccatores reconciliandi; acceperunt enim characterem Ordinis, quo utraque hæc potestas conceditur. Et fortè ob hanc causam, cum Sacerdotes ordinantur, non solùm illis datur potestas Corpus Christi conficiendi, sed etiam peccata fidelibus remittendi, ut ea actione indicetur, utramque potestatem Apostolis simul collatam fuisse. Favétque Trident. *sess. 14. c. 1.* dicens: *Christus Dominus Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm è mortuis excitatus, insufflavit in Discipulos suos*, &c. Ergo, si tunc præcipuè instituit, anteà institutum erat, etsi non perfectè, & completè.

Respondeo, potestatem conficiendi Corpus Christi, & remittendi peccata medio eodem charactere sacerdo-

cerdotibus conferri ; sed non inde infertur, eo charactere positivo utramque potestatem concedi : quia iæ potestates, cum morales sint, ab ipso charactere distinguuntur, ac proinde concedi potest character cum potestate conficiendi Corpus Christi absque potestate remittendi peccata, ut de facto conceditur, cùm Sacerdotibus in ordinatione dicitur : *Accipite potestatem offerendi sacrificium.* Iis enim verbis sola potestas consecrandi conceditur. Cùm verò subjungit Episcopus : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis*, &c. potestatem absolvendi à peccatis concedit non alio diverso charactere communicato, sed eodem noviter extenso. Quòd verò eodem tempore concedatur Sacerdotibus utraque potestas, indicium non est fuisse eodem tempore Apostolis concessam, sicuti non est indicium diverso tempore sacerdotibus potestatem Ordinis, & jurisdictionis requisitæ ad hujus sacramenti administrationem concedi, & Apostolis concessam fuisse. Concilium autem Trident. ideò dixit, Christum Dominum præcipuè instituisse sacramentum Pœnitentiæ, cùm Joann. 20. dixit : *Accipite Spiritum Sanctum*, &c. quia Matth. 16. & 18. promiserat Petro, Apostolisque, claves regni cælorum : qua promissione materiam, & formam sacramenti Pœnitentiæ designavit, & quasi ejus institutionem inchoavit : & præcipuè, quia in ultima Cœna, cùm Apostolos in Sacerdotes ordinavit, characterem concessit, quem ad remittenda peccata postea extensurus erat Apostolósque de ritu, & modo, quo Pœnitentiæ sacramentum ministraturi erant, instituit.

4. Objicies secundò : Lex Evangelica ante Christi mortem institura est, siquidem lex antiqua ejus morte expiravit, illis verbis Joann. 19. num. 39. *Consummatum est.* Ergo Sacramentum Pœnitentiæ, quod est unicum ex potissimis Ecclesiæ fundamentis ante Christi resurrectionem est institutum. Confirmo. Si sacramentum Pœnitentiæ post resurrectionem Christi esset institutum, sacramentum legis antiquæ, quod umbra erat, & figura nostræ pœnitentiæ, Christi morte non expirasset : quia cessare non potest umbra, nisi veritatis luce adveniente, & consequenter post Christi resurrectionem adhuc legales cæremoniæ durassent : quod pugnat cum S. Thom. *q.* 103. *art.* 4. ubi ex Paulo ad Galat 5. ostendit, post passionem Christi legalia omnia cessasse.

5. Huic objectioni respondere potes ex Soto *in* 4. *dist.* 3. *q. unic. art.* 2. *ad* 6. *argum.* tempus Passionis, & Resurrectionis pro uno, eodémque tempore, ac termino moraliter reputari ad instituendam, perficiendámque Ecclesiam Christi, & Synagogam antiquam abolendam ; & illa verba, *Consummatum est*, ad utrumque tempus referri, in quo lex nova orta est & vetus extracta. Quale non in ipso mortis Christi momento, sed progressu temporis, post resurrectionem, Ecclesia Christi legibus, & Sacramentis (ut Soto *suprà ad.* 5. observavit) consummata est. Confirmatio argumenti postulat, ut explicemus tempus, quo legalia Sacramenta, & sacrificia, reliquæque Judæorum cæremoniæ cessaverint. Qua de re S. Thom. 1. 2. *q.* 130. Vasq. *ibi*, *disp.* 180. 181. & 182. & Sotus *in* 4. *dist.* 3. *quæst. unic. art.* 2. constanter affirmant, sacrificia, & cæremonias legis antiquæ morte Christi, quantum ad utilitatem (si quæ illis inerat ? & quantum ad vim obligandi Judæos omninò expirasse. Ex quo velut in proverbium emanavit, Christum Dominum sua morte vitam, virtutem, omnémque obligationem legalium evacuasse. Addunt tamen ex verbis Augustini, legem antiquam non illicò fuisse mortiferam, cùm mortua est : siquidem, ut advertit S. Th. *supra*, *art.* 4. *ad* 1. Paulus Actor. 16. Timotheum Discipulum, quia ex matre Judæa natus erat, circuncidit : & Actor. 21. assumptis quibusdam viris cum iisdem purificatus est, secundùm Judæorum ritum, capúrque rasit Nazaræorum more. E contra Suarez *t. de legib. lib.* 9 *cap.* 12. & *lib.* 10. *cap.* 4. existimat, legem antiquam in die Pentecostes, & non antea expirasse, quia usque ad illud tempus nova promulgata non est, neque obligare cœpit. Post illud tempus mortifera fuit illis tantùm, quibus per sufficientem promulgationem constitit. Iis positis, si sententiæ Suar. adhærere vis, ad confirmationem respondes, & Sacramentum Pœnitentiæ post Resurrectionem esse institutum, & cæremonias legales post Resurrectionem durasse, neque Paulum ad Gal. 5. esse contrarium ; quia ex illius testimonio tantùm colligitur, legalia omnia facta esse mortifera, cùm sufficienter in mundo veritas novæ legis promulgata est.

At, quia mihi videtur probabilior sententia D. Th. affirmantis, legales cæremonias morte Christi cessasse, ideò ad confirmationem argumenti neganda est sequela, & ad illius probationem dicendum, per erectionem Ecclesiæ, & legis Evangelicæ utcunque factam à Christo in sua morte, & Resurrectione, universam legem antiquam, quantum ad cæremonias, sacrificia, & Sacramenta, penitùs expirasse : quia illa omnia in modum unius Ecclesiæ, & Synagogæ adumbrantis nostram Ecclesiam consumpta sunt, & fugata novæ legis veritate, etiamsi ipsa nova lex non fuerit perfectè constituta, neque ipsa lex vetus fuerit statim mortifera, sed quando nova sufficienter promulgata est. Ex quo collige omnia legalia præsignantia adventum Spiritus Sancti, & plenitudinem gratiæ Ecclesiæ in die Pentecostes communicandam morte Christi, ejúsque Resurrectione expirasse. Et similiter è contra collige, etsi nostrum Baptisma fuerit à Christo Domino institutum tempore, quo à Joanne fuit baptizatus, vel paulò pòst, uti ex August. & D. Thom. communíque sententia docuimus *tract. & disp. un de Baptismo, punct.* 1. non obinde Sacramentum circuncisionis ante mortem Christi cessasse, sed Judæos prædicto tempore obligatos esse illo uti. Ergo cessatio cæremoniarum legis antiquæ non est sumenda ex institutione unius, vel alterius Sacramenti legis novæ, sed ex erectione Ecclesiæ, quæ in morte Christi contigit.

6. Objicies tertiò : Cum Christus Dominus Joan. 20. dicitur tradidisse Apostolis potestatem remittendi peccata, Thomas non erat cum eis, at Thomas eandem potestatem accepit, ac reliqui Apostoli. Ergo eo tempore non fuit Apostolis tradita potestas, sed confirmata, quæ tradita fuerat. Respondeo ex doctrina Cyrilli relati à nostro Maldon. *ante num.* 25. *ad dict. loc.* Joan. Thomæ absenti per Spiritum sanctum datam fuisse potestatem remittendi peccata, sicut & reliquis Apostolis : quod confirmat Cyrillus (inquit Maldonat.) exemplo Eldad, & Meldad ex septuaginta Senioribus, quibus Dominus auferens de spiritu Moysis contulit, qui cùm in castris remansissent, eodem Spiritu, ac alii, repleti sunt, ut habetur *n.* 11.

7. Porrò prædicta potestas per se est ad remittenda peccata quoad culpam, & deinde quoad pœnas peccatis debitas. Nam peccatum propriè, & in rigore culpam denotat, ideóque Trident. *sess.* 14 *c.* 1. & 4. tribuit Sacramento Pœnitentiæ reconciliationem peccatoris cum Deo, ut effectum illius proprium, & *sess.* 6. *cap.* 14. & *sess.* 14. *can.* 2. appellat Sacramentum Pœnitentiæ secundam tabulam post naufragium ; quia virtute illius à secundo naufragio animæ per peccatum post Baptismum commissum liberamur, sicuti latiùs prosequitur Suar. *disp.* 16. *sect.* 2. Neque obstat, quòd aliquando pœnitentia inveniat peccatum virtute contritionis, & dilectionis Dei super omnia remissum : quia est remissum ex lege, & obligatione suscipiendi sacramentum, & ex voto illius.

8. Deinde potestas concessa Apostolis Joan. 20 fuit potestas Ordinis, & jurisdictionis completa. Nam

esto in ultima Cœna in Sacerdotes fuerint ordinati, solam potestatem consecrandi Corpus acceperunt: potestas verò remittenda peccati postmodum illis communicata fuit, non qualiter solet simplicibus Sacerdotibus communicari, quibus non designantur subditi, circa quos prædictam facultatem exercere possint: Apostolis namque, ut totius Ecclesiæ Pastoribus, omnes fideles à Christo Domino subjecti fuerunt. Potestas ergo, quæ ex se valet remittere peccata, si subditi, quibus fiat remissio, concedantur, vocatur potestas ordinis, quia recipientibus sacerdotalem Ordinem conceditur: ea verò, quæ ex relatione superioris ad subditos consurgit, potestas jurisdictionis nuncupatur. Sic Parochus non ordinatus potestatem jurisdictionis tantùm habet; simplex verò sacerdos potestatem Ordinis: at Parochus ordinatus utraque gaudet. Igitur potestas Ordinis est divina, & supernaturalis deputatio Sacerdotis, ut nomine Christi, & sacramentum Eucharistiæ conficiat, & quos habuerit subditos à peccatis absolvat. Subjicere autem hos vel illos, & tanquam subditos gubernare, ad potestatem pertinet jurisdictionis actualis, & determinatæ; & sine hac potestate neque oves sunt, neque subditi, neque sacramentum administrari potest, ut docet Trid. *sess.14. cap.7.* ibi: *Quoniam igitur natura, & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, vel subd legatam non habet jurisdictionem.* Ex quibus verbis manifestè liquet, hanc potestatem Ordinis, & jurisdictionis esse judiciariam, debereque in ea exercenda Judicem & reum intervenire, uti traditur ab eodem Concil. *sess.14. c.5. & canon.9.*

9. Præterea dicta potestas est ministerialis, quia Sacerdos vices alterius nempe, Dei, & Christi Domini gerit, cujus nomine & authoritate operatur, & condonat uti docuit Aug. relatus *in c. Aliud est, de consec. dist.4.* Unde eadem est sententia, quæ à Sacerdote in terris, & à Christo in Cœlis profertur; neque prius ab uno, quàm ab alio: est enim absolutio effectus duarum causarum in modum unius simul, & indivisim operantium. Neque obstat communiter Ecclesiæ Patres, teste Waldens. *tom.2. de Sacram Pœnit. c.144.* affirmare, sententiam absolutionis in cœlo prolatam pendere ex ea, quæ in terris profertur: nam ut inquit Author. *de vera, & falsa pœnitent. cap.9.* pendet quoad approbationem, & confirmationem, secus in se ipsa, cùm una eademque sit.

10. Denique nomine clavium regni cælestis, etsi sola suprema potestas Petro, ejusque successoribus concessa significetur, ut pluribus affirmat Maldonat. *ad cap.16. Matth.n.19.* at ex traditione Ecclesiæ, communique Theologorum usu à Trid. *sess.14. cap.5. & can.15.* approbato, potestas tradita sacerdotibus ligandi, & solvendi appositissima metaphora clavium nuncupatur. Etenim regnum cælorum, quod peccatori per peccatum clausum erat, absolutione, quasi clave referatur, & absolutionis negatione quasi detinetur observatum. Sed adverte, ex hac potestate clavium duplicem in communi sententia contineri; alteram scientiæ, qua sacerdos juridicè in foro interno causas, & peccata fidelium examinat, & cognoscit, alteram potestatis, qua post examen præmissum sententiam absolutionis, vel retentionis profert.

11. Ex his primò colliges, quæ sint partes essentiales, & integrales hujus sacramenti: cùm enim exerceatur per modum judicii, & accusatio rei, & absolutio Judicis intervenire debet. Accusatio duplicem actum continet, dolorem, inquam, de peccato confesso, & illius humilem confessionem: quos actus subsequitur absolutio Judicis satisfactione aliqua imposita. Unde pœnitentia ex parte pœnitentis triplici actu, quasi materia constat, contritione, videlicet, confessione, & satisfactione, uti dixit Conc. Trident. *sess.14. cap.3.* Ex parte Sacerdotis, absolutione, tanquam forma, ut colligitur ex ipso Concilio *c.3. 5. & 6.* Licet Concilium dixerit, actus pœnitentis esse quasi materiam, non inde inferendum est impropriè esse materiam, cum propriissime sint partes hujus sacrament à forma absolutionis determinatæ, & informatæ. Sed esse analogicè materiam comparatione aliarum rerum physicarum, quibus ratio materiæ propriè convenit, ut aquæ in Baptismo, & chrismati in Confirmatione; pani & vino in Eucharistia; ex quibus ad actus humanos ratio materiæ derivatur: vel dic, illud verbum *quasi* non denotare similitudinem, sed expressionem veritatis, juxta illud Joan.1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigenti à patre*, & habetur *cap. Parochianos, de decimis* Solùm de satisfactione est aliqua dubitatio; qualiter esse possit pars sacramenti: siquidem illud in suo esse confectum sequitur. Sed dicendum est, partem essentialem non esse, at esse partem integralem, ut pote quæ ad remissionem pœnæ pro culpis debitæ, virtute clavium injuncta concurrit. Unde Concilium *sess.14. cap.3.* cautè dixit contritionem, confessionem, & satisfactionem pertinere ad integritatem, & ad plenam, & perfectam peccatorum remissionem: quia satisfactio, quæ erat una ex illis partibus enumeratis, non concurrebat ad sacramenti essentiam componendam; sed ad integritatem & perfectionem illius, de cujus ratione est, pœnam in eo judicio injunctam exequi.

12. Secundò colliges sacramenti Pœnitentiæ definitionem: est enim cæremonia sacra in modum judicii divinitus instituta ex actibus pœnitentis, ut materia; & absolutione sacerdotis, ut forma, in reconciliationem ejus, qui post Baptismum lapsus est. In qua definitione, ut ex D. Thom. *quæst.84. art.3.* & *ibi* Vasq. *dub.3.* Suar. *disp.18. sect.5.* calligitur, actum externum confessionis, & satisfactiois ex parte pœnitentis, & absolutionem ex parte Sacerdotis esse Sacramentum tantùm: quia non significatur, & tamen significat dolorem cordis, vel remissionem peccati: ipsam verò remissionem peccati media gratia habituali factam esse rem tantùm hujus Sacramenti; quia significatur per absolutionem Sacerdotis; nihil tamen significat. Denique ipsam contritionem esse rem, & Sacramentum simul: quia significatur per confessionem pœnitentis, & significat remissionem culpæ. Nam contritio cordis facta sensibilis, per confessionem, adveniente forma absolutionis, sicut elevatur ad conferendam gratiam, ita efficitur signum remissionis culpæ.

13. Superest dicendum de Sacramenti pœnitentiæ necessitare. Et quidem esse necessarium necessitate præcepti divini constat ex Trid. *sess.14. can.6* colligiturque ex illo Joan.20. *Quorum remiseritis peccata*, &c. quo loci datur Sacerdotibus facultas remittendi peccata, & simul ea retinendi; retinent autem, dum remittunt. Necessitate medii in re susceptum necessarium non est, siquidem contritione charitate firmata gratiam obtinere potes, antequam Sacramentum Pœnitentiæ recipias, uti definitur à Trident. *sess.6. c.14.* & *sess.14. cap.4.* Benè tamen in re, vel in voto; quia nulla alia via, quàm Sacramento in re susceptio, vel voto illius justificari potes. Votum autem Sacramenti in dilectione Dei super omnia, contritionéque charitate formata continentur; non solum quia contritio imbibit in se propositum recipiendi Pœnitentiæ Sacramentum, quatenus præceptum est; sed, quatenus est medium per se ex divina institutione ordinatum in peccatorum remissionem: quod in aliorum præceptorum observatione non procedit. Etenim aliorum præceptorum observationem est medium ex lege, & institutione divina ordinatum ad gratiam remissionémque peccati per se concedendam, ideóque votum

votum illius obſervationis, quod in contritione continetur, ſolùm eſt votum rei præceptæ, non medii per ſe ad ſanctificationem ordinati, eaque de cauſa nulla puri præcepti obſervatio eſt neceſſaria neceſſitate medii in re, vel in voto ad juſtificationem: ſecus eſt de voto Pœnitentiæ, quæ per ſe eſt ad ſanctificationem ordinata; ideóque eſt neceſſaria neceſſitate medii in re, vel in voto.

Quod ſi objicias: Ante Pœnitentiæ Sacramenti inſtitutionem contritio non continebat votum Pœnitentiæ; ſed abſque prædicto voto gratiam conferebat: ergo nec modò continet, cùm eadem ſit contritio, nec ullo modo diverſa. Neganda eſt conſequentia: nam contritio non continet votum ſervandi tantum hoc, vel illud præceptum determinatum; ſed continet votum ſervandi quodcumque fuerit præceptum, cùm autem Pœnitentiæ Sacramentum noviter fuerit præceptum inſuperque ex lege divina conſtitutum medium per ſe ad juſtificationem, contritio votum illius ſpecialiter continet.

Ex quo fit neceſſitatem Sacramenti Pœnitentiæ non ex natura rei; ſed ex præcepto divino ortum habere, ut tradit Henriq. *lib. 2. de Baptiſmo, c. 3. num. 3.* Suar. *tom. 3. in 3. part. diſp. 69. art. 4.* & *diſp. 31. ſect. 1. concl. 1.* & *diſp. 40. ſect. 1. concl. 3.* Poterat enim Chriſtus Dominus hoc Sacramentum inſtituere, ut utile, & conveniens ad ſanitatem animæ concedendam, non ut neceſſarium, & obligatorium.

Punctum V.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ.

1. *Forma hujus Sacramenti neceſſario verba expoſtulat.*
2. *Verba ſunt.* Ego te abſolvo, *&c. Explicantúrque.*
3. *Grave peccatum eſſet, ſi omitteres verbum illud,* à peccatis: *ſecus de ſigno,* ab omnibus.
4. *Mutatio eſſentialis in prædictis verbis contingit, ſi non imperativo modo; ſed judiciali, & deprecativo proferantur.*
5. *Quem ſenſum prædicta verba.* Abſolvo te, *habeant. Proponitur ratio dubitandi.*
6. *Explicatur verus ſenſus.*
8. *Etſi antiqua fuit opinio, hanc formam in abſentem proferri poſſe, jam contrarium definitum eſt.*
8. *Abſolutio morituro præſenti impendi debet, tametſi abſente Sacerdote ſigna contritionis exhibuerit.*
9. *Qualiter abſolutè, & conditionatè verba prædicta proferri debent.*

1. FOrmam Sacramenti Pœnitentiæ confici non poſſe nutibus, aliiſque ſignis, quàm verbis à Sacerdote prolatis, colligitur aperte ex Concil. Florent. *in decreto Eugen.* affirmante omnia Sacramenta (excepto matrimonio, quod etſi regulariter verbis perficiatur, interdum aliis ſignis conficitur) verbis, tanquam forma, perfici: & ex Trident. *ſeſſ. 14. cap. 3.* definiente, non ſolum verba neceſſaria eſſe; ſed, quæ verba neceſſaria ſint: & tradunt communiter Doctores adverſùs Paludan *in, 4. diſt. 17. quæſt. 2. art. 1.* Joann. Medinam. *Cod. de confeſſ. tract. 2. quæſt. 15. §. Quartum dictum.* Petrum de Soto *lect. 11. de confeſſ.* ductos ex eo, quod ſententia nutibus, & ſcriptura proferri poteſt. Sed, quamvis id verum ſit in judiciis humanis, in quibus à jure verba non requiruntur eſſentialiter: at in hoc judicio, cùm omnis ejus eſſentia ab inſtitutione Chriſti promanaverit, ipſéque (ſic declarante praxi, uſúque Eccleſiæ) ſtatuerit, verba neceſſaria eſſe; efficitur ſanè, nullis aliis ſignis formam concipi poſſe.

2. Verba autem formæ (inquit Trident. *ſeſſ. 14. cap. 3.*) ea ſunt: *Ego te abſolvo,* &c. quibus de Eccleſiæ ſanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur, quæ ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſaria. Pronomen, *ego,* etſi videatur à Concilio tanquam neceſſarium requiri; at neceſſarium non eſt, ut in ſe exprimatur: ſufficienter enim in verbo, *abſolvo,* exprimitur, ut ex communi ſententia notavit Suar. *de pœnitent. diſp. 19. ſect. 1. n. 17.* Vaſq. *q. 84. art. 3. dub. 4.* Bonac. *diſp. 5. de Sacram. q. 4 punct. 1. in princ.* Alia verba, quæ prædictis expreſſis à Concilio conjunguntur, quæque illorum ſenſum complent, nempe *ac omnibus peccatis tuis, in nomine Patris, & filii, & Spiritus Sancti,* videntur formæ eſſentialia eſſe, etſi à Concilio non fuerint expreſſa: tum quia indicantur in illa particula, *&:* tum, quia hæc non pertinent ad preces, & deprecationes, quas ſolum Concilium à neceſſariis formæ excluſit: quinimò pertinent ad completum ſenſum abſolutionis. Aliàs abſolutio à peccatis, & ſacramentalis non haberet diſtinctam, & determinatam formam, quæque abſolutioni cujuſlibet cenſuræ accommodari poſſet. Quod ſi dicas ex intentione Sacerdotis accommodari ut eadem materialis forma, quæ abſolutioni à peccatis deſignata eſt, deſerviat cenſuræ abſolutionis; obſtat: quia formæ Sacramentorum non ex intentione miniſtri ſignificationem determinatam ſortiuntur; ſed ex ſe, & Chriſti inſtitutione. Si igitur ex ſe illa verba, *Ego te abſolvo,* determinatè abſolutionem à peccatis non ſignificant, ſed indifferentia ſunt, tum peccatorum abſolutioni, tum cenſuræ; ſine dubio indigebunt ſubſequentibus verbis, *à peccatis;* quibus ſignificatio determinatur. Prætereà invocatio Sanctiſſimæ Trinitatis videtur neceſſaria, tum, ne denotet Sacerdos propria authoritate, ſed authoritate Dei, & Chriſti abſolvere; tum, ut Pœnitentiæ Sacramentum cum Baptiſmo conveniat, in cujus adminiſtratione Trinitatis invocatio neceſſaria eſt.

Sed omninò dicendum eſt, ſola illa verba, *Abſolvo te,* neceſſaria eſſe: quia illa verba abſolutè prolata ſtant pro famoſiori ſignificato quod eſt peccatorum abſolutio, præterquam quòd ex ſubjecta materia, ſcilicet peccatorum confeſſione ſufficienter determinantur. Neque his obeſt, quod ex intentione Sacerdotis abſolutioni à cenſuris acommodetur, & eiſdem verbis, eadémque forma, & à peccatis, & à cenſuris abſolvi poſſit ut docuit Sotus *diſt. 14. quæſt. 1. art. 3.* Navar. *de pœnitent. d ſt. 6. cap 1.* Henriq. *lib. 4. cap. 11. num. 3.* Bonac. *diſp. 5. quæſt. 4. punct. 1. num. 10.* quia nulla eſt implicatio, formam materialem Sacramenti determinatum Sacramenti ex ſe ad effectum ſignificandum ex intentione proferentis ad alium diverſum effectum accommodari. Concilium autem Tridentinum adjungens prædictis verbis, *Abſolvo te,* illam particulam *&*; non declaravit ſubſequentium verborum expreſſionem eſſentialem eſſe; ſed illa tantùm verba, *Abſolvo te,* eſſe eſſentialia, quatenus à peccatis abſolutionem ſignificant, vel ut placet Valentiæ *t. 4. diſp. 7. q 1. punct. 3.* illam particulam, *&*, Tridentinum appoſuit, ut indicaret alia verba adjungi formæ ex laudabili Eccleſiæ conſuetudine. Ægid. verò de Con. *diſp. 4. dub. 3. n. 30.* inquit, illam particulam, *&* appoſuiſſe Tridentinum, ut indicaret, ſe nolle definire, an expreſſio à peccatis ſit eſſentialis abſolutioni; ſed locum opinionibus concedere.

3. Monent tamen communiter Doctores; & benè grave peccatum te commiſſurum, ſi expreſſionem peccatorum in abſolutione omitteres: ſiquidem probabilitate non caret, prædictam expreſſionem neceſſariam eſſe, ſicuti docuit Gab. *in 4 diſt. 14. quæſt. 2* Paludan. *diſt. 22. q. 3.* Petr. de Soto *lect 4. de confeſſ.* At exponere Sacramentum periculo irritationis, & in Sacramenti irreverentiam cedit, & in damnum ſuſcipientis. Ergo eſt grave peccatum.

Signum illud diſtributivum, *ab omnibus,* etſi Gab.

loco citato existimet, necessarium esse; reliqui Doctores meritò contrarium affirmant, & Manuale Romanum docet. Tum, quia propositio indefinita universali æquipollet. Tum, quia ex subjecta peccatorum confessione determinatur, ut ab omnibus illis, à quibus confessus, absolvaris. Tum, & præcipuè, quia, si absolutio facta est à peccatis mortalibus, cùm unum sine alio remitti non possit, necessariò ab omnibus sit; tametsi signum *ab omnibus*, non exprimatur. Si verò à venialibus absolvaris, censeris absolutus ab omnibus his tantum, quorum detestationem habes: quippe venialia partim remitti, partim irremissa manere possunt. Invocationem Trinitatis certum est necessariam non esse, uti docuit S.Thom. 3. *part.* q.84 *art.*3. Vasq. *ibi*, *dub.*4. Suar. *disp.*19. *sect.*1. *num.*18. Coninch. *disp.*4. *dub* 3. *n.*30. Bonac. *disp.*5. *de Sacram. q.*4. *punct.*1. *n.*2. quia non est necesse, Sacerdotem exprimere, se operari nomine Dei, & authoritate Christi, aliàs in omnibus Sacramentis id necessarium foret. Neque est simile de Baptismo, in cujus institutione expressit Christus Trinitatis invocationem, quam reliquis Sacramentis non adjunxit. Quinimo existimat Bonac. non esse improbabile, omissionem Trinitatis solam culpam venialem per se attingere, secluso scandalo, & contemptu: hæc autem culpa necessariò est concedenda, tametsi contrarium docent Valent. *loco citato disp.*7. *q.*1. *punct.*3. Tum quia ea invocatio est ritus ab Ecclesia præscriptus. Tum quia est aliquale dubium, an necessariò requiratur.

4. Prædictis verbis mutatio essentialis contingit, si non imperativo modo, & judiciali; sed deprecativo proferantur, ut si diceres? Absolvat te Christus: quia ut ex Trident. *sess.*14. *c.*2. & 3. constat hoc Sacramentum per modum judicii administratur, in cujus administratione Judex non deprecando, sed imperando procedere debet: & ita cum S. Thom. *q.*84. *art.*3. docent Vasq. *ibi. dub.*3. Suar. *disp.*19. *sect.*1. *n.*14. Bonac. *disp.*5. *de Sacram. q.*4. *part.*2. *n.*8.

5. Sed non caret difficultate, quem sensum prædicta verba, *Absolvo te à peccatis*, habere possint. Non enim possunt significare peccatorum remissionem quod culpam, cùm sæpe hoc sacramentum, vel contritione charitate formata, vel alio sacramento Pœnitentiæ antecedenter suscepto inveniat peccata remissa. Forma verò sacramenti semper eandem significationem retinere debet. Neque item significare possunt, ut placuit Caietano, *tom* 1 *opusc. t.*5. *q.*4. *ad.*2. absolutionem peccatorum quoad eorum reliquias, & pessimam inclinationem. Tum quia hæ non sunt propria peccata. Tum quia hæ sæpe non remanent culpa remissa. Neque item quoad pœnam peccatis debitam: quia si de æterna pœna loquamur, remissa remittitur: si de temporali, non est sacramentum per se pro pœnæ temporalis remissione institutum: & præcipuè quia sæpe omnis pœna tam æterna, quàm temporalis omnino virtute contritionis charitate formatæ, vel eo sacramento alia vice recepto remissa est. Neque item significare possunt, ut placet Suar. *disp.*19. *sect.*2. *numer.*15. gratiam ex se remissivam peccati: quia hæc effectus est cujuslibet sacramenti, & non tam absolutione, quam absolutione & confessione significatur. Præterea absolutio id directè significat, ad quod immediatè tendit: tendit autem primo & per se ad delendam culpam; secundario ad gratiam, ex eo quod culpa absque gratia deleri non possit. Ergo absolutio non gratiam per se & immediatè significat; sed peccati remissionem. Denique neque prædicta verba significare possunt, ut placuit D. Thom. *quæst.*84. *art.*3. *ad* 5. ipsummet sacramentum absolutionis: existimat namque D. Thom. *Ego te absolvo*, præstare hunc sensum: Ego tibi sacramentum absolutionis impendo, quia si hoc verum esset, absolutio seipsam significaret.

6. Dicendum nihilominus est: sensum prædictorum verborum, *Absolvo te à peccatis*, esse veram à peccatis absolutionem: etenim cùm peccata peccantem ligent, tum vinculo & reatu culpæ; tum reatu pœnæ æternæ, vel temporalis, tum peccatorum reliquiis, tum obligatione ea peccata judicio confessionis subjiciendi, tum proportione suscipiendi gratiam, aliaque beneficia abundantiora, quæ spectata rei natura convenientius erat communicari ei, qui nunquam peccatum commisit, quam committenti; virtute absolutionis absolvitur pœnitens ab aliquo ex prædictis vinculis. Cùm autem prædicta vincula à peccatis oriantur, absolutis vinculis peccata absolvuntur: sicuti absolutus ab obligatione voti, quæ ex voto nascitur, voto est absolutus. Absolutus ergo à peccatis non determinat vinculum, à quo pœnitententem absolvit, cùm ad omnia vincula, quibus peccator teneatur, se extendat. Neque inde ullo modo fit, peccatorum ita manere posse absolutum, ut amplius absolvi non possit: nam esto maneat plenè & perfectè absolutus à reatu culpæ & pœnæ, peccatique reliquiis, & obligatione peccatum clavibus subjiciendi, nunquam tamen manere potest integrè & plenè absolutus ab improportione & indignitate, quam ratione commissæ culpæ contraxit abundantiora dona & beneficia divina recipiendi. Hæc enim improportio, & indignitas gratia per sacramentum Pœnitentiæ communicata minui quidem potest non in se, sed extrinsecè, tolli autem integrè nequit: quia nunquam fieri potest peccatum commissum non esse. Atque ita explicat sensum prædictorum verborum Ægid. de Coninch. *disp.*4. *de pœnitent. dub.*8. *per totum*, Paul. Laym. *lib.*5. *sum. tract.*6. *c.*3. *assert.*5. *num.*8.

7. Quoad modum verò proferendi prædicta verba absolutionis, fuit olim opinio Paludan. *in* 4. *dist.*17. *q.*2. *vers. Tertia definitio.* Petr. de Soto, *lect.*11. *de confess.* §. *Tertium.* Joan. Med. *Cod. de pœnit. tract.*2. *quæst.*15. § *Quartum dictum*, affirmantium, honesta causa intercedente in absentem validè, & licitè proferri posse, idque tanquam probabile docuit Antonin. 3. *part. tit.*17. *cap.*11. & *cap.*21. §. 3. quem sequutus est Sylvest. *verbo*, *Confessio.* 3. *num.*1. Fumus *verbo. Confessio num.*23. Moti sunt plures Doctores argumento aliarum sententiarum, quæ non indigent reum habere præsentem. Sed jam de hac re dubitare non licet, siquidem Clemens VIII. in motu quodam proprio edito 19. Julii, anno 1601. condemnavit hanc propositionem, *licere per litteras, seu internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*, ad minus ut falsam, temerariam, & scandalosam, sub pœnaque excommunicationis prohibuit, ne quis eam ut probabilem publicè, aut privatim doceat, aut defendat, aut ea in praxi utatur. Et licèt alicui videri posset, spectato prædictæ definitionis rigore, æquè confessionem per litteras, & internuncium in absentia, ac absolutionem condemnari: quinimò non condemnari absolutionem in absentia, si confessio in præsentia facta est: siquidem propositio copulativa, quæ ibi fuit condemnata, existentiam copulati ex utraque propositione expostulat: nihilominus quia controversia non de confessione, sed absolutione erat, ideò definitio credi debet absolutionem in absentia specialiter condemnasse, præcipuè cùm in absolutione specialis ratio sit præsentiam expostulans. Non enim concedi potest absque verborum prolatione, ut ex Trid. & Flor. *suprà* notavimus. Probatio autem verborum, seu locutio inter homines præsentiam exigit. Item, proferri non potest absque signo illo demonstrativo, *te*, quod nullatenus verificari potest circa absentem: hac enim de causa in consecratione Eucharistiæ debet Sacerdos panem, & vinum præsentes habere, quia necessariò consecrat illo signo demonstrativo, *hoc*. Cùm ergo signum

demonst

demonstrativum, *te*, sit in absolutione ex Trident. definitione requisitum, efficitur sanè præsentiam expostulari, æquè enim utrumque signum ad sui veritatem exigit præsentiam signati. Vide Suar. *disputat* 19. *sect.* 3.

8. Hinc fit, non damnari à Clement. VIII. usum satis in Ecclesia usitatum absolvendi in præsentia morituram, qui absente Sacerdote signa contritionis exhibuit, confessionémque postulavit, de qua generali confessione Sacerdoti, tum testibus, tum scriptura constat: quia solùm absolutionem in absentia, non confessionem Clemens videtur damnasse. Quòd si utrumque damnavit, affirmare possemus illam confessionem in absentia factam moraliter tempore absolutionis in præsentia repeti mediis testibus, vel scriptura, quibus Sacerdoti manifestatur pœnitentem postulasse absolutionem, sicuti notarunt Suar. *disp.* 21. *sect.* 4. *num.* 8. & *disp.* 23. *sect.* 1. *num.* 12. Vasq. *quæst.* 91. *art.* 2. *dub.* 1. Paulus Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 6. *c.* 3. *in fine.*

9. Præterea prædicta verba absolutionis proferri debent absolutè, non conditionatè: quia hic est usus, & praxis Ecclesiæ, ideóque absolutioni tenetur Sacerdos præmittere pœnitentis notitiam; quem si ritè dispositum inveniat, absolvit; sin minùs absolutionem denegat. Sed, quia sæpè contingit, post diligentem excussionem Sacerdotem dubium esse, an pœnitens ritè dispositus sit absolutioni recipiendæ, ut in casu proximè dicto videri potest; non est illicitum, sed potiùs conveniens, absolutionem concedere sub conditione de præsenti, mente saltem retenta, nempe, *Si ritè es dispositus, te absolvo.* Quia per hanc conditionis appositionem, nec pœnitenti damnum irrogatur, cùm non impediatur sacramenti effectus, si ad illum suscipiendum dispositus sit: neque ulla sacramento fiat injuria: quinimò ejus reverentiæ Sacerdos prospicit, nolens ejus formam vanè & inutiliter proferre. Atque ita sustinet Vasq. aliis relatis, *de pœnit. q.* 84. *art.* 3. *dub.* 5. Illud verò est certum & communi doctorum authoritate firmatum, sub conditione de futuro nunquam absolutionem sacramentalem proferri posse, quia eo casu non posset operari absolutio, quando est, seu profertur; sed quando conditio apponitur. Quod est contra sacramenti naturam necessariò expostulantis operationem, & effectum tempore, quo existit.

Punctum VI.

De materia remota Sacramenti pœnitentiæ.

1. *Peccata actualia sunt materia remota.*
2. *Susceptio indebita Baptismi materia est pœnitentiæ.*
3. *Peccata mortalia sunt materia necessaria.*
4. *Venialia sufficiens.*
5. *Idem est de mortalibus confessis.*
6. *Peccatum sub dubio veniale, vel sub dubio an sit commissum per se sumptum, non est materia.*

1. IN hoc sacramento, sicut in reliquis, est materia remota & proxima.

Materia remota, circa quam abolendam contritio, confessio & absolutio versatur, sunt peccata actualia post Baptismum commissa, uti definitur à Conc. Trid *sess.* 14. *cap.* 2. & *can.* 1. & tradit D. Th. ab omnibus receptus, *q.* 84. *art.* 2. Dixi, *actualia:* quia originale non est materia: quippe de illo, ut aliena voluntate commisso te accusare non potes. Dixi, *post Baptismum:* quia pro peccatis ante Baptismum non Pœnitentia, sed Baptismus est institutus. Etenim Pœnitentia, (ut inquit Trid. *sess.* 14. *c.* 2.) administratum per modum judicii, quòd necessariò in subditos, & circa crimina, quæ durante subjectione commissa sunt, exerceri debet, ac proinde versari non potest circa crimina ante Baptismum. Quod si dicas, aliquando contingere recipienti Baptismum non remitti peccatum originale, neque actuale, quia debita dispositione gratiæ recipiendæ caruit: postmodum verò contritione, vel sacramenti pœnitentiæ susceptione justificari. Ergo pœnitentia peccata ante Baptismum commissa remittit. Respondeo, illam remissionem esse per accidens, quatenus ad infusionem gratiæ virtute pœnitentiæ communicatæ omnia peccata remittuntur: sed non per se, siquidem ea peccata ante Baptismum commissa Pœnitentiæ judicio subjici non possunt. Adde peccata ante Baptismum commissa virtute Baptismi malè susceptí, sublato obice, remitti: Baptismus namque caruit effectu ob iniquam suscipientis dispositionem, qua per sacramentum pœnitentiæ sublata, Baptismus in acceptatione divina persistens effectum gratiæ communicat, & peccata ante Baptismum commissa remittit.

2. Sed, quid de peccato, quod indebitè suscipiendo Baptismum committitur? Respondeo, materiam esse Pœnitentiæ: quia esto non sit Baptismo posterius tempore: est tamen posterius natura quatenus suscepto Baptismate impedimentum præstat gratiæ conferendæ, verúmque est, tale peccatum fideli, & baptizato commissum esse; siquidem eo tempore, quo quis est baptizatus, illud committit. Ergo est peccatum clavibus Ecclesiæ subjectum. Deinde, quia ad prædicti peccati remissionem aliquod sacramentum est per se institutum: at hoc sacramentum esse non potest Baptismus; quia Baptismus non videtur posse delere peccatum, quod in ipsomet committitur. Restat ergo, ut sit Pœnitentia. Ergo sacramenti pœnitentiæ materia est. Atque sustinent cum D. Thom. 3. *p. q.* 69. *art.* 10. Henriq. *de Bapt. c.* 27. *n.* 2. Suar. *disp.* 28. *sect.* 4. *concl.* 4. Vasq. 3 *p. tom.* 2. *disp.* 159. *c.* 3. *n.* 12.

3. Ex peccatis post Baptismum commissis alia sunt mortalia: alia venialia certa: alia sub dubio, an sint venialia, vel an sint commissa. Peccata mortalia non solùm sunt materia Pœnitentiæ, sed sunt necessariò materia, ita ut ex necessitate huic sacramento subjici debeant, ut remittantur; sicuti definivit Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. & *can* 7.

4. Peccata verò venialia materia sunt sufficiens, quia, ut idem tradit Concil. circa ea tantùm sacramentum pœnitentiæ versari potest, tametsi non necessariò clavibus Ecclesiæ subjiciantur, quippe aliis viis remitti possunt.

5. Idem est dicendum de peccatis mortalibus ritè confessis, esse quidem materiam sufficientem: sed non necessariam, sicuti declaravit Benedict. XI. *in Extravag.* 1. *de privileg.* & tradit Sanctus Thomas *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 3. *art.* 3. *quæstiunc.* 5. *ad* 4. & *disp.* 18. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. *ad* 4. Suar. *sect.* 4. *dist.* 18. Ægid. de Coninch. *disp.* 4. *dub.* 3. Laym. *lib.* 5. *summ. tract.* 6. *cap.* 3. *num.* 5. Et quidem quod non sint materia necessaria, constat ex eo, quòd Christus non præceperit bis idem peccatum sacramento pœnitentiæ subjicere. Quòd verò sint materia sufficiens, inde probatur: quia de peccatis confessis, sive venialia sint, sive mortalia, noviter dolere potes, & accusationem instituere: ergo potes de illis noviter absolvi. Neque obstat, te jam absolutum esse: quia, ut ex præcedenti dubio constat, nunquam peccatum ita remittitur, quin ampliùs remitti possit, saltem quatenus est impedimentum gratiæ abundantioris recipiendæ. Monent tamen Doctores, non passim de peccatis confessis confessionem repeti, ne contingat, absque dolore fieri: sed rationabili aliqua causa intercedente arbitrio prudentis Confessarii. Quod maximè verum habet in iis, qui scrupulis agitari solent.

6. Rursus peccatum, quod sub dubio est, an sit veniale, vel dubitas, an illud commiseris, nequit per se

ſumptum eſſe materia ſacramenti ob periculum irritationis ; ſi fortè commiſſum non ſit vel ſaltem malitiam venialem non habeat. Neque obſtat , (ut dicemus) peccatum mortale , quod dubitas commiſiſſe , vel quod ſub dubio mortale eſt , te obligatum eſſe fateri : quia obligaris fateri ſimul cum alia materia certa, ſi vis abſolutionem tibi abſolutè miniſtrari: ſin minùs ſub conditione tantùm tibi abſolutio impendi poteſt , uti docuit Suar. *diſp.*18. *ſect.*1. *n.*12. Layman. *lib.*5. *ſum. tract.*6. *cap.*3. *n.*5. *poſt aſſert.*3.

Punctum VII.

De contritione, proxima Sacramenti Pœnitentiæ materia.

1. *Quid ſit contritio , & quotuplex : & quæ ad pœnitentiæ Sacramentum requiratur.*
2. *Qualis attritio ad effectum Sacramenti requiratur.*
3. *Contritio requiſita ad effectum Sacramenti , requiritur ad ejus valorem ex probabiliori ſententia.*
4. *Nec dolor præſumptus , nec naturalis , neque inefficax ad Sacramenti valorem ſufficit.*
5. *Nunquam datur hoc Sacramentum in forme.*
6. *Proponitur objectio , & ſolvitur.*
7. *Plures exigunt , attritionem debere eſſe contritionem exiſtimatam , ut ad gratiam obtinendam diſponat.*
8. *Contrarium eſt probabilius , ſufficere attritionem cognitam.*
9. *Solvuntur fundamenta oppoſita.*
10. *Dolor prædictus abſolutionem præmittendus eſt.*
11. *Præmitti etiam debere confeſſioni.*
12. *Sufficit præceſſiſſe , nec retractatum eſſe.*
13. *Prærequiritur dolor ſupernaturalis , etiam in confeſſione venialium. Et qualis ſufficiat.*
14. *Proponitur objectio , & ſolutio.*
15. *Qualiter peccatum veniale virtute Sacramenti Pœnitentiæ remitti poſſit.*

1. CONcilium Trident. *ſeſſ.*14. *cap.*4. definiens contritionem , inquit , eſt dolor de peccato commiſſo , cum propoſito non peccandi de cætero : quæ ſi charitate formetur , hominem Deo reconciliat priùs , quàm hoc ſacramentum actu ſuſcipiat. Intelligitur autem charitate formari , ſi ob offenſam Dei , quem ſuper omnia amare , & obedire cupis, concipiatur. Alia (inquit Concilium) eſt contritio imperfecta , id eſt, minùs perfecta , quæque attritio nuncupatur , orta ex inferiori motivo , ſcilicet , ex gehennæ, & pœnarum metu, ex amiſſione gloriæ, & turpitudine peccati.Quando ergo ob prædictos fines concepta eſt , quia charitate non formatur , ſine ſacramento in re ſuſcepto perducere per ſe ad juſtificationem peccatorum nequit ; diſponit tamen ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam , diſpoſitione, inquam, ultima, & proxima : de hac enim loquebatur Concilium. Aliàs nihil ſpeciale attritioni in Sacramento tribueret : ſiquidem extra ſacramentum remotè peccatorem ad juſtificationem diſponit, ut conſtat ex Trid. *ſeſſ.*6. *c.*6. & 7. difficiliúſque homines in lege gratiæ ſalutem obtinerent , quam in lege ſcripta , ſi ultra attritionem cum ſacramento, contritione charitate firmata indigerent , nullúmque ſpeciale beneficium fidelibus eſſet conceſſum in Sacramenti pœnitentiæ inſtitutione , ſed potiùs grave onus impoſitum : ſiquidem ultra contritionem pœnitentiæ ſacramentum ſuſcipere obligarentur , ipſúmque ſacramentum pœnitentiæ per ſe peccata non remitteret , ſed ſemper virtute contritionis remiſſa inveniret. Sit ergo certum , attritionem eſſe ultimam diſpoſitionem ad gratiam in ſacramento Pœnitentiæ ſuſcipiendam.

2. Sed qualis attritio debeat eſſe ad effectum Sacramenti ſuſcipiendum , docuit Trid. *ſeſſ.*14. *cap.*5. & 4. affirmans , debere eſſe attritionem , quæ ſit donum Spiritus ſancti ex turpitudine peccati , vel ex metu gehennæ concepta , quæque excludat voluntatem peccandi , & peccatorem ultimò ad juſtificationem in ſacramento ſuſcipiendam diſponat. Non eſt opus hanc attritionem de omnibus peccatis ſigillatim eſſe : ſatis enim de omnibus dolere potes ſub generali ratione offenſæ Dei , vel privationis gloriæ apprehenſis, uti latè probat Vaſq. *q.*86. *art.*2. *dub.*7. Nav. *c.*1 *n.*22. Henr. *c.*27. *n.*2. Suar. *diſt.*4. *ſect.*6. Laym. *l.*5. *ſum. t.*6. *c.*4. *aſſert.*3. Neque item eſt opus ad prædictum dolorem aliqua graduum intenſio : quia eſſentia attritionis , vel contritionis , non ex intentione , ſed ex ipſa qualitatis natura deſumitur , quæ in quolibet gradu etiam remiſſo conſiſtere poteſt, ut bene aliis relatis probant Suar. *diſp.*4. *ſect.*4. *n.*9. Henr. *l.*4. *c.*27. *n*2. Con. *d.*2. *dub.*7. *conc.*2. Laym. *c.*4. *n.*1. Neque item mora temporis ad prædictum dolorem eſt requiſita, cum concipi poſſit unico, & eodem momento , ut colligitur ex *c. Menſuram, de pœnit. diſt.*1.

3. An verò hæc eadem attritio , quæ neceſſaria eſt ad effectum ſacramenti , ſit neceſſaria ad ejus valorem , non conveniunt Doctores. Nam Sotus *in* 4. *diſt.*18. *q.*3. *art.*3. Navarr. *cap.*1. *n.*19. & *cap.*9. *n.*10. & *in cap. Fratres , de pœnit. diſt.*5. *num.*35. Bonac. *diſp.*5. *de Sacram. q.*3. *punct.*2. *n.*12. exiſtimant , ad valorem ſacramenti non veram attritionem , ſed exiſtimatam requiri. Prædictis proximi ſunt Henriq. *lib.*4. *cap.*26. *num.*2. *lit. D.* & Bonac. *ſuprà* aſſerentes , dolorem naturalem ſufficientem eſſe. Largius loquuntur Canus , Aureolus , Paludanus , & alii relati ab Henriq. *dicto lib.*4. *cap.*21.

Cæterum tenendum eſt cum communiori ſententia apud Ægid. *diſp.*4. *de Pœnitent. dub.*5. *n.*40. Suar. *diſp.*20. *ſect.*6. *n.*6. Vaſq. *q.*91. *art.*2. *dub. unico, n.*13. eandem attritionem neceſſariam eſſe ad valorem Sacramenti , quoad ejus effectum. Moveor : quia Tridentinum *ſeſſion.*14. *cap.*3. declarans contritionem, quæ pars eſt ſacramenti Pœnitentiæ, affirmavit eſſe dolorem & deteſtationem de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero , quem dolorem in perfectum ſcilicet , contritionem , & in imperfectum , ſcilicet attritionem , diſtinxit : & de perfecto definivit per ſe ſufficientem eſſe abſque Sacramento in re ; benè tamen in voto ſuſcepto, peccatorem juſtificare. At de dolore imperfecto, ſcilicet ; attritione, dixit, cum Sacramento diſponere ad gratiam impetrandam. Ergo nullus alius dolor aſſignatus eſt à Concilio , pars hujus Sacramenti , niſi qui ſufficiens ſit , ſaltem cum Sacramento , gratiam impetrare. Secundò, quia credendum non eſt, Chriſtum Dominum Apoſtolis tradidiſſe poteſtatem remittendi fidelibus peccata , niſi ipſi remiſſioni eſſent diſpoſiti. Ergo ea diſpoſitio , quæ ad remiſſionem peccatorum requiritur , requiſita eſt pro uſu poteſtatis Sacerdotibus conceſſæ , atque adeò pro valore Sacramenti. Tertiò, ſola confeſſio,quæ ad reconciliandum peccatorem Deo dirigitur , eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ. Sed hanc directionem accipit à dolore. Ergo nequit dari dolor pars Sacramenti,niſi ad effectum Sacramenti ſufficiat. Quartò , ex oppoſita ſententia ſequeretur , fatentem ex malitia peccata abſque vero dolore ad illorum remiſſionem requiſito , non eſſe obligatum confeſſionem repetere:quia validè fuerunt prædicta peccata clavibus ſubjecta , tametſi abſque fructu.

4. Hinc convincitur ſententia Soti , & aliorum, affirmantium contritionem ſeu dolorem præſumptum, ſufficientem eſſe ad Sacramenti valorem;quamvis non ad effectum. Non enim præſumptio doloris , qui non eſt , pars Sacramenti eſſe poteſt , aliàs error pars Sacramenti eſſet inſtitutus,error namque ad ſummum

excuſare

excusare potest ab obligatione apponendi verum dolorem. Atque ita sustinet Suar *disp.20. sect.4. à n.5.* Secundò convincitur sententia Henriq. & Bonac. asserentium, dolorem naturalem esse sufficientem valori Sacramenti, quamvis non ejus effectui: quia prædictus dolor non est Spiritus Sancti donum, nec vera contritio, vel attritio à Concilio tanquam pars Sacramenti requisitus. Suar. *sect.4. n.16.* Ægid de Coninch. *disp.20. dub.5. n.40.* Vasq. *q.92. art.2. dub.3.* Tertiò refellitur sententia Cani, & aliorum, qui affirmant, inefficacem dolorem sufficere: siquidem prædictus dolor non excludit voluntatem peccandi à Concilio pro parte hujus Sacramenti requisitam. Suar. *disp.20. sect.4. n.7.* Henr. *lib.5. c.21. n.7. disp.4 q.3. punct.2. n.13.* Vasq. & Coninch. *suprà.*

5. Quartò, & principaliter convincitur communis sententia Thomistarum; affirmantium, Sacramentum Pœnitentiæ dari posse informe, id est, validum absque effectu: quibus favet D. Thom. *in 4. dist.17. q.3. art.4. q.1.* siquidem ea contritio, quæ pro reconciliatione à Concilio exigitur, pars ab eodem Concilio Sacramenti assignata est. Neque peccator videtur obligatus aliam dispositionem habere pro remissione peccatorum in hoc Sacramento impetranda, quam quæ à Christo fuit requisita pro absolutione valida obtinenda. Atque ita pluribus relatis docet Vasq. *q.62. art.2. dub. un. n.13.* Ægid. de Coninch. *disp.4. dub.5. n.40.* & *dub.11. n.71.*

6. Quòd si dicas, stare optimè posse, per se necessarium esse eundem dolorem ad Sacramenti valorem, qui necessarius est ad illius effectum: ex accidenti tamen oppositum contingere. Exemplum sit: Doles de peccato fornicationis ob innatam turpitudinem, immemor invincibiliter, te violari præcepti audiendi Sacrum reum esse; si ex prædicto dolore fornicationem fateatis, peccati sacrilegii oblitus, Sacramentum absolutionis recipis: quia est dolor de peccato ob illius turpitudinem quem Concilium *sess.14. cap.3.* affirmavit Sacramenti partem esse, & ad gratiam obtinendam per se disponere: at effectum Sacramenti non recipis; quia hic recipi non poterat, nisi simul omnia peccata remitterentur; quæ tamen absque illorum detestatione formali, vel virtuali remitti non possunt. Cùm ergo ex vi prædicti doloris solam speciem fornicationis detestaris, neque ad alias peccatorum species dolorem extendas, ut pote quæ diversam turpitudinem habent, sanè eo casu nullum peccatum remittitur; cùm tamen Sacramentum conficiatur. Ergo datur Sacramentum informe. Idque admittit Suar. *disp.20. sect.5. n.7.*

Respondeo, prædictum dolorem, insufficientem esse, non solùm per accidens ex conjunctione peccati obliti, sed etiam per se, tum ad remissionem peccati, tum ad Sacramenti valorem, eò quòd simul cum illo dolosè consistere possit actualis voluntas peccandi, quam necessariò excludit dolor, qui Sacramenti Pœnitentiæ pars sit, uti dixit Concil. *sess.14. c.3.* Neque obstat, dixisse Concilium, dolorem ex turpitudine peccati partem esse Sacramenti, & ad gratiam in Sacramento obtinendam disponere: quia intelligi debet ex turpitudine peccati non speciali, sed generali, & omnibus aliis peccatis mortalibus communi, qualis est offensa Dei, violatio divinæ legis, dissonantia, & oppositio cum ratione: quia solus hic dolor, & turpitudinis detestatio voluntatem peccandi excludit. Et ratio efficax est: quia recipere non potest verum Sacramentum Pœnitentiæ sine voluntate absoluta, & efficaci reconciliationis cum Deo, cùm ad hanc reconciliationem obtinendam fuerit institutum. At prædictam voluntatem habere non potes absque detestatione virtuali omnium peccatorum, ut pote reconciliationi contraria. Ergo, &c. Unde, si de peccato fornicationis dolores ob specialem illius turpitudinem, & simul cum hoc dolore haberes conjunctum expressum propositum de cætero non peccandi, credetem te susceperum non solum Sacramentum, sed ejus effectum, quia in prædicto proposito est virtualis detestatio omnium peccatorum, ideóque sufficiens dispositio, ut Sacramentum non solùm validum sit; sed effectum habeat. Neque obstat, ad hoc Sacramentum dolorem, & detestationem peccati formalem esse requisitam, nec sufficere virtualem; quia ea detestatio non videtur, necessariò exigenda de omnibus peccatis, sed de peccatis, quæ quis confiteri tenetur, & memoriæ occurrunt, quod in præsenti casu procedit.

7. Addunt plures Doctores, attritionem in sacramento ad gratiam obtinendam disponere, si existimetur contritio, secùs verò si esse attritionem cognitum fuerit. Sic videntur sentire Vega *lib.3. in Trid. cap.34. ad3. object.* Ledesm.2. *part.4. quæst.29. art.1.* Victor. *relect. de potest. Eccles. quæst.2.* Sotus *lib.2. de natur. & gratia. cap.15. & in 4. distinct.18. q.3. art.2. in fine.* Cordub. *lib.1. q. q.2. opin.5. in 2. part.* Favet Navarr. *cap.1. n.30. & 42.* Moventur: quia tam in lege naturæ, quàm veteri fuit contritio, seu dolor perfectus ad remissionem peccati necessarius: at hanc necessitatem, ut pote jure naturali debitam, non sustulit lex gratiæ. Ergo attritio insufficiens est. Secundò, præcepto naturali teneris sanctè sancta tractare. Ergo teneris non recipere sacramentum in peccato mortali. At si attritione cognita accedis ad pœnitentiam, accedis in peccato mortali. Ergo id licitum est. Tertiò, accusatio exterior apud Sacerdotem debet esse de peccato, quatenus est offensa Dei: quia Sacerdos vices Dei gerit. Ergo procedere necessariò debet ex dolore peccati secundùm prædictam rationem, & consequenter ex dolore, qui sit perfecta contritio.

8. Nihilominus contrarium dicendum existimo cum D. Thom.3. *part. quæst.80. artic.4. ad 2.* Suar. *disp.20. sect.1 n.20. & num.9.* refert plures doctores ita sentire. Ratio est: quia ex opposita sententia infertur, attritionem numquam esse dispositionem ad gratiam in sacramento Pœnitentiæ recipiendam. Nam existimatio contritionis, cum sit error intellectus, non potest præstare attritioni esse dispositionem sufficientem ad obtinendam gratiam, si aliàs ipsa per se non est sufficiens dispositio: ad summum excusare poteris ab iniqua sacramenti receptione, casu quo præceptum esset, ne cum attritione reciperetur, sicut existimata contritio excusat peccatorem à mala sacramentorum administratione. At nullum est præceptum neque humanum, nec divinum, suscipiendi sacramentum Pœnitentiæ cum contritione perfecta: quia esset præceptum institutioni sacramenti adversum: siquidem hoc sacramentum ad remittenda peccata institutum est. Non igitur dispositio remittens peccata convenienter præciperetur præmitti: præterquam quod Ecclesia actus internos præcipere non potest.

9. Neque argumenta in contrarium urgent. Primum probat legem gratiæ non sustulisse necessitatem contritionis ad justificationem extra sacramentum impetrandam, non tamen probat eam necessitatem sublatam non esse sacramento suscepto. Cùm enim potuerit Deus sacramentum instituere, quod vim & efficaciam haberet remittendi peccata, hoc instituto sacramento cessat necessitas contritionis, cùm possit alia via quam contritione obtineri peccatorum remissio. Secundo argumento negandum est, suscipientem sacramentum cum attritione indebitè sacramentum tractare, si quidem ea dispositione suscipit, quæ ad effectum illius impetrandum requiritur; ideoque cum sacramentum perficitur, sanctus existit. Ad tertium nego accusationem necessariò faciendam esse de peccato quatenus est offensa Dei; sufficit si sit accusatio

peccati

peccati ob metum gehennæ, vel ob peccati turpitudinem, etiamsi formaliter non sit: quia Deo displicet.

10. Superest triplex quæstio. Primo, an prædictus dolor valori, & effectui sacramenti necessarius præcedere debeat confessionem, & absolutionem, vel possit subsequi. Qua in re certum est, absolutioni necessariò prædictum dolorem præmittendum esse: etenim hæc forma absolutionis in modum judicii reconciliationi præfertur: nequis ergo reum Deo reconciliare, si reconciliationi indispositus existit, neque à peccatis absolvere, quem non cognoscis peccatorum pœnitere.

11. Deinde necessarium existimo, ut prædictus dolor confessionem præcedat; aliàs confessio non esset sui legitima accusatio ad reconciliationem tendens; sed quædam peccatorum narratio. Quod si facta confessione absque ullo dolore ad detestationem peccatorum Confessarii monitis exciteris, uti sæpe contingit; necessariò tota illa confessio denuo clavibus Ecclesiæ subjicienda est: quo unico verbo præstare potes si te accuses de omnibus confessis, ab iisque petas absolvi, Atque ita docet Ægid. de Coninch. *disput.4. dub.6.* Paulus Layman. *lib.5. sum. tractat 6. cap 4. assert.5.* Neque dissentit Suarez, *disp.20. sect.4. n.31.* ut bene notavit Laym. *suprà.*

12. Tametsi consultum sit, cum peccata fateris, & absolutionem obtines, dolorem expressum habere de peccatis commissis; non est tamen necessarium, sufficit antea, eo scilicet die præmisisse ex intentione ea peccata fatendi: confessio enim postmodum subsequuta ab eo dolore virtualiter perseverante informari censetur, sicuti bene docent Suarez *disput.20. sect.4. à num.29.* Bonac. plures referens *d.sp.5. q.3. part.2. n.17.*

13. Secunda quæstio, an prædictus dolor supernaturalis prærequiratur in confessione venialium? Certum esse debet prærequiri ad valorem, & effectum sacramenti, quia (ut ex Trident. *sess.14. cap.3.* constat) contritio ex Spiritus Sancti dono est pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ. Videtur autem sufficiens dolor ex turpitudine speciali peccati, cum proposito etiam speciali vitandi illud: quia, cùm unum peccatum veniale sine alio remitti possit, non videtur ad peccati confessi remissionem necessariò requisitus dolor ad omnia venialia se extendens, sicuti diximus de mortalibus: & notavit Suar. *disp.12. sect.1. n.12.*

14. Quòd si objicias, inde probari, te non peccaturum, tametsi plura venialia fatearis absque dolore, cùm tamen aliorum doleas: siquidem horum remissionem obtinere poteris non obtenta remissione illorum, de quibus nullum dolorem habes. Neganda est sequela: nam eo ipso, quo vis peccatum aliquod veniale fateri, obligatus videris dolorem illius habere, ne formæ absolutionis ineptam materiam subjicias. Secundò respondeo cum Suar. *disp.20. sect.6. n.7.* admittendo sequelam: neque ullum sequitur inconveniens: nam venialium absolutione videtur ex intentione Sacerdotis forma absolutionis dirigi ad peccata, quæ ritè fuerint confessa, quorúmque pœnitens absolutioni recipiendæ dispositus sit.

15. Tertia quæstio, an peccatum veniale virtute sacramenti pœnitentiæ remitti possit? Ratio dubitandi est: quia, ut ait Suar. cum communi sententia *d.sp.11. sect.3. c.11.* & diximus *punct.2. hujus disput.* non solum contritione, sed etiam attritione extra sacramentum remittuntur. Ergo sacramento Pœnitentiæ remitti non possunt, cùm virtute attritionis, quæ Sacramento prærequiritur remittantur. Respondeo, sicuti *ex p.2.* Respondi, peccatorum venialium remissionem virtute sacramenti Pœnitentiæ fieri per se, si simul cum mortalium remissione fiat, secùs si separatim facienda sit: illudque sufficit, ut Pœnitentiæ sacramentum, non solùm pro remittendis mortalibus, sed etiam venialibus institutum sit.

Secundò respondet Suar. *disp.11. sect.1. à n.7.* cum D. Thom. Paludan. Capreolo, Ledesma, & aliis, virtute sacramenti tibi remitti non solùm ea peccata, quorum attritionem habes; sed etiam omnia illa, quorum non habes complacentiam: quia sacramentum Pœnitentiæ non solum pro remittendis peccatis venialibus peccatoris, sed hominis justi videtur institutum: at venialia peccata hominis justi remitti non possunt virtute sacramenti Pœnitentiæ, si ad illorum remissionem displicentia requiritur: hæc enim absque sacramento sufficiens est, ut latè probat Suar. *disp.11. sect.3. n.11.* & favet textus in *c. De quotidianis dist.3.*

Cæterùm negare non possum, hanc doctrinam, etsi piam mihi difficilem esse. Primò, quia inde sequitur, aliquod peccatum remitti absque pœnitentiæ virtute. Nec valet dicere, ipsam voluntatem suscipiendi sacramentum esse pœnitentiam virtualem, sicuti diximus de voluntate suscipiendi Eucharistiam, virtute cujus Eucharistia peccata venialia, quorum non est complacentia, remittit: quia ea voluntas supponit sacramentum Pœnitentiæ institutum esse per se, ad remittenda peccata venialia; tametsi illorum nulla fiat confessio quod nullatenus dici potest: quia institutum est per modum judicii, cujus sententia per se, & directè ferri non potest in causam incognitam, & cujus nulla à pœnitente est instituta accusatio. Secundò, si Pœnitentiæ sacramentum posset remittere per se, & directè peccata, tametsi illorum attritionem non habeas, dummodo ab illorum complacentia abstineas, illis tantùm confessis posses sacramentum Pœnitentiæ recipere: quia sufficienter absolutioni dispositus es. Hoc autem est contra Trid. definiens, partem essentialem sacramenti Pœnitentiæ esse contritionem, saltem imperfectam. Ergo, &c.

Punctum VIII.

De confessione, proxima Sacramenti materia.

1. *Quæ sit confessio, quæ est pars Sacramenti, & quæ illius conditiones.*
2. *Secreta, & non publica confessio, etsi præcepto divino conformis sit; non tamen est ex præcepto.*
3. *Aliquando potes, & docet publicè confiteri, sed rarò.*
4. *Præceptum de confessione publica neque est, neque esse potest.*
5. *Fieri debere voce humana aliqui censent.*
6. *Non est de necessitate Sacramenti.*
7. *Oppositò fundamento satisfit.*
8. *Qualiter ex præcepto voce humana confessio facienda est.*
9. *Confessio facienda est coram Sacerdote, etsi plures contrarium sentiant.*
10. *Nutibus in articulo mortis obligaris confiteri, si voce præstare confessionem nequis. Et quid extra periculum mortis.*
11. *Confiteri per litteras non obligaris.*
12. *Neque etiam per interpretem.*
13. *Qualiter in articulo mortis obligaris per scripturam, vel interpretem fateri.*

1. COnstat ex D. Thom. communiter recepto *in 4. dist.17. q.3. art.2. & 4. q.4.* confessionem, quæ pars sacramenti Pœnitentiæ sit, esse legitimam, & sacramentalem accusationem de propriis peccatis, ad eorum veniam virtute clavium obtinendam, coram Sacerdote factam. Triplex conditio essentialis confessioni in hac definitione continetur, nempe, legitima, seu dolorosa accusatio de propriis peccatis, & coram Sacerdote. Sub iis conditionibus

plures

plures aliæ imbibuntur, quas Doctores ſequentibus verſibus explicant, præcipuè D. Antonin. *in 3. part. titul. 14. cap. 19. §. 3. ſeqq.*

Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, diſcreta, libens, verecunda,
Integra, ſecreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, quæ ſit parere parata.

Simplex erit confeſſio, ſi ex debita intentione procedat, vel ita apertè facta, ut nihil ex obligatione manifeſtandum celetur. *Humilis*, ſi procedat ex humili ſui recognitione propriique peccati dolore. *Pura*, ſi aliorum inutilium narratione mixta non fuerit. *Diſcreta*, ſi cum debita diſcretione, & prudentia peccata referat propria; aliena, quoad fieri poſſit occultat. *Fidelis*, ſi vera dicat. *Nuda*, ſi abſque ſimulatione, & palliatione. *Frequens* ſi ſæpè fiat. *Libens*, ſi voluntariè, & non coactè. *Verecunda*, ſi interiorem confuſionem, & verecundiam, quam de peccato concepit, exteriùs manifeſtet. *Integra*, ſi nihil ex neceſſariò dicendis omittantur. *Secreta*, ſi ſecretò, & non publicè fiat. *Lacrymabilis*, ſi plura lacrymis, & dolore, ſit. *Accelerata*, ſi poſt peccatum commiſſum non multùm differatur. *Fortis*, ſi difficultates, & impedimenta, quæ ſolent occurrere, vincat. *Accuſans*, ſi fiat ex animo ſe accuſandi. *Parere parata*, ſi propoſitum habeat ſuſcipiendi ſatisfactionem, & emendationem præſtandi. Plures ex his conditionibus, ut notavit D. Th. *in 4. diſt. 17. q. 3. art. 4. q. 4.* non ſunt neceſſariæ; ſed ad convenientem confeſſionis uſum, illiúſque majorem reverentiam aſſignantur; nempe, quàm fit frequens, & accelerata. Aliæ conditiones inter ſe coincidunt. Sub his enim verbis *humilis, verecunda, lacrymabilis fortis, accuſans, parere parata* eadem conditio ſignificatur, nempe, ut confeſſio ex vero dolore procedat, de quo *ſuperiùs* diximus. Sub illis, *ſimplex, pura diſcreta, fidelis, nuda integra*, eadem conditio continetur, quæ eſt de integritate ſervanda, de qua *in puncto ſequenti*. Quam in præſenti ſolùm explicanda ſupereſt conditio ſecreti.

2. De qua certum eſt apud Catholicos, licitam, & honeſtam eſſe, uti definivit Trid. *ſeſſ. 14. c. 5.* & Innocent. III. *in c. Omnis utriuſque ſexus de pœnit. remiſſionib.* & pluribus comprobat Suar. *diſp. 24. ſect. 2. n. 2.* Nullum tamen eſt præceptum de confeſſione ſub hac conditione facienda: nam eſto Concilium dixerit, confeſſionem ſacramentalem ſecretam non eſſe à præcepto divino alienam, non inde infertur, præcepto divino præcipi; ſed ſolum infertur, obſervationi præcepti divini confeſſionis conveniens eſſe. Et licèt in *cap. Omnis utriuſque ſexus.* Præceptum fuerit cuilibet fideli, cùm ad annos diſcretionis pervenerit, ut omnia ſua peccata ſolus confiteatur proprio Sacerdoti; non eſt inde inferendum, prædicto præcepto non fore ſatisfacturum, ſi coram aliis proprio Sacerdoti confiteatur. Verbum enim illud, *ſolus*, non eſt oppoſitum ſub materia præcepti, ſed in levamen illius; præſtat enim hunc ſenſum: Omnis fidelis, cùm ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua peccata, ad minus ſolus, proprio Sacerdoti confiteatur, &c.

3. Ex quo fit, te poſſe aliquando in majorem tuorum ſcelerum vindictam, graviorem tui humiliationem, Eccleſiæ ædificationem, aliorúmque exemplum, peccata commiſſa proprio Sacerdoti coram aliis fateri, ſicuti tradit Navar. *c. 2. n. 8.* Suar. *diſp 21. ſect. 2. n. 9* Vaſq. *q. 91. art. 4. dub. 1.* Coninch. *diſp. 6. de pœnit dub 2.* Layman. *lib. 5. ſum. tract. 6. c. 6.* & docuit Trid. *ſeſſ. 14. c. 5. circa fin.* Rarò tamen prædictus modus confeſſionis conſulendus eſt, excepto neceſſitatis caſu, & colligitur ex Bonac. *diſp. 4. q. 5. ſect. 2. punct. 2. §. 2. à n. 23.*

4. Quinimò credo, certum præceptum de confeſſione, nec eſſe, neque eſſe poſſe de publica confeſſione; ſed de articulari ſeu ſecreta: quia regulariter confeſſio publica non levibus incommodis eſt expoſita, præterquam quod graviſſimum onus peccatoribus imponeretur, ſi peccata ſecretò commiſſa obligarentur in publicum adducere, quæ aliena ſunt à lege Chriſti, & recto Eccleſiæ regimine. Sic colligitur ex Trident. *ſeſſ. 14. c. 5.* dicente, divino præcepto mandatum non eſſe publicè peccata fateri; nec ſatis conſultè humana aliqua lege præcipiendum fore: & notavit Laym. *lib. 7. ſum. tract. 6. cap. 6.* Ægid. de Coninch. *diſput. 6. dub. 2. in fine.*

5. Sed an hæc ſacramentalis confeſſio voce humana facienda ſit: Affirmare videntur Palud. *in 4. diſt. 17. quæſt. 2. n. 7.* Medina. *Cod. de confeſſ. q. de modo ſecretò confitendi.* Moventur ex Concil. Florent. *in decreto Eugenii* affirmante, materiam hujus ſacramenti eſſe oris confeſſionem. Ergo confeſſio aliter facta materia non eſt. Deinde in *cap. Quem pœnitet de pœnitent. diſt. 1.* dicitur: confeſſionem faciendam non eſſe per ſcripturam. Denique abſolutio neceſſariò ore proferenda eſt, nec ſufficit, ſi ſcriptura, vel nutibus manifeſtetur. Ergo idem erit dicendum de confeſſione.

6. Nihilominus pro certo habendum eſt, confeſſionem fieri voce humana non eſſe de Sacramenti neceſſitate, uti tradit D. Thom. *in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 4. quæſt. 3. ad 2. & quodlib. 1. art. 10.* quem communiter Doctores ſequuntur, teſte Suar. *diſput. 21. ſect. 3. num. 2* Vaſq. *quæſt. 91. art. 4. dub. 4.* Ægid. de Coninch. *diſp. 6. dub. 2. in princ.* Paul. Laym. *lib. 5. ſum. tract. 6. cap. 7. n. 3.* Sumiturque ex praxi, & uſu Eccleſiæ abſolventis mutos, qui nutibus peccata ſacerdoti confitentur. Itemque morituros, qui aliter quàm nutibus peccata declarare non poſſunt. Ratio ea eſt: quia Trident. *ſeſſ. 14. cap. 3. & 5.* declarans confeſſionem hujus ſacramenti partem, ſolùm eſſe dixit humilem accuſationem, qua pœnitens ſacerdoti omnia ſua peccata, quæ memoriæ occurrerint, manifeſtat. Sed hæc accuſatio peccatorum manifeſtativa nutibus, & ſcriptura fieri poteſt. Ergo.

7. Neque obſtant contrariæ rationes. Nam Florentin. affirmans, oris confeſſionem eſſe materiam; uſum eſt vulgari ſermone oris, ab eo quod frequentius accidit; non quia neceſſario facienda ſit. Text. in *c. Quem pœnitet.* probat, per ſcripturam non eſſe confeſſionem faciendam, ſi ore fieri poſſit, ut dicemus, non quidem ex materiæ neceſſitate, ſed ex Eccleſiæ præcepto. Neque eſt ſimile de forma abſolutionis: tum quia vix occurrere poteſt neceſſitas eam ſcripto vel nutibus proferendis: cum tamen ſæpe de confeſſione hæc neceſſitas contingat: tum & præcipuè, quia forma expreſsè à Trident. *ſeſſ. 14. cap. 3.* eſt definitum: non ſolùm verba eſſe de illius eſſentia, ſed quæ verba; cùm tamen pro confeſſione nulla verba expoſtulaverit.

8. Cæterùm etſi pro neceſſitate ſacramenti non fuerit neceſſarium verbis confeſſionem exprimi, eſt tamen neceſſarium ex Eccleſiæ præcepto, deſumpto ex uſu & praxi Eccleſiæ, cui non leviter favet dictus in *cap. Quem pœnitent.* Quapropter grave peccatum committeret, qui nutibus, vel ſcriptura tantùm abſque ulla vocis prolatione peccata fateretur; cùm tamen facilè poſſet ore proferre. Sic expreſsè S. Thom. *quodlibet. 1. art. 10.* Canus *5. p. præl. 8. de pœnit. fol. 131. §. At exiſt.* Navarr. *c. 21. n. 15.* Vaſq. *q. 91. art. 4. dub. 4.* Suar. *diſp. 21. ſect. 3. num. 6.* Ægid. de Coninch. *diſp. 6. dub. 1. concl. 3.* Paul. Layman. *lib. 3. ſumm. tractat. 16. cap. 6. num. 3.* Bonac. *diſp. 5. de ſacramento, quæſt. 5. ſect. 2. punct. 2. § 2. num. 24.* & alii.

Verum, ut rectè advertunt Canus, Bonac. Suar. Vaſq. Ægid. Laym. *locis allegatis.* Saà *verbo Confeſſio. n. 15.* non eſt in hac parte nimius rigor adhibendus. Unde ſi non mediocrem difficultatem ſentias, vel

ob

ob pudorem, & verecundiam, vel ob angorem gutturis, & impedimentum loquelæ in explicandis verbo peccatis; poteris ea scripta sacerdoti præsenti offerre legenda, expectans ab eo absolutionem, & interim contritionis signa exhibens. Neque opus est, ut inquit Domin. Sotus *in 4. distinct. 18. q. 2. art. §. Si vero* ut singulis peccatis à sacerdote lectis annuas te illa commisisse, & de illis dolere. Satis enim id ex præsenti traditione aliis circunstantiis vestita indicatur, ut benè dixit Ægid. de Coninch. *dicta disp. 6. dub. 1. n. 2.* Si verò ut facilius, & apertius peccata commissa sacerdoti explices, ea scripseris, & postmodum coram sacerdote legas, vel si illi tradas legenda, finita lectione affirmes te de omnibus illis accusare, & dolere, absolutionemque petere: non est dubium obligationi confessionis satisfeciisse; illa enim confessio non scriptura, sed verbis fieri censenda est.

9. Notanter dixi *coram sacerdote*; nam eo absente confessio sacramentalis esse non potest. Etenim cùm absolutio in præsentia concedenda sit, & confessio ad absolutionem dirigatur, nequit in absentia ad absolutionem dirigi. Sic Emmanuel Saà *verbo Confessio. num. 16.* Navar. *cap. 26. n. 27.* Coninch. *de pœnitent. disp. 7. dub. 10. num. 99.* Vasq. *quæst. 91. art. 2. dub. 1. num. 37.* Bonac. *disp. de Sacram. quæst. 5. sect. 2. p 2. §. 4. difficultat. 4. num. 10.* Favetque decretum Clementis VIII. qui non solùm absolutionem, sed etiam confessionem per litteras & internuncium damnat; tametsi contrarium sentiant Zerola *in praxi de pœnitent. cap. 13. quæst. 2. conclus. 2.* Valent. *t. 4. disp. 7. quæst. 11. p. 2. sub finem.* Suar. *disp. 19. sect. 3. & disp. 21. sect. 4. n. 9.* Filliuc. *tract. 7. c. 1. q. 10.* Reginald. *lib. 8. n. 18.*

10. Sed an obligeris nutibus, vel scriptura peccata in confessione manifestare, quando voce manifestare non potes? Respondeo quoad manifestationem per nutus dubium non esse quin sis obligatus in articulo mortis peccata manifestare. Constat ex praxi, & ex eo quod eo tempore specialiter urgeat confitendi præceptum, illudque absque gravi difficultate exequi potes in magnam tuæ conscientiæ utilitatem: nulla ergo ratio adest quæ te excuset.

Extra periculum mortis dicendum censeo, si mutus es, neque speras brevi tempore loquelam recuperaturus, teneris tempore quo urget Ecclesiæ præceptum confiteri, quia cùm hic modus manifestandi peccata secretus sit, illoque utaris ad alias res minus tibi utiles explicandas, non debet pro suscipiendo sacramento tibi esse gravis & difficilis. Sic Cajetan. *verbo, Confessio. condit. 11.* Sotus *in 4. dist. 18. q. 2. art. 6. vers. Primum ergo membrum.* Navar. *c. Fratres. de pœnit. dist. 5. num. 89.* Tolet. *lib. 3. cap. 6.* Eman. Saà *verbo Confessio, num. 13. in scholiis.* ubi alios refert. Dixi, *nisi speres brevi tempore loquelam recuperaturus* nam eo casu legitima est causa confessionem annuam differendi, tum ut apertiùs peccata manifestes, & absque ea difficultate, quam secum manifestatio per nutus trahit, tum ut modum confessionis ab Ecclesia communiter retentum observes. Sic Paul. Layman. *lib. 5. sum. tract. 6. cap. 6. concl. 4.*

11. Quoad confessionem per scripturam, etsi Gab. Vasq. *quæst. 91. art. 4. dub. 5.* Suar. *disput. 36. sect. 6. num. 7.* & alii plures apud ipsos existiment, te obligatum esse, eò quòd hic manifestationis modus non sit difficilis, neque ex illo ullus alius à Sacerdote tua peccata cognoscit; verius est, prædicta obligatione te non astringi: nam esto de facto nemini alteri à Sacerdote manifestentur, de se tamen scriptura ad publicam manifestationem dirigitur, aptáque est eam legentibus notitiam peccatorum concedere, & plerunque concedit. Non igitur credendum est, divinum, vel Ecclesiasticum præceptum ad prædictum confessionis modum obligare. Aliàs affirmandum esset, te esse obligatum scripturæ peccata commissa mandare, si timeas è memoria casura: ea enim lege, qua teneris peccata fateri, & omnia fateri teneris. At receptum non est te obligatum esse peccata scribere, ne è memoria decidant. Ergo neque ea scribere, ut Confessori manifestes. Atque ita sustinent Dominic. Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 2. artic. 6.* Cajetan. *verbo, Confessio, condit. 11.* Victor. *in sum num. 137.* Navarr. *sum. c. 21. num. 36. & in c. Fratres de pœnit. dist. 5. n. 86.* Joann. Med. *Cod. de confess. q. 15. §. Quintum dictum.* Eman. Saà *verbo, Confessio, n. 13.* Laym. *lib. 5. sum. tract. 6. c. 6. concl. 4.*

12. De modo autem confitendi per interpretem, tametsi licitus sit, communis sententia defendit, obligatorium non esse ut videre est apud Sot. Navar. Cajetan. Eman. Saà *loc. alleg.* Vasq. *quæst. 91. art. 4. dub. 3.* Suar. *disp. 36. sect. 6. num. 2.* Tolet. *lib. 3. c. 6.* Layman. *cap. 6. concluf. 6.* Ratio est: quia Christus Dominus noluit te obligare ad publicam peccatorum confessionem, sed solùm ad secretam, ut ex Trident. *sess. 14. cap. 5.* constat: si autem alteri præter Sacerdotem tua peccata manifestare obligatus esses, jam ea obligatio limites secretæ confessionis excederet, & publicæ confessionis portas intraret: Quod esset nimis grave, & difficile, & alienum à legis evangelicæ suavitate.

13. Verùm in articulo mortis credo certum, te obligatum esse scriptura, vel per interpretem, imò publicè peccata fateri, si maculatus gravi culpa probabilitatem non habeas contritionis: quia in eo articulo jure divino, naturali, & strictissimo teneris reconciliari cum Deo. At deficiente contritione nulla alia via supereſt reconciliationis, præter Pœnitentiæ Sacramenti susceptionem. Ergo. Hæc autem necessitas, ut bene expendit Vasq. *de pœnit. q. 91. art. 4. dub. 3. à n. 6.* Suar. *disp. 36. sect 6. n. 5.* Laym. *lib. 5. sum. tract. 6. cap. 6. in fin.* non provenit ex divino præcepto confessionis, sed ex præcepto charitatis erga seipsum, quo quis tenetur, saltem in ultimo vitæ, Deo reconciliari. Nam esto pœnitentia non esset instituta, ut medium ad salutem necessarium; sed tantum ut sufficiens, eo uti deberes, ut ejus usu gratiam impetrares. Advertunt tamen, & benè, prædicti Doctores, præcipuè Suar. eo casu te non esse obligatum confiteri omnia peccata; sed quælibet confiteri posse aliis relictis: quia solum obligaris suscipere Sacramentum, & ejus effectum, quem suscipere potes quolibet peccato confesso, tametsi alia relinquas, cùm absolutè à confessione omniũ sis excusatus.

Punctum IX.

De integritate confessioni requisita.

1. *Quæ sit confessio integra.*
2. *Omnia mortalia quoad speciem, & numerum, tam interiora, quam exteriora, fateri debes.*
3. *Circunstantias notabiliter aggravantes esse obligationem confitendi docent plures.*
4. *Probabilius est oppositum.*
5. *Satisfit rationibus n. 3. adductis.*
6. *Explicantur septem circunstantiæ à Doctoribus assignatæ, & specialiter circunstantia,* Quis, *quæ denotat qualitatem personæ.*
7. *Circunstantia,* quid, *quæ est materia peccati: & quid in furto dicendum sit.*
8. *Quid de circunstantia incestus.*
9. *Quid de virginitate.*
10. *Explicatur circunstantia,* propter quid, *quæ spectat finem operantis:*
11. *Circunstantia,* quomodo, *declaratur.*
12. Quibus auxiliis, *an oporteat explicari.*

13. Quan-

13. Quando, *id est, quo tempore: ubi de peccato commisso die festo.*
14. *Quid dicendum de peccato dubio, an sit obligatio fatendi & quale dubium.*
15. *Si probabile judicium habeas non esse mortale, vel esse confessum, vel non esse commissum, teneris.*
16. *Si anceps es, aliqui consent te non esse obligatum.*
17. *Verius est, te obligatum esse.*

1. ILlam confessionem voco integram, in qua fateris omnia peccata mortalia commissa, & clavibus Ecclesiæ non subjecta. Quòd autem hæc fateri tenearis vi præcepti divini, in ipsa institutione Sacramenti fundati, docuit Trident. *sess.14. c.5.* his verbis: *Verum, cum universa peccata mortalia, etiam cogitationes, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant necessum est omnium etiam veniam cum aperta, & verecunda confessione à Deo quærere. Itaque, dum omnia, quæ memoriæ occurrunt peccata Christi fideles confiteri studeant, proculdubio omnia divinæ misericordiæ ignoscenda exponunt. Qui verò secùs faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt.*

2. Ex his verbis infertur manifestè, te obligatum esse omnia peccata mortalia, tam interiora, quàm quæ actum exteriorem prodeunt, confessioni subjicere. Item omnes circunstantias mutantes speciem: quia in esse mortis sunt nova peccata: & definitur à Trident. *sess.14. can.7.* Item, numerum peccatorum, quæ commisisti, ut satis judicatur à Trident. *suprà c.5.* cùm dixit, omnia peccata, non solùm in genere, sed in specie, & sigillatim declaranda esse. Rationem hujus veritatis reddit Concilium *illo c.5.* Sacerdos non potest hoc judicium incognita causa exercere, neque æquitatem in pœnis injungendis servare, si in genere duntaxat, & non potiùs in specie, & sigillatim sua ipsi peccata pœnitentes declararent. Aliam rationem ex effectu Sacramenti reddit D. Thom. *in dist.7. quæst.3. art.4.* Alens. *4. p. qq.77. memb.5. art.2. & 6.* Adrian. *in 4. de confess. q.4. §. Quoad peccata.* Vnum peccatum mortale remitti non potest sine alio, quia quodlibet obstat gratiæ recipiendæ. Ergo, ut pœnitens ab omnibus absolvatur, omnia debet confiteri, ut sententia absolutionis accusationi commensuretur: aliàs daretur sententia de causa incognita. Favétque textus in *cap. Eum pro causa de sentent. excommunicat.* ubi pluribus excommunicationibus ligatus, si aliquam taceat ex malitia, ab ea non absolvitur. Si igitur in hoc casu non posset ab una excommunicatione absolvi, quin ab omnibus absolveretur, à nulla maneret absolutus. Quòd si inquiras, qualiter possis circunstantias mutantes speciem, & numerum peccatorum agnoscere, ut confessionis judicio subjicias; vide dicta *tract 2. de peccat. disp.3. p.1. & seqq.*

3. Supersunt tamen examinandæ aliquot quæstiones inter Doctores controversæ. Prima, an circunstantiæ notabiliter aggravantes intra eandem speciem sint ex præcepto divino necessariò fatendæ. Dari circunstantias intra eandem speciem aggravantes, vel minuentes notabiliter peccatum prout communiter committi solet, non est dubium: siquidem, ex malitia, intensóque odio occidere hominem potes; vel repentè occasione gravis injuriæ lacessitus. Item, intra quantitatem pro peccato mortali furti requisitam, dari potest minima, vel notabiliter maxima. Item, peccatum carnis potes committere nimio affectu; & voluptate, vel eo cessante, & sic de aliis similibus. Quæstio igitur est, an prædictas circunstantias, tam aggravantes, quam notabiliter minuentes, debeas manifestare, ut integritati confessionis satisfacias.

Affirmant Caiet. *in sum. verbo, confessio condit.15.* Domin. Sotus *in 4. dist.18. q.2. art.4. concl.5. & 6.* & pluribus relatis Suar. *disp.22. sect.3. n.5.* Salas. *1. tract.8. disp. unic. de consec. sect.3. n.33. q.7. pag.1190.* D. Thom. Sanch. *lib.4. de voto, c.11. n.24.* Ægidius de Coninch. *disp.7. de pœnit. dub.3. concl.1. n.18.* Henriq. *lib.5. c.7. n.6.* Probari potest primò ex Trident. *sess.14. c.5.* decidente circunstantias mutantes speciem numerumque peccatorum, in confessione explicandum esse, ut sacerdos ritè causa cognita, judicet, & pro qualitate criminum pœnas injungat. Et hæc ratio æquè in circumstantiis notabiliter aggravantibus procedit: siquidem ex illarum positione criminis gravitas notabiliter augetur, & sæpè amplius quàm multiplicitate peccatorum numerica. Ergo, &c. Secundo, *ex capit. Consideret. de pœnitentia, distinct.5.* ubi plures circunstantiæ connumerantur in confessione explicandæ, quæ solum aggravant, ut de durationè actus, de intentione, de occasione peccati: & in *capit. Si quis Sacerdos* & *cap. Non debet.* & aliis 30. *quæst.1.* & *cap.1. & 2.22. quæst.6.* variæ pœnitentiæ assignatur pro diversis criminibus, cum tamen diversitas solùm sit secundùm magis & minus. Ergo signum est, æquitatem judicii expostulare prædictæ diversitatis declarationem. Tertiò Confessor interrogare potest pœnitentem, an in peccatum quod confitetur, sæpius reinciderit, vel longo tempore duraverit; & in peccato furti quam quantitatem fuerit furatus: quia habet clavem scientiæ, ad quam pertinet examinare pœnitentis statum & dispositionem. Ergo tenetur pœnitens his omnibus interrogationibus respondere. Ergo etiam absque interrogatione tenebatur declarare; quippe hoc judicium voluntarium est, non coactum; ac proinde quidquid pœnitens interrogatus occultare non potest, absque interrogatione declarare debet Quartò sunt plura peccata, quæ secundùm probabilem sententiam non differunt specie, sed intra eandem augeat, vel minuunt notabiliter malitiam: & tamen est certum in confessione manifestari debere. Ergo, &c. Majorem propositionem probo inductionem. Primo in gradibus consanguinitatis, quatenus sunt circumstantia incestus. Etenim copula cum sorore, vel cum matre, vel affine non mutat speciem, ut latè Cajet. *2.2. q.154. art.9. & tom.1. opusc. tr. ult. respons 5.* Sotus *dist.18. quæst.2. art.5.* Canus. *relect. de pœnitent pun.5.* Secundò in peccatis contra naturam, quæ secundum probabilem sententiam solùm differunt secundùm majorem vel minorem gravitatem. Tertiò in infamatione falsum dicendo, vel occultum revelando, quæ solum videtur secundùm magis vel minus differre. Quartò, in violatione jejunii: comestio enim carnis illo die ejusdem speciei est cum comestione repetita ciborum non prohibitorum. Quintò homicidium, & mutilatio membri, voluntas occidendi unum vel, plures, quæ solùm intra eandem speciem differunt. Et tamen hæc omnia sunt in confessione manifestanda. Ergo circunstantiæ aggravantes, vel minuentes notabiliter manifestari debent.

4. Nihilominus, etsi prædicta sententia probabilis sit, probabiliorem existimo, circumstantias notabiliter aggravantes, & à fortiori notabiliter minuentes non esse ex necessitate fatendas. Sic D. Thom. *in 4. dist.16. q.3. art.1.* Valent. *p.4. disp.7. q.11. pun.1. assert.5.* Navarr. *cap.6. n.6.* & plures relatis Vasq. *q.91. dub.2.* Bonac. *disp.5. de sacram. q.5. sect.2. p.2. §.3. difficul.4. n.5.* alias. *ubi sect.2. num.11.* innumeros refert, tametsi contrarium sentiat. Præcipuum fundamentum est: quia obligatio fatendi peccata ex institutione sacramenti Pœnitentiæ à Christo Domino facta provenit. At hanc institutionem declarans Concil. *sess.14. cap.5. can.7.* solùm expressit peccata

quoad ſpeciem, & numerum, & conſequenter quoad circumſtantias mutantes ſpeciem: ergo abſque fundamento obligantur fideles circumſtantias intra eandem ſpeciem manifeſtare. Doctores enim hanc obligationem imponentes tenentur neceſſariò affirmare, diminutè Concil. Trident. proceſſiſſe in ſua declaratione. Quòd ſi dicas, Concil. circumſtantias aggravantes non declaraſſe, ut locum opinionibus concederet, ſolúmque declaraſſe, quæ certò ſervanda erant: unde convincitur, nullam eſſe obligationem has circumſtantias fatendi: quia in caſu dubio obligatio imponenda non eſt: non enim certò, & cum effectu adſtringi debes ad onus grave ſubeundum ob obligationem dubiam, & incertam. Si enim Concilium judicavit, judicium confeſſionis ſatis ritè exerceri poſſe, æquitatemque in pœnis injungendis ſervari, declaratis peccatis quoad ſpeciem & numerum; unde obligatio declarandi modum peccati aſſerenda eſt? Confirmo. Circumſtantias notabiliter minuentes non eſſe ex obligatione manifeſtandas, aſſerunt ferè omnes Doctores, etiam oppoſitæ ſententiæ, ut videre eſt apud Henriq. *l.5. c.7. n.3.* Suar. *diſp.22. ſect.3. n.16.* Ægid. de Coninch. *diſp.7. dub.3. conc.2. n.16.* At eadem eſt ratio de iis circumſtantiis, ac de circunſtantiis notabiliter aggravantibus, cùm in hoc judicio æque teneatur pœnitens pro ſe, ac contra ſe veritatem fateri, &c.

5. Neque rationes in contrarium urgent. Ad primam deſumptam ex Concilio ſatisfecimus probatione noſtræ concluſionis. Ad ſecundam ex *cap. Conſideret*, fateor pœnitentem debere conſiderare qualitatem ſui criminis quoad circumſtantias aggravantes aliquo modo; ſed ad hanc conſiderationem, & confuſionem non tenetur ex præcepto; ſed ex conſilio. Neque aliud ibi voluit Auguſt. alias deberemus affirmare; obligatum eſſe pœnitentem manifeſtare, an in die feſto, vel jejunii peccatum commiſerit: quod non eſt receptum, ut videbimus. Alia item capita; in quibus variæ pœnitentiæ pro diverſis criminibus impoſitæ recenſentur, aliquibus placet loqui de foro publico, & non de ſacramentali. Sed conceſſo, ſermonem eſſe de foro ſacramentali; affirmatus, diverſas illas pœnitentias impoſitas eſſe pro diverſa criminum gravitate, eò quòd à fidelibus ad judicium confeſſionis fuerit delata: at inde non convincitur obligari fideles eam gravitatem in confeſſionis judicium adducere. Multa namque ibidem recenſentur, quæ in omnium ſententia non ſunt neceſſariò in confeſſionem adducenda; quale eſt declarare, an perjurium commiſſum ſit ab homine libero, vel ſervo, pro cujus diverſitate diverſa pœna ſtatuitur *illo c.1. 22. q.5.* Ad tertium reſpondeo poſſe Sacerdotes, quando ſibi non conſtat de diſpoſitione pœnitentis, & de propoſito vitandi peccata in futurum, examinare, & inquirere ſuper peccata confeſſa, ipſúmque pœnitentem obligatum eſſe manifeſtare veritatem, ſi videat, Confeſſarium interrogare de circunſtantiis aggravantibus in ordine ad formandum judicium de ejus diſpoſitione, & ſtatu; & non quia exiſtimet, circunſtantias aggravantes neceſſariò eſſe fatendas: quam manifeſtationem ipſe facere tenebatur non interrogatus, ſi intelligeret, ex manifeſtatione criminum quoad ſpeciem, & numerum non eſſe Confeſſarium ſufficienter inſtructum, quod vix præſumendum eſt. Quarta ratio poſtulat explicationem plurium circunſtantiarum, ideóque placet per ſingulas circunſtantias, quæ regulariter alicui actioni adeſſe ſolent, diſcurrere.

6. Septem circunſtantiæ enumerantur communiter à Doctoribus (teſte Azor. 1. *p. lib.1. cap.4.* Sayro *in clavi regia, lib.2. cap.3.* Henriq. *lib 5. ſum. cap.6. num.3.* Valen. *t.4. diſp.7. quæſt.11. pun.1.* Coninch. *diſp.7. de pœnitent. dub.4.* Suar. *diſp.22. ſect.4.* Bonac. *diſp.5. de Sacram. quæſt.5. ſect.2. pun.2. §.3. diffic.* & aliis) *Quis, quid,* vel, *circa quid, quomodo, cur, quibus auxiliis, ubi, quando.*

Circunſtantia, *quis*, denotat qualitatem perſonæ peccantis quæ frequentiùs mutat ſpeciem, ideóque neceſſario fatenda, ut ſi perſona ſacra, conjugata, vel habens votum caſtitatis fornicationem commiſerit: transfert enim actionem intemperantiæ in virtutem ſacrilegii, vel injuſtitiæ. Si ſit perſona publica ſæpè ratione officii contra juſtitiam delinquit, aliàs ſolùm contra miſericordiam peccaturus. At, ſi hujus circunſtantiæ aggravatio intra limites ejuſdem ſpeciei continetur, ſicuti contingit in ligato voto caſtitatis ſolemni, vel ſimplici, aut proveniente ex Ordine ſacro, vel religione, nulla eſt obligatio declarandi.

7. *Quid*, indicat materiam peccati quoad conditiones ejus, quarum præcipua, à Doctoribuſque controverſa eſt materia furti, & damnum illatum. Et de materia furti pro certo ſupponit Suar. *ſeſſ.4. numer.2.* neceſſariò eſſe fatendam: neque ſatisfacere, ſi dicas, te notabilem quantitatem furatum eſſe; ſed debere explicare, quam quantitatem. Idem in hoc caſu docuit Bonac. *ſuprà num.17.* conſentit Navarr. *cap.6. n.6.* caſu, quo furtum in ea quantitate fuerit reſervatum, vel illius explicatio neceſſaria fuerit ad ferendum judicium de reſtitutione facienda. Moventur: quia ſine hac manifeſtatione non videtur manifeſtatum delictum, quod per ordinem ad objectum individuatur; neque æquitas in pœnitentiis injungendis ſervari poteſt, cùm ſit longè diverſum furtum unius ſcuti, vel centum. Nihilominus dicendum eſt, neque in hoc caſu te obligatum eſſe quantitatem furti declarare, ſi quantitas furata unius fuerit domini: nam, licèt individuatio actus per ordinem ad objectum ſumatur, ſufficienter illius individuationem declaras, affirmans, te quantitatem notabilem furatum eſſe: ſicuti ſatisfacis confitendo homicidium, vel fornicationem commiſiſſe, tametſi intentionem, vel durationem illorum actuum non declares: cùm tamen intenſio, & duratio ipſam individuationem actus potiùs, quàm objectum conſtituant. Atque ita ſuſtinet Vaſquez *dub.4. num.5.* & probabile reputat Bonac. *diffic. ult.3. n.17.* Quòd ſi peccatum in tanta quantitate excommunicationem habeat annexam, debes manifeſtare, ſi illius excommunicationis Confeſſarius ignarus ſit: quia abſolutio ab excommunicatione præmitti abſolutioni à peccatis debet. Idem eſt, ſi in ea quantitate fuerit reſervatum, ſi alteri quàm habenti poteſtatem fatearis: ſecùs ſi poteſtate abſolvendi gaudeat: quia ob reſervationem delictum non mutat ſpeciem. Nullo tamen modo tibi licitum eſt furanti centum, fateri decem furatum eſſe: quia eſto furtum decem, vel centum non differat ſpecie, non eſt dubium differre numero, ac proinde peccatum, quod commiſſum eſt celas; & fateris, quod non commiſiſti, uti benè advertit Vaſq. *quæſt.91. artic.1. dub.4. n.23.* Ob eandem rationem, ſi occideris Petrum, non eſt tibi licitum confiteri ſolùm vulneraſſe: quia eſto vulneratio ab occiſione non differat ſpecie, differat num.

Notanter dixi *ſi ab uno domino materia furti ſublata ſit*: nam ſi plures in eam rem dominium habeant, videtur pro multiplicitate dominorum peccatum, ſaltem virtute, multiplicari, ſicuti ſi plurium hominum multitudinem velles occidere, non ſatisfaceres declarando habuiſſe voluntatem occidendi, niſi declares, ſaltem confusè, homines, quos occidere voluiſti: quia juxta eorum pluralitatem peccatum occiſionis, ſaltem virtute, multiplicant. Cæterum Joann. de Salas 1.2. *t.2. quæſt.73. tract.13. diſp.5. ſect.6. num.65.* & Vaſq. *de pœnit. qu.91. art.1. dub.4. n.5.* affirmant, te non eſſe obligatum in peccato furti numerum dominorum declarare: quia ex eorum multiplicitate non videtur peccatum multiplicari, cùm ſit eadem privatio dominii, idemque damnum: tametſi plures

illud

illud patiantur: in quo est latum discrimen ab eo, qui uno actu plures occideret, vel vulneraret, unicóque verbo famam plurium læderet; vel id præstare vellet, quia occisiones, vulnerationes, famæque læsiones distinctæ sunt, & una ab alia non pendet, nisi in causa: & consequenter voluntas illorum malorum multiplex est moraliter pro multiplicitate damni inferendi. Debet ergo in confessione manifestari.

8. Ad hanc circunstantiam reducitur illa, quæ vocatur à Theologis *circa quid*: quæque denotat qualitatem personæ, cum qua est peccatum, ut si commisisti fornicationem cum conjugata, vel occidisti Clericum. Et de his non est dubium debere explicari. Solùm de circunstantiis incestus, & virginitatis est difficultas. Et quidem omnes Doctores fatentur, teste Sanch. *lib.7. de matr. disp.5. num.5. & 8.* copulam illicitam cum consanguineis, vel affinibus iis in gradibus, in quibus matrimonium inter ipsos prohibetur, esse incestum, & circunstantiam fornicationis necessariò fatendam: quia ob reverentiam debitam, tum consanguineis, tum præcipuè matrimonii Sacramento, ea copula specialiter prohibetur: sumitúrque ex *cap. Lex illa. §. Cùm ergo.36. quæst.1.* Sed, an satisfacias integritati confessionis, si affirmes, incestuosam copulam commisisse, quin personam, qua cum commisisti, manifestes, an, inquam, fuerit affinis, vel consanguinea, an in primo vel secundo gradu: non est ita certum. Nam Caietan.2. 2. *q.154. art.9.* quem aliqui recentiores sequuntur, existimat, incestum cum affine, vel consanguinea solùm esse circunstantiam aggravantem, sicuti major, vel minor quantitas in furto: & idem docet de diversitate graduum utriusque: additque non oportere pœnitentem esse sollicitum in eis explicandis.

Communis tamen sententia est, incestum cum consanguinea esse specie diversum ab incestu cum affine, ac proinde necessariò in confessione explicandum: differunt enim, sicut unio partium mediata, & immediata, naturalis, & voluntaria. Et licèt omnes prædicti incestus sint adversùs eundem virtutem pietatis, vel religionis: quia diverso modo eam violant: diversitatem habent specificam, sicuti sacrilegium, ex copula cum persona sacra, vel ex illius percussione, diversum est, tametsi sint adversùs eandem virtutem. Secundò differunt specie incestus cum consanguinea in linea recta, & transversali: quia cum consanguinea in linea recta nunquam fuit licitus concubitus: & longè alia reverentia debita est matri, quàm sorori; & longè fœdior illius, quàm hujus violatio. Tertiò, differt incestus in primo gradu consanguinitatis lateralis à reliquis, & incestus in primo gradu affinitatis lineæ rectæ à reliquis, præsertim lineæ transversæ: quia in primo gradu jure naturæ est impedimentum dirimens matrimonium; in reliquis jure positivo. Sic Leonard. Lessius *lib.4. de just. c.3. dub. 11. n.79.* Vasq. *q91. art.1. dub.4. num.13.* Suar. *de pœnitent. disp.21. sect 4. num.7.* Quoad reliquos gradus probabile est, copulam incestuosam inter ipsos non differre specie, ac proinde non esse necessariò fatendam eam diversitatem: etenim omnes hæ copulæ prohibentur positivo præcepto sub eadem ratione, nempe, ut reverentia debita propinquis in illis gradibus deferatur. Quòd autem major reverentia debeatur, quo gradus est intimior, non arguit diversitatem specificam, ut benè Lessius, & Vasq. *locis citatis.*

9. De circunstantia virginitatis, omissis aliis sententiis, affirmo, non esse specialem circunstantiam necessario fatendam, si ipsa virgo liberè consensit, uti pluribus relatis firmat Thom. Sanch. *lib.7. de matr. disp.14. à n.5.* Suar. *de pœnit. disp.22. sect.4. à n.6.* Petr. Navarr. *lib.2. de restit. c.3. par 4 dub.1. n.249. in nova edit.* Puella namque domina est sui corporis, quatenus absque injustitia potest illo uti. Ergo ultra peccatum intemperantiæ nullum aliud ibi intervenit, sicuti in viro contingit, cùm primum virginitatem amittit.

10. Tertia circunstantia est, *propter quid*, quæque indicat finem operantis. Quando igitur finis intentus est diversum specie peccatum à medio, quod eligitur; fatenda est necessario talis intentio: ut si furatus sis propter mœchiam: cùm enim furtum ad mœchiam non dirigatur, & ex alia parte sint diversa peccata specie; ex manifestatione unius aliud non manifestatur. Quod si medium & finis sint ejusdem speciei, & unum referatur ad aliud, quales sunt tactus, oscula, & amplexus, qui per se ad coïtum diriguntur, manifestato fine intento, & subsecuto manifestantur illi actus medii antecedentes, ut notavit Vasq. *quæst.91. art.1. dub.4. n.9.* Suar. *de pœnit. disp.21. sect.4. n.8.* Martin. Navarr. *c.6. n.6.*

11. Quarta circunstantia est, *quomodo* quæ intelligenda est de modo accidentali, seu non per se, conjuncto cum actu. Modus accidentalis est in triplici differentia. Primus secundum durationem, qui non est necessariò exprimendus, nisi fortè ob durationem contingat, peccata quoad numerum multiplicari, uti docuit Emmanuel Sà *verbo Confessio, num.23.* Secundus, refert intentionem, qui si peccata distincta non inferat, non est necessariò fatendus: solet autem inferre, ut si homicidium sit ex odio: nam tunc non solùm est contra justitiam, sed contra charitatem: secùs si ex lucri causa. Item, si inimicum occisum in frusta feces, teneris fateri: quia est sævitiæ, seu feritatis peccatum juxta doctrinam D. Thom.2. 2. *quæst.152. art.2.* vel nova injuria, quæ defuncto in ejus cadavere fieri potest, ut notavit Suar. *de pœnit. disp.22. sect.4. num.13.* & Vasq. *quæst.91. art.1. dub.2. num.32.* Tertius desumitur ex consuetudine, quem opus non esse explicare in confessione affirmavit Canus *relect. de pœnit. p.5.* Suar. *dicta disp.22. sect.4. num.15.* Vasq. *quæst.91. art.3. dub.7. num.16.* Sà *verbo Confessio, n.23.* aliàs obligareris bis eadem peccata fateri. Per accidens tamen obligari potes, si necessarium sit Confessario, ut tuam dispositionem, & obligationem perspectam habeat.

12. Quinta, *quibus auxiliis*, id est, qui tibi fuerunt auxiliati in peccato. Horum declaratio necessaria non est, si eos ad tecum peccandum non induxeris. Quòd si induxisti, distinguendum est cum Vasquez, *quæst.91. art.1. dub 4. num.3. & 21.* an inductio sit ad actum tibi, & inducto communem, ut cùm inducis mulierem ad fornicationem: quo casu, cùm invita actio ejusdem sit speciei cum actu subsequuto, & ex alia parte ad ipsum referatur, ut pluribus allegatis firmat Vasq.1. 2. *disp.102. cap.4.* D. Thom. Sanch. *lib.1. Decalog. c.6.* probabile satis est, satisfacere integritati debitæ, si actum consummatum declares, quin manifestes inductionem: quia inductio secundum prædictos Doctores non est distinctum peccatum; sed circunstantia quædam aggravans intra eandem speciem. Si verò tuo exemplo, vel verbo ad aliud peccatum distinctum incitas, & moves; teneris sine dubio fateri: quia sunt duo peccata, vel duæ malitiæ distinctæ, quarum una ad aliam non dirigitur. Quocirca, si vocasti socium in adjutorem homicidii, vel interposuisti nuncium, ut loquatur puellæ; teneris hanc circunstantiam manifestare quia incitasti ad illud peccatum distinctum ab eo quod tu commisisti: quia incitasti ad locutionem puellæ; vel adjutorium homicidii, qui actus tibi non est communis sicut latiùs notavit Vasq. *de pœnitent. dicta quæst.91. art.1. dub.5. num.14.*

Sexta est, *ubi*, quæ pertinet ad locum delicti, ob quem actus induit varias peccati species. Primò, si delictum est in loco publico, & coram personis, quæ inde peccandi occasionem sumunt, habet circunsta-

tiam ſcandali, ut notavit Sanch. *lib.* 1. *Decal. c.* 6. & diximus *tract.* 6. *de charit. diſp. ult.* Secundò, ſi Miſſa in loco profano abſque urgenti cauſa celebretur, vel ſi actio profana, quæ ſpecialiter ob reverentiam loci ſacri interdicitur, ibidem fieri contingat, induit ſacrilegii ſpeciem, ut latè diximus *tract. de rever. debita loc. ſac.*

13. Ultima circunſtantia eſt, *quando*, quæ tempus, quo delictum patratum eſt, denotat. Aliquibus placet, ſi die feſto delictum committatur, eſſe circunſtantiam neceſſariò fatendam. Sed contrarium meritò communis ſententia affirmat apud Navarr. *in c. Conſideret. de pœnit. n.* 22. Covar. *in c. Alma mater.* 1. *p.* §. 5. *n.* 3. Suar. aliis relatis *diſp.* 22. *ſect.* 4. *n.* 22. Vaſq. *q.* 91. *art.* 1. *dub.* 4. *n.* 23. quia præcepto ſervandi feſtum ſolùm aſtringeris audire Sacrum, & ab operibus ſervilibus abſtinere. Hac enim actione, & omiſſione Deus colendus eſt illis diebus ex præcepto: aliæ verò actiones, & omiſſiones non ſunt eo die ſpecialiter prohibitæ, aut præceptæ. Idem eſt, quando eodem die duplici præcepto ejuſdem rationis ligaris ad rem aliquam faciendam, vel omittendam, ut ſi in die Dominica incidat feſtivitas Chriſti, vel Beatæ Virginis, aliàs ex obligatione ſervanda, vel vigilia alicujus Sancti in Quadrageſima: violatio Feſti, vel jejunii unicum eſt peccatum: quia unicæ virtuti ſub eadem ratione adverſatur. Secus eſſet, ſi obligationes eſſent diverſæ, qualis eſſet obligatio voti, & præcepti. Vide Navar. *in cap. Conſideret. de pœnit. diſt.* 5. *n.* 58.

14. Secunda quæſtio, an peccatum dubium fateri neceſſum ſit, ut integritati confeſſionis fiat ſatis. Pro reſolutione ponendum eſt triplex dubium te habere poſſe de peccato. Primum, an ſit mortale, vel veniale. Secundum, an feceris. Tertium an confeſſus ſis. Inſuper, poteſt eſſe dubium, quod omnem aſſenſum excludit; vel poteſt eſſe dubium, quod ſecum trahit aſſenſum probabilem, etſi cum formidine, & timore alterius partis.

15. Et quidem, ſi probabile judicium habeas, te non commiſiſſe tale peccatum, vel illud peccatum non eſſe mortale, vel jam eſſe confeſſum, durante eo judicio probabili non teneris fateri, etſi probabilius ſit oppoſitum. Quia tibi conceſſum eſt opinionem probabilem ſequi, relicta probibiliori: at probabiliter judicans, peccatum non eſſe mortale, vel non commiſiſſe, vel jam confeſſum eſſe, probabiliter judicas liberum eſſe ab obligatione confitendi, cùm præceptum ſolum ſit de mortalibus non confeſſis confitendis. Et ita ſuſtinent Henriq. *lib.* 5. *de pœnit. c.* 4. *in fine.* Suar. *t.* 4. *de pœnit. diſp.* 22. *ſect.* 9 *n.* 5. & 6. Thom. Sanch. *lib.* 1. *ſum. c.* 10. *num.* 76. Bonac. & Layman. ſtatim referendi.

16. Verùm, ſi poſt diligentem examinationem anceps ſis, an peccatum commiſſum ſit mortale, vel an illud commiſeris, vel an confeſſus fueris, communis ſententia defendit, teſte Navar. *cap.* 9. *num.* 14. Sylveſt. *verbo Confeſſio, num.* 5. Suar. *diſp.* 22 *ſect.* 9. *num.* 1. & 2. Salàs 1. *quæſt.* 21. *tract.* 8. *diſp. unic. ſect.* 5. *n.* 60. *in ſolut. ad* 4. Laym. *libr.* 5. *ſum. tract.* 1. *cap.* 1. §. 4. *n.* 37. innumeris relatis Sanch. *libr.* 1. *ſum. c.* 10. *n.* 66. Bonac. *d ſp.* 5. *de Sacram. quæſt.* 5. *ſect.* 2. p. 2. *difficult.* 4. *à num.* 1. te obligatum eſſe fateri. Et quidem quando certus es de delicto, dubius autem, an illud faſſus fueris, eſt manifeſtum, quia eo caſu poſſidet confeſſionis præceptum, certaque illius obligatio, à qua ob dubiam cauſam liberari non debes. At quando anceps es, nec te determinare potes ad ferendum judicium, an peccatum commiſſum mortale ſit, vel an illud commiſeris. Ægid. de Coninch. *diſp.* 7. *de pœnit. dub.* 8. *conc.* 2. cui favet Layman. *ſuprà*, cenſet te non eſſe obligatum. Quia, ut ex Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 5. conſtat, ſolùm obligaris ea peccata fateri, quæ poſt diligentem excuſſionem habueris in conſcientia, at in conſcientia non habentur peccata, quæ ignorantur eſſe commiſſa, ita ut nec probabile judicium de illis efformari poſſit. Secundò explicans Concilium, quæ peccata tenearis fateri, expreſſit *dict. ſect.* 14. *can.* 7. mortalia peccata quoad ſpeciem, & numerum, circumſtantiaſque aggravantes. Cùm ergo dubii peccati nullam fecerit mentionem non videtur ex obligatione confeſſioni ſubjiciendum, aliàs Concilium diminutè proceſſiſſet in aſſignatione materiæ neceſſariæ. Et confirmari poteſt ex reg. *Contra eum de reg. juris, in* 6. ubi dicitur, contra eum, qui legem potuit dicere, apertiùs eſt facienda interpretatio. At Concilium potuit apertiùs ſignificare peccata dubia eſſe fatenda, ſi neceſſariò fatenda ſunt. Ergo, &c. Item ex leg. *Quicquid aſtringendi ff. de verborum obligationib.* ibi. *Quicquid aſtringendæ obligationis cauſa dictum eſt, id niſi palam exprimatur, omiſſum eſſe cenſendum eſt.* At dubia peccata non expreſſit palam Concilium eſſe fatenda. Ergo fideles adſtringi non debent ad eorum manifeſtationem. Tertiò, delictum in dubio præſumi non debet: ſtat enim poſſeſſio pro innocentia & libertate. Quartò nullus tanquam delinquens eſt ſubjiciendus indicio, niſi ejus delictum aliqualiter probatum fuerit.

17. Verius tamen eſt, ſtante eo dubio, te obligatum eſſe prædicta peccata dubia fateri. Moveor præcipuè ob communem ſententiam. Et quia Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. ſolùm excepit ab obligatione confeſſionis peccata venialia: ergo mortalia dubia ſub obligatione incluſit. Cùm verò urgès, ea peccata dubia non eſſe in conſcientia; dicendum eſt, non eſſe in conſcientia certò, & infallibiliter; benè tamen ſub dubio. Quod ſufficit, ut ſub dubio confiteri debeant. Neque obſtat dubii peccati non feciſſe Concilium expreſſam mentionem: ſatis enim illud indicavit, cùm ſola venialia excepit. Præterquàm quòd certa definivit, dubia opinionibus Theologorum remiſit: regula enim illa juris, *Contra eum*, &c. non loquitur de legibus, ut advertit ibi Gloſſa *circa finem*: quia in legibus nihil eſt obſcurum, & ambiguum, cap. *Erit lex. diſt.* 4. Quòd ſi in eis videatur aliquid ambiguum, recurſus fiet ad concedentem, penes quem eſt interpretatio, cap. *Cùm veniſſent, de judiciis.* cap. *Inter alia de ſentent. excommunicat.* Quapropter regula illa loquitur de judiciis, & contractibus, in quibus ſemper fit interpretatio adversùs contrahentem, neque ſuam mentem clarè explicantem. Deinde non obeſt, quòd in dubiis nemo præſumatur delictum commiſiſſe, neque ob id adſtringi poſſit, & obligari judicio, ibique puniri; quia id veriſſimum eſt in ordine ad punitionem; ſecùs ad medicinam animæ ſalutarem.

Punctum X.

Expenduntur caſus, qui ſecundùm communem ſententiam integritati confeſſionis culpabiliter obſtant.

1. *Omiſſio mortalis commiſſi, & non confeſſi, obſtat integritati confeſſionis.*
2. *Secundò obſtat, ſi culpabiliter omittas conſcientiæ examinationem debitam.*
3. *Qualis examinatio requiratur.*
4. *Mendacium in materia neceſſaria, ſecùs in voluntaria, & non integra, Sacramenti obſtat integritati.*
5. *Plures oppoſitum cenſent.*
6. *Fit illis ſatis.*
7. *Simulare peccatum eſſe abſolutum, cùm tamen non ſit; aliqui videntur ſentire integritati non obeſſe.*
8. *Diſplicet prædicta ſententia.*

9. Con

9. *Confiteri leviâ peccata ordinario Confessori, aliis graviora; si una vel altera vice fiat, non obstat integritati.*

10. *Si frequenter, plures censent obstare. Sed oppositum verius.*

1. PRimus casus, & omninò certus integritati confessionis culpabiliter obstans, est si nulla legitima causa intercedente, omittas fateri aliquod peccatum mortale commissum, & non confessum: violas enim præceptum à Christo datum in institutione Sacramenti Pœnitentiæ confitendi omnia mortalia, quæ post diligentem inquisitionem memoriæ occurrerint, fuisse commissa, uti declaravit Trident. *sess.14. cap.5.* & *can.7.* & omnes.

2. Secundus est, si culpabiliter omittas, inquisitionem facere de peccatis mortalibus commissis. Cùm enim ex dicto præcepto obligatus sis omnia peccata mortalia confiteri, consequenter obligaris ea in memoriam revocare, ut judicio confessionis sistere possis, uti supposuit Concil. *dicto cap.5.* illis verbis; *Post diligentem inquisitionem*, & illis: *Postquàm quis diligentius se excusserit, & conscient. suæ sinus omnes, & latebræ exploraverit*, &c. & tradit Sotus *in 4. dist.18. quæst.2. art.4. ad finem.* Navarr. *c.9. num.13.* Henriq. *lib.5. cap.5.* Filliucius *tract.7. c.4. quæst.10.* Suar. *de pœnit. disp.22. sect.11.* Bonac. *disp.5. de Sacram. q.5. sect.2. punct.1. §.1.*

3. Sed quam diligentiam præstare debeas, ne tibi peccatorum oblivio culpæ tribuatur, certa regula definiri non potest, sed arbitrio prudentis remittendum est, spectata qualitate personæ, diuturnitate temporis, & consuetudine peccandi. Generaliter verò dici potest, eam diligentiam adhibendam esse, quæ à viro prudenti adhiberetur in re magni momenti. Rudes verò, & imperiti consilio Confessarii juvantur; alioquin diligentiam sufficientem non apposituri, ut benè Coninch. *disp.7. dub.9. n.71.* Henriq. *lib.5.c.5.* Hac diligentia appositâ, si numerum peccatorum explicare non potes, explica plus, minúsve. Item, si speciem peccati non recordaris, sed solùm genus, explica genus, quia est materia sufficiens, & necessaria, ut optimè docuit Navar. *cap.10. n.7.* Suar. *disp.13. sect.1. n.8.* Coninch. *disp.7. dub.9. n.95.* Laym. *lib.5. sum. tract.6. cap.8. n.7.* Nunquam tamen teneris peccata scribere, tametsi timeas probabilissimè, eorum non esse in confessione recordaturum: quia est extraordinaria diligentia, & non levibus periculis exposita, ut dixit Vasq. *de pœnitent. quæst.91. art.1. dub.6.* Suar. *disp.22. sect.10. num.4.* Coninch. *disp.7. dub.9. num.72.*

4. Tertius est, mendacium in confessione commissum, quod in materia necessaria omnes Doctores docent, integritati confessionis obesse: quia judicium confessionis graviter illuditur. Contingit hoc mendacium primò, si peccatum mortale commissum absque legitima causa deneges. Secundò, si non commissum fatearis, (nisi fortè ignorantia te excuset, sicuti excusat rudes, & ignaros, existimantes, nullius peccati reos esse si numerum peccatorum augeant.) Tertiò, si peccatum mortale ita extenues, ut veniale concipiatur, vel è contra veniale ita aggraves, ut mortale esse credatur: quia mortale peccatum à veniali in esse mortis plusquàm genere differunt. Verùm, si mendacium circa materiam voluntariam, nempe peccata venialia versetur, communior sententia docet, integritati confessionis non obstare, dummodo alia materia legitima subjiciatur. Quia leviter tantùm judicium confessionis læditur ob mendacium commissum circa materiam, cujus nullam pœnitens habet obligationem confessioni subjiciendi. Sylvest. *verbo Confessio 1. q.8.* Sotus *in 4. dist.18. quæst.2. art.4. concl.3.* Navarr. *c.21. n.37.* Saà *verbo, Confessio, n.12.* Suar. *disp.22. sect.10. n.7.* Vasq. *q.91. art.1. dub.7. n.4.* Coninch. *de pœnit. disp.6. dub.3.* Laym. *l.5. sum. tr.6. c.8. in fine.* Notant. dixi, *dummodo alia materia confessionis legitima subjiciatur*: si enim tantùm peccatum fictum subjiceretur; nemini dubium esse potest, confessionem irritam reddi: quia nequit effici Sacramentum absque materia quale non peccatum à pœnitente non commissum.

5. Sed adversus hanc communem sententiam firmarunt Paludan. *in 4. dist.21. q.2. art.3. n.12.* Bonav. *art.1. q. n.2. p. dist.* Cajet. *in sum. verbo, Confessio, condit.4.* Armilla *eodem n.5.* Ledesm. *2. part.4. qu.5. art.4. dub.4.* asserentes, quodlibet mendacium, etiam circa venialia peccata, esse peccatum mortale, ac proinde Sacramenti integritati obesse. Moventur: quia subjicis absolutioni materiam indebitam, verbi gratia, peccatum non commissum: Sacerdos enim absolutionem tibi præstat de his omnibus, quæ illi fassus es. Si ergo fateris illi peccatum, quod non commisisti, ab illo te absolvere intendit. Ergo profert formam super materiam indebitam, quod est grave sacrilegium. Et confirmari potest exemplo Eucharistiæ: si enim cum pane triticeo aliquas formas ex hordeo supponeres Sacerdoti consecrandas; certum est, te peccaturum mortaliter; tametsi forma consecrationis non frustraretur omninò. Ergo à fortiori peccabis, supponens Sacerdoti peccata venialia non commissa absolvenda: siquidem ob hanc suppositionem forma absolutionis circa materiam aliàs legitimam habere non potest effectum.

6. Verùm à communi sententia ob hanc rationem recedendum non est, aliàs probaret, te fatentem aliquod veniale absque dolore legitimo ad ejus remissionem, tametsi alia mortalia simul fatearis, peccaturum mortaliter, neque ab ullo peccato absolvi. Quapropter dicendum est, absolutioni non supponi peccata non commissa, neque commissa, & absque dolore confessa; sed solùm supponi quæ ritè fassus sis. Nam ut inquit Vasq. *q.91. art.1. dub.7. n.13.* absolutionis forma non determinatè hæc aut illa peccata significat; sed vagè, hoc est, illa peccata, circa quæ pœnitens est dispositus. Secùs est in consecratione Eucharistiæ, cujus pronomen, *hoc*, tamen materiam præsentem determinatè significat. Eandem ferè doctrinam tradit Suar. *disp.22. sect.10. n.8.* asserens, formam absolutionis non significare immediatè peccata, neque effectum circa illa, sed immediatè significare pœnitentem, & effectum circa illum: pœnitens enim est, qui absolvitur collata gratia peccatorum remissiva.

7. Quartus esse potest simulatio à mendacio distincta, quam dupliciter existimo posse contingere. Primò indicando peccatum mortale, quod præsenti confessioni absolvendum subjicis, esse jam alia vice absolutum. Secundò, si Confessori ordinario indices tantummodo peccata levia, cùm tamen gravia committas, quæ alteri manifestas.

Quoad primam simulationem, graves Doctores affirmare videntur, integritati confessionis non obesse, quod indices peccatum mortale quondam fuisse commissum, & jam ab eo esse absolutum, cùm tamen nec longè ab ea confessione commissum fuerit, neque alia vice fuerit absolutum. Sic Thom. Sanch. *lib.1. in decalog. cap.10. n.71.* Bonac. *disp.5. de sacram. q.5. sect.2. punct.1. §.3. in fine. num.5.* Indicat. Paul. Laym. *lib.5. sum. tract.6. cap.3. num.5. vers. Secundò, non prohibetur.* ubi dicit, si pœnitens ad confessionem adferat peccata superioribus confessionibus rite explicata, & remissa, decens est de ea re confessarium admonere, ut is præsentem pœnitentis statum cognoscere, & conformem pœnitentiam decernere possit. Notandum verbum, *decens*, quod obligationem non importat. Suarez *disp.22. sect.9. n.2.* quem sequitur Coninch. *disp.7. dub.8. concl.4.* affirmant

confitentem peccatum mortale, de quo dubius est, an fassus fuerit, non esse obligatum, dubium manifestare. Ergo manifestè sentit, quod peccatum sit confessum, vel non confessum, non pertinere ad necessariam confessionis integritatem. Favetque huic sententiæ praxis communis fidelium generalem confessionem instituentium, qui omnia sua peccata declarant absque distinctione illorum, quæ ritè fuerunt confessa, quæ non. Ratio est: quia idem est peccatum, sive confessum sit & remissum, sive non, ob confessionem enim, & remissionem non variatur peccati species non solùm in se, sed in ordine ad judicium confessionis, cùm hoc judicium æquè exerceri possit circa peccata confessa, ac si nunquam confessa fuissent: sicuti exerceri potest circa peccata per contritionem remissa, ac si nunquam remissa fuissent. Quod si dicas, inde inferri, Confessarium exercere non posse officium medici, & judicis circa pœnitentem, eò quòd existimet, ab eo peccato curatum esse, & pœnam debitam subiisse? Responderi potest, non prohiberi confessorem officium medici exercere, si pœnitens eo indiget. At credere potest, pœnitentem, qui peccatum præsens, ac si præteritum fuisset, & antea confessum manifestaret, eo non indigere: quia obligatus est se ita disponere, ut nulla speciali medicinæ applicatione indigeat. Idem dicendum est de officio judicis, obligatur namque pœnitens à confessario expostulare, eam pœnitentiam sibi imponi, quæ communiter illis peccatis non confessis imponi solet, vel eam propria voluntate exhibere, vel tempore Jubilei confiteri, in quo nulla alia pœnitentia necessaria est, præter Jubilei lucrationem.

8. Cæterum prædictæ sententiæ acquiescere nunquam potui. Nam esto esse confessum, vel non confessum reputetur peccato quoad suam essentiam circunstantia extrinseca, non tamen quoad judicium confessionis: siquidem ea circunstantia præstat peccato esse materiam voluntariam; cùm tamen ea circunstantia secluſa, necessaria materia erat. At judicium de materia necessaria, vel libera diversissimum est, ut probari potest in judicio de peccatis mortalibus, vel venialibus. Ergo, &c. Deinde esto pœnitens se disponere possit, ut nulla medicinæ applicatione indigeat, nullaque gravi pœnitentiæ applicatione: quia accedere potest curatus, & satisfactione de peccatis exhibita, vel cum intentione lucrandi Jubileum. At ex vi confessionis impedire non potest Confessario, ne medici, & judicis officium exerceat, prout oportet. Si autem liceret peccata recentia, & nunquam confessa simulare esse vetera & confessa ex vi confessionis impediretur Confessario officium medici & judicis, cùm necessariò deberet existimare, pœnitentem ulla medicina etiam præservativa indigere, ullave gravi satisfactione, utpote qui medicinam, & satisfactionem convenientem executus sit. Præterea ex opposita sententia non levia inconvenientia inferuntur. Primum posse pœnitentem eadem peccata mortalia repetentem, toto vitæ decursu transire, quin confessarius statum suæ conscientiæ agnoscat. Qua enim ratione semel licet peccata recentia, & non confessa, simulare, esse vetera, & confessa; eadem licet sæpè, imò semper simulare. Secundum, hac simulatione tollitur frænum confusionis, & verecundiæ, quæ ex peccatis gravibus legitimè confessis oriri solent; quæque pœnitentem detinent, ne iterum prolabatur. Tertium, posset Confessarius absolutionem pœnitenti præstare; tametsi sciret aliquorum peccatorum mortalium expressum dolorem non habere, modò alicujus peccati dolorem habeat: quia cùm ea peccata confiteantur tanquam materia voluntaria; sicuti poterant ex Confessarii judicio, absque gravi culpa taceri, sic manifestari sine expresso dolore poterunt. Quæ omnia falsa, & absurda sunt, & nullatenus admittenda.

9. Quoad secundam simulationem, quæ est levia peccata Confessario ordinario manifestare, aliis graviora; dicendum est, id licitum esse una, vel altera vice, ut probat usus designandi, statis temporibus, Confessoris extraordinarii Religiosis. Etenim contingere potest, pœnitentem, præcipuè fœminam, casu in peccatum carnis labentem gravi pudore, & verecundia detineri, ne suum peccatum Confessori ordinario manifestet. Certè eo casu consulerem, extraordinarium adiri, ut liberiùs & apertiùs confiteretur, & ne periculo exponeretur subticendi gravitatem peccati, aliquámque illius circunstantiam. Quapropter reprehensione digni sunt Confessarii, qui suos ordinarios pœnitentes aliena confessionalia aliquando adeuntes objurgant.

10. At, si non semel, sed sæpè peccata mortalia, in quæ frequenter incidis, alteri ab ordinario fatearis, affirmat Victor. *de conf. ß. n.* 196. & inclinat Sylvest. *verbo Confessio*, 1. *n.* 8. illicitum esse, & integritati confessionis obesse, ob hypocrisim, & impedimentum, quod correctioni præstatur. Cæterùm existimo, nullum esse peccatum, si peccata mortalia legitimo Confessori, & cum vero dolore, rectáque dispositione fatearis. Nam cùm ille sit legitimus Confessarius, ad quem non es prohibitus accedere, nulla apparet in hoc accessu turpitudo. Quòd verò posteà ad Confessarium ordinarium accedas pro peccatorum venialium absolutione, ne bonam famam & opinionem apud illum amittas, in causa esse non potest alicujus gravis culpæ: siquidem non fictione virtutum, sed occultatione defectuum, quos manifestare non teneris, bonam famam, & opinionem retinere procuras. Timendum verò tibi est, ne humanum honorem quærens, Confessarios incognitos adeundo, salutem tuæ animæ amittas; vel, quia ipsi nesciunt tibi mederi, vel, quia tu ad illos accedis absque vero proposito emendationis. Atque ita sustinent Navarr. *cap.* 21. *num.* 40. Suarez *de pœnitent. disput.* 22. *sect.* 1. *num.* 13. Henriq. *lib.* 5. *de Sacramen. cap.* 16. *num.* 6. Ægid. de Coninch. *disp.* 6. *de pœnitent. dub.* 4. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 14.

Punctum XI.

Expenduntur communiores casus, in quibus integritas confessionis non est ex obligatione servanda.

1. *Integritas confessionis omnium peccatorum, quæque materialis vocatur, non est de Sacramenti essentia, sed de præcepto. Secùs formalis.*
2. *Ob physicam impotentiam licitè omittitur integritas.*
3. *Item, ob impotentiam moralem, & qualis hæc sit.*
4. *Non est omittenda integritas ob vitandum Confessarii malitiosum peccatum.*
5. *Si absque gravi tuo incommodo damnum, tam temporale, quàm spirituale Confessarii, vitare potes, teneris.*
6. *Qualiter possis peccatum manifestare, ex cujus manifestatione complex agnoscitur? Plures censent te manifestare non posse.*
7. *Verius est posse, & debere.*
8. *Ob defectum jurisdictionis omittitur integritas, de quo infrà.*
9. *An esse possit confessio formaliter integra nullo declarato peccato in particulari? Negant aliqui.*
10. *Verius est oppositum.*
11. *Concedenda est necessariò absolutio in prædicto casu.*
12. *Signa contritionis exhibenda sunt in ordine ad absolutionem, & sic debent præsumi exhibita in articulo mortis.*
13. *An sub conditione expediat, eam absolutionem ministrare.*

1. Præmit-

1. PRæmittendum est, integritatem confessionis consistentem in manifestatione omnium mortalium uni, eidémque Confessario, non esse de sacramenti substantia; sed solùm ex præcepto divino, cujus obligatio cessat, cùm commodè servari non potest. Aliàs sacramentum Pœnitentiæ rectè institutum non esset: siquidem sæpè ob impotentiam pœnitentis, non solùm moralem, sed physicam, impossibilis est omnium peccatorum declaratio; ideóque Trident. *sess.14. cap.5.* solùm dixit, peccata, quæ post diligentem inquisitionem memoriæ occurrerint, esse Confessario manifestanda: quasi supponas, plurium oblivionem esse posse. Atque ita Doctores duplicem in confessione integritatem distinguunt, aliam vocant materialem, in qua omnia peccata commissa ab ultima confessione manifestantur: aliam formalem, in qua manifestantur peccata, quæ absque gravi incommodo manifestari possunt, seu quæ ex obligatione præcepti divini manifestanda sunt. Hæc formalis integritas, tum sacramenti effectui, tum ejus valori semper necessaria est, siquidem illam omittens committit peccatum mortale, quocum Sacramenti valor, & effectus consistere non potest. Integritas verò materialis necessaria non est, neque ad valorem sacramenti, neque ad ejus effectum, quippe sanctè, & justè multoties omittitur. Et in his conveniunt Doctores, ut videre est apud Suarez *disp.23. in princ.* Vasq. *quæst.91. art.2. de pœnitentia, dub.2.* Ægidius de Coninch. *disput.7. de pœnitent. dub.1.* Layman. *lib.5. sum. tract.6. c.8. n.2.* Difficultas ergo est in enumerandis casibus, in quibus absque integritate materiali facere possis confessionem materialiter integram, & effectum sacramenti recipere.

2. Primus est ob physicam impotentiam, quæ multipliciter contingit. Primò, si diligenti examinatione præmissa recordari non potes peccatum omnium, quæ commisisti. Etenim eo casu satisfacis declarando, quæ tibi memoriæ occurrerint, ut satis colligitur ex Trident. *sess.14. c.5.* Quinimò, si in horum oblivione venialiter tantum culpabilis existis, non obinde integritas formalis confessionis læditur, ut tanquàm certum supponit Coninch. *disp.7. de pœnitent. dub.9. num.70.* Layman. *lib.5. sum tract.6. c.8. num.5.* Non enim ex veniali negligentia transgressio mortalis oriri potest. Secundò contingit, si ob impotentiam linguæ, vel quia mutus es, vel balbutiens, vel alterius idiomatis, nequis omnia peccata explicare, potes absolvi, explicatis iis, quæ commodè potes, uti notarunt Lopez *instit. moral. cap.27.* Henriq. *lib.5. de Sacram. cap.12. num.3.* Layman. *lib.5. tract.6. cap.8. numer.9.* Tertiò, si periculum adsit è vita discendi absque absolutione, si velis omnia peccata fateri; poteris aliquo, vel aliquibus explicatis, absolvi, postmodum, si supervixeris, reliqua manifestaturus. Saà. *verbo, Absolutio, num.9.* Suar. *disp.23. sect.1. n.2.* Layman. *suprà, numer.9.* Quartò, si Sacerdos non possit, & tuam, & aliorum eodem periculo laborantium confessionem integram excipere, poterit & tibi, & aliis, audito uno, vel altero peccato, absolutionem impedire, uti dixit Tolet. *lib.3. c.20. n.5.* Coninch. *disp.7. dub 9. n.74.* Henriq *lib.5. c.12.* Laym. *num.10.*

3. Secundus est, ob impotentiam moralem, quæ censetur adesse, quoties absque gravi incommodo confessioni extrinseco vitæ, honoris, & fortunarum proprio, nequis integram facere confessionem: quia cum integritas confessionis sic ex jure positivo, non censetur gravi jactura interveniente obligare: lex enim Christi suavis est, & onus ejus leve. Sic ex communi sententia tradunt Sylvest. *verbo, Confessio, 1.q.18.* Sotus *in.4. dist.18. q.4. art.5.* Suar. *disp.23. sect.2.* Coninch. *disp.7. dub.9. n.75.* Laym. *l.5. sum. tract.6. c.8. n.11.* Id, quod dictum est de damno proprio, extendi debet ad alienum: quippe lege charitatis teneris proximum diligere, sicut te ipsum. Unde si ob vitandum proprium damnum integritatem confessionis omittere potes; poteris ob vitandum alienum. Atque ita docent Suar. Coninch Layman. & alii.

4. Dices inde inferri, integritatem confessionis esse omittendam, si timeas, Confessarium ex manifestatione tui delicti sumpturum occasionem peccandi: quia si ob vitandum damnum corporale tibi licet confessionis integritatem omittere; à fortiori ob vitandum spirituale damnum licebit. Et ita sustinet Suar. *disp.23. sect.2. à n.2. & seqq.* Coninc. *disp.8. dub.9. n.75.* Movent tamen & bene ij Doctores, non esse hæc delicta facilè de Confessario præsumenda.

Respondeo, negando sequelam. Est enim diversa ratio damni temporalis ac peccati; damnum namque temporale absque voluntate contingit, secus peccatum. Adde ob vitandum scandalum præcepta omittenda non esse, uti latè probavi *tract. de charit. disp. ult. de scandalo, punct.16.*

5. Illud est certum, si absque gravi incommodo vitare potes damnum, sive temporale, sive spirituale, alterum confessarium adeundo, vel aliquantulum confessionem differendo, sine dubio teneris: quia præceptum divinum de integritate confessionis servandum est, quoties absque detrimento gravi servari potest, uti docuit Suar. *disp.23. sect.2. n.7.* Ægid. de Coninch. *n.77.* Dixi. *aliquantulum confessionem differendo.* Diu namque non teneris differre, maximè si peccato alio mortali graveris, quod potes absque prædicto periculo manifestare: quia grave damnum ex te fructu sacramenti diu esse privatum. & Suar. Coninch. *loc. alleg.*

6. Hinc inferunt graves Doctores, te retinere posse peccatum, imò debere, ex cujus manifestatione necessariò sacerdos complicis notitiam de gravi peccato est habiturus. Quia grave damnum complici evenit, bonam famam & æstimationem apud confessarium amittendi, quam pluris æstimat, quàm mediocrem divitiarum copiam. Sic Innocent. & Hostiens. *in cap. Omnis utriusque sexus. De pœnit. & remissionib.* Viguerius *in sum. cap.16. §.4. n.17.* Navarr. aliis relatis *in cap. Consideret. de pœnitent. dist.5. num 98. & in sum. capit.7. num.3.* Armilla *verbo Circunstantia, num.11.* Layman. *ex parte lib.5. sum. tract.6. cap.8. nu.12. conc.2.* Sed in hac re supponendum est cum Suar. *ubi supra, & disp.34. sect.2. in princ. & num.13.* Vasq. *q.91. artic.2. dub.3. num.1.* Navarr. *cap.7. n.5.* Henriq. *lib.5. cap.9.* Petrus Navarr. *lib.2. de restitut. cap.4. n.263.* Layman. *lib.5. sum. tract.6. c.8. n.12.* te absque gravi difficultate non posse alium Confessarium adire, cui peccati socius ignotus sit, neque posse aliquantum confessionem differre, ex cujus dilatione speres manifestare posse peccatum absque complicis infamatione. Deinde supponendum est, ex manifestatione peccati complicis nullum aliud damnum sequi, præter pravum complicis conceptum apud Confessarium: nam si prudenter timeres Confessarium inde sumpturum occasionem complicem malè tractandi, vel infamandi, aliudve grave damnum inferendi, certum est, ut ex supradictis constat, te debere illius peccatum celare, & solum manifestare posse, & debere quidquid necessarium fuerit ad prædictum damnum evitandum. Iis positis.

8. Verius est, te posse & debere integram confessionem facere tametsi complicis fama graviter apud Confessarium lædatur. Sic S. Thom. *in 4 dist.16. quæst.3. art.2. qq.5.* Palud. *dist.17. quæst.2.* Caiet *verbo, Confessio, condit.3.* Vasq. *qu.91. art.2. dub.3. num.13.* Suar. *disput.34. sect.2. num.13.* Ægid. de Coninch. *disp.7. dub.9. num.89.* Layman. *ex parte loco citato.* Petr. Navarr. *l.2. c.4. n.275.* & alii plures apud ipsos. Moveor primò: quia hæc famæ, & bonæ opinionis

amiſſio ex ipſamet confeſſione integrè illi ſacerdoti facta neceſſariò oritur, ſicuti oritur propriæ famæ & æſtimationis amiſſio ex ejuſdem peccati manifeſtatione. At ob hujuſmodi damnum proprium evitandum, quia confeſſioni eſt intrinſecum, nequis peccatum proprium celare: ergo nec celare potes ob damnum alienum vitandum. Tum quia huic damno ſocius criminis, cùm peccatum commiſit, ſe ſubjecit. Tum quia ad propriam famam tuendam ſtrictius jus habes, quàm ad tuendam alienam. At non obſtante illo ſtrictiore jure, obligaris peccatum proprium manifeſtare. Ergo obligari debes, tametſi alienum manifeſtetur. Secundò manifeſtare peccatum alterius non eſt intrinſecè malum; ſed ſolum quando abſque rationabili cauſa fit, ſicuti notavit D. Thom. 2. 2. *q.* 73. *artic.* 2. & videtur decidi *c. Hoc videtur.* 2. 2. *quæſt* 5. & conſtat ex his quæ Deo dante dicemus *tract. de reſt.* ubi gratia impediendi damni alteri impedientis, & accipiendi conſilii, vel auxilii, licet peccatum alterius aperire: ſed in præſenti caſu datur rationabilis cauſa, ut complicis peccatum manifeſtetur. Ergo licita eſt manifeſtatio. Minorem probo: nam hujus Sacramenti inſtitutio eſt, ut quilibet ſua peccata integrè judicio confeſſionis ſubjiciat: quam inſtitutionem ſervare, majoris conſiderationis eſſe videtur, quàm fama proximi apud Confeſſarium. Deinde ſi propter conſilium accipiendum licitum eſt pœnitenti, quando illo indiget, complicis peccatum manifeſtare, ut multis relatis docet Vaſq. *quæſtione* 91. *art.* 2. *dub.* 3. *num.* 25. & 27. à fortiori licebit ob ſervandum integritatem confeſſionis, & puritatem ſuæ inſtitutionis: præcipuè, cùm plures utilitates ex tali manifeſtatione pœnitenti provenient. Etenim fructus ſacramenti augetur ob humilitatem, & pudorem ex peccati manifeſtatione conceptum, juvatur pœnitens, ne iterum reincidat, liberatur ſub onere iterum examinandi conſcientiam, & ſubjicendi illud peccatum judicio ſacramentali, quod ut bene advertit Suar. *diſp.* 34. *ſect.* 2. *numer.* 9. non levi eſt æſtimatione dignum. Nam ſi obligatur pœnitens ad occultandam complicis circunſtantiam, obligabitur ſæpe ad bis confitendum peccatum, ſemel ſub aliqua ratione generali, & iterum ſub aliqua ſpeciali, verbi gratia, ſi delinquit cum ſorore, tenebitur confitens Confeſſario agnoſcenti ſororem, illicitum concubitum manifeſtare; poſtmodum nacta occaſione Confeſſarii ignoti, tenebitur impium inceſtum declarare. Huic infertur, non ſolùm poſſe, ſed debere manifeſtare, tametſi complex cognoſcatur: quia præceptum ſervandi integritatem urget, quoties ſervari poteſt. Tertiò probo. Reus, & teſtis legitimè à Judice interrogati de crimine tenentur illud fateri, tametſi ſocius criminis reveletur: quia Judex poteſtatem habet inquirendi delictum, qualiter eſt. At Sacerdos in ſacramentali foro poteſtatem habet cognoſcendi, & judicandi, omnia delicta pœnitens, ſicuti ſunt commiſſa. Ergo ipſe non ſolùm poteſt, ſed etiam tenetur declarare. Et ex his fundamentum oppoſitæ ſententiæ manet ſolutum.

8. Tertius eſt ob defectum juriſdictionis in Sacerdote ratione reſervationis, vel ob nimiam Prælati occupationem, de quo *infrà*, cùm de caſuum reſervatione fuerit ſermo.

9 Supereſt quæſtio, an dari poſſit confeſſio formaliter integra; tametſi nullum peccatum in particulari expreſſeris: ſæpè enim contingit, moribundum ita eſſe ſenſibus deſtitutum, ut nullum peccatum in particulari explicare poſſit: ſigna tamen contritionis adhibet, vel adhibuit. Dubium ergo eſt, an hæc doloris ſignificatio cenſeatur legitima confeſſio, ut poſſit ei abſolutio impedi: Negant Canus 5. *p. relationis, de pœn. fol.* 128. §. *At inhærendo.* Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *qu.* 2. *art.* 5. Navarr. *c.* 26. *n.* 27. & 28. Moventur: quia ad abſolutionem præcedere debet cauſæ cognitio: ſiquidem nemo ſententiam dicere poteſt cauſa incognita: abſolutio autem eſt ſententia, ut colligitur ex Trident. *ſect.* 14. *cap.* 5. Sed ex eo, quod ſigna contritionis exhibeas, & confeſſionem petas, nullam tuorum peccatorum notitiam præbes: ſolùm enim declaras, te peccatorem eſſe: quod omnibus hominibus eſt commune, & ante talem confeſſionem Sacerdoti notum. Ergo &c.

10. Nihilominus contraria ſententia, ſcilicet, præditum pœnitentem ſigna contritionis præſente Sacerdote, imò eo abſente exhibentem in ordine ad abſolutionem obtinendam ſufficienter diſpoſitum eſſe, ut abſolutionis beneficium in præſentia conferatur, docent poſt alios antiquiores Henriq. *lib.* 6. *cap.* 10. *n.* 7. Suar. *diſp.* 23. *ſect.* 1. *n.* 5. Vaſq. *q.* 91. *art.* 1. *dub.* 1. *n.* 3. Valen. *tom.* 4. *diſp.* 7. *quæſt.* 11. *pun.* 1. Tolet. *lib.* 3. *cap.* 8. *n.* 2. Conin. *diſp.* 7. *dub.* 10. *concl.* 1. & 2. Laym. *lib* 5. *ſum. tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 4. Bonac. plures referens *diſp.* 5. *de Sacram. q.* 5. *ſect.* 2 *pun.* 2. §. 4. *diffic.* 4. *n.* 7. & deciditur expreſsè in Concil. Carthagin. III. *can.* 34. & Concil. Carthag. IV. *can.* 76. & Concil. Arauſican. I. *cap.* 12. & à Leone. I. *epiſt.* 91. *ad Theod.* quæ referuntur in *cap. Is, qui pœnitentiam* 26. *q.* 6. &c. *Agnovimus, eadem cauſa, & quæſt.* &c. *Multiplex. de pœnit. diſt.* 1. Quæ de pœnitentiæ Sacramento loquuntur, ut manifeſtè probant Vaſq. Suar. Ægid. & Layman. *locis allegat.* Ratio verò eſt: quia per illam contritionis exhibitionem, & tacitam abſolutionis petitionem præbes Sacerdoti tuorum peccatorum ſpecialem notitiam. Nam, eſto ipſe antea cognoſceret, te peccatorem eſſe; non tamen cognoſcebat, te id recognoſcere, & clavibus Eccleſiæ ſubiicere. Quòd verò ſolùm in genere, & non in ſpecie, & ſigillatim ea confeſſio fiat, in cauſa non eſt, quominùs legitimè non fiat, ſicuti eſſet confeſſio peccati, quod credis commiſiſſe, nec tamen recordaris, an veniale, vel mortale fuerit, vel in qua materia. Confeſſio namque ſpecifica, & numerica peccatorum, non ex neceſſitate ſacramenti, ſed præcepti divini habetur, quod ſtante extrema neceſſitate obligare non poteſt.

Notanter dixi, *etiamſi ſigna exhibeantur, Sacerdote abſente*, nam eſto in abſentia Sacerdotis confeſſio fieri non poſſit, uti videtur definitum à Clement. VIII. illo motu proprio, edito anno 1602. ſi tamen præſente Sacerdote aliqui teſtes adſint, qui de ſignis contritionis teſtimonium ferant, cenſetur, ea teſtificatio eſſe pœnitentis confeſſio, ſicuti eſt confeſſio per Interpretem facta. Sic Vaſq. Suar. Laym. Ægid. *ſuprà.*

11. Quinimò eo caſu non ſolùm abſolutionem poſſe, ſed neceſſariò concedi debere, docuerunt optimè Suar. Vaſq. & Ægid. *ſuprà.* tum ex declaratione Clement. VIII. relata ab Ægid. *dicto dub.* 10. *circa finem.* Tum, quia negari non poteſt, eſſe probabiliſſimum abſolutionem impendi poſſe: poſita autem hac poteſtate, iniquè Sacerdos, & contra charitatem pœnitenti abſolutionem denegaret, quippe ob talem denegationem fortè damnabitur, qui tamen abſolutione conceſſa ſalutem conſequeretur.

12. Dixi, deinde ſigna contritionis exhibenda eſſe in ordine ad abſolutionem obtinendam; aliàs rationem confeſſionis habere non poſſunt, quæ neceſſariò abſolutioni eſt prærequiſita, ſicuti dixi Suar. *diſp.* 23. *ſect.* 1. *n.* 15. Layman. *l.* 5. *ſum. tract.* 6. *c.* 8. *n.* 4. Quoties autem in periculo mortis præviſo exhibeatur, cenſeri debent in ordine ad abſolutionem obtinendam exhibita eſſe: credendum enim eſt, quemlibet fidelem velle in eo articulo ſibi provideri de remedio ita ſalutari, & neceſſariò: ſicuti notarunt Zambr. *de pœnit. c.* 4. *dub.* 2. *ſect.* 4. Chapeavilla *de modo manifeſtandi Sacram. c.* 3. *q.* 10. & 11. Laym. *l.* 5. *ſum. t.* 6. *c.* 8. *n.* 4.

13. Ad

13. Ad extremum Suar. *dicta sect. n.* 12. advertit Sacerdotem si absolventem debere subintellectum hac conditione absolvere, *si possum*, vel *si est materia sufficiens*: quia hac appositа conditione vitatur omnis irreverentia, quæ sacramento contingere potest. Sed rectius Vasq. *q.* 91. *art.* 2. *dub.* 1. *num.* 39. existimat, supervacaneam esse illius conditionis appositionem: nam esto non sit contra substantiam Sacramenti; est est tamen contra illius debitum usum, qui expostulat Sacramentum ministrari absolutè, nulla conditione interpositа, nisi fortè prudens dubium sit de ejus valore. At in præsenti casu nemo rationabiliter dubitare potest de valore sacramenti contra prædicta decreta, & communem sententiam. Ergo indebitè absolutio sub conditione ministrabitur.

Punctum XII.

Qualiter confessio invalida sit, & repetenda.

1. *Ex parte pœnitentis est invalida, & repetenda, si malitia, vel ignorantia crassa peccatum mortale omittatur, vel absque dolore manifestetur.*
2. *Ex oblivione pœnitentiæ injunctæ nulla est obligatio.*
3. *Qualiter ex parte Confessarii invalida sit Confessio, & repetenda.*
4. *Qualiter confessio invalida, tum ex parte pœnitentis, tum Confessarii repetenda sit.*

1. EX duplici capite confessio invalida esse potest: primo ex parte pœnitentis; secundò, ex parte Confessarii.

Ex parte pœnitentis confessio invalida est, & repetenda, si malitia vel ignorantia crassa peccatum mortale manifestare omittat, vel illud absque legitimo dolore manifestet: quia eo casu non remittuntur peccata, sed adhuc retinentur, ut dixit Concil. *sess.* 14. *c.* 5. Ergo necessariò clavibus Ecclesiæ subdenda sunt, ut remittantur. Neque obstat alia Sacramenta valida esse, tametsi iniquè, & cum peccato suscipiantur; ut inde inferas, suscipere te posse Pœnitentiæ Sacramentum, tametsi ejus effectum non suscipias, sicuti docuit Victor. *de pœnit. n.* 160. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 3. *art.* 3. *concl.* 3. Henriquez *lib.* 5. *cap.* 11. *n.* 1. Est enim latum discrimen Pœnitentiæ à reliquis Sacramentis. Reliqua namque Sacramenta non postulant ad sui valorem dolorem de peccatis, qui propositum peccandi excludat. At Sacramentum Pœnitentiæ illum expostulat: quippe est illius materia, ut ex Trident. *sess.* 14. *c.* 3. & 5. constat: non igitur esse potest Sacramentum Pœnitentiæ absque prædicto dolore. Ergo ex confessione, quæ prædicto dolore careat, Sacramentum confici non potest, ac proinde repetenda est sicuti post alios notarunt Navarr. *c* 9. *n.* 7. Suar. *disp.* 22. *sect.* 6. & *disp.* 23. *sect.* 3. & 4. Vasq. *q.* 91. *art.* 3. *dub.* 1. & 2. Ægid. de Coninch. *disp.* 6. *dub.* 5. *concluſ.* 1. Laym. *lib.* 5. *sum. tract.* 9. *n.* 1. & 2. Bonac. *disp* 5. *quæst* 5. *punct.* 3.

2. Præter hujusmodi casum ex parte pœnitentis nullus alius excogitari potest, in quo confessio invalida sit, & repetenda. Nam, esto aliqui affirment, repetere debere confessionem eum, qui malitiosè saltem Pœnitentiæ injunctæ obliviscitur: nam alia via non videtur posse præcepto Pœnitentiæ sibi impositо satisfacere, parum probabilitatis habet, uti docuit Navarr. *summ. cap* 9. *num.* 18. Suarez pluribus relatis *disp.* 22. *sect.* 7. *num.* 5. Vasq. *quæst.* 94. *art.* 2. *dub* 4. Etenim obligari non potest ob remissionem illorum peccatorum obtinendam: siquidem, ut supponimus, virtute sacramenti remissa fuerunt, & independenter à satisfactione. Neque ob satisfactionem exhibendam obligari potest, cùm hæc aliis viis exhibeatur, tum in hac vita, tum in purgatorio. Neque ob transgressionem prioris præcepti: quia jam ad illud implendum factus est impotens, ipsúmque præceptum non obligat aliud loco illius subrogare, Ergo ex oblivione Pœnitentiæ injunctæ confessio ex obligatione repetenda non est, & latiùs inferiùs, ubi *de satisfact.* § *ult.* dicemus.

3. Ex parte Confessarii confessio invalida, ac proinde repetenda contingit. Primò: si absolutionem non impedit: quia sine absolutione Sacramentum pœnitentiæ consistere non potest, Secundò, si absolutionem substantialiter vitiavit, vel non proferens verba legitima, vel ea absque intentione proferens: quia censendus est, ac si non absolvisset. Tertiò, si jurisdictione omninò caruit, vel illam impeditam habuit ob suspensionem ab officio, ob excommunicationem denunciatam, ob notoriam Clerici percussionem: quia sententia absolutionis sine jurisdictione data nulla est, uti colligitur ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 6. & 7. Dixi, *si jurisdictione omninò caruit*: nam, si in aliqua peccata concessa jurisdictionem habuit: & bona fide ei confessus es, sacramentum validum fuit, & absolutionem à peccatis recepisti; directam quidem ab illis, in quæ Sacerdos jurisdictionem habuit: indirectam à reliquis, ideóque cum defectum agnoscis, obligatus es ea peccata clavibus Ecclesiæ subjicere, ut ab illis directè absolvaris, sicuti benè notavit Ægid. de Coninch. *disput.* 6. *de pœnit. dub.* 5. *num.* 17. Quartò est idem dicendum, si Sacerdos ob surditatem, vel ob linguæ ignorantiam, vel ob aliam causam sua peccata non intellexit. Credo tamen, si bona fide processisti, te absolutum manere: quia, ut rectè docuerunt Henriq. *lib* 5. *sum. cap.* 14. *n.* 5. Layman *lib.* 5. *sum. tract.* 6. *cap.* 8. *n.* 5. & constat ex iis, quæ *præced. punct.* diximus ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ sola contritio, & confessio in genere requisita est: specifica autem, & numerica ex solo positivo præcepto divino, à cujus observatione ob ignorantiam excusaris. Debes tamen, cognito defectu, peccata, quæ à Confessario intellecta non sunt, iterum confessioni subjicere, sicuti si oblita essent: quia præcepto de confitendis peccatis quoad speciem, & numerum non satisfeciſti siquidem ea fassus non es, ut Confessor de illis judicare posset. Quintò, addit Sylv. *Confessio.* 1. *q.* 3. Victor. *de confess.* 68. invalidam esse confessionem, & repetendam, si Confessor peccati gravitatem ignoret, credátque esse veniale, quod est mortale, vel non mutare speciem, cum de facto illam mutet: quia judicare non potest de causa, prout oportet; sed rectius Adrian. *q.* 4. *de confess. sub finem.* Petr. de Soto *lect.* 6. *de confessione.* Suar. *disput.* 22. *sect.* 6. *num.* 4. & *disp.* 28. *sect.* 2. Coninch. *disp.* 6. *dub.* 5. *n.* 18. Bonac. *disp.* 5. *de pœnit. q.* 7. *punct.* 4. § 2. *num.* 13. censent, validam esse confessionem, nec repetendam: quia, cum hic defectus, tum ex difficultate ipsius rei tum ex ignorantia Confessarii sæpè contingat, credendum non est, Christum Dominum sic sacramentum instituisse, ut valori ejus obstaret. Satis enim videtur, si peccatum, sicuti factum fuit, percipiatur. Nam, esto præceperit Christus Confessario ut quoad fieri possit, peccatorum gravitatem intelligat, ipsíque pœnitentibus eam declarent, non tamen valori sacramenti eam conditionem annexuit.

4. Sed qualiter confessio invalida, tum ex defectu pœnitentis, tum Confessarii repetenda sit? Breviter respondeo, si diversus sit sacerdos, omnia peccata, à quibus directè absolutus non fuisti, obligatus es explicare, ac si nunquam fassus esses: quia præcedens confessio, utpote huic confessario ignota, nullatenus deservire potest, ut sententiam absolutionis concedat, sicuti pro certo supponunt Doctores referendi. At si sacerdos idem sit, & memoria retineat peccata, quæ illi antea fassus es; non videris obligatus

tus, ea ſigillatim referre, ſed unico verbo ſatisfacies, ſi te accuſes de omnibus illis, quæ in priori confeſſione retuliſti, ſicuti ſi extra confeſſionem illa noviſſet: quia illo verbo omnia ſigillatim explicantur, ut bene dixerunt Suar. *diſput.22. ſect.6. num.5.* Ægid. de Coninch. *diſp.7. de pœnitent. dub.21. num* 108. Laym. *lib.5. ſumm. tract.6. c.8. circa finem. n.6.* Quod ſi illorum oblitus es, ſententia docet, teſte Suar. *diſp.22. ſect.6. n.7.* te obligatum eſſe, ea ſigillatim referre: quia nec præcedens confeſſio ſacramentalis fuit, ideoque præſentis abſolutionis materia eſſe non poteſt, neque illius virtute ſacerdos rectè poterit de tuis peccatis judicare, & pro qualitate criminum pœnitentiam injungere. Sed hoc intelligendum eſt, caſu, quo ſacerdos tuorum peccatorum ita oblitus ſit, ut neque illorum in genere recordetur, neque ſtatum tuæ conſcientiæ agnoſcat: nam ſi illum agnoſcat, & tuorum peccatorum ſaltem confusè recordatur, verius credo, validam eſſe abſolutionem, neque ex obligatione confeſſionem repetendam: quia ad abſolutionem concedendam non requiritur, ut ſacerdos tempore abſolutionis omnia pœnitentis peccata memoria retineat: id enim ſæpè eſt moraliter impoſſibile, præcipuè cum pœnitens generalem inſtituit confeſſionem, eamque per plures dies protrahit, ſufficit ſi confuſam illorum notitiam habeat. Neque obſtat præcedentem confeſſionem non fuiſſe veram, & legitimam accuſationem ſacramentalem, eſto, eo tempore non fuerit, præſenti tamen accuſatione, & confeſſione ſacramentalis accuſatio, & pars legitima ſacramenti efficitur, ſicuti cum incipis abſque dolore peccata tua fateri, & decurſu confeſſionis ad contritionem excitaris præcedentem confeſſionem tacitè renovas, & denuò abſolutioni ſubjicis. Atque ita docent Sylveſt. *verbo confeſſio, 1. qu.3.* Navarr. *cap.9. n.19.* Tolet. *lib.3. cap.10. num. ult.* Saà *verbo Confeſſio, n.8* Vaſquez, *quæſt.92. art.8. dub.3.* Layman. *lib.5. ſumm. tract.6. capit.8. in fine.* Ægidius de Coninch. *diſput.7. de pœnitent. dub.11. num.109.* Bonac. *diſput.5. de Sacrament. quæſtion.5. ſect.2. punct.3. num.15.*

Punctum XIII.

De miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ, & juriſdictione ad illius adminiſtrationem requiſita.

1. *Miniſter diſtinctus eſſe debet à ſuſcipiente.*
2. *Solus Sacerdos eſt miniſter.*
3. *Proponitur objectio, & ſolvitur.*
4. *Non omnis Sacerdos poteſtatem habet Pœnitentiæ ſacramentum miniſtrandi, ſed debet præter ordinem juriſdictionem habere.*
5. *Expenduntur tres caſus, pro quibus omnibus ſacerdotibus eſt conceſſa juriſdictio.*
6. *Hæc juriſdictio ex Eccleſiæ conſuetudine provenit.*
7. *Quid nomine articuli mortis intelligatur.*
8. *Verius eſt, eo caſu ſimplici Sacerdoti, præſente proprio, vel privilegiato, juriſdictionem non concedi.*
9. *Qualis ſit juriſdictio ordinaria & delegata.*
10. *Domicilium in parochia habentibus legitimè adminiſtratur Pœnitentia.*
11. *Quid, ſi in uno loco domicilium habeas, & alibi reſideas.*
12. *Quid de advenis, peregrinis, iter agentibus.*
13. *Quid de vagis.*
14. *Qui juriſdictionem delegatam habeant, quippe delegare non poſſunt.*
15. *Excipitur delegatus à Principe.*
16. *Qualiter delegatus ad univerſitatem cauſarum ſubdelegare poſſit.*

1. HOc ſacramentum, ſicut & reliqua, miniſtrum habet, qui neceſſariò debet eſſe diſtinctus à ſuſcipiente. Quia nemo reus, & Judex in eadem cauſa eſſe poteſt, nemóque ſibi peccata judicialiter remittere, colligiturque ſatis ex verbis Chriſti, Joan 20. *Quorum remiſeritis peccata*, &c. quibus judicatur diſtinctio remittentis ab eo, cui fit remiſſio.

2. Hic autem miniſter ſolus eſt Sacerdos ex Chriſti inſtitutione: quia ad ſolos ſacerdotes dicta fuerunt illa verba Joann.20 *Quorum remiſeritis*, uti definivit Florentin. in decreto Eugenii & Trident. *ſeſſ.14. cap.6.* & *can.10* Neque ex diſpenſatione Eccleſiæ alius à Sacerdote eſſe poteſt: quia Eccleſia inſtitutionem Chriſti mutare non poteſt.

3. Quòd ſi objicias textum in cap. *Qui vult confiteri, de Pœnitent, diſt.6.* aſſerentem, tantam eſſe vim confeſſionis, ut ſi deeſt ſacerdos, poſſis proximo confiteri: & textum in cap. *Fures, de furtis*, ubi furibus comprehenſis, & vulneratis, ſi Presbytero, vel Diacono confeſſi fuerint, Communio, & ſepultura non negatur: & Cyprianum *lib.3. epiſt.17.* committentem lapſorum abſolutionem cuidam Diacono, abſente ſacerdote. Reſpondeo, prædictam confeſſionem, ſeu abſolutionem ſacramentalem non eſſe. Nam confeſſio, quæ abſente ſacerdote, proximo fieret, juxta textum in cap. *Qui vult. confiteri*, ſolum eſt confeſſio oſtenſiva doloris peccatorum, & deſiderii ſacerdotis, ut colligitur ex ipſo textu, & ex cap. *Quem pœnitet. de pœnit. diſt.1.* Idémque dicendum eſt de confeſſione facta in cap. *Fures.* Specialiter autem ibi facta fuit mentio Diaconi; non quia Diaconus audire confeſſionem ſacramentalem poſſet; ſed quia ipſi, abſente ſacerdote, competit judicare, an recepturi Communionem ſatis contriti exiſtant: quippe eis Communionem, & ſepulturam concedere poteſt; Cyprianus verò non de abſolutione ſacramentali loquitur; ſed de ea, quæ publicè pœnitentibus concedebatur, quaque ad Officia divina cum aliis fidelibus, Sacramentorúmque receptionem admittebantur.

4. Verùm non eo ipſo, quo es ſacerdos conſtitutus, miniſtrare Sacramentum Pœnitentiæ potes. Nam eſto, in ordinatione accipias poteſtatem abſolvendi, & retinendi peccata, ut neceſſariò fatendum eſt, ne dicamus illa verba: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* ineffi acia eſſe. At, quia ea poteſtas non plena, & perfecta eſt, eò quòd ex vi illorum verborum non tibi deſignentur ſubditi, in quos eam poteſtatem exercere poſſis; ea de cauſa nequis ante prædictam aſſignationem ſacramentum miniſtrare, ſicuti cum crearis Doctor, vel Magiſter, eſto, accipias poteſtatem cauſas judicandi, cathedrámque regendi; actu tamen nec cauſas judicare, nec cathedram regere poteris, quouſque tibi cauſæ committantur, & cathedra concedatur: & ſicuti Judices chartularii (quorum meminit lex 3. *Cod. de canone largitional. titul. lib.10.* & Gloſſ. *in leg. 1. ff. de judic.* Navarr. *cap. Placuit n.19. de pœnit.* Vaſq. aliis relatis *quæſt.93. art.1. dub.2. n.23.*) quia ab Imperatore accipiebant poteſtatem jus dicendi in cauſis illorum, qui ab ipſis vellent judicari; etſi poteſtatem ab Imperatore acciperent judicandi, at eam exercere non poterant, quouſque rei ſe illis ſubjicerent: ſic ſacerdotes accipiunt in ordinatione poteſtatem judicandi de peccatis, non in eos, qui ſe illis præcisè ſubjicerent, ſed in eos, qui illis ab Eccleſia ſubjicerentur, judicandi. Vide Navarr. *dicto cap. Placuit.* Suar. *diſp.26. ſect.3.* Vaſq. *loco allegato.* Coninch. *diſp.8. de pœnitent. dub.1. & 2.* Bonac. *diſp.5. de Sacram. quæſt.7. pun.1.* Laym. *lib.5. ſum. tract. cap.10.*

5. Tres caſus Doctores excipiunt, pro quibus omnes infideles cuilibet ſacerdoti in ordinatione ſubjiciuntur, ut ab eo abſolvi poſſint. Primus eſt pro peccatis veniali

venialibus. Secundus pro peccatis mortalibus, à quibus pœnitens legitimè est absolutus. Cùm enim horum confessio non fit ex obligatione, sed ex devotione, conveniens fuit, omnes sacerdotes pro ea excipienda Judices designare : & colligitur ex cap. *Omnis utriusque sexus de pœnitent. & remissionib.* decidentem, confessionem ex obligatione proprio sacerdoti, vel alteri de ejus licentia faciendam esse. Quo tacitè indicatur, confessionem ex devotione cuilibet sacerdoti fieri posse. Tertius casus est periculum mortis, & necessitas eo tempore sacramentum recipiendi. Etenim, cùm hoc sacramentum maximè necessarium sit, decuit omnibus sacerdotibus, etiam excommunicatis, & degradatis, eam potestatem in omnes fideles concedere, & pro omnibus quibuscunque peccatis : ideóque dixit Concil. *sess.*14. *cap.*7. *circa finem*, ne aliquis pereat in Ecclesia Dei, custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis : atque adeò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes, à quibuscvis peccatis, & censuris absolvere possunt.

6. Sed an ea subjectio fidelium & jurisdictio Sacerdotum jure divino habeatur, an ex Ecclesiæ benignitate ; variant Doctores. Verius existimo cum Valen. *t.*4. *disp.*7. *quæst.*10. *pun.*2. Suar. *disp.*26. *sect.*5. *& seqq.* Ægid. de Coninch. *disp.*8. *de pœnitent. dub.*2. *circa fin.* ex Ecclesiæ concessione provenire. Moveor: quia ex nullo loco Scripturæ colligi potest, esse à Christo Domino concessam specialiter pro prædictis casibus jurisdictionem. Aliàs Ecclesia eam impedire non posset : sicuti excommunicatis nominatim, & degradatis impedit ne validè absolutionem etiam à peccatis venialibus concedant.

7. Nomine articuli mortis, etsi Canus *relect. de pœnit. pars.*5. *fol.*145. Sotus *in* 4. *dist.*18. *quæst.*4. *art.*4. Covar. *cap. Alma mater.*1. *par.* §.11. *num.*8. Valent.4. *t. disp.*7. *quæst.*10. *punct.*2. censeant significare præcisum illud tempus periculi jam instantis mortis, quando scilicet mors est in fieri, & ita certa ut moraliter evitari non possit, sive id ex causa naturali, sive violenta proveniat : verùs tamen existimo cum Sylvest. *verbo, Confessio*, 1.*q.*6. *num.*7. Navarr. *cap* 26. *num.*31. Suar. alios referente *disp.*26. *sect.*4. *n.*3. Sanch. *lib* 2. *Decalog. cap.*13. *n.*1. Ægid. de Coninch. *disp.*8. *dub.*2. *num.*16. idem esse articulum mortis, ac probabile periculum illius ; colligiturque ex cap. *Eos qui de sentent. excommunic. in.*6. Et ratio est : quia hæc generalis concessio facta est, ne pœnitentes remedio salutis destituti pereant : si autem illis in probabili mortis periculo constitutis succurri non possit, sed expectandum esset mortis instans, plures sine remedio perirent, neque Ecclesia opportunè de remedio illis providisset.

8. Sed an eo periculo concessa sit facultas simplici sacerdoti præsente proprio, vel privilegium habente, itemque excommunicato, vel ab officio suspenso, sacerdote simplici præsente ; non constat inter doctores. Probabilius existimo, nullatenus concessam esse simplici sacerdoti, si proprius, vel privilegium habens, velit sacramentum ministrare, neque excommunicato aut suspenso, si simplex sacerdos velit : quia eo casu non eget moribundus absolutione simplicis sacerdotis, vel excommunicati, cùm à legitimo ministro eam obtinere possit : prædictis namque sacerdotibus simplicibus, & excommunicatis conceditur hæc facultas, ne constitutus in mortis articulo sine remedio decedat : quod præsente proprio sacerdote, & volente sacramentum ministrare, locum habere non potest.

Neque Concilium *sess.*14. *cap.*7. intendit novam facultatem sacerdotibus concedere, sed declarare ab Ecclesia semper concessam, uti indicant illa verba : *In Ecclesia Dei custoditum semper fuit.* At in Ecclesia solùm custoditum fuit, ut absolutio à simplici sacerdote concedatur, deficiente proprio, & non aliter, ut apertè colligitur ex cap. *Presbyter.. ult. q.*6. ibi : *Presbiter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentes, nisi absente Episcopo extrema necessitas cogat* Et ex Extravag. *Excommunicamus de sentent. excommunicat. inter communes* §. *Decernimus*, ibi : *Absque speciali mandato nostræ absolutionis beneficium valeat obtinere nisi, fortè ad vos habere accessum non posset, in mortis articulo constitutus*, & ex cap. *Ea noscitur, de sentent.* cap. *Eos, qui, eodem titul. in* ubi absolutus à censura, ratione urgentis necessitatis, tenetur 6. coram superiore se præsentare, cùm primùm possit. Si ergo ante absolutionem superior præsens est, vel illum adire potes, quæ causa te excusare potest, quin ab illo absolutionem obtineas ? Quocirca de censuris certum esse existimo, uti dixi *tract. de fide disput.*4. *punct.*3. §.5. De absolutione à peccatis, probabilius credo, tum ob rationes dictas, tum quia textus in cap. *Presbiter.* de absolutione à peccatis videtur locutus, verbaque Trident. *sess.*14. *cap.*7. æquè potestatem absolvendi à censuris, ac absolvendi à peccatis in articulo mortis declarant. Atque ita sustinent pluribus relatis Zambran. *de casib. artic. mortis, cap.*4. *dub.*4. *n.*3. *& seqq.* Suar. *disp.*26. *sect.*4. *n.*4. Sanch. *lib.*2. *sum. cap.*3. *num.*7. Ægid. de Coninch. *disp* 8. *de pœnitent. dub.*12. *concl.* Vasq. *quæst.*93. *art.*1. *dub.*4. *n.*18. Laym. *lib.*5. *sum.tract.*6. *c.*12. *n.*14.

9. Porrò jurisdictio duplex est, ordinaria, & delegata. Ordinaria competit personæ ex officio, cui à jure jurisdictio annexa est : Delegata competit personæ ex delegatione. Igitur Pontifex comparatione omnium fidelium jurisdictionem ordinariam habet à Christo, eo ipso quo legitimè in Pontificem eligitur ; ideoque Ecclesia nec limitare, neque restringere ejus jurisdictionem potest, Episcopi verò & Parochi à Pontifice jurisdictionem ordinariam accipiunt : aliàs si à Christo eam acciperent, non posset Pontifex (uti solet) casus aliquos sibi reservare, & ab eorum jurisdictione excludere. Habent ergo jurisdictionem ordinariam : quia illam habent ratione Episcopatus, vel beneficii parochialis, quibus à jure est jurisdicto concessa, eo enim ipso quo alicujus diœcesis Episcopi designantur, jurisdictionem ordinariam acquirunt sacramenta ministrandi omnibus iis, qui in ea diœceæ commorantur. Et idem est, si Parochi constituantur : possunt enim commorantibus in parochia mioistrare sacramenta.

10. Difficultas autem est, qualiter commorari debeant in diœcesi, vel parochia, ut eis possint sacramenta ministrare. Et quidem domicilium fixum habentibus nemini est dubium, sacramenta ministrari posse : quia sunt verè parochiani *ult. de parochiis.* Quod adeò verum est, ut si in duplici loco domicilium habeas, eò quòd hyemis tempore in uno loco, & ætatis tempore in alio commoreris, poteris à parocho, quem malueris, sacramenta recipere, tametsi eo tempore in ejus Parochia non habites : quia verè tuus Parochus est, siquidem duplicem parochiam habes, juxta leg. *Assumptio 5. ult. ff. ad municipalem & c.*2. *de sepultur. in* 6. ubi de habente duplicem parochiam dicitur, si contingat eligere sepulturam in alio diverso loco, & dividendam esse canonicam portionem inter utramque parochiam eligentis. Sentit ergo Pontifex, æque utrumque parochiam esse propriam eligentis, aliàs canonicam portionem applicaret parochiæ, in qua eligens sepulturam decessit. Atque ita tenent Navarr. *c. Placuit n.*78. *de pœnitent. dist.*6. Henriq. *l.*6. *de pœnitent. cap*7. *n.*2. Suar. *disp.*25. *sect.*2. *n.*5. Sanch. *l.*3. *de matr. disp.*24. *n.*4. Laym. *l.*5. *sum.tract.*6. *cap.*10. *num.*6.

11. Quòd si uno in loco habeas domicilium, in alio resideas longe tempore, qualiter solent scholastici

in

in universitate, milites in præsidiis, mercatores, & litigantes occasione negotii peragendi etsi plures existiment, te non posse à Parocho illius parochiæ tanquam à proprio sacerdote, sacramenta recipere; verius existimo, posse, sacramento Ordinis excepto, sicut multis allegatis docuit Sanchez. *lib.3. de matr. disp.23. num.12. & 13.* & *lib.3. sum. cap.37. num.14.* Suarez *de pœnitent. disp 25. sect.2. n.6.* Ægid. de Coninch. *disp.8. de pœnit. dub.3. concl.4. n 21.* Layman. *lib 5. sum. tract.6. cap.10. num.5.* sumitúrque ex cap. fin. *de Parochiis*, ubi, qui ob bellum ad alienam parochiam confugerunt, parochiani dicuntur. Et probatur, qui ex diuturna habitione, ubi domum, vel officinam conducis, contrahis quasi domicilium, ita ut possis conveniri leg. *Hæres absens*, §. *Proinde in fine ff. de judiciis*, & leg.2. *Cod ubi de crimine agi oportet*, & *ibi* Glossa, *verbo. Degit.* & leg. *Quisquis*, *Cod. Si certum petatur verbo, Versatus.* Ergo etiam in rebus spiritualibus contrahis ex hac habitatione quasi domicilium, ut ratione illius Parochus in te jurisdictionem habeat.

12. De advenis, peregrinis, seu iter agentibus dicendum existimo, posse recipere sacramenta à quocunque Parocho illius oppidi, ubi transeunter commorantur, neque obligatos esse ad Ecclesiam matricem adire, neque cum Parocho illius parochiæ, in qua habitant, confiteri, sed posse quemlibet ex approbatis eligere, ab eóque Communionem paschalem accipere uti multis relatis probat Sanch. *lib.3. de matrimon. disp.23. num.17.* ea præcipuè ratione, quia præsumitur tacitus consensus, & licentia suorum Parochorum. Consentit Saà *verbo, Confessor. n.2.* Suar. *disp.25. sect.2. §. Quartò*, Layman. *lib 5. sum. tract.6. c.10. n.9* Advertendum tamen est cum Suar. *disp.25. sect.2. num.9.* Vasq. *quæst.93. art.1. dub.4. n.8.* necessariam esse in præsenti bonam fidem. Non, si ad hoc tantum iter susciperes, ut alteri confiteri posses, vitaresque confessionem faciendam proprio Parocho, uti non posses prædicto privilegio, & facultate: quippe ejus usus tibi necessarius non est, neque ex tacito consensu proprii Parochi habitas, neque Ecclesiæ intentioni te conformas.

13. De vagis, hoc est, nullibi habentibus fixum domicilium, existimat Suar. *disp.25. sect.2. n.7.* cum Sylvestro *verbo, Confessor.1. quæst.1.* Soto *in 4. dist.18. quæst.4. artic.2.* Medina *Cod. de confess quæst.35.* proprium Parochum esse sacerdotem illius parochiæ, in qua vagantur: quia actualis habitatio loco domicilii vagis succedit. Aliàs haberent privilegium latum confitendi, cui maluerint, quo privilegio digni non sunt. Deinde ea facultas ex parte videtur illis nociva: siquidem inde infertur, nullum parochum obligatum esse iis sacramenta ministrare, nullíque ipsos obligatos esse rationem redere de præcepti adimpletione.

Sed placet communior sententia, affirmans, vagos posse cuilibet sacerdoti approbato confiteri, & ab eo Communionem accipere. Sic docuit Navarr. *cap. Placuit, de pœnitent dist.6. n.80.* Sanch. pluribus relatis *lib.3. de matr. disp.25. n.7.* Vasq. *qu 93. art.1. dub.4. n.4.* Laym. *lib.5. sum. tract.6. cap.10. num.7.* Moveor: quia non est major ratio, quare uni Parocho potius, quàm alteri subjiciantur, cum nullibi censeantur habitare, juxta leg.1 §. *Hæc autem verba. ff. de his, qui dejecerunt.* ibi. *Hi spes planè non tenebitur: quia ibi non habitat, sed paulisper hospitatur.* Et prætereà ubicunque forum externum sortiuntur possuntque pro delictis alibi commissis puniri. Ergo à fortiori conscientiæ forum sortiri possunt. Neque argumentum pro contraria sententia obstat. Nam esto, nullus Parochus in particulari non teneatur vagis Sacramentum Pœnitentiæ, & Communionis ministrare, antequam ipsi petant: at stante petitione tenetur ipse, cui facta est: quia media petitione vagi se subjiciunt, illorúmque est Parochus, ac si fixum ibi domicilium haberent: quia in hac materia non videtur posse esse alius aptior subjectionis modus. At Episcopos autem in cujus diœcesi plerumque vagi versantur, competit compellere, ut annuæ confessionis, & Communionis præcepto satisfaciant, sicuti notavit Layman. *suprà.*

14. Jurisdictionem delegatam habent omnes illi, quibus ab Ordinariis demandata est jurisdictio: in quo tacitè insinuatur quædam differentia jurisdictionis ordinariæ à delegata. Nam jurisdictionem ordinariam habentes delegare suas vices possunt, eò quod hanc delegationem sæpè expostulat rectus proprii officii usus, cui jurisdictio commensuratur: & traditur, cap. *Inter cætera de officio Ordinarii*, & cap. *Cùm Episcopus, eodemtit. in 6. c. Omnis utriusque sexus, de pœnitent. & remissionib.* At habentes delegatam jurisdictionem delegare non possunt: quia solum illam in usum accipiunt, non ut aliis committant, uti rectè dihit Panormit. in cap. *Cùm Betholdus n.23 de sentent. & re judic.* & sumitur ex cap. *Cum causam, de appellationib.* & ex leg. ult. *ff. de officio ejus, cui mandata est jurisd.* leg. *More ff. de jurisdict. omn. Judic.* leg. *Judice. Cod. de Judic.* & tradunt omnes.

15. Excipitur ab hac doctrina delegatus à Principe, qui jure ipso disponente causam sibi demandatam, partibus consentientibus, subdelegare potest, cap. *Cùm causam*, cap. *Quamvis*, cap. *Pastoralis*, cap. ult. *de officio delegati.* Nisi fortè electa esset industria personæ, vel causæ executio commissa, sicuti contingit in dispensationibus, quæ Episcopo, vel ejus Officiali à Romana Curia committuntur, quas delegare non possunt: quia & industria personæ eligitur, & causæ executio potiùs, quam plena jurisdictio committitur, ut diximus *tract. de legib. disp. ult. de dispensationib.* & docuit Sanch. *lib.3. de matr. disp.31. n.6.* Ex qua doctrina manifestè infertur, delegatum quemcunque subdelegare posse, si subdelegans facultatem subdelegandi concesserit: quia tunc non censetur ipse delegatus subdelegare nomine proprio; sed nomine delegantis, & authoritate ab eo accepta, sicuti tradit Glossa in cap. *Is, cui de offic. delegat. in 6.* Sanch. plures referens *l.b.3. de matr. disp.31. num.18.*

16. Secundò, excipitur delegatus ad universitatem causarum, tametsi non sit à Principe, qui videtur subdelegare unam, vel alteram causam posse, ex textu in leg.1. §. *Ab eo ff. Quis, & à quo appelletur.* & ex leg. *Legatus*, 12. *ff. de officio Proconsulis*, ibi. *Legatus mandata sibi jurisdictione Judices dandi jus habet*, & leg. *Cùm Prætor.12. ff. de judiciis*, is quoque, cui mandata est jurisdictio, Judicem dare potest, & multis allegatis tradit Sanch *lib.3. matr. disp.31. n.2.* Sed hoc ut verum sit, intelligi debet primò de delegatione annexa perpetuò dignitati, vel officio alicujus, qualis est potestas dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus concessa Episcopis à Trident. *sess 24. cap.6.* quæ potestas, quia accessoria est dignitati jurisdictionem ordinariam habenti, reputatur ordinaria, ac proinde sicut ordinaria delegari potest, ut aliis relatis docet Henriq. *lib.6. cap.7. num.3.* Sanch. *suprà.* Layman. *lib 5. sum. tract.6. cap.10. n.10.* Secundò, si delegatio fiat ratione officii non solùm proprii, sed vicarii, sicuti contingit Viceepiscopo, Viceparocho, Vicerectori, & Gubernatori verbis; iis enim officium Episcopi; Parochi & Gubernatoris non in proprietate, sed quasi in tenentia ad certum tempus committitur: Quapropter esto, non possint alium Vicarium integrum substituere (nisi contrarium ex recepta consuetudine constet, uti docuerunt Sanch. & Laymann. *locis citatis*, constare affirmant saltem ad breve tempus, scilicet, per tres, vel quatuor dies.) possunt tamen unam, vel aliam causam subdelegare; quia non tam usus

Paro

Parochi, quàm officium illis delegatum est, ad officium autem Parochi pertinet non solum usus jurisdictionis; sed illius commissio, & delegatio. Poterunt ergo jurisdictionem, saltem ex parte, subdelegare, sicuti notavit Henriq. *lib. 6. sum. cap. 7.* Sanch. *lib. 3. de matr. disp. 21. num. 15.* Coninch. *disp 8. de pœnitent. dub. 4.* Layman. *lib. 5. sum. tract. 6. cap. 10. n. 13.* Ex quo fit, prædictos Vitecuratos posse cooperatorem sibi adsciscere, non cui vicariam plenè concedant, sed cui illius exercitium quoad aliquam partem committant: v. g. quoad confessiones audiendas Eucharistiam ministrandam, &c. & tradit Sylvest. *verbo Vicarius, quæst. 5.* Navarr. *cap. Placuit de pœnitent. dist. 6. n. 69.* Layman. *dicto cap. 10. num. 13.*

Extra prædictos casus delegatus, tametsi ad universitatem causarum subdelegare nullatenus potest, aliàs possent Religiosi, quibus à Pontifice commissa est jurisdictio ad audiendas confessiones, & Eucharistiam ministrandam, suam potestatem ex parte subdelegare. Quod nulla ratione est concedendum: quia ipsi non officium; sed usus, & exercitium jurisdictionis, ut committitur, ut benè notarunt Layman. & Coninch. *loc. alleg.*

Punctum XIV.

Quibus modis delegatur jurisdictio ad audiendas confessiones. Et specialiter de Religiosorum privilegio.

1. *Multipliciter delegatur jurisdictio.*
2. *Consuetudine legitimè præscripta acquiri potest jurisdictio.*
3. *Delegatur jurisdictio expresso, vel tacito consensu illius, qui eam delegare potest.*
4. *Ratihabitione de futuro Sacramentum Pœnitentiæ ministrari non potest.*
5. *Delegatur jurisdictio Bullæ Cruciatæ privilegio.*
6. *Item, Religiosis ex concessione summi Pontificis.*
7. *Non communicatur ipsis, nisi dependenter à suis Prælatis.*
8. *Qualiter superioribus, & aliis Religiosis particularibus hæc potestas communicetur.*
9. *Quid, si Superior usum facultatis concessum prohibuerit.*
10. *Extenditur hoc privilegium ad omnes fideles absque limitatione.*
11. *Excipi debent Religiosi aliorum Ordinum.*
12. *Quid, si peregrini sint.*
13. *Vbilibet uti hoc privilegio possunt.*
14. *Ab omnibus peccatis, exceptis in Bulla Cœnæ contentis, virtute dicti privilegii absolvere possunt Religiosi integre deputati.*
15. *Hæc exceptio ex parte sublata est Societatis Iesu Religiosis.*
16. *Non tantùm à peccatis, sed à censuris, pœnis & sententiis absolvere possunt.*
17. *Sed, an prædicta absolutio extra Sacramentum impendi possit? Remissive respondetur.*
18. *Tutius est, in Sacramento Pœnitentiæ concedi, sed spectato juris rigore extra concedi potest.*
19. *In Sacramento Pœnitentiæ, tametsi absolutionem à peccatis non concesseris, potes sine dubio à censuris absolvere.*
20. *An hæc absolutio prosit pro foro externo.*
21. *Non perit hæc gratia morte delegantis.*
22. *Approbatus ab Episcopo, invito Prælato, an eligi per Bullam possit.*
23. *Illicite eligitur, sed validè.*
24. *Apponitur exceptio pro Religione Prædicatorum.*
25. *An possit hoc Sacramentum ministrari cum jurisdictione delegata dubia.*

1. REspondeo cùm Ægid. de Coninch. *disp. 8. de pœnitent. dub. 5.* multipliciter delegari posse jurisdictionem. Primò, jure communi, uti diximus, delegatam esse omnibus sacerdotibus comparationem omnium fidelium pro peccatis venialibus, & pro peccatis aliàs confessis, & quibuscunque peccatis in articulo mortis deficiente proprio Sacerdote. Secundò, ex privilegio alicui Communitati, & singularibus personis concesso, sicuti sunt privilegia Religionum, & Bullæ Cruciatæ. Tertiò, ex speciali concessione expressa, vel tacita. Quartò, ex consuetudine.

2. Et quidem consuetudine, si sit legitimè præscripta, acquiri posse jurisdictionem ad audiendas confessiones, tametsi ignorantibus illis, qui jurisdictionem concedere possunt; verius existimo cum Navarr. in cap. *Placuit de pœnitent. dist. 6. num. 36.* Soto *in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 2. ad 2.* Quia consuetudo legitimè præscripta legem introducere potest, privilegium, & jurisdictionem concedere, ex textu in cap. fin. *de consuetud.* & cap. *Cum contingat. de foro competenti.* & pluribus firmavi *tract. de legib. disp. 4. de consuetud.* Neque obstat textus in *c. 2. de pœnitent. in 6.* dicens, nulla posse consuetudine introduci: quòd aliquis præter sui superioris licentiam Confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere, vel ligare: quia, si consuetudo legitimè est præscripta, non est præter superioris licentiam: eo enim ipso, quo præscripta est, accedit Superioris licentia contenta in cap fin. *de consuetud.* sicuti diximus *loc. alleg.*

3. Deinde delegatur jurisdictio expresso, vel tacito consensu illius, qui eam delegare potest. Etenim, cum hæc delegatio sit quædam donatio inter homines facta, necessariò voluntatem donatis aliquo signo sensibili expressam requirit, aliàs, cui donatur, acceptare illam non poterit, neque illa uti, ut benè notavit Suar. *disp. 26. sect. 1.* Sanch. *lib. 3. de matrim. disp. 35. & 36.* Coninch. *disp 8. de pœnitent. dub. 5. conclus. 2.* Layman. *lib. 5. sum. tract. 6. de pœnitent. cap. 10. n. 15.*

Dixi, *expresso. vel tacito*: nam taciti, & expressi idem juris est. Rarò tamen tacitus consensus in præsenti sufficiens esse potest. Non enim ex eo, quòd Parochus videat suos parochianos tibi confiteri, censetur licentiam, & facultatem tibi concedere: quia existimare potest illos privilegium habere eligendi Confessorem, vel solùm peccata venialia confiteri, vel tibi aliunde jurisdictionem esse concessam, præcipuè cum illo insscio expositus fueris confessiones audire. Quocirca, ut jurisdictio ex tacita consensu tibi concedatur, necessum est, ut concessurus jurisdictionem, sciat, ex nullo alio capite tibi jurisdictionem esse concessam, & videns ad audiendas confessiones te disponi, gratum se ostendat, cùm facilè contradicere possit. Sic Ægidius de Coninch. *disp. 8. de pœnitent. dub. 5. & num. 35.*

4. Hinc infertur, ratihabitione de futuro Sacramentum Pœnitentiæ administrari non posse. Nam, cùm jurisdictio ad illius valorem necessaria sit, & hæc absque consensu non concedatur, efficitur manifestè, si tempore quo sacramentum ministratur, nullus adest consensus jurisdictionem concedentis, nullius valoris esse sacramentum ministratum. Neque obstat regula 10. juris in 6. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari* quia loquitur de contractibus, aliisque causis civilibus, quibus etsi deficiat aliqua solemnitas, suppleri potest postmodum, ac ab initio stetisset. Secus est in sacramentorum administratione, quæ si à principio invalida fuit, nulla potentia firmari potest. Præterea absolutio non authoritate hominis, sed Christi concessa est: nullus ergo homo eam ratam habere potest: siquidem ipsius nomine non est facta, juxta reg. 9. juris. *Ratum habere quis non potest, quod ipsius nomine non est gestum.*

Neque item obſtat. Sacramentum Baptiſmi, Confirmationis, Extremæ Vnctionis. Ordinis, & Euchariſtiæ ex ſola rationabili præſumptione futuri conſenſus legitimè adminiſtrari; quia in iis ſacramentis juriſdictio expoſtulata non eſt ad illorum valorem, ſed ad licitum uſum, ac proinde non eſt opus, ut juriſdictio antecedat: ſufficit, ſi præſumatur ſubſecuturus conſenſus illius, qui juriſdictionem cócedere poterat: illius enim præſumptio excuſat à malitia, quæ in illo actu intervenire poteſt. Secùs eſt in Sacramento Pœnitentiæ, & matrimonii, ad quorum valorem juriſdictio expoſtulatur, quæ juriſdictio, cùm non concedatur ex præſumptione, ſed ex conſenſu, ſufficere non poteſt ad illorum valorem, ſicuti poſt alios notarunt Sylveſt. *verbo*, *Confeſſor.* 1. *quæſt.* 6. *dicto.* 8. Navarra, *cap. Placuit n.* 103. *de pœnitent. diſt.* 6. & *in ſumm. cap.* 9. *n.* 6. Sanch. *lib.* 3. *de matr. diſp.* 35. *n.* 14. Tolet. *lib.* 3. *ſum. cap.* 10 Suar. *diſp.* 26. *ſect.* 1. *n.* 18. Vaſq. *de pœnit. q.* 93. *art.* 2. *dub.* 2. *num.* 3. Ægid. de Coninch. *diſp.* 8. *dub.* 5. *n.* 54. Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 6. *cap.* 10. *n.* 16.

5. Tertiò delegatur juriſdictio privilegio Bullæ Cruciatæ: ſumentibus enim Bullam concedit Pontifex, ut quemlibet ſacerdotem ex approbatis poſſint eligere, qui eorum peccata audiat, & ab eis abſolvat: qua electione facta Pontifex illo privilegio ei juriſdictionem concedit. Sumens verò Bullam, deſignat perſonam, cui juriſdictio concedatur; juriſdictionem tamen nullatenus tribuit. Sed de hoc privilegio qualiter intelligendum ſit, ſpecialem inferius tractatum inſtituemus.

6. Item, delegatur juriſdictio privilegio Religioſis conceſſa à Sede Apoſtolica, audiendi fidelium confeſſiones: quod quia frequens eſt, & ſatis uſitatum, placet in præſenti explicare.

Igitur privilegium conceſſum eſt omnibus Religioſis, præcipuè Mendicantibus, qui ab Epiſcopo approbati fuerint juxta Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 15. *de reformat.* ut quorumcumque fidelium ad eos accedentium confeſſiones audire poſſint, nulla expectata ſuorum Parochorum licentia, eoſque abſolvere ab omnibus peccatis, quantumvis gravibus, etiam ſedi apoſtolicæ reſervatis, & quibuſcunque cenſuris, ſententiis, & pœnis Eccleſiaſticis ex eis reſervationibus, exceptis contentis in Bulla Cœnæ Domini Sic habetur in Bulla Paul. III. & Gregor. XIII. relatis *in Compend. privileg. Societat. Ieſu verbo, Abſolutio.*

7. Hoc privilegium non communicare Religioſis, niſi dependenter à ſuis prælatis: quia primò, & per ſe eſt Religioni conceſſum: deinde Religioſis particularibus, aliàs ſacerdotali ordine Religioſi inſigniti contra voluntatem ſuorum Prælatorum poſſent ſacramenta Pœnitentiæ miniſtrare: quod certè non eſt credendum velle Pontificem: quippe obſtaret maximè recto Religionum regimini; & de noſtra Societate eſt indubitatum, ut rectè probat Suar. *t.* 4. *de Religion. tract.* 10. *lib.* 9. *cap.* 2. *à num.* 3. & de aliis Religionibus tradunt poſt alios Llamas 1. *p. method. cap.* 7. §. 4. Henriq. *lib.* 6. *cap.* 6. *n.* 6. *in comment.* Rodrig. *quæſt. regular. t.* 1. *q.* 60. *art.* 3. Miranda *t.* 1. *Man. Prælat. quæſt.* 45. *art.* 12. Laym. *lib.* 5. *ſum. tract.* 6. *cap* 10. *num.* 19.

8. Prædictam facultatem communicat Religio Superioribus, nempe Generali. Provinciali, Abbati, ſeu Rectori, deinde perſonis ſingularibus: hac tamen differentia. Nam Superioribus communicat poteſtatem ordinariam comparatione ſuorum ſubditorum, ac proinde eam delegare poſſunt, aliis verò religioſis communicat Religio facultatem delegatam, quàm certè omnes Doctores admittunt comparatione Religioſorum ejuſdem ordinis voluntati Prælatorum commenſurari. Expedit enim, ne alius confeſſarius, præter deſignatum à ſuperiore abſolvere ejus ſubditos poſſit. Quinimò comparatione ſæcularium, & religioſorum aliorum Ordinum exiſtimo probabilius cum Suar. *t.* 4. *de relig. tract.* 10. *lib.* 9. *cap.* 2. *n.* 7. poſſe Prælatos religioſis ſibi ſubditis facultatem, & juriſdictionem abſolvendi, quàm à Pontifice habent, communicare ex parte, & non integram, ita ut deſignari poſſint ad confeſſiones virorum audiendas, denegata facultate audiendi fœminas: nam cum prædicta facultas & juriſdictio diviſibilis ſit, & illius conceſſio ſuperioribus ſubordinata; nihil obſtare poteſt, quominus ſuperiores eam ex parte concedere poſſint.

9. Quod ſi ſuperior Religioſis habentibus facultatem illius uſum prohibuerit, ſpectanda eſt intentio ſuperiores, ut inde colligatur, an per talem prohibitionem cenſendum ſit privilegium ſublatum, an tantùm illius uſus impeditus. Et quidem ſi ob inſcientiam Religioſi, vel indebitæ ſacramenti adminiſtrationis timorem, vel in pœnam alicujus commiſſi delicti prohibitio facta fuerit, præſumi debet privilegium ablatum eſſe. Secùs, ſi ſolùm prohibitio fiat, ut aliis muneribus, & officiis incumbat. Sic Suar. *t.* 4. *de relig. tract.* 10. *lib.* 9. *cap.* 2. *n.* 7. Vide Mirand. *q.* 45. *art.* 3. Henriq. *l.* 6. *c.* 6. Rodrig. *q* 60. *art.* 2. Illud verò eſt certum prohibitionem publicam, & notoriam eſſe debere, alioquin confeſſiones Religioſo ſemel legitima authoritate expoſito validæ erunt, ob juriſdictionem à jure traditam ei, qui cum errore populi titulum coloratum habet, juxta leg. *Barbarius Philippus, ff. de officio Prætoris*, & Tradit in præſenti Ægid. de Coninch. *diſp.* 8. *de pœnit. dub.* 5 *in fine concl.* 6. Mirand. *t.* 1. *Man. Prælata. q.* 45. *art.* 13. Layman. *l.* 5. *ſum. tract.* 6. *cap.* 10. *n.* 19.

10. Porro prædictum privilegium comparatione fidelium abſolvendorum nullam limitationem habet: ſed virtute illius poſſunt Religioſi ſic à ſuperioribus deſignari, & ab Ordinario, in quo habent domicilium approbari abſolvere quoſcunque Chriſti fideles ad eos undequaque accedentes, quod Pius II. Nicol. III. Sixtus IV. & Leo X. Mendicantibus coceſſerant, uti conſtat ex *Compend. privileg. Societ. Ieſu, verbo, Abſolutio*, §. 9. & 10. & tradit Suar. *dicto t.* 4. *de relig. tract.* 10. *lib.* 9. *cap.* 2. *n.* 8.

11. Ab hac tamem conceſſione excipiendi ſunt Religioſi aliorum Ordinum quos regulariter alieni Regulares, & maximè noſtri abſolvere non poſſunt, à ſuis ſuperioribus licentiam habuerint, extra ſuum Ordinem confitendi: quod ex praxi, & conſuetudine Religionum deſumendum eſt. Nam eſto privilegium hoc abſque limitatione conceſſum, non ſolum ſæculares, ſed regulares cujuſcunque ſexus comprehendat: at cùm quælibet Religio privilegium habeat, ſaltem per communicationem, ne ejus Religioſi extra proprium Ordinem abſque Prælatorum ſuorum licentia confiteatur, fatendum eſt, prædictum privilegium generale non comprehendere Religioſos, quos eorum Prælati non permittunt extra Ordinem confiteri: quia privilegium generale non derogat ſpeciali, & maximè ſi ſpeciale jure communi, & conſuetudine approbatum fuerit. Quod autem quælibet Religio privilegium habeat, ne ejus Religioſi contra voluntatem ſuorum Prælatorum aliis confiteatur, conſtat ex privilegio Innocent. IV. Ordini Prædicatorum conceſſo relato in *Supplement. Minor.* & *lib. monument. Ordin.* & *in Compend. Societ. Ieſu, verbo, Confeſſarius*, §. 5. & ex privilegio Innocent. VIII. & Julii II. conceſſo Ordini Eremitarum S. Auguſtini, prout habetur in *Compend. Mendicant. verbo, Confeſſio, & Confeſſor.* §. 6. & 7. & ex privilegio Clem. VIII. & Gregorii XI. Ordini Ciſtercienſ. relato *in ejus Compendio, verbo, Confeſſor* §. 3. & tandem ex Extravag. Benedicti XI. *Inter cunctas de Privilegiis, ubi* in hæc verba inquit: *Electi igitur ab eiſdem Fratribus*

ad

ad audiendas confessiones, & pœnitentias injungendas, liberè authoritate Apostolica, absque licentia Diœcesanorum, & aliorum Prælatorum inferiorum exceptorum, & non exemptorum, quibus subsunt, qui ad confitendam accedant, audiant, eis peccata sua confiteri volentes. Non Religiosos, qui secundùm statuta suorum Ordinum propriis Prælatis confiteri debent, aut ab eis, ne confiteantur aliis prohibentur, absolvant. Atque ita docent expressè Rodrig. *t.1. quæst. regul. quæst.60. art.6. & quæst.62. art.4.* & Suar. *t.4. de relig. tract.8. lib.2. cap.16. à n.12. & n.15.* qui doctrinam extendit ad Moniales, quæ ex declaratione Cardinalium *cap.10. sess.25. de Regularib.* confiteri non possunt aliis, quàm approbandis ab illarum Prælatis. Idemque tradidit *tract.10. lib.9. c.2. n.9.* Consentit Laym. *lib.5. sum. tract.6. c.10. q.3. concl.3.* Rodrig. *q.62. art.4. in fine.*

12. Notanter dixi, *regulariter*, ut excluderem itinerantes religiosos. Hos enim ab alterius Ordinis regularibus, imò sæcularibus Clericis absolvi posse, cùm intra propriam Religionem confiteri non possunt, consuetudo observat ex concessione Sixti IV. & Innoc.VIII. prout refert Man.Rodrig. *q.62.art.5.* ubi advertit, à reservatis absolvi non posse, quod intelligendum est, saltem sine obligatione comparendi, de qua re videri potest Suar. *t.4 de relig.tr.8.l.2.c.17.*

13. Prædicto privilegio uti Religiosi possunt, sive in suis Ecclesiis, & Domibus, sive extra: quia nullam quoad locum, limitationem habet. Si tamen extra propriam diœcesim, in qua sunt approbati, iter egerint, possunt ex Clement. *Dubium*, & ex concessione Sixti IV. & Gregor. XIII. anno 1575. Confessiones excipere duplici conditione interveniente. Prima, ut si in eo loco adsit Ordinarius, ab eo licentia expostuletur. Secunda, si Ordinarius desit, Parochi non repugnent: & notavit Suarez *t.4. de relig. tract.10. lib 9. cap.2. num.9. junctocap.1. num.6.* consentit Rodrig. *t.1. qq. regul. quæst.60. art.5.*

14. Peccata verò, à quibus Religiosi à suis Prælatis integrè deputati possunt absolvere, sunt omnia quantumvis gravia, etiam Sedi Apostolicæ reservata, exceptis iis, quæ in Bulla Cœnæ Domini continentur. Ex quibus verbis gravis difficultas est inter Doctores, an concedantur crimina Episcopo reservata? Sed hanc difficultatem optimè dissolvit Suar. *t.4. de relig. tract.10. lib 9. cap.2. à n.14.* affirmans, esto, privilegia concessa Mendicantibus ante decretum Trident. *sess.14. cap.7.* non comprehenderent casus Episcopo reservatos, prout sacra Concilii Congregatio pluribus decisionibus relatis à Marzilla, & Barbosa *ibi* confirmat. At privilegia concessa à Gregor. XIII. Julio III. & Pio V. Societati Jesu, & consequenter omnibus aliis Religionibus, quæ privilegiorum communicatione gaudent, omninò prædictos casus comprehendere, & ita testatur Compend. privileg. Societ. Jesu, *verbo Absolutio*, §. 1. & Man. Rodriq. *t.1. qq. regular. quæst.61. art.3. in fine.* Ratio est partim: quia privilegium Principis, & præcipuè in favorem animarum latè est impertrandum: partim quia non derogat Episcoporum juri: non enim tollitur reservatio, sed perseverante reservatione communicatur facultas absolvendi: partim, quia verba dicti privilegii eam extensionem necessariò admittunt. Pontifex namque concedens facultatem absolvendi ab omnibus peccatis, etiam sibi reservatis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ, concedit facultatem absolvendi ab omnibus, à quibus ipse absolvere potest. Cùm autem à reservatis Episcopo absolvere possit, neque ea in Bulla Cœnæ contineantur, ab eis absolvendi concedit facultatem. Quod non leviter indicavit, illo advetbio *etiam*, quo reservata graviori reservatione, scilicet pontificia, concessit, tacitè innuens reservata episcopali reservatione concessa esse.

15. Excipiuntur contenta in Bulla Cœnæ Domini. Verùm hanc exceptionem ex parte sustulerunt Religiosis Societatis Jesu. Paul.III. Jul.III. & Gregor.XIII. ut constat ex Compend.privil.Societ.Jesu, *verbo, Absolutio.* Nam *in* §.2. conceditur à Greg.XIII. vivæ vocis oraculo, 18. Martii, 1584. Confessariis à superiore deputatis absolvere posse eos, qui bona naufragantium rapuerint, injuncta eis restitutione, ubi & quomodo ea fieri poterit: & in §. 3. conceditur Generali Præposito, & quibus ipse communicaverit. Communicat autem Provincialibus cum potestate delegandi in casibus particularibus facultatem absolvendi ab hæresi extra Hispaniam: & *in* §.4. datur facultas omnibus superioribus Societatis, & quibus ipsi communicaverint, absolvendi à lectione librorum prohibitorum, illis in locis, ubi possunt ab hæresi absolvere: & *in* §. 5. privilegium conceditur superioribus, & quibus ipsi communicaverint, absolvendi missos ad triremes, à quibusvis casibus, sicut in articulo mortis. Deinde ex Bulla III. incipiente, *Licèt debitum.* edita anno 1549. & ex Bulla Gregor.XIII. anno 1575. in remotissimis regionibus, ubi recursus ad Sedem Apostolicam difficilis est, permittitur Præposito Generali, & quibus ipse commiserit, potestas absolvendi ab omnibus in Bulla Cœnæ Domini contentis: quam latam concessionem extendi ad hæresim, ut probabile defendit Suar. *t.4. de relig. tract.10. lib.9. cap.2. n.16.* eò quòd ratio concessionis, quæ est difficilis ad sedem Apostolicam aditus, æquè in hæresi, ac in aliis peccatis in Bulla Cœnæ reservatis procedit. Pro nostrorum Religiosorum absolutione varia privilegia referuntur concessa superioribus, de quibus videri potest dictum Compendium privileg. *à §.6. usque ad 11.*

16. Non solùm à peccatis, sed etiam à sententiis, censuris, & pœnis ob ea peccata incursis facultas absolvendi in prædicto Privilegio conceditur. Unde directè censuræ peccatis annexæ ut prædicti privilegii tolli possunt absque reincidentia, ut bene notavit Suar. *tom.4. de relig. tract.10 lib 9. cap.2. num.10.* aliàs opus non esset earum absolutionem exprimere, sed concessa facultate absolvendi à peccatis censerentur concessæ: quippe earum absolutio absolutionis à peccati, præmitti debet Nomine sententiarum comprehenduntur censuræ ab homine latæ non solum generaliter, sed etiam specialiter, quia censuræ tam per generalem sententiam, quam specialem delicto annecti possunt, & ex illo resultare sæpeque illarum absolutio absque scandalo, & offensione Judicis concedi poterit, ut dixi Suar. *dicto cap.2. à num.20.* Verùm esto, hoc privilegium Societati concessum sit, præpositus Generalis solis superioribus, & quibus ipsi specialiter communicaverint, facultatem concedit absolvendi eos, qui per generalem sententiam sunt affecti censura; illos verò qui speciali sententia sunt ligati, neque ipsis superioribus permittit, constat ex Compend. privilegior. *verbo, Absolutio*, §.1. Nomine censurarum veniunt intelligendæ, excommunicatio, suspensio, & interdictum, juxta text. in cap. *Quærenti verbo signif.* non autem irregularitas, tametsi ob violationem censuræ incursa sit, quia non est censura, nec censuræ per se annexa, quicquid dicat Gutierr. *lib.1. canon. quæst. cap.3.* Sed an sub potestate absolvendi à pœnis ecclesiasticis irregularitas comprehendatur, difficultate non caret; siquidem verè est pœna ecclesiastica ob delictum imposita. At verius est, neque irregularitatem neque depositionem, aut degradationem, neque aliam quamlibet pœnam, quam pœnitens, esto invitus sit, sustinere debet, aliquo determinato tempore posse ex vi dicti privilegii absolvi: quia hæ pœnæ non absolutione, sed dispensatione tolluntur. Non enim tolli possunt, nisi dispensando aliquo modo in jure eas in perpetuum, vel ad

determinatum tempus designante. Neque item comprehendit pœnas à Confessore impositas in sacramento Pœnitentiæ, alias possent Religiosi vi dicti privilegii absolvere pœnitentes à pœnitentiis injunctis, quin peccata ob quæ fuerunt imposita, judicarent, quod est falsum, & rationi dissonum. Nec denique comprehendit pœnas, quas ex voto, & promissione propria obligantur fideles suscipere, ut contingit promittenti jejunium, si delictum aliquod commiserit: quia illa non est pœna ecclesiastica, cùm non sit pœna ab Ecclesia imposita; sed propria fidelium voluntate suscepta. Quocirca nomine pœnarum, ut à censuris, & sententiis distinguuntur, veniunt intelligendæ pœnæ non temporales, sed spirituales, quæ in vindictam alicujus delicti fidelibus à jure, vel ab homine fuerint impositæ arbitrio imponentis remittendæ, qualis esset prohibitio ab Ecclesiæ ingressu, à communione, ab officio aliquo divino, & similes. Sic Suar. *t.4. de relig. tract.10. lib.9. c.2. à n.41.*

17. Sed an prædicta absolutio à sententiis, censuris, & pœnis extra sacramentum Pœnitentiæ impendi possit, controversia est latiùs decidenda in *tract. de Bulla Cruciata*, in qua affirmativam partem defendimus. Sed in præsenti est specialis difficultas, eò quòd privilegium conceditur sub illis verbis, *auditis eorum confessionibus*, quæ in Bulla Cruciatæ non continentur: quæ verba manifestè indicant absolutionem dari non posse, quin confessio præcedat, & consequenter extra sacramentum Pœnitentiæ. Et ita sustinet tanquam tutius Navarr. *c.26. n.31.* Cordub. *sum. quæst.19. & 187.*

18. Cæterùm negari non potest, tutius esse absolutionem à censuris à jure, vel ab homine, & à quibusvis pœnis in sacramento Pœnitentiæ vi prædicti privilegii concedi debere: quia in hac concessione nullum adest periculum: aliter verò sub opinione positum est, an valeat absolutio. Quapropter Suar. *t.4. de relig. tract.10. lib.9. cap.2. n.26.* nec consulit, nec permittit, absque rationabili causa extra sacramentum pœnitentiæ absolutionem prædictam concedi. Verùm, spectato juris rigore, censeo cum ipso Suar. *suprà, & de legib. lib.8. cap.6.n.14. & 16.* Rodrig. *t.1. quæst. regular. quæst.61. art.7.* Henriq. *lib.7. cap.13. n.2. & cap.30. n.6.* Avila *2. p. de censur. cap.7. dub.13.* Coninch *disp.14. dub.16. n.153.* Layman. *lib.5. sum. tract.6. cap.10. quæst.3. concl 4.* probabilius esse, validè, & licitè extra sacramentum concedi posse: quia, cùm hoc privilegium sit à principe, & in animarum favorem, non est, cur ejus usus ad solum pœnitentiæ sacramentum restringatur, præcipuè cùm illa verba, *auditis eorum confessionibus*, ad eam restrictionem non obligent. Sunt etenim illa verba generalia, quæ aptari debent ad confessionem, tum sacramentalem, sicuti verbum absolvendi, & injungendi pœnitentiam salutarem necessariò aptatur peccatorum absolutioni, quæ sacramentalis est, & censurarum absolutioni, quæ sacramentalis non est. Datur autem simul utraque potestas, ratione commodioris usus, & quia frequenter utriusque potestatis usus conjungitur, non quia necessariò utraque potestas simul exercenda sit, cùm sæpè conveniat, absolutionem à censuris ab absolutione à peccatis dividere, sæpéque absolutio à peccatis absque absolutione à censuris concedatur: quia non adsunt censuræ absolvendæ.

19. Illud verò pro certo affirmat, & meritò Suar. *dicto c.2. n.18.* te posse absolutionem à censuris concedere, recedenti à contumacia, & parti, seu Ecclesiæ satisfacienti, acceptantique pœnitentiam sibi injunctam; tametsi solum ex parte eorum peccata sacramentaliter audieris; neque intendas ab eis absolvere; vel, quia ipse non valet confessionem integram facere, vel tu nequis eam excipere, vel oportet in dies differre, cùm tamen non deceat censuris esse ligatum: quia sufficienter satisfacis verbis indulti: siquidem absolutionem à censuris non præstas, nisi audita confessione sacramentali. Et licèt hæc confessio sacramentalis ob absolutionem sacramentalem subsequendam exigatur, non est opus semper immediatè subsequi, præcipuè cum dimidia illa confessione, & censurarum absolutione disponi pœnitens possit ad absolutionem sacramentalem obtinendam.

20. Additur in prædicto decreto, ut solùm prosit pro foro conscientiæ, & pœnitentiæ; & non pro foro externo, & judiciali, quod qualiter intelligendum est, dixi *tract. de legib. disp. ult. de dispensationib. pun.15. §. 1. n.3.* & *tract. de fide disput.4. punct.3. §. 1. & 2.* & latiùs dicemus *tract. de excommunicat* Vide Suar. *dicto tom.4. de relig. tract.10. lib.9. cap.2. à num.32.*

21. Ad extremum adverte, facultatem delegatam administrandi hoc sacramentum, vel eligendi, qui illud ministret, sive sit gratia facta comparatione plurium, sive unius singularis personæ, morte delegantis non petire, juxta ea, quæ latè diximus *tract. de legib. disp.4. de privil. pun.16. §.4.* Suar.

22. Superest duplex quæstio. Prima, an Religiosus, qui inscio, vel invito Prælato se Episcopo præsentaret, & ab eo approbationem, & licentiam audiendi confessiones obtineret, posset validè, & licitè ea licentia uti, seu per Bullam Cruciatæ eligi. Videtur posse: quia ea licentia, utpote concessa ab Episcopo, vel Pontifice, regulari prælato superioribus, non videtur posse à Prælato regulari restringi, aut limitari.

23. Cæterum dicendum est, illicitè prædictum Religiosum iis facultatibus uti: nam esto Prælatus regularis jurisdictionem Episcopalem, vel pontificiam derogare, aut minuere non possit, potest tamen ob votum obedientiæ, ratione cujus Religiosus suo Prælato subditur in iis, quæ ad rectam sui instituti gubernationem pertinent, prædictæ jurisdictionis usum moderari, vel impedire; sicuti ex recepta in omnibus Religionibus consuetudine impeditus sub gravi culpa censetur, dum à proprio Prælato non fuerit approbatus. Atque ita sustinent Rodrig *t.1. regul. qq.q.60. art.1. & 3* Mirand. *in man. Prælat. t.1. qu.45. art.12.* Layman. *lib.5. sum. tract.6. c.10. q.3. vers. Sed dubitabis num.19.* At si prædictus Religiosus jurisdictione Episcopali, vel pontificia sibi concessa utatur, de facto validæ erunt absolutiones ab eo impensæ, juxta jurisdictionem acceptam, utpote qui Ordinem sacerdotalem, & jurisdictionem habet.

24. Excipienda tamen est Religio Ordinis Prædicatorum, in qua juxta Breve Julii III. relatum ab Eman. Rodrig. & Mirand. *suprà*, annullantur omnes jurisdictionum concessiones pro confessionibus audiendis, quæ sine licentia Prælatorum, ab Episcopo, seu aliis Ordinariis fuerint obtentæ: quod Breve testatur Rodrig. fuisse ab ipsa Religione acceptatum in Capitulo Generali Salmanticæ celebrato, & virtute illius fuerunt irritatæ confessiones, quæ sine licentia Superiorum virtute jurisdictionis ab Episcopo concessæ fuerint. Confessiones verò factæ virtute Cruciatæ, alteriúsve privilegii pontificii ibi non irritantur; quinimò excipiuntur licentiæ manu Papæ, aut de consensu Cardinalis protectoris, vel Viceprotectoris signatæ. Quoad aliàs Religiones non constat prædictum Breve Julii III. receptum esse, nec virtute illius annullatas esse confessiones sine licentia superiorum factas. Quapropter, dum non constat de annullatione, dicendum est, validas fore, uti docuerunt Rodrig. Mirand. & Laym. *locis alleg.*

25. Secunda quæstio, an cum jurisdictione delegata dubia possis Pœnitentiæ Sacramentum ministrare. Et quidem, si in nulla peccata, quæ pœnitens confitetur, jurisdictionem moraliter certam non habeas, illicitè extra causam gravis necessitatis Sacramentum

ministra

miniſtrares : quia periculo irritandi ſacramentum te exponeres. At hic caſus, ut benè advertit Coninc. *diſp. 8. de pœnit. dub. 6. concl. 1.* vix eſt poſſibilis; ſiquidem frequenter pœnitentes aliqua peccata venialia, vel mortalia aliàs legitimè confeſſa confiteri ſolent, in quæ omnes ſacerdotes certam juriſdictionem habent: Verùm, ſi in aliqua peccata ex his, quæ pœnitens confitetur, ſic dubiam juriſdictionem habeas, ut non valeas de juriſdictione probabile judicium habere, nequaquam (extra gravem, & urgentem neceſſitatem, qualis eſſet, ſi pœnitens præcepto annuæ Confeſſionis obligatur, vel abſque nota non poſſet communionem differre) ſacramentum adminiſtrare potes, quia ab illis peccatis fortè ſolum indirectè abſolvis, quod vitare debes, quoad poſſis, & reverentiam ſacramenti, & integritatem illius. Sic Suarez *diſp. 26. de pœn. ſect. 6.* Coninch. *diſp. 8. dub. 6. concl. 3.* Unde ſi in caſu neceſſitatis ſic ſacramentum miniſtras, debes monere pœnitentem de obligatione quam habet, confitendi ea peccata ſacerdoti, qui juriſdictionem certam habeat, cùm quilibet fidelis obligatus ſit directam à peccatis abſolutionem obtinere, ſicuti notavit Coninch. *dicta diſp. 8 dub. 6. in fine.*

Notanter dixi, *ſi probabile judicium de juriſdictione non habeas.* Nam eo judicio ſtante, rectè potes ſacramentum miniſtrare, uti docui *tract. de diſput. 2. pun. 5.* neque *ibi* dictis aliquid addendum occurrit.

Punctum XV.

De caſuum reſervatione.

§. I.

Quo jure, quæ peccata, & à quibus reſervari poſſint?

1. *Reſervatio convenientiſſima eſt.*
2. *Reſervatio abſque cauſa valet.*
3. *Reſervatio aliquorum venialium nunquam fit, neque expediret fieri.*
4. *Peccata interna, neque reſervantur, neque expedit reſervari.*
5. *Quid Clemens VIII. ſtatuerit in Religionibus.*
6. *Superiores poſſunt aliquibus peccatis annectere excommunicationem, & ejus abſolutionem ſibi reſervare.*
7. *Satisfit cuidam objectioni.*

1. SUperior peccata reſervat, cùm illorum abſolutionem ſibi appropriat, nec aliis inferioribus committit. Eſſe autem convenientiſſimum, ut ſuperiores aliquorum peccatorum abſolutionem ſibi reſervent; tum, ut graviora, atrocioraque crimina exactius judicentur, ut melius corrigi poſſint, efficaciúſque remedium illis adhibeatur; tum, ut fideles ab illis committendis cò ſe diligentius contineant, quò difficilius illorum abſolutionem obtinere poſſunt; Synod. Trident. *ſeſſ. 14. cap. 7.* declarat. Debet tamen reſervatio cedere in fidelium utilitatem: hæc enim eſt, quæ primò, & per ſe in omni reſervatione ſpectatur. Nam, ut inquit Concilium *ſuprà*, non in deſtructionem, ſed in ædificationem poteſtas reſervandi ſuperioribus conceſſa eſt. Quocirca ſuperior, qui potius in ſubditorum perniciem, quàm in illorum favorem (quod præſumendum non eſt) caſus ſibi reſervaret, graviter peccaret: quia & ſubditos irrationabiliter gravaret, & difficilem ſacramenti uſum redderet.

2. Sed, an ea reſervatio abſque cauſa effectum habeat, ſatis eſt apud Doctores controverſum, ut videri poteſt apud Suarez *tom. 4. de pœnitent. diſp. 29. ſection. 4.* Et quidem, ſi verum eſſet, omnem juriſdictionem non ſolùm Pontificis, ſede Epiſcoporum, & Parochorum à jure divino immediate provenire, tametſi Pontifici ſubordinatam; nullatenus valida eſſet reſervatio irrationabilis à Pontifice, vel Epiſcopo facta. At, quia verius exiſtimavi, ſolam juriſdictionem pontificiam in omnes fideles à Chriſto immediatè manaſſe; ex illa verò ad Epiſcopos, deinde ad Parochos, juxta Pontificis voluntatem deſcendere, ſi de facto Pontifex Epiſcoporum poteſtatem vellet reſtringere, & Epiſcopi vellent poteſtatem parochorum limitare, pluſquam par eſt, reſtricta, & limitata erit. Atque ita docent Fagund. *de ſecundo Eccl. præcepto, lib. 8. cap. 1. n. 25.* Suar. *diſp. 29. ſect. 4.* Ægid. de Coninch. *diſp. 8. de pœnit. dub. 11.* Layman. *lib. 5. ſum. tract. 6. c. 12. n. 5. q. 3.* & alii apud ipſos.

3. Ex his infertur, etſi aliquorum peccatorum venialium abſolutionem ſibi reſervare poſſit Pontifex, cùm omnis juriſdictio in alios Prælatos à Pontifice derivetur, uti docent Suarez *diſp. 29. ſection. 3.* Ægid. de Coninch. *diſp. 8. dub. 11. n. 80.* inutilis tamen eſſet ea reſervatio, partim, quia ſine eorum manifeſtatione abſolutio ſacramentalis obtineri poteſt; partim, quia alia via, quàm Sacramento, illorum venia poteſt impetrari. Epiſcopos verò, alióſque Prælatos Pontifice inferiores, veriùs credo, nullius peccati venialis abſolutionem reſervare poſſe: quia univerſali Eccleſiæ conſuetudine, quam nullus Prælatus inferior Pontifice derogare, aut limitare poteſt, omnibus ſacerdotibus conceſſa eſt poteſtas à peccatis venialibus abſolvendi, ſicuti notavit Coninch. *ſuprà*, Layman. *lib. 5. ſum. tract. 6. cap. 12. n. 3. concl. 2.*

4. Secundò infertur, etſi Pontifex, imò Epiſcopus, aliique Prælati peccata mortalia interna reſervare poſſint, cùm à Pontifice omnes Epiſcopi, & ab Epiſcopis omnes parochi juriſdictionem accipiant; at ea reſervatio nunquam facta eſt, neque expedit fieri: quippe ad gubernationem Eccleſiæ, quæ præcipuè exteriora reſpicit, utilis eſſe non poteſt. Atque ita docent Suar. *diſp. 19. ſect. 3.* Henriquez *lib. 6 cap. 14. §. 5.* Sanch. *lib. 2. ſum. cap. 8. num. 4.* Coninch. *diſp. 8. de pœnit. dub. 11. n. 79.* Laym. *l. 5. ſum. tr. 6. c. 12. n. 3.* Vaſq. *quæſt. 91. art. 3. dub. 3.* & alii apud ipſos. Quocirca ſolùm peccata externa mortalia, nonquidem omnia, ſed atrociora, & graviora reſervari expedit.

5. Verùm, quia in Religionibus, utpote ſtatum perfectionis profitentibus, timeri poterat, ne eorum Prælati nimiam caſuum reſervationem conſtituerent, Clemens VIII. quodam motu proprio, edito anno 1593. providit, ne ultra undecim caſus, quos ibi enumerat, & *puncto ſequenti* referemus, poſſent Prælati alios ſibi reſervare, niſi de conſenſu generalis Capituli, vel Congregationis provincialis: in quo decreto, ut benè advertit Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. capit. 18. numer. 14.* nullum eſt verbum ſuperioribus præcipiens horum, vel alicujus ex illis caſus reſervationem; ſed præceptum eſt, ne alii, quàm *ibi* deſignati, reſerventur, niſi de conſenſu Capituli generalis, vel provincialis: illos verò caſus, & quemlibet illorum, tum Generali in toto Ordine, tum Provinciali in ſua provincia, tum Prælato conventuali in ſuo Conventu permittit reſervare, ſi aliàs poteſtatem reſervandi habeant. Quod dixerim propter Societatem, in qua ſola Congregatio generalis, non provincialis, reſervandi poteſtate gaudet: quia ſola ipſa, & non provincialis poteſtatem juriſdictionis habet, ut dicitur *canon 15. Congregat. 5.* & tradit Suar. *tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 8. c. 5. num. 4.*

6. Solùm eſt grave dubium, an ſuperiores poſſint alicui peccato, præter ſupradicta deſignata, excommunicationem annectere, cujus abſolutionem ſibi reſervent, Affirmat, & ſatis probabiliter Suar. *dicto 4. de*

relig. tract.8. lib.2. cap.18. in fine, num.17. Fagund. *de secund. Eccl. præcept. lib.8. cap.4. n.5.* Quia Pontifex solùm reservationem alterius peccati à designatis prohibuit, non censuræ, quæ à peccato est distincta: & à diversis, præcipuè in materia odiosa, non est facienda illatio. Aliàs nequiret Prælatus, sub pœna excommunicationis specialiter lata præcipere Religioso jejunium, vel aliam regulatem observantiam contra communem usum, & praxim Religionum, in quibus hæc singularia præcepta sub censura feruntur: siquidem posita ea excommunicatione nequit alius à superiore transgressorem absolvere, cùm nemini data sit potestas absolvendi à censura per specialem sententiam lata, nisi ei, qui censuram tulit, vel illius superiori. Quòd si non obstante Clementis prohibitione potest superior excommunicationem per sententiam specialem delicto annectere, cujus absolutio sibi est de jure reservata, eadem ratione poterit excommunicationem per sententiam generalem ferre, cujus absolutionem sibi speciali decreto reservet, cum hujus reservatio distincta sit à peccati reservatione Pontificio decreto interdicta.

7. Neque obstat ex reservatione censuræ peccatum reservatum esse: quia eo casu solum est reservatum per accidens, quatenus nemo potest licitè à peccatis absolvi, quin prius à censura absolvatur; sed non est reservatum per se, sicuti solent esse reservata peccata, tametsi censuram annexam habeant. Quocirca, si bona fide pœnitens confiteatur aliàs habenti jurisdictionem, peccata, quæ per se non reservantur, sed solùm per accidens occasione censuræ; ab illis absolvetur, tametsi à censura non fuerit absolutus. Secùs verò est dicendum, si confiteatur peccata, quæ per se, & immediatè reservantur, sicuti docuit Sanch. *lib.2. sum. cap.8. num.5.* Suar. *disp.29. sect.3. num.8.* Coninch. *disp.8. de pœnitent. dub.11. num.83.* Laym. *lib.5. sum. tract.6. cap.12. n.2.* Fagund. *de secund. Eccl. præcepto, lib.8. cap.1. n.3.*

§. II.

Quæ peccata reservata sint, tum à Pontifice, tum ab Episcopis, tum à Prælatis regularibus.

1. *Peccata sunt Pontifici reservata.*
2. *Quæ reserventur communiter Episcopis.*
3. *Non intelliguntur prædicta reservata, quousque completa sint.*
4. *Qualiter intelligatur homicidium voluntarium, quod reservari solet.*
5. *Qualiter falsum testimonium in judicio.*
6. *Qualiter ponderum, mensurarum monetarum adulteratio, seu corruptio.*
8. *Qualiter violatio libertatis Ecclesiæ.*
8. *Qualiter crimen incendiarii.*
9. *Qualiter blasphemia publica, & notaria.*
10. *Qualiter percussio filii parenti facta.*
11. *Qualiter abusus sacrarum rerum ad magicas artes, &c.*
12. *Qualiter procuratio abortus.*
13. *Qualiter expositio infantium.*
14. *Qualiter contractus matrimonii in gradibus prohibitis*
15. *Qui sint casus, qui in Religionibus permittuntur reservari.*
16. *Explicatur primus, & secundus remissivè.*
17. *Tertius, qui est nocturna, ac furtiva egressio, expenditur.*
18. *Quartus de proprietate contra votum paupertatis, & de testimonio falso declaratur.*
19. *Sextus de procuratione ad abortum.*
20. *Septimus de falsificatione manus, seu sigilli Officialis.*
21. *Octavus de furto rerum Monasterii.*
22. *Nonus de lapsu carnis opere consummato.*
23. *Decimus occisio, vulneratio, seu gravis percussio.*
24. *Undecimus, retardare, vel impedire litteras superioris ad inferiores, vel e contra.*

1. DE Pontifice communis est sententia, nullum peccatum sibi reservatum esse quod excommunicationem annexam, & sibi reservatam non habeat, uti latè probat Suar. *disp.29. sect.2.* Quæ autem hæc sint, expendemus, cùm de excommunicationibus Pontifici reservatis loquemur. Sublata ergo excommunicatione, vel illa per ignorantiam non incursa, peccatum, esto gravissimum sit, reservatum non est, quia non aliter quàm simul cum censura reservatur, sicuti docuerunt Henriquez *lib.6. cap.14. num.1.* Coninch. *disp.8. de pœnitent. dub.11. num.82.* Vasq. *q.91. art.4. dub.1.* Sanch. *lib.2. sum. cap.8. n.5.* Layman. *cap.12. n.2.* Durante tamen excommunicatione, non solum ipsa, sed & peccatum per se, & immediatè reservatum est, ita ut ab alio, quàm ab eo, cui censura reservatur, absolvi non possit, ut benè Coninch. *n.83.* Sanch. Suar. & Laym. *supra* notarunt. *Section.* Excipit Ægidius de Coninc. *d. disp 8. dub.11. n.82.* promoventes, & promotos ad Ordines simoniace quorum peccatum Sixtus V. in Bulla anno 1589. sibi reservat; tametsi excommunicationem prædicto peccato non annectat. Sed non admittenda hæc exceptio: quia esto Sixtus V. prædicto peccato excommunicationem reservatam non imposuerit; posita tamen est in Extravag. 2. *de Simonia.*

2. De Episcopis non est constans sententia, an sint aliqua peccata jure reservata, ut videre est apud Sylvest. *verbo, Casus.* Navar. *cap.27. nu.262.* Rodrig. *t.1. quæst. regul. quæst.61. art.2.* Fagundez *de secundo Eccl. præcep. lib.8. cap.2. à n.1.* Suar. *disp.29. section.3.* Tolet. *lib.3. cap.14.* Nam esto, quatuor casus enumerentur in Extrav. *Inter cunctas de priv. leg. post. medium,* de facto Episcopis non reservantur, sed solùm asseritur, ab Episcopis reservari solere. Quapropter cujuscunque diœcesis statuta, & consuetudines spectandæ sunt, uti dixit Cajetan. *verbo, Casuum reservatio,* Communiter autem sequentia solent reservari, teste Barbosa *al leg.50.* Primò, homicidium voluntarium; tametsi occultum. Secundò, falsum testimonium in judicio, sive in gratiam, sive in alicujus damnum. Tertiò, adulteratio, seu corruptio stateræ, mensuræ, aut monetæ. Quartò, libertatis, seu immunitatis Ecclesiasticæ violatio. Quinto, domorum, vel segetum incendium; vitium, vel arborum alienarum, causa damnificandi, incisio. Sexto, blasphemia publica, & notoria. Septimo, parentum percussio. Octavo, abusus Eucharistiæ, sacrarúmque rerum ad veneficia, superstitiones, & similia. Nono, aborsus procuratio. Decimò, expositio infantium piis locis, cùm expositores habeant, unde eos alant, neque damnum resarcierint. Undecimò, qui matrimonium contraxerint in gradibus prohibitis.

3. Prædicta non intelliguntur reservata, quousque juxta Constitutionis tenorem completa, & perfecta sint, ut docuerunt Sylvest. *verbo, Casus, quæst.5.* Grassis *1. part. decis. lib.1. cap.13. num.5.* Henriquez *lib.6. sum. cap.14. num.5.* quia reservatio est odiosa, ac proinde in omni proprietate verba delicti, accipi debent. Quod discurrendo per singulos casus manifestum erit.

4. Cùm reservatur homicidium voluntarium, solùm censeri debet reservatum, quod ex voluntate occidendi commissum fuerit, juxta leg.1. *ff. de sicariis.* Quinimò existimo, non comprehendi mandantem, consulentem, vel auxilium homicidæ præbentem: quia verè, & propriè non occidunt, tametsi fictione juris mandans, & mandatarius, consulens, & consultus eadem persona censeantur, cap. *Qui per auxilium*

de

de regul. juris in 6. leg.1. §. Dejecisse. ff. de vi, & vi arma., eadémque pœna puniantur, ut multis comprobat Farinac. *praxis crimin.5. part. q.129 & 135.*

5. Secundò reservari solet falsum testimonium in judicio; tum, si falsum ibi dicas, ut testis, tum, si legitimè interrogatus veritatem celes, juxta cap.1. *de crimine falsi*, & tradit Aloysius Riccius *in praxi aurea, resolut.216. in princ.* Debet tamen falsitas circa substantialia causæ versari, non circa extrinseca, & ad causam principalem parum pertinentia. Quia ex falsitate circa extrinseca nemo dicitur falsus, neque ejus dispositio vitiatur, sicuti tradunt Alex. *cons.88. n.195.* Cæsar. de Graffis *dec.75. n.9* Farinac.2. *part. prax. quæst.97. n.159. & seq.* Aloysius Riccius *in praxi aurea, resolut.216. n.2.* Salzedo *in addit. cap.96. vers. Secundò.* Barbosa *alleg 50. n.34.* Præterea debet testimonium falsum cedere in utilitatem, vel damnum alicujus, alioquin pœna ordinaria non punitur, neque sub testimonio falso in statutis comprehenditur, uti docent Menoch. *de arbitrar. casu 306. num.10. 23. &* Io. Covarr. in cap. *Quamvis pactum. de pactis in 6. 1.p. §.7. n.9.* Farinac. *de falsit. quæst.150. n.291.* Barbos. *dicta allegat. n.30.* Quocirca, si testimonium, quod falsò protulisti, nullum ex aliquo capite fuerit, cessabit illius reservatio: quippe in nullius utilitatem, aut damnum cedit, uti benè, aliis relatis, notavit Barbos. *de alleg 50. num 47.*

6. Tertiò, reservatur ponderum, mensuratum, monetarumve adulteratio, seu corruptio, sub qua reservatione non censetur reservatus usus adulteratæ mensuræ, corruptævè monetæ, & à fortiori neque utens indebitè justa mensura: quia esto, his utens falsum committat, leg.1. *ff. ad leg. Cornel. de falsis:* leg. *Major. cm. Cod. eodem titulo*; tamen quia est quid distinctum, & in pœnalibus non est extensio faciendo, sub reservatione comprehendi non debet, ut benè notarunt Lælius Zecchius *de casib. reservatis, casu.18. vers. His ita præmissis.* Gambarup. *de cas. reserv. fol.114. num.3.* Barbos. *allegat.56. num.47.* Igitur pondus, mensúrámve adulterat, seu corrumpit, qui ad usum falsa pondera, & mensuras exponit. Monetam verò, si loco unius metalli aliud substituat, quæ est corruptio, seu falsificatio quoad substantiam, leg. *Paulus. ff. de solutionibus.* Item si eam quoad pondus minorem faciat, leg.1. *ff. de contrahenda empt.* Præterea, si absque legitima authoritate excuderit, juxta leg. *Sine nomine* & leg. *Qui nomine. ff. ad leg. Cornel. de falsit.* Denique, si monetam authoritate Principis concessam totonderit, seu raserit: quia absolutè adulterat, seu corrumpit. Atque ita hos omnes casus reservari docent Gambarupta *num.9.* Barbosa *num.37.* Solùm est dubium de tondente, seu mutilante monetam, quam certò scit justum pondus excedere, an graviter peccet, & adulterator, seu corruptor monetæ dicatur. Negare videntur Marsilius leg. *Qui falsum num.109. ff. de falsis.* Alciat. *consil.461.* quatenus affirmant, hunc mutilatorem nullis pœnis subjacere, utpote qui neminem lædit. Sed verior est sententia Menoch. *de arbitrar. casu 316. à num.36.* affirmantis, esse verum monetæ corruptorem, & majestatem Principis lædere, cujus officium, & authoritatem usurpat, pœnáque, saltem arbitraria, puniendum. Etenim nemini absque Principis authoritate datum est, monetam in publicum missam immutare: atque ita esse casum reservatum docuit Barbos. *de potest. Episc. alleg.50. num.60.*

7. Quartò solet reservari immunitatis, seu libertatis Ecclesiasticæ violatio: quod qualiter contingat, latè diximus *tract.11. & 12. hujus operis.* Solùm adverto cum Barbosa *n.72.* violantem libertatem ecclesiasticam per statutum, non reservationem Episcopalem; sed Pontificiam in Bulla Cœnæ Domini contentam incurrere.

8. Quintò, in crimen incendiarii reservatum incidit, qui propria authoritate domum, vel segetes alienas malo animo incendit, cap. *Cùm devotissimam.12. q.2.* & tradit Gambarupta *de casib. reservat. casu 5. n.1. fol.198.* Secùs, si casu contingat, tametsi ex lata culpa. Similiter, non quælibet vitis, seu arboris incisio reservatur, sed quæ facta ex odio, causa, inquam, damni, vel injuriæ inferendæ. Unde si arbores incidisti, evulsisti, vel evulsas rapuisti, ut tuæ commoditati consuleres, etsi furtum commiseris, & contra justitiam peccaveris; casus tamen reservatus non est, ut bene Gambarupt. *dicto casu 5. n.4.* Barbosa *alleg.50. n.84.*

9. Sextò, incidis in blasphemiam publicam, & notoriam reservatam, si publicè, & notoriè ita ut nulla tergiversatione celari possit, blasphemaveris in Deum, vel ejus Sanctos. Quotupliciter autem blasphemia contingat: vide dicta *tract.17. de vitiis relig. opposit. disp.2. part 2.*

10. Septimò, sub percussione filii facta parenti reservata, credo comprehendi eam percussionem, quæ comparatione filii, & spectata reverentia, quam parenti exhibere debet, gravis est, tametsi comparatione aliorum levis esset judicanda: quia concurrunt omnia, quæ reservationi sunt necessaria: & tradit Gambarupta *de casibus reservatis. fol.211. num.2.* Barbos. *dicta allig 50. num.113* ubi benè advertunt, sub prædicta reservatione non contineri, si manum contra patrem levaverit, quia esto percussionem attentaverit, de facto non percussit.

11. Octavò, abusus sacratum rerum ad magicas artes, veneficia, superstitiones, &c. de quibus dixi *tract.17. de vitiis relig. opposit. disp.1. & 2.*

12. Nonò, procuratio abortus, debet tamen constare moraliter, fœtum animatum esse. Nam sub dubio esto irregularem constituat, casus reservatus non est.

13. Decimò, expositio infantium locis piis, cùm commodè ab exponentibus alii possint: quia eo casu grave peccatum committitur, juxta text. in c. unic. *de infantib. expos.* At à reservatione excusatur, si sumptus fuerint piis locis solutis.

14. Undecimò, contractus matrimonii in gradibus prohibitis. Nam esto non sit verus contractus; sed solùm attentatus, eam attentationem utpote gravissimum peccatum meritò reservari sæpe expedit

15. Prælatis Religionum antiquo tempore plures erant casus reservati, eaque de causa Clemens VIII. sua constitutione potestatem Prælatorum restrinxit, ne alios casus, præter statim subjiciendos, reservare possint absque consensu Congregationis Generalis, vel Provincialis. Ii sunt.

16. Primus, veneficia, incantationes, sortilegia, de quibus satis dixi *tract.17. de vitiis relig. opposit. disp.1. & 2.*

Secundus, Apostasia à religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eò pervenerit, ut extra septa monasterii egressio fiat. Quod prudenter dictum est, quia usque ad illum terminum non est apostasia exterior completa, neque injuria regioni integrè facta. De hac Apostasia vide dicta *tract.16. disp.4. punct.16.*

17. Tertius est, nocturna, ac furtiva è monasterio, seu conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta. Unde egressio furtiva diuturna, etsi grave peccatum sit, sub reservatione non continetur, sed necessariò debet esse nocturna, sicuti non continetur nocturna, nisi furtiva, ut bene notavit Suarez *tom.4. de relig. tract.8. l.2. cap.18. num.5.* Nomine, *furtivæ*, venit intelligenda quælibet egressio contra voluntatem Prælati, cameisi per vim, & metum licentia extorta sit: quia, cùm ea licentia nulla sit, in ea egressione quasi furtum committitur. Ex qua doctrina infert Suar. non excusare ab hoc furtivo egressu, & reservatione, quòd Superior consentiat, si contrà

ſuum officium, & honorem Dei, & Religionis conſenſum præſtet : quia nulliter præſtat, ac proinde eſt egreſſio furtiva comparatione ſuperioris prælati, vel religionis. Et idem dicendum de ipſo Prælato, cui non eſt permiſſa è conventu egreſſio in ſcandalum religionis cedens, quia ſic egrediens furtivè reſpectu religionis egreditur.

18. Quartus, proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale, de qua proprietate latè dixi *tract.16. diſp.3. à punct.2.* Quintus, juramentum falſum in judicio regulari, ſeu legitimo. Nam extra judicium falſum juramentum, etſi grave peccatum ſit, non permittitur reſervari. Quinimò, ut prædictum juramentum falſum reſervatum ſit, debet eſſe in judicio regulari, ſeu legitimo : quare, ſi ex aliquo capite judicium nullum ſit, ceſſat reſervatio, quippe judicium nullum regulare, & legitimum eſſe non poteſt, & tradit Suar. *dict. c.18. n.7.*

19. Sextus, procuratio, auxilium, ſeu conſilium ad aborſum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſequuto. Quæ verba notanda ſunt : nam, ſi reſervatio eſſet de aborſus procuratione, effectu ſequuto ; nullatenus reſervatum eſſet peccatum, quouſque aborſus de facto ſuccederet. Unde, ſi ante aborſus eventum, cauſæ datæ pœnitentes, & ad confeſſionem accederes, à quolibet potente à non reſervatis abſolvere, abſolvi poſſes : poſtmodum verò aborſu ſuccedente, peccatum reſervari non poteſt, quia virtute Sacramenti Pœnitentiæ deletum eſt. Atque ita tradit Azor. *t.1. inſtit. moral. lib.1. c.7.* Henriq. *lib.5. de pœnit. cap.5. num.5. & in comment. litt.3.* Fagund. *de ſecundo Eccl. præcep. lib.8. cap.7. n.18.* & tradunt in ſimili Vega *t.21. ſum. c.67. caſu 3.* Medina *1.2. q.71. art.5. in ſolut. ad 1.* Rodrig. *t.1 ſum. cap.211.* Graffis *1.p. deciſ. aur. lib.2. cap.87. num.14. in fine*, adversùs Sotum *in 4. diſt.12. q.1. art.7. verſ. Hinc fit.* Lopez *2.p. inſtruct. c.76. §. Sequitur. & 1.p. c.23. §. Præterea.* Thom. Sanch. *lib.9. de matrim. diſp.45. num.19.* Sed, quid, ſi tuum conſilium, vel mandatum inefficax fuit, non ſolùm ad cauſandum aborſum ; ſed neque ad ponendam cauſam, ex qua inferri poſſet, eò quòd conſultus, & mandatarius nullatenus virtute conſilii, vel mandati moveatur ; eritne caſus reſervatus ? Videtur eſſe : quia verba reſervationis prædicto conſilio, & mandato aptantur : ſiquidem eſt verum conſilium, effectu non ſequuto. Sed oppoſitum verius cenſeo : quia conſilium, ſeu mandatum, quod conſiliarium, & mandatarium ad executionem non movet, nullatenus influere poteſt in aborſum. At prædicta reſervatione, cauſæ, ſive phyſicè, ſive moraliter influentes in aborſum reſervantur. Non igitur reſervatur prædictum conſilium, ſeu mandatum, cùm moraliter non influat. Et confirmari poteſt : quia procuratio, & auxilium reſervatum ad cauſandum aborſum neceſſariò exigunt cauſam aborſus apponi : aliàs intelligi non poteſt, qualiter procuratio, & auxilium ſit. Ergo neque cenſendum eſt adeſſe perfectum conſilium, & mandatum, quouſque conſiliarius, & mandatarius ad cauſandum aborſum moveantur. Illa enim verba, *effectu non ſequuto*, non ad efficaciam intrinſecam conſilii, ſed ad efficaciam extrinſecam, & effectum intentum referenda ſunt.

20. Septimus, falſificatio manus, ſeu ſigilli Officialis Monaſterii. Sub quibus verbis adverte primò, non comprehendi conſilium, auxilium, vel favorem ad falſificationem præſtantes : quia non phyſicè, & propriè falſificant ; ſed falſificationi operantur : & verba reſervatoria, utpote odioſa, ſunt cum proprietate intelligenda, ut notavit Fagund. *de ſecundo Eccleſ. præcept. lib. 8. cap.7. num.21.* Secundò adverte, falſitatem committi debere in ſubſcriptione Officialis. Unde, ſi litteras Officialis falſificaſſes, dempta illarum ſubſcriptione, vel proprio ſigillo, in peccatum reſervatum non incideres : quia de facto non falſificas manum, vel ſigillum. Nomine enim, *manus*, ſubſcriptio communiter intelligitur, præterquàm quòd litteræ non ſubſcriptæ, nec ſigillo ſignatæ, authenticæ non ſunt, nec fidem faciunt : & tradit Fagundez *ſuprà*. Deinde committere potes falſitatem in ſigillo, ſi Prælati ſigillo furtivè accepto, vel alio ſimili aliunde efformato litteras conſignaſſes. Ob fabricationem autem ſigilli ſigillo Officialis ſimilis, etiam pravo animo factam, non incurris caſum reſervatum, quouſque eo litteras obſignes : ſicuti neque ob furatum Officialis ſigillum : quia hæc falſificatio non de ſigillo materiali, ſed formali (hoc eſt, de litterarum ſigillatione) intelligi debet, uti dixit Suarez *tom.4. de relig. tract.8. lib.2. cap.18. num.8.* Sed, quæ litteræ falſificandæ ſunt, an neceſſariò ſpectantes ad regimen perſonarum, vel bonorum Conventus, an etiam pertinentes ad ſingularem ipſius Officialis perſonam. Suarez exiſtimat, & ſatis probabiliter, utrarumque litterarum falſificationem reſervari : nam falſificatio litterarum ſpectantium propriam Officialis perſonam ſimpliciter eſt contra reverentiam debitam tali perſonæ, ratione talis muneris, ejúſque muneri injurioſa. Contrarium probabilitate non caret, ſicuti ipſe Suarez affirmat : quia in ea falſificatione non videtur ſpectata perſona, ſed officium : non enim abſque cauſa dictum eſt, *falſificatio manus, ſeu ſigilli Officialis*, ut tacitè excluderetur, quælibet alia falſificatio, quæ non eſſet falſificatio illius, qua talis : quippe verba in Conſtitutione odioſa non materialiter, ſed formaliter intelligenda ſunt. Neque obſtat, eam falſificationem non ſolùm injurioſam eſſe Officiali, qua ſingularis perſona eſt : ſed etiam ejus officio, & muneri : quia ſolùm eſt injurioſa indirectè, & per accidens ; ſed non directè. Reſervatio ergo falſificationis illius, utpote reſtringenda, de falſificatione injurioſa Officiali, qua talis eſt, ac proinde de falſificatione commiſſa in ejus munere, & officio intelligi debet. Tertiò adverte, nomine, *Officialis*, propriè intelligi Sacramentum Generalis, Provincialis, ſeu Prælati Conventus, cujus manu, vel ſigillo ordinationes Generalis, Provincialis, & Prioris Conventus obſignantur. Sed non obinde excludendus eſt Generalis, Provincialis, aut Superior Conventus quorum manus, aut ſigilli falſificatio à fortiori reſervata eſt. Tum, quia ratio reſervationis efficaciùs in ipſis, quàm in eorum Societariis procedit, quippe eſt religioni magis nociva. Tum quia ipſi ſunt potius, quam eorum ſecretarii religionis officiales, uti notavit Fagund. *de ſecundo Eccleſiæ præc pt. lib.8. cap.7. n.22.* Suarez *dicto tom. 4. de religion. tract.8. lib.2. cap.18. n. 8.* Extenditque Suarez hanc doctrinam ad quemcumque officialem Conventus, penes quem ſit aliqua perſonarum, vel bonorum adminiſtratio, qualis eſſet in aliis Religionibus Vicarius, Subprior, & in Societate Miniſter ; item Procurator conventus : quia verè ſunt Religionis Officiales. Sed non caret difficultate hæc extenſio : quia Vicarius, & Subprior, præſente Prælato, limitatam, & quaſi politicam, & domeſticam habent juriſdictionem ; nec ſolent ſigillo ordinationes obſignare. Quod à fortiori procedit in Procuratore conventus, qui non ſolet ſigillum ſpeciale habere, neque inconſulto Prælato contractus alicujus momenti celebrare. Ergo non de iis officialibus reſervatio intelligitur ; ſed de officiali, quo Superiores religionis ordinationes ſubditis, vel aliis Superioribus tranſmittunt : quia ipſe cum ſuperiore idem tribunal conſtituit ; eandemque perſonam repræſentat. Præterea non ſine cauſa appoſitum eſt nomen *Officialis Conventus*, in ſingulari numero, ut ſtaret pro famoſiori ſignificato, excluderenturque alii Officiales & Miniſtri, qui non ſunt tam officiales

riales Conventus, quàm aliquorum numerum ipsius.

21. Octavus, furtum de rebus monasterii in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale. Circa quem dubitari potest, qualiter à quarto casu distinguitur; siquidem ibi proprietas contra votum paupertatis reservatur. Dicendum est, contingere posse, aliquem, facto voto paupertatis, proprietatem suorum bonorum retinere contra Prælati voluntatem, ut in Religiosis Societatis Jesu, qui votis biennii non privantur bonorum suorum dominio: ii enim si contra Prælati voluntatem bonorum suorum proprietatem retineant, in casum reservatum incidunt. Reliqui verò religiosi, cùm jure ecclesiastico proprietate, seu dominio suorum bonorum voto paupertatis priventur, nequaquam possunt attentare proprietatem retinere, quin simul furtum committant: quippe nullius rei proprietas ipsis communicari potest; sed necessariò in monasterium transit, ac proinde illius usus Prælato invito furtum est. Verùm esto, ita sit, & hac ratione quartus casus ab hoc octavo distinguatur; credo tamen præcipuè distingui in eo, quod quartus casus reservat attentatam Religiosi proprietatem quorumcunque bonorum, sive Monasterii, sive alicujus personæ sæcularis. Nam, si Religiosus bona sæcularia contra voluntatem suorum Dominorum usurpasset expendenda, sine dubio vitium proprietatis reservatum committeret, & in quartum casum incideret; sed non in octavum, cùm ea proprietas non esset furtum de rebus monasterii: si quidem ea bona in monasterium non sunt translata. Quocirca ut in octavum casum incidat, debet ex rebus Monasterii esse furtum, & proprietas. Neque ab hoc furto excusatur Religiosus: tametsi bona usurpata usui alicujus Religiosi destinata sunt: quia ex hac destinatione non desinunt illa bona esse conventus: semper enim conventus sunt, dum non consumuntur. Neque item excusatur, tametsi bona non sint alicujus Conventus determinati, qualia sunt bona totius provinciæ, & quæ Provincialis usui destinantur. Satis enim est, quòd sint omnium conventuum; nam eo ipso sunt illius, & aliorum, ut bene notavit Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. c. 18. num. 11.*

22. Nonò, lapsus carnis voluntarius opere consummatus. Quæ verba inquit Suar *suprà*, *num. 11.* duplicem sensum habere possunt. Primus, & nimium rigidus est, ut lapsus carnis, qui actu exteriore mortaliter peccaminoso perficitur, reservetur, tametsi in sua iniqua specie perfectus, & consummatus non sit. Juxta hunc sensum excluduntur à reservatione omnia peccata purè interna, quæque in actum exteriorem non prodeunt: quia opere non consummantur. Deinde excluduntur, tametsi in actum exteriorem prodeant, dummodo ille actus exterior ex se, & secluſa extrinseca intentione solùm sit leviter peccaminosus. Unde sub reservatione ille lapsus carnis tantùm continebitur, qui in opus exterius per se spectatum mortaliter peccaminosum transierit. Aliàs sensus illorum verborum, *opere consummatum*, mitior est, eaque de causa approbatur à Suar. ut, scilicet, intelligatur de consummatione in propria specie. Species igitur luxuriæ videntur esse fornicatio, pollutio, sodomia, bestialitas. Ut autem lapsus carnis reservatus sit, aliqua harum specierum debet compleri neque sufficit compleri mediis ad ipsam ordinatis, tametsi mortalia sint, ut sunt tactus ex se impudici. E contra etiam non requiritur ad reservationem, ut bene advertit Suarez, quòd lapsus carnis secundùm intentionem peccantis consummetur: si tamen in sua propria specie consummatus sit, aliàs pollutionem habens, cùm sodomiam, seu fornicationem procuavit, neque intentum consequutus est, peccatum reservatum non haberet: quòd nullatenus est dicendum, cùm sit lapsus carnis voluntarius in sua propria specie exteriori consummatus.

23. Decimus, occasio, aut vulneratio, seu gravis percussio cujuscunque personæ. Tria in hoc casu reservantur. Primò, homicidium. Secundò, vulneratio, quæ est apertura corporis ictu inflicta, ut dixi Ambros. Calepin. Tertiò, gravis cujuscunque percussio, quæ absque ulla apertura, incisione, & mutilatione esse potest. Solùm adverto, percussionem supradictis verbis reservatam illam videri, quæ in ratione percussionis gravis est, non quæ ex accidenti extrinseco, scilicet, ob honorem, & famam læsam gravis censeatur; sicuti de percussione pugnæ, palmæ, digiti, pedis, sensit Navarr. *summ. cap. 27. n. 91.* referens quandam Extravag. quæ incipit, *Perlectis*, quæ tamen in jure non invenitur. Quod si roges, quæ est censenda gravis percussio. Respondeo cum Navarr. *suprà*, & Suar. *tom. 5. de censur. disp. 22. sect. 1. n. 90.* arbitrio prudentis dijudicandam esse. Regulariter illa est gravis percussio, quæ signum sui in parte præcipua corporis reliquit. Movent tamen Navarr. Suar. & Fagund. *in secundo Eccles. præcept. lib 8. c. 7. n 24.* sæpe dignitatem personæ gravem percussionem constituere, quæ alioquin levis esset, colligiturque apertè ex cap. *cùm illorum de sement. excommunic.* & Gloss. *ibi.*

24. Undecimus, qui reservari potest ex Constitutione Clement. VIII. est malitiosum impedimentum aut retardatio, aut apertio litterarum à superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores. Circa quem casum optimè advertit Suar. *tom. 4. de relig. tract 8. lib 2. cap. 18. n. 12.* debere malitiam, tum in impedimento, tum in retardatione, tum in apertione litterarum intervenire, neque sufficere ignorantiam, aut negligentiam crassam. Impedire autem, seu retardare litteras potes, si malitiosè impedias, ne tabellarius inveniatur, néve deferat, néve delatas tradat; sed apud se retineat. Et à fortiori censendus es impedire, & retardare, si tu illas surripias, occultes, vel comburas, ne ad manus illius, ad quem mittuntur, perveniant. Secùs esset, si cursore ordinario contentus, velociorem omitteres, cùm facilè posses invenire: illius enim omissio non est positiva illarum retardatio, sed velocioris illarum cursus negatio. Deinde reservari potest aperire litteras superioris ad inferiores, vel è contra, absque ulla authoritate animo cognoscendi secreta contra voluntatem scribentis. Quinimò reservari potest sola apertio injuriosa litterarum; tametsi non legantur: quia authoritatem superioris, cujus sunt litteræ, vel ad quem mittuntur, satis offendit, uti tradit Fagund. *de secundo Eccl. præcept. lib. 8. cap. 7. in fine.*

§. III.

Expenduntur casus specialiter in Societate Jesu reservati.

1. *Qui reserventur in Societate.*
2. *Expenditur primus, qui est perjurium, & falsum testimonium.*
3. *Secundus, furtum, & usurpatio rei contra votum paupertatis.*
4. *Tertius est lapsus carnis voluntarius.*
5. *Quartus, inobedientia expressa.*
6. *Quintus, seductio in Superiorem, & divisio à capite.*
7. *Sextus, detractio famæ, &c.*
8. *Septimus, impedimentum excludens à Societate reticuisse in examine, vel in eo mentitum esse,* &c.
9. *Octavus, acceptio, vel missio litterarum absque licentia expressa,* &c.
10. *Nonus transgressio votorum simplicium.*

11. *Deci*

11. *Decimus, censuræ, seu peccata habentia in Constitutionibus censuram annexam.*
12. *Casus Pontifici reservati, à fortiori reservati in Religione sunt.*

1. VErùm in Religione sanctissima Societatis, cujus institutum à pubertate, etsi indignus, suscepi, utinam ab incunabulis suscepissem, authoritate quintæ Coagregat. generalis *decret.* 40. & 46. *aliàs* 67. & 73. non solùm prædicti casus reservati sunt, sed illis additi sunt decem. Primò, perjurium, & falsum testimonium in judicio, vel extra. Secundò, & furtum, & usurpatio alicujus rei contra votum paupertatis in ea quantitate, quæ efficiat peccatum mortale. Tertiò, lapsus carnis voluntarius, & quidquid est contra votum castitatis, quod in actum externum prodeat. Quartò, inobedientia expressa, qua quis asserit, se nolle parere. Quintò, seditio in superiorem, & divisio à capite, in grave nocumentum Societatis. Sextò, detractio famæ, bonæque existimationis aliorum, & discordiarum seminatio inter Fratres. Septimò, impedimentum excludens è Societate reticuisse in examine, vel in eo mentitum esse, unde grave incommodum oriri possit. Octavò, acceptio seu missio litterarum absque licentia expressa, quæ, scilicet, acceptio, vel missio contineat rationem peccati mortalis. Nonò, transgressio votorum simplicium, quæ professi emittunt post professionem. Decimò, censuræ Societatis nostræ, seu peccata, quæ in nostris constitutionibus, bullis, vel decretis annexam habent excommunicationem. Hæc omnia cùm manifestè erunt mortalia, & in actum exteriorem prodierint, reservantur superiori domus, vel collegii, & ab alio, nisi de expressa licentia illius, absolvi non possunt. Sic habetur in *Ordinationib. generalib. cap.* 5. *de casib. reservatis.* Neque hæc tantorum casuum additio nimia videri debet reservatio; cùm omnes ii graviter religionem offendant, nimisque dedeceant Religiosos frequenter cum sæcularibus communicantes, quales sunt nostræ Societatis, ob quam cum proximis communicationem non levibus periculis labendi sunt expositi; ideóque expedit, prædictorum reservatione, tanquam quodam fræno contineri; & à Superioribus cognosci, ut quoad fieri possit, ab occasionibus cadendi moveantur.

2. Placet in gratiam religiosorum breviter prædictos casus percurrere. Primò reservatur perjurium, hoc est, juramentum veritate carens, quocunque modo advertenter prolueris, sive in judicio, ut actor, vel reus, vel testis; sive extra judicium in contractibus, politicisque conversationibus. Deinde reservatur falsum testimonium, quod proximum graviter lædit, tametsi juratum non sit; aliàs opus non esset, ut peccatum distinctum à perjurio reservaret. Et fortè ob hanc præcipuè causam additum est, *in judicio, vel extra.* Etenim in judicio rarò vel nunquam testis deponit, nisi juratus, secùs extra.

3. Secundò reservatur furtum, & usurpatio alicujus rei contra votum paupertatis in ea quantitate, quæ efficiat peccatum mortale. Ex decreto Clement. VIII. reservari potest in qualibet religione furtum, & usurpatio ex rebus monasterii. At in Societate reservatur furtum, & usurpatio ex bonis cujuscunque personæ in ea quantitate, quæ peccatum mortale constituat. Quæ autem hæc sit, dixi *tract* 18. *de statu religios. disp.* 3. *de voto paupert punct.* 20. & 21. Quod si res, in quas habes dominium absque prælati licentia distribuas; in peccatum incidis reservatum, tum juxta decretum Clement. *casu* 4. quia proprietarius es, cùm proprietatis usum contra votum paupertatis accipias. Tum juxta hanc reservationem, in qua usurpatio cujuscunque rei contra votum paupertatis reservatur. Neque negari potest, illius rei usum contra voluntatem prælati esse usurpationem contra votum paupertatis.

4. Tertiò reservatur lapsus carnis voluntarius, & quidquid est contra votum castitatis, quod in actum externum prodeat. Alicui videri possent hæc posteriora verba superfluere; siquidem sub lapsu carnis voluntario, qui necessariò subintelligi debebat, in actum externum procedere, videbantur contineri. Sed prudenter addita sunt, ne quis putaret, solum lapsum carnis voluntarium in sua specie completum reservari: nam cùm reservatio sit stricti juris, quippe jurisdictionem jure competentem restringit; meritò sub reservatione lapsus carnis voluntarii, solus lapsus carnis perfectus, & consummatus in sua specie intelligi posset. Ut igitur omnis dubitatio tolleretur, addita fuerunt illa verba: *Et quidquid est contra votum castitatis, quod in actum externum prodeat.* Quibus manifestè significatur, quemlibet actum externum per se castitatis graviter contrarium, tametsi in specie luxuriæ consummatus non sit, peccatum esse reservatum. Notanter dixi, *per se*: nam si ex intentione, & relatione solùm extrinseca operantis castitati graviter adversetur, sicuti adversaretur quodlibet opus bonum, vel indifferens, prava, & inhonesta intentione factum, nullatenus in casum reservatum incideres: quia ex se ille actus exterior nullam habet malitiam; sed solùm ex accidenti & extrinseco, & soli Deo cognito, quale est prava intentio operantis. Quinimo, esto actus exterior malus sit, si tamen in se spectatus mortalem malitiam non habeat, sed solùm venialem, sicuti communiter dicitur de visione curiosa fœminæ, de levi tactu manus, & similibus; tametsi iniqua, & mortali intentione fiant, casus reservatus non erit, quia ea malitia quatenus mortalis est, non prodit in exteriorem actum. Hac enim de causa à peccato hæresis reservato exclusimus *tract.* 4. *de fide, disp.* 3. *punct.* 3. verba hæreticali intentione dicta, ex quibus per se spectatis colligi hæresis non possit: quippe illa non est censenda hæresis exterior, sed interior. At ex prædictis actionibus colligi non potest mortalis intentio. Non igitur erit casus reservatus: & tradit Suar. *t.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 2. *c.* 18. *n.* 12. Secùs esset dicendum, si visu vel tactu aliàs levi fœminæ indicares tuam iniquam voluntatem: qui eo casu visus, vel tactus, non quatenus tales sunt, sed quatenus indicant iniquum affectum, reservati erunt: sunt enim quædam muta sollicitatio.

5. Quartus, reservatur inobedientia expressa, qua quis asserit, se nolle parere. Prudenter additum est verbum, *expressa*, &c. ut intelligeretur solam inobedientiam formalem, & expressam reservatam esse. Nam inobedientia materialis in omni præcepti violatione reperitur, (quam non est credendum reservari, aliàs omnia peccata mortalia reservata essent;) sed non reperitur formalis; quæ in eo consistit, ut præceptum violes: quia tibi præceptum est, quod necessariò ex contemptu præcepti, vel præcipientis oritur: at, quia potest ea violatio præcepti, & inobedientia formalis contingere, quin exterius manifestetur, meritò addidit Congregatio verbum, *expressa*: quod explicans subdidit, *qua quis asserit se nolle parere.* Asserit, inquam, verbis, vel signis pravam suam intentionem declarantibus: non enim alia via inobedientia formalis esse potest expressa. Sed, an inobedientia formalis, & expressa debeat esse circa præceptum gravem materiam respiciens, non satis constat inter Doctores. Nam Cajet. *in sum. verbo Inobedientia.* Lud. Lopez 1. *p. instruct. c.* 55. *in fine.* Valent. 2. 2. *disp.* 7. *quæst.* 3. *punct.* 3. & Lessius ipsos referens *lib.* 2. *de justit. c.* 46. *dub.* 6. *num.* 45. existimantes, inobedientiam formalem peccatum veniale esse posse ex levitate materiæ, necessariò affirmare debent, illis in eventibus, in quibus à culpa mortali inobedientia excusa

excusatur, casum reservatum non esse. Ego verò dicendum existimo, regulariter inobedientiam formalem, & expressam, casum reservatum esse: tametsi præceptum de materia levi sit: quia non spectatur quantitas, sed qualitas transgressionis; neque quale sit præceptum, sed qualiter illud transgrediaris. Et quidem si de inobedientia formalis divinorum præceptorum casus reservatus loquatur, (quod mihi dubium est, quia satis videtur verosimile, solam inobedientiam religiosam ex voto obedientiæ debitam reservari;) rarò a culpa mortali ex levitate materiæ præcepti excusari potest: nam, si illa inobedientia ex contempu Dei procedat, gravissimum est peccatum. Et idem est, si procedat ex contemptu præcepti, tanquam inutilis, vani vel pernicioſi: quia est gravis blasphemia. Alia autem via contemni expresse, & formaliter non potest præceptum, licitè possit minùs haberi, & æstimari. Si autem ex hac minori æstimatione, quæ est virtualis quidam contemptus, præceptum leve transgrediaris, peccatum reservatum non erit ex Lessii sententia: quia non excedit culpam venialem. At, si casus reservatus ex sola inobedientia adversùs obedientiæ votum procedat, si præceptum levis materiæ transgrediaris ex superioris contemptu, idque significes, in casum incidis reservatum: quia denotas, paratum non esse Superiori, etiam in gravi materia præcipienti, obedire. Unde prudenter Congregatio, cum inobedientiam expressam, casum reservatum constituit, non restrinxit ad specialem materiam, sed absolutè dixit, inobedientiam expressam, qua quis asserit, se nolle parere, casum reservatum esse. Nam esto id asseras, cùm levis materia tibi præcipitur; si tamen iniquam voluntatem non declares limitatam esse, & solùm in illa materia obedire nolle; in aliis tamen paratum esse voluntatem Superioris exequi, sine dubio absolutè superiorem contemnis: est casus reservatus. Et fortè ob hanc causam Pater Generalis Claudius Aquaviva declaravit, casum esse reservatum, si quis Fratrum Ministro aliquid jubenti, licitè non sub præcepto diceret *Nolo facere*, quia est personæ Ministri absolutus contemptus. Quam declarationem septima Congregatio generalis *decreto* 40. approbavit. Quod si superiori nolis obedire in levi materia, non, quia superior est, sed quia indoctus & imprudens habetur, vel quia tibi est offensus, Lessius *dicto lib.* 2. *c.* 46. *dub.* 6. *in fine*, existimat, non esse inobedientiam mortalem, ac proinde nec casum reservatum. Quod intelligendum est de inobedientia, nec superiori, neque aliis declarata: nam, si superiori, vel aliis declaretur (tametsi cum restrictione, & limitatione ad illam materiam) credo omninò mortalem esse, & casum reservatum: quia est gravis superioris contemptus, & ipsius muneris non mediocris injuria.

6. Quintus, reservatur seditio in superiorem, & divisio à capite in grave nocumentum Societatis. Est enim gravissimum delictum seditionis in superiorem, gravissimáque pœna dignum, ut testatur Conrad. Brunus *tract. de seditiosis, lib.* 5. *cap.* 11. *ad finem*, quem sequitur Menoch. *lib.* 2. *de arbitr. casu* 266. *& casu* 437. seditionem igitur in superiorem committis, si animos fratrum commoveas, ne vel illum ut superiorem recognoscant, vel illius jussis obtemperent. A capite autem te dividis, si à præposito generali obediendo te velis subtrahere, sicut Schismaticus se subtrahit à Pontificis obedientia; quæ peccata ex levitate materiæ excusari à mortali non possunt, cum semper in grave nocumentum Religionis cedant, & disciplinæ religiosæ non leviter contraria sint.

9. Sextus, detractio famæ, bonæque existimationis aliorum, & discordiarum seminatio inter fratres. Cùm enim in Societatis Religione maximè charitas, unitásque resplendeat, & hæc vitia non leviter charitati, unitatique opponantur, meritò reservata sunt. Detractio igitur, ut ex D. Thom. ab omnibus recepto 2. 2. *quæst.* 73. *art.* 1. constat, est alienæ famæ occulta, & injusta denigratio: quæque contingit tum directè, tum indirectè. Directè contingit primò, imponendo crimen falsum: secundò, amplificando verum: tertiò, occultum revelando: quartò, siniſtrè recta facta interpretando. Indirectè verò contingit primò, si recta, & dotes alterius neges: secundò, si ea extenus: tertiò, si silentio prætermittas, cùm obligatus es manifestare: quartò, fictè laudes, quia est tacita vituperatio. Quodlibet horum, cùm famam alterius graviter denigrat, bonamque illius existimationem diminuit, casus est reservatus. Ex vi tamen hujus reservationis non videtur contumelia reservari. Nam esto gravius peccatum sit, non ita facile committitur: est enim contumelia, honoris alterius in coram denigratio, sicuti dixit D. Thom. *quæst.* 72. *articul.* 1. ideóque differt à detractione; partim, quia detractio lædit famam, contumelia honorem; partim, quia detractio fit occultè, & in absentia infamati: contumelia in illius præsentia, sicuti tradit Lessius *lib.* 2. *de instit. cap.* 11. *dub.* 2. *à num* 6. Deinde reservatur discordiarum seminatio inter fratres, quod Spiritus sanctus summo odio prosequitur, utpote charitati adversum. Contingit autem hæc discordiarum seminatio, quando tuis verbis, vel factis voluntates fratrum discordes, & dissentientes redduntur in grave ipsorum detrimentum, & à fortiori, si in odium excitentur. Solùm dubitari potest an seminatio discordiarum inter sæculares, vel Religiosos alterius Ordinis, sit casus reservatus: quia verbum illud, *inter fratres* videtur discordiarum seminationem restringere ad fratres, qui non solùm vinculo charitatis, sed & Religionis, & Professionis fratres sunt: ij enim sunt, quos Religiosi propriè fratres appellant, & decretum reservatorium ultra communem loquendi modum extendi non debet. Nihilominùs verius censeo, quamlibet discordiarum seminationem inter sæculares etiam esse casum reservatum. Credendum enim est, Congregationem voluisse reservare peccatum illud, quod Spiritus sanctus graviter detestatur illis verbis: *Et qui seminat inter fratres discordias.* sub quo quælibet discordiarum seminatio inter fratres, qui vinculo charitatis fratres esse debent, continetur.

8. Septimus est, impedimentum excludens à Societate reticuisse in examine, vel in eo mentitum esse, unde grave aliquod incommodum oriri possit. Duo sub hujusmodi reservatione continentur. Primò, tacuisse in examine impedimentum excludens à Societate. Secundò, in eo examine commisisse mendacium, ex quo grave aliquod incommodum oriri possit. Circa primum dubitare quis poterat, an de solis impedimentis essentialibus loquatur, an etiam de secundariis: siquidem secundaria etiam à Societate excludunt: illis enim, vel aliquo illorum affectus in Societatem recipi non potest absque dispensatione, uti late dixi *tract.* 16. *de statu religioso disp.* 1. *pun.* 8. Sed verius censeo, de solis impedimentis essentialibus reservationem illam esse intelligendam: quippe hæc propriè, & in rigore tantùm à Societate excludunt, alia verò solùm ex arbitrio, & voluntate superioris. Verùm, sub secunda parte reservationis credo secundariorum impedimentorum celationem contineri. Cùm enim omnes Societatem ingressuri in examine interrogentur, tum de primariis, tum de secundariis impedimentis, qui aliquod illorum celaret, mendacium committeret, ex quo posset grave incommodum Societati evenire. Quod si de facto non eveniat, id est per accidens. Incidit ergo in casum reservatum.

9. Octavus, acceptio, vel missio litterarum, absque licentia expressa, quæ, scilicet, acceptio, vel missio con

contineat rationem peccati mortalis. Circa quem casum occurrit notandum, qualiter acceptio, vel missio litterarum peccatum mortale continens excusari possit à casu reservato, ex eo, quod fiat ex expressa licentia. Siquidem superioris licentia promissione, vel acceptione litterarum mortaliter peccaminosa nulla est: quippe honesta, & licita tantùm spectare debet. Deinde Superior litteras accipiens; seu mittens, peccatum mortale continentes, in casum reservatum non incideret: siquidem ex licentia sibimet concessa recipit. Ob hanc rationem existimo, acceptionem, vel missionem litterarum mortaliter peccaminosum, cujus malitia ex Superioris voluntate purgari non potest, casum esse reservatum, tametsi Superioris licentia accedat; quia ea licentia nulla est, ac proinde reputari debet, ac si non esset. Illam verò litterarum acceptionem, vel missionem aliàs peccaminosam, cujus malitia ex licentia Superioris cessare potest, casum reservatum non esse, si ex Superioris licentia fiat. Posse autem aliquam acceptionem, vel missionem litterarum esse hujus conditionis, constat: quia potest Prælatus subditis præcipere, ob aliquas graves, & urgentes causas, ne absque ejus expressa licentia litteras mittant, vel recipiant. Quo casu acceptio, vel missio absque expressa licentia rationem peccati mortalis continet: posita verò licentia peccatum cessat, & consequenter casus reservatus. Ad hanc explicationem adstruendam, ea præcipuè ratione motus sum, ne cogar affirmare, illa verba *absque licentia expressa*, superfluisse: siquidem circa acceptionem, vel missionem litterarum ex ratione materiæ mortaliter peccaminosam, nulla Superioris licentia valida esse potest. Asserere autem ex invalida licentia à peccato reservato excusari, verisimile non est. Deinde, ut comprehenderem sub reservatione acceptionem, & missione litterarum ex accidenti extrinseco, scilicet, ex imperio obedientiæ peccaminosam: siquidem hujus malitia Superioris licentia, quæ valida est, purgari potest, & reservatio cessat.

10. Nonus, transgressio votorum simplicium, quæ professi emittunt post professionem, circa quem casum nihil notandum occurrit, præter dicta *tract. 6. de religioso statu, disp. 5. à p. 1. & sequentib.*

11. Decimus, reservantur censuræ Societati nostræ, seu peccata, quæ in nostris constitutionibus, Bullis, vel decretis, annexam habent excommunicationem. Notanter additum est, *seu peccata*, ne intelligerentur solæ censuræ reservari, sed simul cum censuris peccata ipsa per se, & directè reservata esse. Igitur in Constitutionibus eam censuram excommunicationis ipso facto invenio, quæ in Congregatione generali electoribus apponitur 8. *p. Constit. cap. 6.* § 2. si quem scirent ambientem præposituram generalem, Vicario non denunciaverint. Item, quæ apponitur Vicario, & tribus antiquioribus Professis, qui in hac causa Judices esse debent, si fortè aliter, quàm in animo sentirent, sententiam dicerent. Huic Constitutioni in 1. Congregat. generali, *decreto 5.* addita est ea censura adversùs ambitiosos pro se, vel pro aliis; itémque ad eos, qui informationem non sinceram, hoc est, ut explicuit 2. Congregatio *decreto 9.* quæ studiosè, seu mala cum intentione mendax est in re gravi. Item ex Congregat. 7. *decreto 49.* extenditur excommunicatio ad illos omnes, qui electionis sinceritatem, libertatémque quoquo modo directè vel indirectè impedire conantur. Hujus excommunicationis absolutio, si petatur ante electionem, Vicario generali reservatur; si post electionem, Præposito Generali, uti dicitur in 1. Congreg. *decreto 18.* & in *decr. 17.*

In Bullis verò Pontificiis, præcipuè in ea, quam contra Apostatas expedivit Pius V. anno 1565. quæque incipit, *Æquum reputamus*, excommunicatio ipso facto lata est, & Pontifici, vel præposito generali reservata adversùs eos, qui emissis Societatis votis, vel ab ea recedunt, vel ad alium Ordinem (Carthusia excepta) absque licentia Generalis transeunt: quinimo neque ad Carthusiam ex privilegio Carmelitis concesso, & adversùs eos, qui licentia Generalis habita, intra tempus præfixum non fuerint Ordinem ingressi, vel in ea non valentes, nolentes perseverare, ad Societatem non fuerint statim reversi, auxiliatores, & receptores eorum eadem excommunicatione afficiuntur. Deinde excommunicantur excommunicatione Pontifici reservata à Gregor. XIV. in Bulla confirmatoria nostri Instituti, edita 1591. quæ incipit, *Ecclesia catholicæ*, quomodolibet impugnantes, vel alterantes Constitutiones Societatis, decreta, & gubernandi formam, &c.

Denique in decretis Congregationis, præter *superiùs* dicta, est excommunicatio Provinciali reservata; tum in illos, qui inconsulto Provinciali externos de dimissione sua in consilium adhibent; tum in illos, qui quoquo modo externorum auxilio, vel intercessione ad dimissionem à superioribus obtinendam utuntur. Sic habetur in 7. Congregatione generali *decreto 18.* & *can. 12. §. 2.* Prædictas censuras explicui *dicto tr. 16. de statu relig. d. sp 5.* ubi de præceptis Societatis.

12. Ad extremum adverte, casus Pontifici reservatos non esse opus superiores regulares sibi reservare, cùm altiori reservatione reservati sint; ideóque nullus alius, præter eum, cui ex commissione Pontificis competit facultas, absolvere à prædictis potest, sicuti benè notavit Suar. *t. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. cap. 18, in princ.*

§. IV.

Quis possit directè à prædictis peccatis reservatis absolvere.

1. *Is, cui reservata sunt, potest absolvere.*
2. *An à reservatis Pontifici possint Episcopi absolvere in aliquibus casibus.*
3. *A reservatis Pontifici, & Episcopo potest Parochus extra casum extremæ necessitatis, ex satis probabili sententia.*
4. *In articulo mortis quilibet potest.*
5. *Prælatus cujuscunque Conventus sibi subditos absolvere potest.*
6. *Ex quodam privilegio possunt Religiosi Minores ab alio, quam à Superioribus absolvi semel in vita.*
7. *Quid in articulo mortis à Sixto IV. prædictis Religiosis concedetur.*
8. *Religiosis omnibus à Superiore approbatis concedit Pontifex facultatem absolvendi omnes Christi fideles; sed non Religiosos.*
9. *Quid de privilegio Bullæ Cruciatæ.*
10. *De privilego concesso absolvendi Religiosos Ordinis Prædicatorum iter agentes.*
11. *Novitii absolvi possunt, ac si seculares essent.*

1. A Peccatis reservatis nemo absolvere potest, nisi is, cui peccata reservata sunt, aut illius superior, & cui ipsi commiserint. Dixi, *cui peccata reservata sunt:* quia reservans non sibi tantùm, sed illis inferioribus prælatis reservare peccata potest, sicuti de facto plura peccata à Pontifice Episcoporum absolutioni reservata sunt, & in Religionibus, maximè in Societate omnes casus reservati Prælati conventualis absolutioni reservantur.

2. Igitur à reservatis Pontifici non solùm pro foro interno; sed etiam externo absolvere possunt Episcopi pueros, mulieres, senes, valetudinarios, aliasque similes personas Pontificem adire impeditas, juxta textum in cap. *Mulieres.* cap. *Nosci tur* & cap. *Quamvis. de sentent. excommunicat.* servatis tamen quibusdam ibi præscriptis conditionibus. Et licèt prædicti

dicti textus de excommunicatione ob percussionem Clerici loquantur, Doctores eam facultatem ad alios casus Pontifici reservatos extendunt : siquidem in omnibus eadem ratio procedit , quæ est periculum animarum vitare : quod esset si absolutio diu differri deberet, sicuti notavit Coninc. *disp.*8. *de pœnit. dub.*12. *n.*88. Suar. *t.*4. *de pœnit. disp.*30. *sect.*3. In foro autem conscientiæ quilibet Episcopus potest sibi subditos à quibuscunque peccatis occultis Pontifici reservatis absolvere , ex Trid. *sess.*24. *cap* 6. *de reformat.* Neque per Bullam Cœnæ ea potestas revocata est, ut *alibi* latius dixi.

3. A reservatis Episcopo , & à fortiori Pontifici nullus Parochus jure ordinario absolvere potest, ut de se constat. Solùm est dubium, an casu, quo pœnitenti necessarium sit communicare , vel quia Ecclesiastico præcepto communionis urgetur , vel quia absque nota omittere communionem non potest, possit à quolibet parocho directè absolvi à peccatis Pontifici vel Episcopo reservatis. Negat Vasq. *q.*91. *art.*3. *dub.*8. *n.*4. & *dub.*9. *n.*23. Movetur ex eo , quòd Trident. *sess.*14. *cap.*7. *de reformat.* dixerit , Sacerdotes extra articulum mortis nihil posse in casibus reservatis. Sed contrarium docet non improbabiliter Canus *relect. de pœnit.*5. *p. fol.*108. §. *Secunda conclusio.* Dominic. Sotus *in* 4. *dist.*18. *q.*2. *art.*5. *ad* 1. Ledesm. 2. *p.*4. *q.*8. *art.*3. *dub.*3. *concl.*7. neque dissentit Suar. *disp* 30. *sect.*3. *n.*8. & 9. *& disp.*2. *tota sect.*3. posse inquam , parochum extra casum extremæ necessitatis à reservatis Pontifici absolvere suos subditos , si adire non possint superiorem , & instet tempus communicandi , vel celebrandi , prætermittique non possit absque scandalo, vel infamia, vel damno populi, qui defraudandus esset Missæ sacrificio die festivo : extenduntque hanc doctrinam, sive peccatum censuram habeat annexam, sive non. Ratio est : quia reservatio ob bonum charitatis introducta non debet in detrimentum charitatis cedere : cederet autem in grave charitatis detrimentum , & in animarum non leve periculum, si eo casu non posset parochus ab eo peccato absolvere. Credendum ergo est , eam facultatem esse illi à Pontifice concessam. Neque obstat Concilium asserens, nihil posse extra articulum mortis sacerdotes in casibus reservatis : quia hoc intelligendum est per se, secùs si à jure, vel ex privilegio concedatur, sicuti Suar. existimat concessum esse , non solùm Episcopis , sed etiam sacerdotibus inferioribus , quoties Pontifex adiri non potest , & instat tempus communicandi, ex textu in cap. *Nuper. de sententia excommunicat.* ibi : *à suo absolvatur Episcopo , vel proprio Sacerdote.* In casibus autem Episcopo reservatis non audet Suarez *disp.*30. *sect.*3. concedere hanc facultatem , eò quòd recursus ad Episcopum faciliot sit , quàm ad Pontificem. Et præterea de casibus Pontificiis sunt jura concedentia hanc facultatem proprio sacerdoti , cùm non potest Pontifex adiri, quod non invenitur in casibus Episcopo reservatis. At Canus, Sotus, Ledesm. *locis alleg.* & idem Suarez *disp.*31. *sect.*3. generaliter loquuntur de casibus reservatis ; & affirmant, quoties ex aliqua gravi causa omitti non potest communio, posse inferiorem sacerdotem à reservatis absolvere. Movent tamen prædicti Doctores , hanc absolutionem esse indirectam : siquidem inferior sacerdos non est propriè judex illorum peccatorum , & obligationem subit pœnitens coram superiore comparendi. Sed hoc non videtur satis consequenter dictum, aliàs nulla jurisdictio ob necessitatem inferiori sacerdoti communicaretur. Credo igitur , & judicem esse, tametsi pœnitens obligationem habeat comparendi.

Religiosi verò præcipuè mendicantes , esto jure communi non possint à reservatis Pontifici, vel Episcopo absolvere, quia in Clement. *Dudum de privil.* declaratur eos non habere ampliorem facultatem, quàm habent Parochi , & in Clementina , *Religiosi, de privileg.* §. *Quibus* præcipitur Religiosis sub intermitanione maledictionis æternæ , ne à casibus sedi Apostolicæ , atque etiam locorum Ordinariis reservatis quemquam absolvant. Verùm si particularia privilegia spectentur , non solum à reservatis Episcopo, sed etiam à reservatis sedi Apostolicæ , exceptis iis, quæ in Bulla Cœnæ continentur , absolvere quoscunque fideles ad se venientes possunt , uti *superiori punct.* explicui , & tradit Suar. *t.*4. *de pœnit. disp.*30. *sect.*2. *n.*16 & *seq.*

4. In articulo mortis , cùm nulla sit reservatio, ut dixit Trid. *sess.*14. *cap.*7. quilibet sacerdos, tametsi excommunicatus, aliáve censura ligatus existat, absolvere potest quoslibet pœnitentes à quibuscunque peccatis ; subintelligendum tamen est, absente proprio , vel privilegiato sacerdote, vel non impedito. Nam cùm hæc tam ampla concessio ob necessitatem pœnitentis , ne remedio destitutus pereat , concedatur , si sacerdos proprius vel non impeditus sit, velitque sacramentum ministrare , cessat prædicta necessitas , & consequenter concessio , quæ ob eam necessitatem facta est , ut dixi *supra.*

5. Specialiter autem loquendo de casibus reservatis pro Religiosis, certum est , Prælatos cujuscunque Conventus , & à fortiori superiores Prælatos , Provincialem scilicet, & Generalem, facultatem habere, tum absolvendi sibi subditos , quia ipsis prædicti casus reservantur ; tum delegandi alteri absolutionem : quia ratione muneris ipsis competit dicta potestas. Secùs esset si peccatum esset Provinciali, vel Generali reservatum : quia tunc inferior Prælatus delegatus esset in ea facultate sibi commissa , nisi fortè commissa esset in perpetuum : quippe conferetur proprio muneri annecti, ac proinde ordinaria esse, & delegabilis. Rarò tamen expedit peccatum Generali, nedum Provinciali ita reservari, ut superiori immediato, vel alteri non concedatur facultas ab eo absolvendi. Nam ut bene inquit Suar. *t.*4. *de releg. tract.*8 *lib.*2. *c.*19. *n.*16. rectæ religionis gubernationi non leviter contrarium esset ; cogere subditum delinquentem longo tempore perseverare absque absolutione directa reservati peccati , qui certè cogendus esset, si in peccatum reservatum incideret , cùm sæpè evenire possit, cùm absentia Provincialis frequens sit , & in absentia hoc Sacramentum ministrari non possit.

6. Videndum autem est , an aliis à Superioribus sit hæc facultas concessa , quæ , cùm solo privilegio concedi possit , examinandum est , an aliquod sit, virtute cujus Religiosi ab alio , quàm à suo Prælato valeant absolvi Em. Rod. *t.*1. *q.*62. *art.*6. refert varia privilegia Sixti IV. Minoribus concessa , quibus absolvi possunt semel in vita , & in articulo mortis ab alio , quàm à suis Prælatis. Primò namque refert concessisse Sixtum IV. Minoribus, tam Professis, quàm Novitiis, ut semel in vita eligere possint Confessorem ex suo Ordine , qui injuncta pœnitentia salutari eos absolvat ab omnibus criminibus , excessibus , & censuris , &c. Quo privilegio non est dubium posse Religiosum Minorem semel in vita frui , eóque absolvi ab omnibus reservatis. Debet tamen necessariò eligere Sacerdotem sui Ordinis, à suo Prælato approbatum , & in Confessorem designatum ; aliàs non eliget Confessorem formaliter, quod videtur necessarium : non enim Pontifex absque causa nomen Confessoris expressit : poterat enim sub nomine Sacerdotis , Privilegium concedere. Sed , quia intendebat, alius Sacerdos , quàm à Superiore ad audiendas confessiones designatus eligeretur , ne observantia religiosa minueretur, ideò expressit Confessoris nomen : & tradit Suar. *t.*4. *de relig. tract.*8. *lib.*2. *c.*19. *n.*20. ubi benè advertit , approbationem Episcopi requisitam non esse , quatenus Professos , & Novitios privila-

gium reſpicit : ſecùs quatenus famulos, aliósque ſervientes ſpectat. Prædicto privilegio uti poſſunt omnes alii Religioſi communicantes in privilegiis cum mendicantibus : modò tamen à ſuis Superioribus eorum uſus interdictus non ſit, ſicuti de facto interdictus eſt Societatis Jeſu Religioſis, qui variis Bullis à Sede apoſtolica emanatis prohibentur aliis, quàm à Superiore deſignatis confiteri, neque à reſervatis abſolvi, niſi de Superioris licentia.

7. Secundò concedit idem Sixtus IV. prout refert Eman. Rodrig. *ſuprà*, ut quilibet Confeſſor poſſet quemlibet Minorum Religioſum in articulo mortis à quibuſvis caſibus abſolvere, ac ſi Summus Pontifex ibi adeſſet. Quilibet, inquam, Confeſſor, qui aliàs in eo articulo Confeſſor eſſe poſſet, unde præſente proprio ſimplex Sacerdos authoritatem non haberet : quia non eſt legitimus Confeſſor : ſecùs eo deficiente. Neque inde fit, nullum privilegium Minoribus concedi : concederetur namque maximum. Primò, quia Confeſſor aliàs à Superiore deſignatus, qui in eo articulo præſente Prælato abſolvere non poterat à reſervatis, virtute hujus privilegii abſolvere poſſet : quia eſt legitimus Confeſſor, cui ſola juriſdictio deficiebat, quæ virtute hujus privilegii communicatur. Secundò, ex vi dicti privilegii ſic abſolvitur Religioſus à ſuis exceſſibus, & peccatis, ut nullatenus obligatus ſit comparere coram Superiore, ſi poſtmodum convaluerit, tametſi peccata cenſuram reſervatam hebeant, uti benè notavit Eman. Rodrig. *q.62. art.*8 Suar. *d.c.19. n.12. & 13.*

8. Tertiò, omnibus ferè Religioſis à ſuis Superioribus approbatis concedit Pontifex poteſtatem abſolvendi omnes Chriſti fideles ad ſe venientes ab omnibus criminibus, exceſſibus, & cenſuris, etiam Sedi apoſtolicæ reſervatis (exceptis iis, quæ in Bulla Cœnæ Domini continentur) uti refert Eman. Rodrig. *t.1. q. regul. q.60. & 61. per varios art.* Cùm ergo ſub nomine fidelium Religioſi comprehendatur, videri alicui poſſet, quemlibet Religioſum, tum à Religioſis ſui ordinis generaliter approbatis, tum à Confeſſoribus alterius Ordinis abſolvi à reſervatis poſſe. Sed omninò dicendum eſt, ut latiùs *ſuperiori puncto* dixi, neminem virtute prædictorum privilegiorum abſolvi poſſe abſque licentia ſui Prælati. Nam eſto privilegia generalia ſint, & tam ſæculares quam Religioſos comprehendant ; at non cenſentur ſpeciali privilegio, & conſuetudini derogare, quibus in omnibus Religionibus ſtabilitum eſt, ne Religioſi ab aliis, quàm à Superiore proprio deſignatis abſolvi à reſervatis poſſint, quinimò nedum à non reſervatis.

9. Quartò, eſt privilegium omnibus fidelibus Bullam Cruciatæ ſumentibus conceſſum, ut poſſint quemlibet Confeſſorem ex approbatis ab Ordinario eligere, qui eos ab omnibus peccatis, & cenſuris abſolvat. Si igitur Religioſi Bullam ſumpſerint, potuerunt à quolibet Confeſſore ex approbatis abſolvi. Cæterum, hoc privilegium non communicari Religioſis, ſed potiùs eis uſum illius interdici, probavimus latè *tract. de Bulla Cruciatæ.* Nullum igitur eſt privilegium præcipuè in Societate Jeſu, quo ejus Religioſi abſolvi à reſervatis abſque Superioris licentia poſſint.

10. Quintò, ſpeciale privilegium conceſſum eſt Fratribus Prædicatoribus, iter agentibus, ex Superiorum licentia, ut poſſint à quolibet Confeſſore, ſive regulari, ſive ſæculari abſolvi à quocunque crimine, quomodocumque reſervato, ſicuti Confeſſores ejuſdem Ordinis. Sic conceſſit Innocent. VIII. prout refertur *in compend. Ordinis Ciſtercienſ. verbo, confeſſor.* § 14. cujúſque meminit Eman. Rodrig. *tit.1. q. regular. q.62. art 5. circa finem.* Suar. *tit.4. de relig. tract.8. libr.2. capitul.19. num.3.* Notanter appoſita ſunt illa verba, *ex Superiorum licentia* : ne fugitivis, vel apoſtatis crederetur eſſe hoc privilegium conceſſum, ſed ſolùm illis, qui ex ſuperioris licentia iter faciunt. Et illis autem verbis, *ſicut poſſunt Confeſſores ejusdem Ordinis*, alicui videbitur reſtringi facultas, ita ut nullus confeſſarius electus abſolvere poſſit itinerantem religioſum, niſi quatenus à prælato illius fuerit conceſſum : ſiquidem confeſſores ejuſdem ordinis neminem poſſunt abſolvere, niſi pro facultate ſibi à ſuperioribus communicata. At nullatenus hæc expoſitio admittenda eſt : Aliàs nihil ſpeciale itinerantibus concederetur, cùm omnibus conceſſum ſit, ex ſuperiorum facultate poſſe confeſſorem quemlibet eligere, qui eos à quolibet crimine abſolvat. Quocirca ne privilegium vanum ſit, intelligi debent illa verba, ut quilibet religioſus iter faciens confiteri poſſit cuilibet ſacerdoti regulari, vel ſæculari, ab eoque abſolvi & diſpenſari, ſicuti poſſet abſolvi & diſpenſari à confeſſore ejuſdem ordinis facultatem à ſuo ſuperiore habente.

Verùm hoc privilegium, ut ſentit Eman. Rodrig. *ſuprà*, aliæ religiones non acceptarunt, quinimò de religione Prædicatorum non ſatis conſtat, an ſub eâ univerſitate fuerit acceptatum : quippe non levis occaſio eſſe poteſt diſciplinam, religioſam labefactandi ſi religioſi eo tempore, quo liberius peccare poſſunt, nullam criminis reſervationem habeant, quapropter, ut bene inquit Suar. *dict. cap.19. à n.3.* ſpectari debet uſus, & conſuetudo religionis. Neque enim videtur expedire, Religioſum maximè Sacerdotem, diu extra Religionem peregrinantem, & in peccatum reſervatum labentem privatum eſſe directa illius peccati abſolutione, cùm ſæpè abſque nota omittere Communionem non poſſit. Ex alia etiam parte minùs decet, prædictum Religioſum ; eo tempore, quo liberius peccare poſſit, à fræno reſervationis eximi. Quapropter noſtra Societas iis inconvenientibus providit, tum concedendo licentiam, ut poſſint confiteri ; tum imponendo illis obligationem ; ut poſtmodum ſuperiori compareant : conceſſione enim licentiæ vitatur inconveniens, ne diu peregrini privati ſint abſolutione peccatorum directa ; obligationis verò comparendi impoſitione continentur, ne in peccata ruant. Qualiter autem hæc obligatio imponi poſſit, §. *ſequente* dicimus.

11. Ad extremum ſupererat examinare, an ſaltem Novitii ab aliis quam à Religionis Prælatis abſolvi poſſint à peccatis non reſervatis, & à reſervatis : abſolvi, inquam, poſſint, tum ab Epiſcopo tum à Confeſſariis regularibus ſui Ordinis, & aliorum Ordinum, ſicuti poſſunt ſæculares, tum virtute Cruciatæ. Sed his omnibus ſatisfeci *tract.16. de religioſo ſtatu diſp.1. punct.10. n.9.* neque aliquid *ibi* dictis addendum occurrit.

§. V.

Qualiter Prælatus, cui ſunt caſus reſervati, ſe gerere debeat, tum in abſolutione concedenda, tum in ea deleganda.

1. *An ſuperior audire ſola reſervata poſſit, & ab eis tantùm ſacramentaliter abſolvere.*
2. *Affirmant plures.*
3. *Plerumque ſupradicta ſententia probanda non eſt.*
4. *Regulariter petenti facultatem, ut abſolvantur à reſervatis concedendo eſt.*
5. *Aliquando negari poteſt.*
6. *Non eſt obligatus Superior cuilibet facultatem concedere, ſed deſignare poteſt Confeſſarium.*
7. *Quid in hac parte ex decreto Clem. ſit in Religionibus ſtatutum.*
8. *Qualiter Confeſſariis deſignatis committenda ſit facultas abſolvendi à reſervatis.*
9. *Quæ in Societate ſervantur.*

10. *Superior concedens facultatem eligendi Confessorem, non censetur concedere, ut absolvatur a reservatis.*
11. *Superior concedere potest facultatem sub onere alicujus pœnitentiæ imponendæ.*
12. *An sub conditione, examinatur.*
13. *Verius est concedi non posse.*
14. *Non posse concedi facultatem sub onere se Superiori præsentandi, qui affirment, & qualiter probent.*
15. *Contrarium tenendum est.*
16. *Qualiter pœnitenti concedatur hæc facultas.*
17. *Qualiter Confessario, & quam habeat obligationem.*
18. *Ex prædicta facultatis concessione gravis obligatio nascitur comparendi.*
19. *Qualiter Societas procedat.*
20. *Proponitur dubitandi ratio, an Superior incidens in casum sibi reservatum, possit eligere Confessarium.*
21. *Verius est, nisi contrarium expresse tantum sit.*
22. *An possit prohiberi hæc electio.*
23. *Tenendum est posse.*
24. *Satisfit rationi contrariæ.*

1. PLures quæstiones præsens titulus involvit. Prima est, an Superior possit sola pœnitentis peccata reservata audire, & ab aliis sacramentaliter absolvere, remitteréque pœnitentem inferiori sacerdoti pro aliis mortalibus absolvendum. Notanter dixi, *ab aliis sacramentaliter absolvere*, nam, si pœnitens contentus sit extra sacramentum Pœnitentiæ superiori peccata reservata manifestare, quia ipse superior ob gravia negotia integram confessionem excipere non potest, consultè superior faciet, si sublata reservatione, & pœnitentia injuncta pœnitentem absolvendum inferiori sacerdoti remittat, cui omnia peccata manifestari debent. Et in peccatis, quæ censuram habent annexam hæc consuetudo à Romanis Pœnitentiariis observatur, teste Cano *relect. de pœnit. 6. p. concl. 2. fol. 263. & seqq.* absolvunt enim à censura pœnitentiæ injuncta, & inferiori sacerdoti pœnitentem absolvendum à peccatis remittunt.

2. Quocirca de absolutione sacramentali est quæstio, an concedi possit à prælato, auditis solis reservatis. Affirmant Navarr. *c. Consideret §. Cautus n. 12. & 18. de pœnit. dist. 5.* Cajetan. *verbo, Confessio, condit. 10.* Paludan. *dist. 17. q. 5. art. 1. ante fin.* Probabile putat Petr. de Soto *de conf. ff. lect. 10. sub fin.* Henriq. *lib. 6. cap. 15. n. 4.* Eman. Sà *verbo, Absolutio, n. 24.* Neque dissentiunt D. Antonin. Richard. Henriq. Gerson, relati à Vasq. *de pœnit. q. 9. art. 3. dub. 10.* Plures ex his Doctoribus nullam causam assignant ad dimidiandam confessionem, & absolutionem: solus Dominic. Sotus *in 4. dist. 18. q. 1. art. 5. concl. 2.* & Cajet. *de condit. 10.* affirmant, fieri debere ex rationabili causa, quam judicant esse continuam Prælatorum occupationem. Moventur primò: quia in Romana Ecclesia ea est consuetudo, ut auditis solis reservatis absolutio concedatur: quam consuetudinem improbare, aut nimium discutere non oportet, teste Cajetano *supra*. Secundò, esto integritas confessionis sit de jure divino, ut colligitur ex Trident. *sess. 14. cap. 5.* intercedente tamen causa rationabili omitti potest, ut *superius* probatum est: at causa videtur rationabilis, continua Prælatorum occupatio, ne omnium habentium casus reservatos integras confessiones excipiant: poterunt ergo auditis solis reservatis ab eis absolvere.

3. Verùm hæc sententia regulariter probanda non est, sicuti nec probatur à Vasq. *dicta quæst. 91. art. 3. dub. 10.* Suar. *de pœnit. disp. 31. sect. 1. à num. 7.* Coninch. *d. sp. 7. de pœnit. dub. 9. à n. 80.* Layman. *lib. 5. sum. tract 6. cap. 12. n 8.* & aliis pluribus apud *Ferd. de Castro Sum. Mor.* Pars I V. ipsos, quippe unum ex præcipuis negotiis prælati est, confessiones subditorum audire; medicinamque peccantibus adhibere. Non igitur ob alia negotia hoc prætermittendum est. Præterea sine gravi causa omitti non potest confessionis integritas, utpote jure divino præcepta. At regulariter nulla adest, neque adesse potest. Tum quia prælatus extra confessionem audire reservata potest, si pœnitenti placet. Tum quia potest vices suas alteri sacerdoti committere. Tum quia potest subdito præcipere, ut confessionem in tempus opportunum differat. Tum quia ab aliis negotiis minus necessariis se expedire debet. Quod si aliquando casus occurrat, in quo expediat, prælatum gravissimo negotio occupatum, neque valentem se ab illo expedire, confessionem sacramentalem subditi per se audire, neque subditus ob necessitatem communicandi commodum tempus expectare possit, poterit eo casu auditos solis reservatis, ab eis absolvere: quia hic casus utpote rarissimus sufficientem causam præbet dimidiandi confessionem, uti docent relati Doctores. At hoc casu excluso, nullus alius adest, in quo liceat prælato auditis solis reservatis, pœnitentem sacramentaliter absolvere. Neque in contrarium est consuetudo Romanæ Ecclesiæ, quippe ibi reservata sæpe non audiuntur, ut sacramentaliter absolvantur, sed audiuntur, ut sublata censura, & salutari pœnitentia imposita confessori ordinario remittantur sacramentaliter absolvenda.

Monet tamen Vasq. *de pœnit. q. 91. art. 3. dub. 10. num. 6.* superiorem sola reservata audientem, esto ab aliis sacramentaliter non absolvat, obligatum esse sigilli secretum servare ac si absolutionem impendisset, sicuti cum pœnitentem indispositum non absolvit: quia ea confessio ad impetrandam sacramentalem absolutionem relata fuit. Sed de his postmodum.

4. Quæstio secunda: An subdito per se, vel per confessarium petenti à superiori facultatem, ut alteri confiteri possit, teneatur superior eam concedere.

Respondeo regulariter obligatum esse, tum ex charitate, tum ex debito sui muneris, quia ob humanam fragilitatem timere prudenter potest, subditum, cui negatur facultas, non fore sua peccata saltem integre superiori confessurum. Cùm autem reservatio in subditorum bonum concessa sit, non debet in eorum dispendium retorqueri. Neque hæc negatio honestari potest ex eo, quòd alii videntes superiorem difficilem esse in concedenda licentia, à peccatis reservatis arceantur: quia, ut bene inquit Suar. *disp. 30. sect. 2. n. 8.* hæc utilitas quærenda non est cum jactura pœnitentis, in cujus remedium & sacramentum institutum est & peccata sunt reservata. Atque ita docent Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5. §. Circa tertium* Suar. pluribus relatis *disp. 30. de pœnitent. sect. 5. n. 8. & 9.* Ægid. de Coninch. *disp. 8. dub. 14. concl. 1. 2. & 3.* Layman. *lib. 5. sum tract. 6. c. 16. a n. 7.* colliguntur expresse ex D. Thom. *in 4. dist. 17. q. 3. q. 4. ad 6.* asserente, superiores quæ sunt nimis solliciti, ut conscientias subditorum per confessiones sciant multis laqueum damnationis injicere; & per consequens sibi ipsis: ideoque Pius V. in quodam motu proprio anno 1571. prædicatoribus concesso, quod declaratur, ipsos religiosos non posse virtute Bullæ cruciatæ confessorem eligere absque prælatorum licentia, subdit, *Eisdem tamen Prælatis, in usu hujus potestatis, seu cum subditis benignos & faciles se exhibeant, præcipimus.* Quod efficacius procedit, cùm hæc licentia non ab ipso pœnitente, sed à confessario expostulatur, qui judicat expedire concedi. Nam ex decreto Clement. VIII. de casibus pro religiosis reservandis, confessoris judicio præcipuè standum est.

5. Dixi, *regulariter*. Nam aliquando negari posse hanc licentiam, affirmant Ægid. Suar. Laym. & alii

plures ab eisdem relati. Quia inutilis esset, reservatio, si nunquam superior cogere posset subditum, ut ei culpas confiteretur. Sed quando id fieri potest? Respondeo cùm moraliter certus est superior ex concessa facultate sumpturum subditum, occasionem perseverandi in peccato. Item si peccatum subditi in grave detrimentum communitatis, vel alterius personæ vergat, cui Superior & non alius remedium adhibere posset, servato cnnfessionis sigillo, quæ rarò præsumenda sunt. Item si ex facilitate concessionis alii subditi sumerent occasionem peccandi spe similis facultatis obtinendæ: quod (inquit Ægid. & Layman. *loc. alleg.*) inde colligi potest, si valde frequenter licentia postularetur, & interim disciplina religiosa laxetur. Fateor hanc præsumptionem levem esse, cùm aliunde, quàm ex concessione licentiæ disciplina religiosa laxari possit: in iis enim casibus non solùm potest superior, sed tenetur petitam licentiam denegare: quia ea denegatio in bonum, tum subditi peccantis, tum aliorum cedit, ut bene notavit Ægid. *disp.* 8. *de pœn. dub.* 14 *concl.* 1. 2. & 3.

6. Illud verò omninò certum est, nullatenus esse obligatum superiorem facultatem concedere cuilibet confessario, quem pœnitens elegit, sed suo satisfacere muneri, si unum vel plures alios præscribat. Rarò tamen id expedit, ut bene advertit Ægid. *dub* 14. *concl.* 4. si confessarius à subdito electus idoneus sit: fortè enim subditus æqua vel majori difficultate adibit designatum, ac ipsum superiorem, periculoque exponeretur vel reticendi peccatum, vel non integrè confitendi. Præterquam quòd in unius repulsa, & alterius electione querelæ non leves excitantur, ideoque prudentia opus est.

7. Hæc in genere dicta sunt: at in religionibus ex decreto Clem. VIII. tenentur superiores in singulis domibus deputare duos, tres, aut quatuor confessarios pro subditorum numero majori, vel minori, doctos, prudentes, charitate præditos, qui à non reservatis absolvant, & quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam committi ipse in primis confessarius judicaverit. Circa quod decretum adverte, superiores debere in qualibet domo pro numero religiosorum, id est, si numerus religiosorum expostulet, duos, tres, vel quatuor confessarios deputare, qui subditorum peccata non reservata absolvant. Notanter dixi, *si numerus religiosorum expostulet*. nam si Conventus parvus sit, unusque confessarius videatur sufficiens ad omnium confessiones excipiendas, non est credendum, voluisse Pontificem obligare superiorem, ut plures designet: illa enim obligatio designandi plures, est sub conditione, scilicet, si numerus Religiosorum plures postulaverit: idque testatur Suar. *t.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 3. *c.* 15. *n.* 7. esse usu receptum, ut videre licet in Monasteriis Monialium, quibus non minùs necessaria erat providentia illius pontificii decreti: & tamen quando numerus Religiosorum parvus est, unus tantùm Vicarius, vel Confessor ordinarius designatur, uti supponit Concil. Trid. *sess.* 25. *de Regul. c.* 10. præcipiens, ut præter Confessorem ordinarium alius extraordinarius bis, aut ter in anno offeratur. Sed, an quando plures Confessarii designantur, indifferenter pro tota Communitate designentur, ita ut quilibet subditus plures Confessarios habeat, ut ad quem voluerit, possit recurrere: an verò quilibet eorum pro sua parte Communitati deputari debeat, incertum est. Verius videtur secundum, quippe disciplinæ religiosæ magis expedit, ut quilibet Religiosus unicum tantum Confessorem habeat, cujus conscientia satis manifesta sit, ut in via Dei dirigi, & gubernari possit. Aliàs non pro numero Religiosorum, ut dixit Clement VIII. sed pro uniuscujusque conditione, & commoditate plures Confessarii designarentur, ut benè advertit Suar. *dicto c.* 15. *n.* 7. ideóque Societas nostra, ut omnem dubitationem tolleret, à Clement. VIII. vivæ vocis oraculo obtinuit, prout refertur *in dicta Ordinat. gener. de casib. reservat. c.* 5. *n.* 2. ne in singulis Domibus teneantur superiores, præter Confessarium ordinarium, alios deputare qui à non reservatis absolvant, vel quibus reservatorum absolutio committatur.

8. His igitur Confessariis committenda est absolutio à reservatis non quidem permanenter, & habitualiter, sed pro occasione nata, quando casus occurrerit, ut benè notavit Suar. *t.* 4. *de relig. tract* 8. *l.* 2. *c.* 19. *ne in fine*. Quinimò neque etiam quando casus occurrerit, est ipsis sub obligatione absolutio committenda; aliàs inutilis esset reservatio superioribus facta, si nunquam possent Prælati cogere subditos, ut eis peccata confiterentur, ideóque Clem. VIII. in dicto decreto de casuum reservatione, §. 4. prohibens superioribus ne subditos ad confessionem secum faciendam cogant, excipit, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint. Supponit ergo, per se non esse obligato reservati peccati absolutionem alteri committere. An autem de facto ob pœnitentis utilitatem, quæ præcipuè in hac parte spectatur, aliásque causas, & occurrentes circunstantias committi debeat, ipse in primis Confessarius (inquit Clemens) judicabit, ut pote cui persona, & casus pœnitentis optimè notus sit. Notanter dixit, *in primis*; tum, ut indicaret non solius Confessarii judicio hoc remissum esse; tametsi ipsi principaliter, sed etiam Superioris judicio, ideóque in Societate declaratum est (*dicta Ordin. gener. c* 5. §. 3.) ne judicium à reservatis absolvendi Confessariis absolutè relinquatur, sed liceat interdum, quod omninò necessarium est, superiori pro ratione sui officii hujusmodi facultatem denegare iis in casibus, in quibus constat, juxta ea, quæ Doctores dicunt, & discreta charitas docet, licentiam hujusmodi esse denegandam Tum ut significaret non debere Superiorem, statim ac Confessarius absolvendi à reservatis licentiam expostulat, concedere; sed re prudenter examinata, & utilitate concessionis perpensa. Quod à fortiori procedit, cùm subditus licentiã petit medio alio Confessore à designatis.

6. Quæ omnia pro Societate Jesu optimè notantur in illa institutione, seu Ordin. gener. *de casib. reservat. c.* 9. Nam in §. 1. inquit: *Quando Confessarius tacito nomine pœnitentis, à Superiore petit facultatem absolvendi à casu reservato; nullo modo Superior difficilis esse debet, sed facilis potius, & promptus in ea concedenda: imò persuadere sibi convenit, posse se hac in re graviter offendere, si imprudenter, & sine justa, gravique causa eam negat.* Et §. 2. subditur causa, ob quam neganda sit, his verbis: *Attendat Superior diligenter, ut id rarò faciat, & in iis tantùm casibus, in quibus docebit discreta charitas (juxta ea, quæ Doctores tradunt) licentiam hujusmodi esse denegandam: ut verbi gratia, cùm probabiliter timeri poterit scandalum, aut recidivum pœnitentis, vel alterius. In hujusmodi enim, quæ inducunt necessitatem vitandi scandalum, vel damnum Collegii, aut alterius ruinam, manifestum est, pœnitentem teneri per Confessarium, remipsam Superiori manifestare, tanquam illi, qui remedium necessarium adhibere potest: salvo tamen sigillo, ut oportet: teneri, inquam, quando aliis remediis prædicta damna vitari non possunt. Quòd si pœnitens huic manifestationi non acquieverit, incapax est absolutionis: quia suæ obligationi non satisfacit.* In §. 3. commendatur maximè sigilli observatio; tum Confessario, ne personam pœnitentis indicet, neve causam proponat, ex cujus propositione probabiliter Superior possit in notitiam pœnitentis devenire: tum superiori, ne curiosè inquirat circunstantias, quæ ad rem non pertinent, néve aliquid faciat, ex quo cognoscere possit,

quis ille sit, pro quo licentia expostulatur. *In* §.4. statuitur, si negotio examinato superior judicat licentiam denegandam esse; è contra Confessarius urger debere concedi, affirmans, Superioris severitatem in detrimentum, & ruinam spiritualem potiùs quàm in commodum cedere, eò quòd videat pœnitentem duriorem effici, nullóque modo velle superiorem adire, (in quo Confessarii conscientia oneratur;) tentanda erunt media aliqua, de quibus pro re nata superior & Confessarius inter se conferent: ac tandem, si nullum aliud reperiatur, superior facultatem denegare non debet. *In* §.5. decernitur, qualiter superior se gerere debet, cùm subditus non per Confessarium ordinarium, sed per alium Sacerdotem facultatem petit. Non facilè (inquit instructio) acquiescere debet superior; nisi Sacerdos ille talis sit, cui meritò committi possit. Notanda verba, quasi diceret: Si idoneus sit sacerdos, facilè Superior acquiescere petitioni debet; ideóque additur: *Contingere in aliquo casu potest, ut si nolit subditus Superiorem adire, expediat à Superiore designare aliquem ex senioribus doctum, prudentem, spiritu, & charitate plenum, qui melius, æquè bene ipsi mederi possit, ac Confessarius ordinarius, in* §.6. qualiter hospites, & iter agentes, & superiores absolvi possunt; declaratur, de quibus statim dicam. Tandem *in* §.7. ut omnes eximantur scrupuli, & majori cum fiducia, ac libertate procedatur, inquit Congregatio: *Cum Confessarius bona fide dubitat, an mortale sit, quod proponitur ab eo: etiamsi ex genere suo reservatum sit, potest absolvere: licèt hujusmodi dubitatio juris, vel facti ex ignorantia procedat: sed neque postea, si animadverterit manifestè fuisse mortale, repetenda erit confessio: bona siquidem & vera fuit absolutio.*

10 Quæstio tertia, an Episcopus, vel Prælatus regularis concedens subdito potestatem eligendi Confessorem, censeatur concedere potestatem absolvendi à sibi reservatis? Negativè respondendum est cum communi sententia: quia in generali concessione non veniunt, quæ quis in specie non esset vero similiter concessurus, uti dicitur *in c.2. de pœnitent. in 6.* & tradit Navarr. *c.27. n.261.* Hinc infertur peregrinantes, quibus à jure, & consuetudine concessum est confiteri cuicunque Parocho illius loci, quà transeunt, absolvi non posse à reservatis in sua diœcesi, nisi de expressa sui superioris licentia. Excipe, nisi in ea diœcesi, ubi commorantur, reservata non sint, nam Superior concedens licentiam eligendi Confessorem ratione itineris, censetur itinerantem subjicere Confessario, quem ipse elegerit, ut secundùm jurisdictionem, quam habet, possit itinerantem absolvere. Quapropter continget aliquando à quolibet Parocho itinerantem absolvi posse à reservatis in sua diœcesi: quia in ea parte, ubi commoratur, reservata non sunt, aliquando neque à non reservatis in sua diœcesi absolvi posse: quia in ea diœcesi sunt reservata; sicuti notavit Ægid. de Con. *d sp 8. de pœnit. dub.13. n 86.* Suar. *disp.30. sect.1.* Henr. *lib 6 c.14. n.8.* Laym. *lib.5. sum. tract.6. c.10. n.10.*

11. Quæstio quarta, an possit superior Confessario facultatem absolvendi à reservatis concedere sub obligatione, vel sub conditione alicujus pœnitentiæ imponendæ? In hac re certum videtur, superiorem posse Confessario præcipere, ut hanc, vel illam pœnitentiam subdito absolvendo imponat, si audito peccato, & spectata pœnitentis dispositione ei legitima visa fuerit: quia in hoc præcepto nulla sacramento irrogatur injuria, cùm superior non imponat pœnitentiam: sed Confessario, qui Judex est in illo foro præscribit imponendam, si judicaverit esse legitimam. Atque ita tradunt Graffis *1. sum. lib.1. cap.13. n.78.* Vasquez *de pœnit. quæst.93. artic.1. dub.6. num.11.* Suar. *tom.4. de pœnit. disput.30. sect.5. num.23.* Villalobos *in sum. tract.9. diffic.65.* Favétque motus proprius Clem.VIII. de casuum reservat. ubi *in* §.5. inquit: Licebit tamen superioribus determinare pœnitentias graves quibusdam peccatis, etiam reservatis à Confessariis imponendas quæ subditos ab hujusmodi peccatis perpetrandis cohibere possint. Notanter dixi, *si judicaverit esse legitimam:* nam, cùm solus Confessarius Judex sit in illo foro & nomine Christi, & non superioris absolvat, pœnitentiamque imponat, nequit arctari ad eam pœnitentiam imponendam quam illegitimam, seu minùs convenientem esse judicaverit. Quapropter, cùm juxta occurrentes circunstantias augeri, vel minui pœnitentia debeat, consultius est, ut assignatio pœnitentiæ à superiore facta per modum cujusdam directionis, & ordinationis fiat, & non per modum præcepti, uti prudenter advertit Suar. *dicta disp.30. sect.5 n.4.* Ægid. de Coninch. *disp.8. de pœnit. dub.14. in fine.*

12. Sed, an sub conditione pœnitentiæ imponendæ concedi Confessario facultas à superiore possit, gravior est dubitatio. Affirmant Suar. Ægid. & Villalobos *locis alleg.* Moveri possunt: quia, cùm liberum sit superiori facultatem concedere, mirum non est, quod eam sub hac, vel illa conditione concedere velit, & non aliter. Nihilominus Joann. Sanchez *in suis selectis disp.12. n 6.* pro contraria sententia acriter pugnat, adducítque pro se Ægid. de Coninch. *disp.8. de pœnitent. dub.15. num.117.* Sed immeritò: quia ibi solùm probat Coninch. non posse facultatem à superiore concedi ita restrictam, ut pœnitentia, quam Confessarius injungit, valida non sit, aut dimidiata & compleri pœnitentia à superiore injungenda: quod longè diversum est, ac concedere facultatem Confessario, sub conditione alicujus pœnitentiæ ab ipsomet Confessario imponendæ. Movetur ea precipuè consideratione. Potestatem absolvendi imponendique pœnitentiam quilibet sacerdos habet à Christo Domino, non à superiore: nequit ergo superior applicata materia, se in absolutione, vel pœnitentiæ impositione intromittere. Frivola ratio. Nam esto à Christo Domino sit potestas absolvendi, imponendique pœnitentias: at applicare materiam, seu designare subditos, circa quos hæc potestas exerceatur, atque adeo sacerdoti jurisdictionem concedere, non à Christo, sed à Prælatis Ecclesiæ Sacerdos habet. Possunt ergo prælati hanc jurisdictionem sub conditione pœnitentiæ imponendæ concedere, sicuti possunt eam absolutè denegare: aut quid huic concessioni conditionali obstare potest?

13. Nihilominus dicendum est, nequaquam hanc potestatem absolvendi à reservatis concedi confessario posse sub conditione alicujus signatæ pœnitentiæ imponendæ. Moveor: quia hanc pœnitentiam nequit confessarius imponere, nisi excepta confessione: confessionem autem excipere non potest, quousque jurisdictionem habeat: ergo nequit jurisdictio ad confessionem concedi sub conditione confessionem subsequente: quia ea est vis concessionis conditionalis, ut effectum non habeat, quousque apposita conditio fuerit. Neque Vasq. Suar. Ægid. de Con. Villalobos, & alii nobis adversantur affirmantes concedi facultatem posse sub conditione pœnitentiæ imponendæ, sumunt enim conditionem non in significatione propria, & rigorosa, sed pro onere, & obligatione, sicuti *suprà* diximus concedi facultatem sub ea obligatione posse.

14. Quæstio quinta: an possit concedi facultas absolvendi à reservatis sub onere & obligatione se superiori præsentandi? Negat Gabr. Vasq. *de pœnitent. quæst.93. art.1. dub.6. circa finem, quæst.91. artic 3. dub 6. in fine.* quem sequitur Joann. Sanch. *in disput. selectis, disp.12. n.2. & 3. disp.14. n.19.* Moventur, quia reservatio peccatorum in eo consistit,

ut ſolus is, cui peccata ſunt reſervata, eorum abſolutionem concedere poſſit. Ergo conceſſa alteri poteſtate abſolvendi, ceſſat comparatione illius reſervatio, & Judex legitimus peccatorum conſtituitur, qui pœnitentem abſolvat non ſuperioris nomine, ſed Chriſti. At ex Chriſti inſtitutione nullus pœnitentem à peccatis directè abſolvit cum obligatione ea peccata interim confitendi, vel alteri manifeſtandi. Ergo ſacerdos directè pœnitentem à peccatis abſolvens nequit pœnitenti onus imponere ea peccata iterum confitendi, ſeu ſuperiori manifeſtandi, cùm id onus nulla alia ratione imponere poſſe videatur, niſi quatenus eſt Chriſti miniſter. Et confirmo examinando modos, quibus hæc obligatio imponi pœnitenti poteſt. Triplicem præcipuè invenio à Doctoribus probatum. Primus eſt ſi nolit ſuperior hanc facultatem abſolvendi concedere confeſſario vel ſubdito eligendi confeſſorem, quouſque ipſe ſubditus juramentum, vel votum eliciat ſe ſuperiori præſentandi. Secundus eſt, ſi ea conditione concedatur dicta facultas, ut ſubditus promittat ſuperiorem adire, cùm poſſit. Tertius eſt prædicto ſimilis ſi ſub onere, & pacto facultas donetur, ut ſubditus poſtmodum ſe ſuperiori præſentet. Primus modus eſto poſſibilis ſit, non eſt uſitatus : præterquam quod non eſt ſufficiens, ut ſubditus firmiter obligatus ſit ſe ſuperiori præſentare : ſiquidem juramentum, & votum poteſt in melius commutare, vel illorum diſpenſationem quærere, & ſic intentionem ſuperioris eligere. Secundus, & tertius tametſi eos ut poſſibiles admittamus, obligationem tantùm levem videntur inducere, quippe obligant ſtare promiſſis; non ex juſtitia, quia hæc in ſpiritualibus, utpote ab omni pactione alienis, non videtur habere poſſe locum; ſed obligant ex fidelitate tantùm, quæ ſecundum probabilem ſententiam ſolam levem inducit obligationem.

15. Nihilominus dicendum eſt cum communi ſententia, concedi poſſe, & ſæpe concedi facultatem abſolvendi à reſervatis, ſub onere ſe ſuperiori præſentandi. Quo accepto obligatus eſt ſubditus ſub mortali, ſe ſuperiori, vel ejus vices tenenti præſentare. Sic poſt alios antiquiores firmant Navarr. *c. Placuit. de pœnit. diſt. 6. n. 12.* Henriq. *lib. 6. de ſacram. cap. 15. num. 2.* Suarez *de pœnit. diſp. 30. ſect. 5. num. 8. & de relig. tom. 4. tract. 10. lib. 8. c. 5. n. 1.* ubi teſtatur, Claudium Aquavivam ex mente B. Ignatii declaraſſe hanc obligationem comparendi coram ſuperiore ſub mortali eſſe. Idem tradit Ægid. de Coninch. *d. ſ. de pœnitent. dub. 15. præcipue à n. 118.* Laym. *lib. 5. ſum. tract. 6. cap. 12. num. 10.*

16. Pro explicatione concluſionis adverte cum Ægid. de Coninch. *dicto dub 15. à num. 110.* dupliciter hanc facultatem confeſſario concedi poſſe. Primò, ipſi pœnitenti immediatè, & quaſi mediatè confeſſario. Secundò, e contrà Confeſſario immediatè, & pœnitenti quaſi mediatè. Si pœnitenti immediatè concedatur à ſuperiore facultas eligendi confeſſorem, cui ipſe ſuperiori immediatè juriſdictionem concedat, ſicuti in pluribus religionibus eſt uſus comparatione hoſpitum, & peregrinorum, non eſt dubium concedi poſſe ſub eo onere, & conditione, ut ſubditus obligetur, ſe ſuperiori præſentare : quia cùm cedat ſuperior juri reſervationis, concedendo ſubdito facultatem, quam concedere non tenetur; mirum non eſt, quòd nolit eam concedere, niſi ipſe ſubditus eam obligationem ſuſcipiat, quam neceſſariò ſuſcipit eo ipſo, quo acceptat ab alio, quàm à ſuperiore abſolvi. Neque à ſubeunda hac obligatione excuſari poteſt ex eo, quod illius non meminerit. Nam ut bene notavit Ægid. *ſupra*, id ſibi, ſuæque inconſiderantiæ imputare debet : injuſtum enim eſt, velle beneficium recipere abſque onere ei annexo. Cùm ergo prædictæ facultatis conceſſioni annectatur onus comparendi coram ſuperiore; ſubditus eam facultatem acceptans conſequenter acceptat onus, & conditionem eidem facultati annexam.

17. Si verò confeſſario facultas abſolvendi à reſervatis concedatur, adhuc dupliciter concedi poteſt. Primò ſub ea conditione, & non aliter, ut onus comparendi coram ſuperiore tibi imponat, illudque acceptes. Secundò ſub obligatione tibi tale onus imponendi, illudque à te acceptandi. Si primo modo concedatur facultas, uti concedi poteſt, non manebis à reſervatis directè abſolutus, tametſi bona fide fueris confeſſus, & per inconſiderantiam monitus non fuiſti illius oneris, neque acceptaſti, quia eſt facultas ſub conditione data. Secùs eſt, ſi ſecundo modo fuerit confeſſario facultas conceſſa, directè à reſervatis eris abſolutus : eſto tu illius oneris non memineris; neque ad illud ſebeundum obligeris : quippe facta abſolutione obligari non potes, cùm fuerit abſolutio directa ab habente poteſtatem abſolvendi à reſervatis. Ex alia parte illa poteſtas non tibi immediatè conceſſa eſt, ſed confeſſario, cui poteſtati Superior non annexuit ſubdito onus comparendi. ſed confeſſario obligationem imponendi tale onus. Ergo ſecluſa impoſitione liber es ab onere. Notanter dixi, *quando bonâ fide fuiſti confeſſus* : nam ſi ſcires confeſſarium non habere poteſtatem abſolvendi à reſervatis, niſi ſub obligatione tibi prædictum onus imponendi, eo ipſo quo illum adires, obligaris adire ſub voluntate ſuſcipiendi prædictum onus, aliàs peccabis mortaliter, cùm velis abſolutionem tibi concedi, aliter quàm dari poteſt.

Porrò Confeſſarius, cui eſt poteſtas abſolvendi à reſervatis, ſaltem ſub obligatione imponendi pœnitenti dictum onus tenetur, cùm primùm cognoſcit, pœnitentem caſus reſervatos habere, illum monere de obligatione, & onere, quod acceptare debet. Quòd ſi renuat acceptare, nequaquam abſolvere poteſt : quia eſt pœnitens indiſpoſitus. Neque excuſari pœnitens poteſt ab acceptando illo onere, ex eo, quod neſcierit, confeſſarium non gaudere poteſtate abſoluta abſolvendi à reſervatis : habens enim caſus reſervatos, ſcire tenetur, qua poteſtate circa illos gaudeat confeſſarius : ſpe verò confeſſarius non obligatur pœnitentem monere de ſua limitata poteſtate, quouſque intelligat illius monitionis pœnitentem indigere. Neque enim præſumere debet, pœnitentem in caſibus reſervatis aſtringi. Quòd ſi de facto confeſſarius, audito aliquo, vel aliquibus reſervatis, pœnitentem non monuerit, ſtatim de obligatione & onere comparendi; ſed permiſerit ulterius in confeſſione procedere, poſtmodum obligare pœnitentem bona fide procedentem non poterit ad comparendum : quia ſufficiens fundamentum pœnitenti præſtitit ad præſumendum abſolutam poteſtatem in confeſſario abſolvendi à reſervatis : & ratione hujus legitimæ præſumptionis, & confeſſionis ſub ea factæ jus acquiſivit, ne ſibi abſolutio denegetur nullo onere comparendi ſuſcepto, quod jus, utpote juſtitiæ, præferri debet obligationi, quam ſuperior confeſſario impoſuit, ne abſolutionem concederet abſque impoſitione prædicti oneris.

18. Quòd verò ex acceptatione facultatis ſub prædicta forma conceſſæ gravis obligatio naſcatur, inde probo : quia eſt res gravi eccleſiaſticæ diſciplinæ, jurique prælatorum graviter conducens. Ob quam cauſam non ex fidelitate tantùm, ſed ex juſtitia, ex prædicta acceptatione obligatio conſurgit : cedit enim in prælatorum authoritatem ea recognitio, & peccatorum manifeſtatio. Nam obſtat, ab ſpiritualibus pactiones excluſas eſſe : quia id intelligendum eſt de pactionibus temporalibus, quæ per modum emptionis, & venditionis fiunt, quæque rebus ſpiritualibus indecoræ ſunt, non de pactionibus ſpiritualibus

bus, quæ ad res ſpirituales decentiùs & honeſtiùs, & majori cum fructu ſuſcipiendas diriguntur. Per quæ ſatisfactum eſt fundamentis oppoſitis.

19. Ex his conſtat, prudentiſſime Societatem proceſſiſſe iis, quæ circa confeſſionem iter agentium inſtituit. Etenim, ut ex illa inſtruct. Gener. *de caſibus reſervatis, cap.6 §. 6.* conſtat, iter agentibus datur facultas eligendi confeſſorem, qua à reſervatis abſolvat; ſub onere tamen ſe ſiſtendi ſuperiori, ad quem ituri, vel redituri ſunt. Sed quis confeſſarius eſt eligendus? Si ad Domum, vel Collegium Societatis divertant, eligere tenentur confeſſarium ordinarium Domus, vel Collegii, aut ſi is haberi non poſſit, quemlibet alium Societatis ſacerdotem, aliàs à prælatis ejuſdem Societatis approbatum; aut ſi iis quoque deſit, externum, ſive ſæcularem, ſive regularem. Ex quo videtur inferri, eſto in aliis Religionibus, cùm iter agentes ſocium habent ejuſdem religionis ſacerdotem cui non ſolùm extra monaſteria, ſed etiam in monaſteriis commorantes confiteri poſſint æquè, ac confeſſario ordinario, ut conſuetudo obtinuit. In ſocietate tamen ſoli ordinario Confeſſori domus confiteri iter agentes poſſunt. Sic inſinuat Suarez *tom.4. de relig. tract 8. lib.2. cap.17. num.2. & 4.* Si verò accidat (inquit prædicta generalis inſtructio) ut aliquis tanquàm hoſpes ſit in aliquo Collegio: diu tamen ibi moraturus, putà ſpatio unius, aut alterius circiter menſis: ſi is eo tempore in caſum aliquem reſervatum incideret, poterit, ac debebit abſolvi à ſuperiore illius loci, in quo eſt, vel de ejus licentia, tanquàm ſi proprius eſſet ejus ſubditus, ſine obligatione ſiſtendi ſe ſuperiori ejus loci, ad quem propriè pertinet.

20 Quæſtio ſexta: An ſuperior localis, v. g. Abbas, Prior, Guardianus, Præpoſitus, Rector Domus, vel Collegii ſi incidat (quod Deus avertat) in caſum aliquem ex iis, qui ſibi ex Congregatione generali, vel provinciali reſervati ſunt: poſſit eligere Confeſſarium, qui illum abſolvat abſque obligatione ulla ſe ſuperiori majori ſiſtendi, ſicut ipſe poteſt abſolvere ſibi ſubditos? Eadem quæſtio eſt de Parocho; cui caſus epiſcopales reſervati ſunt, an poſſit eligere Confeſſarium, qui eum à reſervatis abſolvat; Ratio dubitandi eſt: quia ea poteſtas abſolvendi à reſervatis Prælato conceditur comparatione ſuorum ſubditorum: at ipſe Prælatus non eſt ſibi ſubditus. Ergo comparatione ſui nullam habet poteſtatem. Non enim ultra perſonas deſignatas in commiſſione eſt extendenda juriſdictio ex textu in c. *P. & G. de officio deleg.* atque ita tradit Ludovic. Vega 4. *caſu* 5.

21. Nihilominùs verius eſt, Parochum, & quemlibet ex his ſuperioribus eligere poſſe Confeſſarium, qui eum à caſu reſervato abſolvat. Sic pluribus relatis firmat Thom. Sanch. *lib.8. de matr. diſp.3. n 3. & 10. lib.4. ſum. cap.37. n.42.* Suar. *diſp.30. de pœnit. ſect.2.* Layman. *lib.5. ſum. tract 6. c.10. q 2. n 17.* Favétque declaratio ſacræ Congregationis ab eiſdem Doctoribus relata, qua affirmatur, Epiſcopum labentem in aliquem caſum ex iis, à quibus ſubditos abſolvere poteſt juxta Trid. *ſeſſ.24. c.6.* eligere Confeſſarium poſſe: qui eum abſolvat. Aliàs Parochus, aliíque ſuperiores deterioris conditionis eſſent quàm ſubditi. Ratio eſt: quia eo ipſo, quòd Parocho, aliíſque ſuperioribus localibus, quatenus tales ſunt, peccatorum abſolutio reſevatur, poſſunt, cui voluerint, eam poteſtatem delegare, quia ordinaria eſt. Ergo Confeſſor ſic delegatus poterit delegantem abſolvere ex juriſdictione à delegante accepta.

22. Hæc ratio videtur probare, non ſolùm poſſe Parochum, aliósque ſuperiores locales Confeſſarium eligere, cui eandem authoritatem tribuant, ac ipſi habent in ſubditos, ſed neque poſſe Epiſcopum Parocho, Provincialem, & Generalem Præpoſito locali eam delegationem impedire: quia ipſi impedire non poſſunt, quod à jure communi ſtatutum eſt. At, cùm peccatum aliquod Parocho, Præpoſitiſque localibus reſervatur ex jure communi, ei competit poſſe eam poteſtatem, utpote ordinariam, delegare; non ſolùm ut ſubditi ex prædicta delegatione abſolvantur; ſed ut ipſe Parochus, Præpoſitúſque localis abſolvi poſſit, ut multis relatis probat Thom. Sanch. *lib.8. de matr. tota diſp.3. & lib.4. ſum. cap.37. n.42.* Nam ut inquit Suar. *tom.4. de religione, tract.8. lib.2. cap.19. n.17.* cùm peccatum aliquod Prælato conventuali reſervatur, nullatenus illi nova juriſdictio ad illius abſolutionem conceditur: ſed non aufertur, quæ illi vi ſui muneris, & ex jure competit. Juriſdictionem autem competentem ex jure nequit Prælatus Pontifice inferior limitare. Ergo nequit Epiſcopus juriſdictionem ordinariam Parochi, neque Provincialis juriſdictionem Prælatorum conventualium ita reſtringere, ut eam indelegabilem faciat.

23. Sed contrarium verius videtur, poſſe, inquam, Epiſcopum aliquos caſus, & peccata Parochorum ſibi reſervare, & Provincialem aliqua peccata Rectorum: nam in hac reſervatione non immutatur juriſdictio ordinaria Parochorum, atque illorum Præpoſitorum localium, quatenus ipſis eſt à jure communi conceſſa. Etenim commune jus non concedit prædictis Parochis, & Rectoribus in omnia peccata, tum ſua, tum ſubditorum, juriſdictionem: aliàs Epiſcopi, ſuperioréſque Prælati nulla ſibi reſervare poſſent: ſed concedit juriſdictionem in ea omnia, quæ ſuperiores Prælati ſibi non reſervaverint, Ergo, ſi Epiſcopus peccata aliqua ſuorum Parochorum ſibi reſervat, & Provincialis peccata aliqua Præpoſitorum localium (quod æquè facere poteſt, ac ſi alterius ſubditi peccata eſſent, nequaquam Parochus, Præpoſitúſque localis juriſdictionem in ea peccata habebunt, ac proinde neque eam delegare poterunt. Quod autem in ſocietate peccata, quæ à S. Congregat. ſunt reſervata, ſi à Provinciali committantur, Præpoſito Generali, vel Confeſſario ab ipſo deputato reſerventur, & ſi committantur à Rectoribus, Provinciali reſervata ſint ſupponitur *in dicta Ordinat. gener. de caſib. reſerv. cap.6. num.6.* ubi conceditur ſuperioribus localibus in aliquem caſum reſervatum incidentibus, ſi non eſſet præſens provincialis, cui Rectorum caſus reſervantur, poſſe Confeſſarium eligere cum obligatione, & onere ſe provinciali ſiſtendi: & idem pro provincialibus ſtatuitur. Atque ita indicat Suarez *tom.4. de relig. tract.8. lib.5. ſum. t.9. cap.10 q.2. n.17.*

24. Neque ratio in contrarium urget. Fateor namque, peccatum, quod parocho, præpoſitiſque localibus, ſine ulla reſtrictione reſervatur, poſſe abſolvi ab ipſo parocho, præpoſitiſque localibus ſive ab ipſis, ſive à ſuis ſubditis committatur, quia cenſetur reſervatum eſſe parocho, aliiſque præpoſitis pro tota tua communitate, cujus ipſi ſunt partes. Secus, quando non abſolutè, & pro tota communitate ipſis reſervatur: ſed cum alicujus reſtrictione, & exceptione, uti in noſtra Societate contingit, in qua caſus à S. Congregat. pro tota religione reſervati Præpoſitis localibus reſervantur, non abſolutè, ſed cum reſtrictione, & limitatione ad peccata ſuorum ſubditorum, & non ad peccata ab ipſiſmet Præpoſitis commiſſa.

§. VI.

Qualiter ex confeſſione facta habenti poteſtatem abſolvendi à reſervatis, ceſſet reſervatio, ita ut pœnitens poſſit ea peccata fateri Sacerdoti juriſdictionem habenti in peccata non reſervata.

1. *Confeſſio facta Superiori, tametſi abſque abſolutione, tollit reſervationem.*

2. *Concessa absolutione à reservatis sed invalidè, tollitur reservatio.*
3. *Eadem reservatio aufertur comparatione casuum, quos fuisti invincibiliter oblitus.*
4. *Apponitur quædam limitatio, sed non approbatur.*
5. *Alii limitant, ne procedat in delegatis. Sed rejicitur.*
6. *Quid dicendum tempore Jubilei, quod non lucraris.*

1. DIco primò: si fassus fuisti superiori peccatum reservatum: ipse verò te absolvendum inferiori remisit, sublata est reservatio. Tum quia illa remissio est tacita jurisdictionis delegatio. Tum; quia fini, & præcepto reservationis sufficienter satisfeciſti, cùm expositus fueris pœnitentiam à superiore suscipere, & susceptam exequi. At, si sacerdoti delegato peccatum reservatum fatearis; ipse verò absolutionem illius tibi non concesserit, reservatio non tollitur: quia delegatus sola absolutione sacramentali reservationem tollere potest. Sic docet Suar. *de pœnit. disp.* 31. *sect.* 4. *à num.* 2. ex parte Coninch. *disp* 8. *de pœnitent. dub.* 12. *concl.* 3. *n.* 61.

2. Dico secundò, concessa per superiorem, vel illius delegatum absolutione à casibus sibi in confessione declaratis, tametsi absolutio nulla sit, quia confessio non fuit integra, neque cum dolore requisito, reservatio tollitur, & peccata manent absolvenda à quolibet sacerdote potestatem habente in peccata mortalia. Sic ex communi sententia tradit Sylvest. *verbo, Confessio*, 1. *quæst.* 19. Caietanus *verbo, Casus.* Henriq. *lib.* 6. *c.* 16. *n.* 5. Suar. *disp.* 31. *sect* 4. *num* 9. Ægid. de Coninch. *disp.* 8. *dub.* 12. *concl.* 3. *n.* 91. Etenim fini reservationis satisfactum est: siquidem superiori, vel illius vices habenti te præsentasti ab eo convenientem pro peccato reservato medicinam accepturus. Neque obstat, delegatum tollere non posse reservationem, nisi media absolutione sacramentali quæ non est illa, in qua pœnitens est indispositus: quia esto ipse per se reservationem non auferat, superior ex recepta consuetudine, communi Doctorum authoritate firmata, tollit, eo ipso, quo à suo delegato peccatum absolvitur.

3. Difficultas autem est, an idem sit dicendum de casibus, quorum fuisti in confessione oblitus invincibiliter. Nam de oblitis vincibiliter manifestum est, reservationem non tolli. Ponamus ergo, te confessum esse omnia peccata, quæ tibi memoriæ occurrerunt, oblitus tamen fuisti cujusdam reservati, tolliturne reservatio? Videtur nequaquam tolli: quia fini reservationis, qui est. ut pœnitens se sistat superiori pœnitentiam, & medicinam peccati reservati accepturus, satisfactum non est. Nihilominùs reservationem sublatam esse, communis firmat sententia apud Gabr. *in* 4. *d.* 17. *quæst.* 1. *art.* 3. *dub.* 2. *circa fin.* Adrian. *quæst.* 4. *de confess.* §. *Si petas* Sylvest. *verbo, Confessio*, 1. *q.* 4. Covarr. *in c. Alma.* 1. *p.* §. 11. *num.* 2. Navar. *c.* 26. *num* 13. & *in c. Consideret.* §. *Cautus. num.* 32. Eman. Saà, *Confessio, num.* 7. Henriq. *lib.* 6. *cap* 16. *num.* 5. Suar. *disp.* 31. *sect.* 4. *num.* 15. Ægidius de Coninch. *disp.* 8. *de pœnitent. dub.* 12 *num.* 93. Habens namque potestatem absolvendi à reservatis censetur velle pœnitentem legitime dispositum à peccatis liberare, quantum potest: cùm autem possit à peccatis oblitis pœnitentem liberare quoad reservationem, tametsi non quoad obligationem ea directè confitendi, censetur id ipsum velle. Quod in peccatis ob censuram reservatis manifestum est: siquidem Confessarius non absolvens à peccatis, priùs intendit, si licitè potest, pœnitentem à censura absolvere, qua ligatus est: quia absolutio censuræ absolutioni sacramentali præmittitur: quia censura sublata, & reservatio sublata est: in aliis verò peccatis oblitis, quæ per se, & non ratione censuræ reservantur; non est ita certum, velle confessarium reservationem tollere: at ex benigna interpretatione id Doctores communiter asserunt: quod sufficit, ut reservatio sublata esse intelligatur.

4. Limitant Suar. *disp.* 31. *sect.* 4. *n.* 18. & Vasq. *q.* 91. *art.* 3. *dub.* 5. *n.* 18. id procedere tantum, cum pœnitens superiori accedit animo expresso, ut à reservatis absolvatur: tunc enim si alicujus reservati oblitus sit, ab ejus reservatione liber est: secùs esset quando communia peccata pœnitens confitetur nullius reservati mentionem faciens, quia eo casu non est unde colligatur, velle pœnitentem à reservatione peccatorum liberari, cùm nulla existimet se reservatione astringi, neque confessarium eam velle concedere. Sed limitatio mihi non probatur. Tum, quia reliqui Doctores hujus limitationis non meminerunt, sed generaliter asseruerunt, concessa absolutione ab habente potestatem absolvendi à reservatis, reservationem tolli peccati obliti. Tum, quia pœnitens, esto expresè non postulet sibi reservationem tolli: tacitè tamen, & interpretativè petit quatenus petit à peccatis absolvi, quoad fieri possit: Confessarius verò ut pœnitenti faveat huic voluntati acquiescere censetur ex benigna Doctorum interpretatione, teste Ægid. de Coninch. *disp.* 8. *de pœnit. dub.* 12. *concl.* 5. *n* 98.

5. Secundò, alii limitant, ne procedat in delegatis: sed tantùm in Ordinariis, quippe Ordinarii nulla peccatorum confessione audita reservationem suo arbitrio tollere possunt: quia ab ipsis pendet: at delegati, quibus sola potestas absolvendi à reservatis commissa est, reservationem non videntur tollere posse, nisi absolutione concessa. Cùm ergo nullam obliti peccati concesserit absolutionem, nequaquam ab illo reservationem auferunt. Hæc tamen limitatio admittenda non est: quia Doctores asserentes, peccati obliti reservationem tolli, generaliter loquuntur, sive confessio facta fuerit superiori, cui peccata sunt reservata, sive ejus delegato. Ex hac autem generali Doctorum assertione, cujus Pontifices; aliisque superiores conscii esse præsumuntur, probabilis interpretatio, quoties superiores delegatum constituunt, concedere facultatem, ut absolvendo à peccatis, reservationem tollat illorum, quorum pœnitens fuerit invincibiliter oblitus. Atque ita tradit Ægid. de Coninch. *disp.* 8. *de pœnit. dub.* 12. *num* 94 Quod à fortiori procedit, cùm tempore Jubilei concedentis casus reservatos confiteris: eo enim ipso, quòd bona fide, & animo lucrandi Jubileum confessus es, reservatio cujuscunque peccati censetur sublata: uti docuit Suar. *de pœnit. disp.* 31. *sect.* 4. *n.* 20. & 24. Sayr. *de pœnit. c.* 16. *n.* 9. Bonac. *disp.* 5. *q.* 7. *punct.* 5. §. 5. *à n.* 1.

6. Sed, quid dicendum, si de facto Jubileum non lucraris? Et quidem si cùm ad confessionem accessisti, intentionem habebas non lucrandi Jubileum: nequaquam virtute illius à reservatis absolvi potes; quia non censetur Pontifex facultatem prædictam concedere, nisi in ordine ad Jubileum lucrandum. Si igitur non vis Jubileum lucrari; rationi consonum non est, ut potestate ob eum finem concessa fruaris. Verùm, si cùm accessisti ad confessionem, habuisti intentionem exequendi omnia pro Jubileo obtinendo requisita, esto, postmodum mutes intentionem, & ea non exequaris, absolutus à reservatis manes absque ulla obligatione te superiori sistendi: sicuti si omnia requisita ad Jubileum exequutus fuisses: quia facultas absolvendi. licèt detur ob finem Jubilei obtinendi: non tamen penderet ab illius consecutione, aliàs absolutio sacramentalis penderet à conditione futura. Sic Cor. *num. q.* 21. Vasq. *q.* 91. *art.* 3. *dub.* 6. *n.* 6. Suar. *disp.* 31. *sect.* 4. *n.* 4. & 5. Bonac. plures referens *disp.* 5. *de pœnit. q.* 7. *part.* 5. §. 5. *n.* 16.

§. VII.

§. VII.

Qualiter Confessarius inferior potestate carens in reservata se gerere debet, cùm pœnitens ad ipsum accedit.

1. *Si à Superiore fuisti sacramentaliter absolutus à reservatis solis, ea inferiori non teneris fateri: sed sufficit fateri non reservata.*
2. *Quid, si inferiori accedas, neque absolutus à Superiore, nec sublata reservatione.*
3. *Negat Vasquez, te recipere Sacramentum, esto bona fide ad Superiorem acceßeris.*
4. *Oppositum verius est.*
5. *Solvitur ratio contraria.*
6. *Urgente necessitate, etsi non extrema, benè potes ab inferiori absolvi cum obligatione comparendi.*
7. *An Sacerdoti simplici fieri eo casu confessio possit?*
8. *Qualiter teneris eo casu fateri.*
9. *An ob necessitatem confessionem faciens coram Sacerdote prædicto tenearis reservata facere? Probabilius est teneri.*

1. DUpliciter accedere potes ad inferiorem sacerdotem absolvendus. Primò, absolutus à superiore à reservatis, vel absolutus ab eorum reservatione. Secundò non absolutus. Si accedas absolutus sacramentaliter, & legitimè à casibus reservatis, esto Cajetan. *verbo Confessio, cond.* 10. Henriq. *lib.* 6. *sum. c.* 15. *n.* 5. Eman. Saà *verbo Absolutio, n.* 14. existiment, inferiori Sacerdoti te fateri debere, non solum peccata non reservata, quæ superiori fassus non es, sed etiam reservata: à quibus sacramentaliter absolutus fuisti, quia uni eidemque Sacerdoti omnia peccata simul manifestari debent, uti docuit D. Thom. ab omnibus receptus 3. *part. in supplement. quæst.* 9. *art.* 2. Probabilius est, sola non reservata te obligatum esse fateri, quod docent Navarr. *cap.* 9. *n.* 7. Valent. *tom.* 4 *disp.* 7. *q.* 11. *part.* 1. *post. med. vers. Sextus casus.* Suarez *disp.* 31. *sect.* 1. *num.* 10. Layman. *l.* 5. *sum. tract.* 6. *c.* 12. *concl.* 3. *sub. num.* 8. Bonac. *disp.* 5. *quæst.* 7. *part.* 5. §. 3. *num* 4. Ratio est: quia nec jure divino tibi præceptum est, nec positivo præcipi potest, eadem peccata bis clavibus Ecclesiæ subjicere, sed si semel legitimè clavibus Ecclesiæ subjeceris, & absolutionem illorum impetraveris, nulla supereſt obligatio ea confitendi, & ab eis absolutionem obtinendi. Neque obstat, uni, eidemque confessario omnia peccata mortalia esse simul confitenda, quia id est per se; secùs verò per accidens, & in casu extraordinario, uti est, cùm ob urgentem occasionem aliqua tantùm peccata confessioni & absolutioni subjiciuntur; postmodum non ea, sed ea, quæ superfuerunt, subjici debent. Verum, si à Superiore sacramentaliter absolutus non fuisti, sed solùm à reservatione peccatorum liberatus, non est dubium te obligatum esse inferiori Sacerdoti omnia peccata mortalia, tam reservata quàm non reservata fateri; quia indiges omnium illorum sacramentali absolutione, quæ per exemptionem à reservatione non conceditur.

2. Quòd si neque absolutus à peccatis sacramentaliter, neque reservatione inferiori sacerdoti accesseris absolvendus; videndum est, an aliqua necessitate premaris confitendi, tum ob præceptum confessionis; tum ob communionem recipiendam, quam absque scandalo, vel gravi damno honoris, vitæ, vel fortunarum committere non potes; tum ob aliam causam: an verò nulla confitendi te urgeat necessitas. Si nullâ ex prædictis urgearis necessitate, nequaquam potes confiteri Sacerdoti, qui in omnia tua peccata jurisdictionem non habet: quia nequit illa judicare, & illorum absolutionem concedere. Dimidiare autem judicium, & sola non reservata absolvere, alienum est à Christi institutione; aliàs simplex Sacerdos nulla stante necessitate posset pœnitenti auditis venialibus, & mortalibus absolutionem à venialibus concedere, & mortalia absolvenda Sacerdoti habenti in mortalia jurisdictionem remittere, quod est absurdum. Neque credendum est D. Thom. *in* 4. *dist.* 17. *q.* 3. *art.* 4. *q.* 2. *ad* 4. Paludan. *ibi: q.* 5. *art.* 1. *circa med.* Navar. *c. Consideret.* §. *Cautus, de pœnit. dist.* 5. *n.* 13. & alios plures relatos à Vasq. Suar. Coninch. *locis allegandis*, contrarium docuisset. Nam, esto assirmarent absolutè, inferiorem Sacerdotem absolvere posse pœnitentem casus reservatos habentem cum obligatione comparendi coram Superiore; subintelligendi sunt: ut inquit Suar. Vasq. & Coninch. stante necessitate; secus illa cessante. Atque ita docent aliis relatis Suar. *disp.* 31 *sect.* 2. *n.* 3. Vasq. *quæst.* 91. *art* 3. *dub.* 9. *à n.* 8. Coninch. *disp.* 8. *de pœnit. dub.* 13. *concl.* 3. *num.* 103. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 6. *cap.* 12. *q.* 5. *n.* 9.

3. Solùm est dubium, an, si eo casu bona fide prædicto Sacerdoti fatearis, verum Sacramentum, veramque absolutionem recipias, saltem illorum mortalium, quæ reservata non sunt? Negat Vasq. *q.* 91. *art.* 3. *dub.* 9. *vers. Ex dictis.* Movetur: quia prædictus Confessarius Judex non est causæ sibi propositæ, utpote qui caret jurisdictione in reservata: judicare autem non reservata omisso judicio reservatorum nequaquam potest, cùm in ejus potestate constitutum non sit judicium dividere, & absolutionem partiri. Aliàs si bona fide simplici Sacerdoti peccata venialia, & mortalia fatearis, verum Sacramentum recipies ob jurisdictionem, quam in peccata venialia Sacerdos habet. Neque obstat, si dicas. stante gravi necessitate recipiendi Sacramentum, posse Sacerdotem auditis peccatis reservatis & non reservatis, absolutionem pœnitenti directè à non reservatis, concedere, & indirectè à reservatis, sicuti si ea peccata essent invincibiliter oblita. Ergo similiter poterit stante bona fide absolutionem eodem modo concedere. Non, inquam, obstat: quia stante necessitate conscius est Confessarius justam habere causam dividendi judicium, & absolutionem quasi partitam concedere; ideoque ex intentione solùm à non reservatis absolvit, à reservatis verò absolvit, sicut ab oblitis; quatenus, inquam, reservata pugnant cum effectu gratiæ per absolutionem concesso. At, cùm confessarius bona fide procedit, omnia sibi confessa judicare intendit, & ab omnibus directè absolvere. Cùm ergo id præstare non possit, efficitur absolutionem irritam, & nullam esse.

4. Nihilominus oppositum verius censeo cum Cajetan. *verbo; Confessio. cap. ult.* Navar. *c.* 9. *n.* 7. Suar. *disp.* 31. *sect.* 2. *n.* 6. Ægid. de Coninch. *disp.* 8. *dub.* 13. *concl.* 2. *à n.* 101. Ratio ea est: quia Sacramenti valor deficere non potest ex tua parte, cùm integrè omnia peccata tua fatearis ei, quem credis in omnia jurisdictionem habere: neque etiam ex parte Confessarii deficere videtur, cùm in aliqua peccata confessa jurisdictionem habeat tametsi non habeat in omnia judicare autem aliqua peccata, ab illisque absolvere; aliis non judicatis, & absolutis, esto per se non fiat; per accidens tamen fieri potest ex defectu jurisdictionis, sicuti fit ob oblivionem, & impotentiam, aliamque urgentem necessitatem.

5. Ex quo fundamento ratio contraria dissolvitur. Fateor namque, Confessarium Judicem esse non integræ causæ sibi propositæ, sed partis illius; nego tamen per accidens judicium, & absolutionem directam dividere non posse: nam esto in sua æstimatione non dividat, eò quòd credat omnium peccatorum Judicem legitimum esse: at ex superioris intentione, quam

quam habet in Sacramenti administratione ; absolvendi : inquam, à peccatis, secundum jurisdictionem sibi concessam, de facto dividit. Quapropter probabilitate non caret, simplicem sacerdotem audientem peccata mortalia, & venialia, & absolutionem pœnitenti bona fide procedenti concedentem, verum sacramentum efficere, uti docuit Sanch. *lib.1. sum. c.9. num.55.* quem sequitur Layman. *lib.5. sum. tract.6. c.10. q.1. vers. Ad extremum.* Bonac. *disp.5. q.7. p.5. §. 3. n.7.*

6. Verùm urgente aliqua ex prædictis necessitatibus optimè potes inferiori sacerdoti, habenti aliàs jurisdictionem in peccata mortalia fateri, ab eóque absolutionem sacramentalem obtinere ; vel quia eo casu ex quadam æquitate censetur jus jurisdictionem illi concedere in peccata reservata cum obligatione tibi imposita comparendi coram Superiore ; vel quia ob urgentem necessitatem conceditur sacerdoti dimidiare judicium, & absolutionem directam, absolvendo à peccatis non reservatis, remissa superiori reservatorum absolutione. Atque ita tradunt Suar. *disp.30. sect.3.n.8. & 9.* & *disp.31. tota sect.3.* Ægid. de Con. *disp 8. de pœnit. dub.13. concl. n.105.* Henriq. *l.6.c.15.* Rodrig. *t.1. quæst. regul. q.21. art.5.* Layman. *lib.4. sum. tract.6 cap.12. q.5. n.10.* Bonac. *disp.3. q.7. p.5. §.3. n.5.* Et quidem si affirmemus, Sacerdotem eo casu jurisdictionem habere in peccata reservata sub obligatione imponendi pœnitenti onus se superiori sistendi manifestum est, te posse illi confiteri, ab eóque absolutionem impetrare, siquidem nulla est necessitas dimidiandi confessionem, dividendique judicium.

At, si dicamus, sacerdotem carere jurisdictione in reservata neque illa judicare, ab eísque absolvere posse, esto aliqui Doctores non infimæ notæ, inter quos est Vasq. *de pœnit. q.91. art.3. dub.8. num.4.* & *dub.9. n.23.* asserant, prædicto sacerdoti te confiteri non posse : neque ab eo absolutionem obtinere : reliqui Doctores relati contrarium affirmant ea ratione moti : quia integritas confessionis, & absolutionis directæ omnium peccatorum pœnitentis, non est de essentia, & necessitate sacramenti Pœnitentiæ ; sed præcepti divini, cujus omissio sæpè honestatur ob impotentiam etiam moralem, tum pœnitentis, tum Confessarii, tum aliorum. Ponamus autem te non posse superiorem, cui sunt peccata reservata adire, neque ab eo facultatem alteri fatendi petere, & ex alia parte urgere communicandi, vel celebrandi necessitatem : poterit ergo cuilibet alteri sacerdoti habenti jurisdictionem in reliqua peccata non reservata fateri. Quinimò non solùm potes, sed etiam expedit, tum reverentiæ Eucharistiæ, quæ à conscio peccati mortalis exigit confessionem præmittere : & licèt ea confessio fieri non possit materialiter integra ob defectum jurisdictionis in sacerdote : sufficit, quòd inregra formaliter sit, habeátque eam integritatem, quàm habere potest. Tum expedit securitati tuæ conscientiæ. Etenim cùm contritio non ita facile obtineatur, præstat affectum illius quærere sacramento pœnitentiæ, utpote faciliori via à Christo Domino in remedium peccati instituta.

Quod verum est, tametsi peccata reservata excommunicationem habeant : excommunicatio enim non irritat sacramenti Pœnitentiæ valorem : sed prohibet illius susceptionem cùm non urget necessitas. At stante communicandi necessitate, sicuti non impedit Communionem, nec pœnitentiam impedire potest, ut benè notarunt Henriq. *dicto cap.15.* Suarez *disp.31. sect.4. n.6.* Ægid. *disp.8. dub.13. n.107.* Laym. *lib.5. sum. tract.6. c.12. n.10.*

7. Quòd si inde inferas, stante dicta necessitate communicandi licitum esse præter mortalia reservata, nullum aliud mortale habenti confiteri simplici sacerdoti aliqua venialia, & ab eo absolutionem obtinere : siquidem eadem jurisdictione gaudet in peccata, quæ directè absolvere potest, sicuti quilibet alius ordinarius Confessor, imò licitum esse, & expedire habenti mortalia non reservata posse simplici sacerdoti, deficiente eo, qui in peccata mortalia jurisdictionem habeat, venialia fateri. Per se loquendo, admittenda erat illatio, ut dicunt Suar. *d. sect.3. n.10.* Coninch. *dicto dub.13. in fine, num.107.* Sed, quia illationem, neque usus Ecclesiæ, nec Doctores approbant, neque æquum est approbare, nisi fortè in gravissima necessitate, qualis esset, si multis annis sacramento Pœnitentiæ privandus esses ; ea de causa admitti non debet. At confiteri sacerdoti alias habenti jurisdictionem in mortalia, tametsi careat jurisdictione in reservata ; & usus Ecclesiæ, & Doctores communiter firmant.

8. Sed, an tenearis eo casu confiteri, non est certum. Respondeo, teneri. Primò, si saltem probabiliter non credis, te esse contritum, sed solùm attritum : nam attritione extra sacramentum Pœnitentiæ gratiam non obtines, quæ sacræ Eucharistiæ recipiendæ necessaria est dispositio. Secundò, si ultra reservata, alio peccato mortali gravaris : cùm enim juxta probabiliorem nostram sententiam, ab eo peccato absolvi possis, quamvis directè à reservatis non absolvaris, & cujuscunque peccati mortalis confessio, & absolutio jure divino sacræ Eucharistiæ præmittenda sit, efficitur necessariò, hujus peccati confessionem, & absolutionem præmittendam esse. E contra verò, si probabiliter credis, te esse contritum, neque alio peccato mortali, ultra reservata, gravaris : nulla est tibi obligatio confessionem præmittendi : quia non adest legitimus Judex, qui confessionem excipiat illorum, quæ fateri teneris. Quinimò hoc verum est, esto Confessor jurisdictionem habeat in reservata sub onere comparendi : quia nulla lege divina obligaris, neque humana astringi potes ad bis eadem peccata fatenda, sicuti benè notarunt Suarez *disp.31. sect.5. n.31. in fine.* Layman. *lib.5. sum. tract.6. cap.12. n.10. vers. Id porro.*

9. Difficultas non levis est, an illis eventibus, in quibus obligatus es confessionem præmittere, eò quòd de contritione suspectus sis, vel aliis mortalibus non reservatis gravaris satisfacias obligationi suscipiendi sacramentum Pœnitentiæ ; quin reservata manifestes. Affirmant Alexand. Alens. 4. *part. q.18. memb.4. art.5. §.2. ult.* Petr. de Soto *lect.10. de confes.* & alii relati à Suar. *disp.31. sect.3. n.8.* quorum sententiam ipse meritò probabilem reputat. Neque enim obligaris peccata fateri, nisi sacerdoti ea integrè & perfectè judicare, abeísque absolutionem concedere valenti : quia solùm ob absolutionem sacramentali obtinendam est obligatio confitendi peccata.

Cæterùm probabilius oppositum existimo, ut pote securius, & puritati sacramenti convenientius. Etenim Confessarius pœnitentem absolvens, necessariò judicare debet absolutioni esse rite dispositum : at hoc judicium convenienter habere non potest, nisi sibi manifestentur ea, quæ rectæ dispositioni obstare possunt. Igitur, cùm peccata reservata huic possint dispositioni obstare, efficitur ea manifestanda esse. Quod si respondeas, Confessarium obligatum esse judicare de pœnitentis dispositione juxta causam, cujus est legitimus Judex : reservatorum autem legitimum Judicem non esse, ac proinde non esse illi necessariò manifestanda. Aliàs nunquam tibi liceret retinere peccatum in confessione, si eo tacito Confessarius cognoscere non posset ritè te esse dispositum : obstat : quia esto Confessarius per se non judicet de dispositione pœnitentis, nisi secundùm causam sibi propositam, & pœnitens non semper obligatus sit omnem sui causam manifestare : at quando eam

manifes

manifestationem absque gravi sui, vel alterius jactura præstare potest, videtur ad eam faciendam obligatus: quippe Confessarii sententia non tam in peccata confessa, quam in confitentem cadit: ipse enim est, qui absolvitur. Debet ergo fateri, quæ ipsius absolutioni obstare possunt. Atque ita docent ex communi sententia Henriq. *lib.6. cap.15.n.5.* Suar. *disp.31. sect.3. n.8.* Layman. *lib.5. sum. tract.6. cap.12. n.11.*

PUNCTUM XVI.

De bonitate, & scientia, quam Confessarius habere debet.

1. *Ad valorem Sacramenti bonitas, & scientia non sunt in Ministro necessaria.*
2. *Benè ad licitum usum.*
3. *Quæ scientia requiratur.*
4. *Pro diversitate locorum, & personarum diversa scientia requiritur.*
5. *Quid faciet Sacerdos dubius de scientia.*
9. *Non est opus judicium de quolibet peccato in individuo efformare, an mortale sit, an veniale.*
7. *Absolvi potest pœnitens, promittens facturum, quod pristmodum judicatum fuerit.*
8. *Pœnitens quando teneatur Confessarium instruere de gravitate culparum.*
9. *Aliquando indoctus audire confessiones potest.*
10. *Quam obligationem habeant Episcopi, aliarumque Ecclesiarum Prælati.*

1. BOnitas, & scientia per se ad valorem Sacramenti requisita non sunt: siquidem absque illius materia, & forma, & Minister jurisdictionem habens stare potest, uti pluribus relatis docuit Suar. *disp.28. sect.2. n.12.* Bonac. *disp.5. de pœnit. q.7. punct.4. §.2. n.13. & 14.* Eáque de causa *punct.11.* probatum reliquimus, pœnitentem bona fide confitentem Sacerdoti existimanti peccata venialia esse, quæ verè erant mortalia, obligatum non esse confessionem repetere: quia ea ignorantia non impedivit rectam pœnitentis dispositionem, & Confessarii absolutionem.

2. Sunt tamen bonitas & scientia duo necessaria ad licitum Sacramenti usum. Et in primis est necessaria probitas, etenim Sacerdos, ut sacramentum debitè ministret, existimare debet, nullo peccato mortali, nullave censura impeditum esse; aliàs mortaliter peccabit, nisi fortè ob subitam necessitatem excusetur, sicuti latiùs dixi *tract.18. de Sacramen. in genere. punct.5.* Deinde, requiritur scientia, ut pœnitentem judicare, mederi, & in via Dei dirigere possit, quia Sacerdos officium Judicis, Medici, Pastoris, & Doctoris sustinet, ut benè inter alios observat Suar. *disp.28. sect.2.*

3. Hæc autem scientia est, quæ valet cernere ex peccatis, quæ communiter occurrunt, & confessionibus subjiciuntur quæ sint mortalia, quæ circumstantiæ mutent speciem, quæ sint reservata, quæ excommunicationem habent annexam, & alia hujusmodi. Non tamen est necessarium, ut omnia supradicta exactà noverit, aliàs vix reperietur Confessarius idoneus: sufficit, si frequentius occurrentia norit, & de aliis dubitare sciat, & proprio studio, & labore, aliorúmve consilio dubium vincat, uti docuerunt Vasq. *de pœnitent. q.93. art.3. dub.1.* Suar. *disp.28. sect.2.* Ægid. *disp.8. de pœnit. dub.15. n.126.* Bonac. *disp.5. de pœnit. q.7. punct.4.* Layman. *lib.5. sum. tract.6. cap.13. quæst.1.*

4. Hinc fit pro diversitate locorum, personarum majorem, vel minorem scientiam in Confessario requiri. Etenim, ut dictum est, Confessarius scientiam habere debet, saltem eorum, quæ communiter committuntur ab iis pœnitentibus, quibus judicandis est expositus. At aliqui pœnitentes difficiliores præ aliis casus habent aliquáque oppida præ aliis difficiliores contractus exercent. Qui ergo expositus fuerit, cujuscunque generis pœnitentium confessiones excipere, abundantiore scientia pollere debet, quam is, qui fœminarum, aliorúmque proborum hominum confessionibus excipiendis expositus est. Atque ita docent Vasquez Bonacina Ægidius & Layman. *loc alleg.*

5. Cùm verò Sacerdos dubius est, an polleat scientia necessaria ad debitam sacramenti administrationem, cónsulat Superiorem, vel virum doctum, & ejus dictis acquiescat. Si enim Superior, vel vir doctus affirmet scientiam sufficientem habere, dubium deponat: ducitur enim ratione probabili, quæ ad regulandas humanas actiones sufficiens est, ut benè in præsenti docuerunt, Navar. *c.4 n.9.* Henriq. *lib.6. c.26.* Suar. *disp.28 sect.2. dub.7.* Vasq. *q.93. art.3. dub.1. ad finem.* Bonac. *disp.5. q.7. p.4. §.2. n.6.* Layman. *lib.5. sum. tract.6. c.13. q.1.* colligitúrque *ex cap. Quid culpatur, 23. q.1.*

6. Tria supersunt certa. Primum, opus Confessario non esse, ut de quolibet individuo, & singulari peccato judicium efformet, mortaléve sit, an veniale: quia id difficilimum est, & sæpè impossibile, sufficit, si peccati genus, seu speciem agnoverit, & qualiter patratum fuerit, perceperit: hæc enim scientia prudenter judicium feret, & medicinam, prout necessarium est, adhibere poterit. Sic Sylvest. *verbo, Confessor.3. q.9. num.13.* Navar. *sum. c.4. n.9.* Suar. *disp.28. sect.2. n.2.* Vasq. *q.93. art.3. dub.1. n.1.* Bonac. *disp.5. de Sacram. q.7. p.4. §.2. n.12.*

7. Secundum est certum. Si Confessario accidat casus, quem ex tempore decidere non potest; sperat autem proprio studio, vel consilio doctiorum decisurum, poterit pœnitenti absolutionem impendere, si ipse facturum promittat, quod fuerit judicatum: quia sufficienter videtur dispositus absolutioni recipiendæ. Et notavit Sylvest. *Confessio, 3. n.12.* Navar. *sum. c.26. n.3.* Henriq. *lib.6. c.26. n.9.* Suar. *disp.28. sess.2.* Coninch. *disp.9. de pœnit. dub.16. n.126.* Bonac. *disp.5. de pœnit. q.7. p.4. §.2. n.10.*

8. Tertium. Si pœnitens doctus sit, & apertè cognoverit Confessarium ejus peccati gravitatem non percipere, obligatus videtur Confessarium instruere: quia tenetur facere, quantùm in se est, ut Confessarius justè ferat judicium in causa ita gravi. Extra hunc casum non tenetur gravitatem culpæ in actu signato exprimere: sufficit, si in actu exercito eam manifestet, narrando factum, & circunstantias occurrentes, uti aliis relatis docuit Suarez *disput.28. sect.2. num.18.*

9. Quæ hactenus diximus, per se requiruntur, spectata rerum natura: at casus contingere potest, in quo alias indoctus, & ineptus, doctus, & aptus judicetur. Etenim, si nullus Sacerdos, prout sacramentum absolutè expostulat, inveniretur populo præficiendus, expediret præfici minus idoneum, ne diu populus Pastore careret, qui adstante ea necessitate doctus, idoneus est, qui aliàs ut indoctus, & ineptus repelleretur, sicuti benè notavit Ægid. de Coninch. *disp.28. dub.16. in fine, num 127.* ubi prudenter monet, debere sic perfectum dare operam, tum proprio studio, tum aliorum consilio, ut quoad fieri possit, ineptudinem vincat, & se muneri exercendo aptum reddat.

10. Ex his infertur, quàm gravi obligatione Episcopi, aliique Ecclesiarum Prælati astringantur ad Pastores idoneos præficiendos. Etenim, cùm penes ipsos principalis cura Ecclesiarum, resideat, cui ut satisfaciant, Pastores eligunt, si ineptos elegerint, aut sic electos, & constitutos non removerint, cùm aliàs idoneos potuerint constituere, obligationem sui

muneris

muneris graviſſimè lædunt, & de ſua negligentia, animarúmque jactura rationem in juſtiſſimo Dei Judicio ſunt reddituri.

PUNCTUM XVII.

De approbatione requiſita in Confeſſario.

TRidentinum *ſeſſ.23. cap. de reformat.* inquit : *Quamvis Presbyteri in ſua Ordinatione poteſtatem abſolvendi, à peccatis accipiant : decernit tamen ſancta Synodus, nullum, etiam Regularem, poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, audire, neque ad id idoneum reputari, niſi aut parochialem, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis, & conſuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obſtantibus.* Circa quod decretum aliqua occurrunt examinanda. Primò quid approbatio. Secundò, quæ perſonæ, & ad quas confeſſiones excipiendas ea approbatione indigeant. Tertiò, qui poſſint, vel teneantur illam concedere. Quarto, an ſemel conceſſa ſuſpendi, vel revocari poſſit.

§. I.

Quid ſit approbatio ; qualiter concedi debeat ; & quæ ejus neceſſitas.

1. *Definitur approbatio.*
2. *Quid, ſi ab Epiſcopo exterius approbatur, & interiùs judicetur inhabilis.*
3. *Approbatio eſt à juriſdictione diſtincta.*
4. *De approbatione ex beneficii collatione, & per authenticum judicium.*
5. *Quæ conditiones ad utramque requirantur.*
6. *Gratis concedi debet approbatio.*
7. *Approbatio Religioſorum, qui non ſunt à Superioribus præſentati, nulla eſt.*
8. *Quæ ſit neceſſitas hujus approbationis.*

1. APprobatio eſt authenticum teſtimonium, quo aliquis Sacerdos habilis, & idoneus ad excipiendas confeſſiones declaratur, ut ex communi ſententia docent Suarez *diſp.28. ſect.4. n.22.* Vaſq. *q.93. art.3. dub.4. num.4. & 5.* Layman. *lib.5. ſum. tract.6. cap.11. n.7.* Ægid. de Coninch. *diſp.8 dub.7. n.49.* & alii referendi. Hanc autem declarationem præſtare Epiſcopus poteſt ; tum judicando eſſe habilem Sacerdotem, quem approbat ; vel judicando inhabilem eſſe. Si judicat eſſe habilem, & illud judicium authenticum facit, tametſi decipiatur, verè approbatus exiſtit : quia habet omnia : quæ ad approbationem requiruntur. Aliàs ſæpè de valore approbationis dubium eſſe poſſet cum gravi animarum jactura, ſicuti notavit Bonac. *diſp.5. de pœnit. q.7. punct.4. §. 1. n.30.* & innuit Suar. *diſp.28. ſect.5. n.7.* Reginald. *lib.1. ſum. num.167.*

2. Verùm, ſi ab Epiſcopo exteriùs approbetur, & interiùs fuerit judicatus inhabilis, cenſet Bonacina relatis Suarez & Reginald, & Barboſa *2. p. de poteſt. Epiſc. alleg.25. n.20.* nullam eſſe approbationem : quia Concilium duo videtur expoſtulare & judicium Epiſcopi, & illius approbationem, ut colligitur ex illis verbis : *& idoneus judicetur, & approbationem obtineat.* Atqui ab Epiſcopo habilis exteriùs judicatur, cum tamen interiùs inhabilis judicetur, non verè, ſed ficte, tanquam habilis, approbatur. Non igitur ea approbatio valida eſſe poteſt. Cæterùm veriùs exiſtimo, validam eſſe approbationem, dum Epiſcopus fictionem non declarat. Moveor : quia Concilium de judicio, & approbatione viſibili loqui cenſendum eſt : quia Eccleſia non judicat de occultis, & quæ actum exteriorem non prodeant. Præterea, quia à judicio authentico, & declarativo, quòd Sacerdos habilis ſit ad excipiendas confeſſiones, approbatio diſtingui non poteſt, neque contrarium ex verbis conſilii colligitur : nullam approbationem aliam Sacerdos obtinere debet, quàm judicium authenticum Epiſcopi. Denique ratione hujus authentici judicii, & exterioris approbationis expoſitus eſt ſacerdos, ut ab habente poteſtatem eligendi Confeſſarium eligi poſſit : credendum ergo eſt verè approbatum eſſe, & ita tanquam probabile defendit Suarez *dicta diſput.28. ſection.5. num.7.*

3. Hæc approbatio, etſi requiratur ad juriſdictionis uſum, à juriſdictione tamen eſt omnino diſtincta, nam juriſdictio eſt ſuperioritas ſubditos reſpiciens ; at approbatio diſpoſitionem, & aptitudinem perſonæ approbatæ ſpectat. Quapropter approbari ſacerdos poteſt ; quin ullam juriſdictionem habeat, & è contrà juriſdictionem habere poteſt, ſicuti habent religioſi, qui approbationem ab Epiſcopo obtinent : approbatio namque non eſt juriſdictionis conceſſio ; ſed habilitatis perſonæ authentica declaratio. Atque ita tradunt Suar. *diſp.28. ſect.4. num.22.* Vaſq. *de pœnitent. quæſt.93. art.3. dub.4. num.4.* Llamas. *1. p. methodi, cap.6. §. 5.* Layman. *lib.5. ſum. tract.6. c.11. n.7.* Verùm eſto approbatio à juriſdictione ſejuncta ſit ; regulariter tamen cum approbatione conjungitur : Epiſcopus enim ſacerdotem approbans ſimul juriſdictionem concedit, uti docent Henriq. *lib.11. de matr. cap.3. n.5.* Gutier. *lib.1. can. quæſt. cap.27. n.23.* Fagundez *de ſecundo Eccl. præcepto, lib.7. c.3. n.4. & 5.* & colligitur ex Thom. Sanch. *lib.3. de matr. diſp.35. num.7.*

4. Conceditur ſacerdoti hæc approbatio primò, parochialis beneficii collatione ; collatione, inquam, non electione, ſeu præſentatione. Nam electus, ſeu præſentatus non dicitur beneficium habere, quod Concilium requirit, ſed habiturum. Secundò, ſi Epiſcopus prævio examine præcedente, aut alia via idoneitatem Sacerdotis : cognoſcens authenticè judicet, & declaret idoneum, cui juriſdictio ad excipiendas confeſſiones committi poſſit. Quoties autem Epiſcopus Sacerdotem ſibi ſubditum ad audiendas confeſſiones deſignat, eo ipſo cenſet : idoneum eſſe, aliàs iniqua eſſet, & invalida deſignatio, ſicuti docent Cordub. *in ſum. quæſt.10.* Suar. *diſp.28. de pœnit. ſect.4. num.10.* Fagund. *de ſecundo Eccl. præcepto, lib.7. cap.2. n.6. & cap.3. in fine, n.14.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg.25. n.6.* Bonac. *diſp.5. q.7. p.4. §. 1. num.10.* Coninch. *diſp.8. dub.7. n 49.*

5. Ad prædictam approbationem, ſi ex beneficii parochialis collatione conſurgat, ſcriptum reliquæque conditiones pro valida beneficii collatione requiſitæ expoſtulantur. Si verò ex authentica declaratione habeatur approbatio, ſcriptura opus non eſt, ſiquidem neque in Concilio, neque alibi, ut neceſſaria expoſtulatur, neque ex natura rei neceſſaria eſt, cùm verbo tenus fieri poſſit, & ſæpè fiat, ut notarunt Suarez *diſp.28. ſect.5. num.9.* Bonacina *diſp.5. de Sacrament. q.7. punct.4. §. 1. in fine.* Fagund. *de ſecundo Eccl. præcep. lib.7. cap.2. n.60.* Monent tamen, & bene, conſultum eſſe in ſcriptis haberi, ut certius conſtet, quando neceſſe fuerit.

6. Deinde debet gratis concedi, ut expreſſit Tridentin. An verò defectus hujus conditionis approbationem non ſolùm illicitam, de quo dubium non eſt, ſed irritam reddat, ſicuti reddit collationem beneficii, difficultate non caret. Verior eſt pars negativa, quia pœnæ extendendæ non ſunt ultra caſus expreſſos. At nullibi habetur, hanc approbationem ſimoniacè obtentam annullari. Non igitur aſſerendum. Et ita docent Suar. *t.4. de pœnit. diſp.28. ſect.5. n.19.* Reginald. *lib.1.*

lib. 1. num. 180. dub 3. Bonac. *disp 5. quæst. 7. punct 4. §. 1. in fine.* Nullatenus tamen audiendus est Fagund. *de secundo Ecclesiæ præcept. lib. 7. cap. 2. num. 66.* affirmans, si pretium, quod pro obtinenda approbatione datum est, leve fuerit, veniale tantùm peccatum esse, quippe, ut *tract. 17. disp. ult. de simonia, punct. 1. in fine.* simonia ita est vitium execrandum, ut nullam levem materiam admittat.

7. Illud placet advertere cum Henriq. *lib. 5. de pœnit. cap. 6. n. 6.* Fagund. *lib. 7. de secundo Eccl. præcepto cap. 2. n. 33.* nullam esse approbationem datam religiosis, qui expresè, vel tacitè à suis superioribus præsentati non fuerint, juxta textum in Clement. *Dudum de sepult. §. Statuimus.* Etenim cùm Religiosi nec velle, nec nolle habeant nisi suis Prælatis subordinatum, præsumitur Pontificem nolle Prælatis invitis approbationem concedere, quæ & religioni nociva esse potest, & contra religionem obtenta est.

8. Necessitas hujus approbationis tanta est, ut absque illa nullus sacerdos sæcularis, vel regularis possit confessiones sæcularium, etiam sacerdotum audire, non solùm licitè, sed nec validè, quod satis indicat verbum illud, *non possit*, quod omnino potentiam tollit, ut multis relatis probat Sanch. *libr. 6. de matr. disp. 38. n. 20.* & tradit in præsenti Vasq. *q 95. art. 3. dub. 3.* Suar. *disp 28. sect. 5. & 6.* Bonac. *disp. 5. q 6. pun. 4. §. 1. n. 9.* Ægid. de Coninch. *disp. 8. dub. 7. n. 49.* Fag. *libr. 7. c. 2. n. 43* Barbos. *alleg. 25. n. 1. & 2.*

Notanter expressit Concilium, *etiam sacerdotum* ne aliquis intelligeret ob consuetudinem, quam Sacerdotes habebant sibi invicem confitendi, confiteri posse Sacerdoti, parochiale beneficium non habenti, neque aliàs ab Ordinario approbato. Et fortè derogationem hujus consuetudinis attendit Concilium, cùm dixit: *Privilegiis, & consuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus.* Atque ita docet Tolet. *lib. 3. summ. cap. 13 n 5. ad finem.* Fagundez *de secundo Eccl. præcepto, lib 7. cap. 2. in fine.* Cui decreto non obstat consuetudo recepta, qua Parochi, imò simplices Sacerdotes, modò approbati sint ab Ordinario, sibi invicem confiteri possint, quia hæc potestas est jurisdictionis, quæ ob necessitatem frequentis celebrationis omnibus censetur concessa, ut docuit Suar. *disp. 27. sect. 3. n 4.* Coninch. *disp. 8. de pœnit. dub. 8. concl. 3. num. 61.*

§. II.

Quæ personæ, & ad quas confessiones excipiendas prædicta approbatione indigeant.

1. *Omnes indigent ad sæcularium confessiones, secùs ad confessiones regularium.*
2. *Non excipiuntur, esto graduati sint.*
3. *Quid pro confessionibus Episcoporum, aliorumque Prælatorum.*
4. *Deciditur quæstio.*
5. *Solvuntur oppositæ.*
6. *Approbati in duplici sunt differentia.*
7. *Approbatus per beneficium parochiale eligi potest in tota diœcesi.*
8. *Etiam extra diœcesim eligi potest, quidquid dicat Gutierr.*
9. *Approbatus absolutè, per authenticum judicium ubilibet eligi potest.*
10. *Item approbatus cum restrictione, quicquid alii contra sentiant.*
11. *Quid dicendum de confessione religiosorum, an eligi possit non approbatus.*

1. REgula generalis est, ad excipiendas sæcularium confessiones omnes sacerdotes approbatione prædicta indigere: quia sic expressit Concilium. Cùm ergo nihil de regularium confessionibus excipiendis locutum fuerit, manifestum est voluisse dispositionem juris antiqui observari: siquidem à jure antiquo recedendum non est, nisi quatenus novo fuerit expressum, *leg. Præcipimus. Cod. de appellat. cap. 2. de translat. Episcop.* At jure antiquo ad excipiendas regularium confessiones approbatio necessaria non erat, sed quilibet sacerdos consentiente Prælato eligi poterat, ut communiter Doctores testantur. Ergo etiam post Concilium eligi potest. Et ita tradit Suar. *disp. 28. sect. 4. n. 4.* Coninch. *disp. 8. de pœnit. dub. 7. n. 48.* Fagund. *de secundo Eccl. præc. lib. 7. c. 2. n 3.* Laym. *lib. 5. sum. tract. 6. c. 11. n. 1.* Bonac. *disp. 5. q. 7. p 4. §. 1. n. 10. vers. Dixi,* & alii apud ipsos.

2. Dubium tamen est de insignitis gradu Magistri, Doctoris, vel Licentiati in sacra Theologia, aut Jure Canonico, an inquam, ii alia approbatione Ordinarii indigeant? Negant aliqui relati ab Henriq. *lib. 3. de pœnit. c. 6. n. 2. in comment. lit. O.* Llamas *1. p. methodi, c. 7. §. 7.* Quia ii jure ipso, & à Pontifice videntur approbati, & idonei Academiæ testimonio. Sed hæc sententia probabilis non est, nisi ob specialem alicujus diœcesis consuetudinem: quia Concilium neminem ab approbatione Ordinarii excepit, quam approbationem non censetur ordinarius concedere ob gradum Magistri, vel Doctoris ab Universitate collatum: equidem in concessione horum graduum sola scientiarum peritia spectatur: at in approbatione Confessorum non solùm scientia, sed morum probitas & prudentia attenditur, quæ sæpè doctis & peritis deficere solent. Non igitur ex gradu Magistri, & Doctoris approbatio ab Ordinario infertur. Atque ita ut certum tradit Suar. *disp. 28. sect. 4. n. 3.* Fagund. *de secundo Eccl. præcept. lib 7. c. 2. n. 68.* Laym. *lib. 5. sum. tract 6. c. 11. n. 2.* Barbos. *2. p. de potest. Episcop. alleg. 25. n. 6.* & colligitur manifestè ex Bulla Pii V. edita an. 1571. quæ incipit *Romani Pontificis*, ubi regulares & Magistros, & Doctores in Theologia examini & approbationi Ordinarii obtinendæ subjicit: & notavit Suar. *suprà*, & Barbos. *dicta allegat. 25. n. 26.* Miranda *t. 1. Man. Prælat. quæst. 45. art. 9 conclus. 1.* Decet tamen: etsi fieri possit, ne prædicti Magistri & Doctores, aliique viri sapientes examini quoad scientiam subjiciantur; sed ex communi hominum æstimatione judicentur; argumento text. Trid *sect. 7. c. 13. de reform.* sicuti notarunt Mirand. Layman. Fagund. *locis alleg.*

3. Præterea dubium esse solet, an pro confessionibus Episcoporum, aliorumque Prælatorum jurisdictionem quasi episcopalem habentium approbatio requiratur? Ratio dubitandi est: quia Trident. solùm ad excipiendas confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, approbationem expostulavit. At Episcopi, aliique Prælati sub nomine sæcularium, etiam Sacerdotum, non comprehenduntur, maximè in decreto odioso, & jurisdictionis à jure communi concessæ restrictivo: ut docuit Panormit. *in cap. Non potest. de sentent. & re judic.* Præterea Episcopis, & ex consequenti aliis Prælatis jurisdictionem episcopalem habentibus est à jure privilegium concessum eligendi in Confessorem quemlibet Sacerdotem absque ulla limitatione: quod privilegium non debet censeri restrictum ex generali clausula derogatoria; sed opus erat illius expressa mentione, ut *in tract. de legib. disp. de privil. p. 21.* diximus.

Sed contrarium testantur communiter Doctores, decisum esse à sacra Cardinalium Congregatione, cujus decisionem referunt, & approbant Suar. *t. 4. de pœnit. disp. 28. sect. 4. n. 7.* Tolet. *lib. 3. summ. cap. 13. n. 5.* Fagund. *de secundo Eccl. præc. c. 2. n. 79.* Barbosa *2. part. de potest. Episc. alleg. 25. n. 9.* ubi plures refert. Rationem reddunt: quia hoc Trident. decretum, ut pote juri communi infertum, & rectam Sacramenti

administrationem respiciens, favorabile potiùs, quàm odiosum reputandum est, ac proinde comprehendere debet confessiones cujuscunque sæcularis, quacunque dignitate fulgentis, aliàs neque pro Regum, aliorúmque Principum confessionibus excipiendis approbatio requisita esset, cùm ii sub nomine generali sæcularium in decreto odioso, & restrictivo intelligantur, quòd omninò falsum est.

4. Cæterùm media via tenenda est, & affirmandum, nullum Episcopum eligere Confessarium posse: quin à suo Ordinario approbatus sit. At non inde infertur, Sacerdotem alterius diœcesis non approbatum eligere non posse, sed non posse illum eligere, dum in aliena diœcesi commoratur, & sibi nullo modo subjicitur. At, si sibi aliquo modo subdatur, tum ratione habitationis transeuntis, tum ratione alicujus obsequii ecclesiastici, tum ob aliud officium, seu ministerium; poterit cum eligere: quia ea electio est illius manifesta approbatio, ac proinde eligit Sacerdotem à suo Ordinario approbatum: quia comparatione illius actus ipse Ordinarius ejus censendus est. Quocirca, cùm Congregatio Concilii declaravit, Episcopum vigore privilegii *cap. fin. de pœn. & remiss.* non posse eligere Sacerdotem sibi non subditum, qui à proprio Ordinario juxta formam Concilii non fuerit approbatus, intelligi debet, dum est non subditus; secùs si aliquomodo subditus fiat. Atque ita docet Fag. *de secund. Eccl. præc. l. 7. c. 2. n. 80.* Bonac. *disp. 5. q. 7. pun. 4. n. 16.* testatúrque praxi, & consuetudine esse receptum, cùm sæpe externi Sacerdotes, neque ullibi approbati vocentur ab Ordinario examinandi, & approbandi, ut confessiones in ea diœcesi, in qua transeunter existunt, excipiant.

5. Neque huic doctrinæ obstant *superiùs* adducta. Ad rationem dubitandi respondeo, decretum non odiosum, sed favorabile esse; uti *num. præcedenti* probatum est. Neque ex eo, quòd Trident. Confessoribus eligendis annectat approbationis conditionem, ut possint eligi; infertur restrinxisse privilegium Episcopis concessum *in cap. fin. de pœnitent. & remissionib.* eligendi Confessorem, nam illud privilegium semper permanet, eligendi, inquam, Confessorem habilem, & idoneum: cùm autem præcisa approbatione non sit idoneus, nequit Episcopus illum non approbatum eligere: non ex restrictione sui privilegii; sed ex nova conditione eligendo apposita. Argumentum verò secundæ sententiæ nostram doctrinam firmat.

6. Porrò Sacerdotes approbati in duplici sunt differentia ut ex §. *præcedenti*: constat, alii, qui approbati sunt beneficii parochialis collatione: alii, qui prævio examine, vel alia via judicati sunt idonei. Hi tamen judicari possunt idonei, tum absolutè, tum aliqua restrictione, scilicet, ad excipiendas, v. g. virorum, non fœminarum confessiones pro oppido, & non pro tota diœcesi.

7. Dubium ergo est, an quælibet ex iis approbationibus sufficiat, ut virtute Bullæ, vel Jubilei concedentis potestatem eligendi Confessorem ab Ordinario approbatum eligi possit? Et in primis de approbatione per beneficium parochiale, tametsi *Praxis nova Episcop. p. 2, cap. 1. n. 10.* referat à sacra Congregatione decisum, approbationem esse ita restrictam, ut virtute illius approbatus solùm sit idoneus in ea civitate, vel oppido, ubi situm est beneficium; communis sententia docet, in tota diœcesi virtute Jubilei, Bullæ, aut ex commissione Parochorum eligibilem esse. Est enim hæc approbatio ad minus æqualis virtutis, & dignitatis, ac est approbatio absoluta per authenticum testimonium: quippe eas approbationes Concilium æquiparavit. Approbatus absolutè judicio authentico eligibilis est in tota diœcesi: ergo etiam eligi poterit approbatus per beneficium. Atque ita docent ex communi sententia Gutierr. *lib. 1. canon. quæst. c. 27. n. 21.* Suar. *disp 28. sect. 4. n. 16.*

8. Sed, an extra diœcesim eligi possit? Negat Gutierr. *loco proximè allegato*, refertque à sacra Congregatione decisum. Movetur: quia authentico testimonio approbatus non videtur extra diœcesim eligendus: ergo nec parochiale beneficium habens, qui approbato per authenticum judicium æquiparatur. Cæterùm longè verius est, Parochum, dum beneficium retinet, eligi ubique posse: quia ubicunque sit, verum est beneficium, cui est approbatio annexa, retinere. Sic Suar. *disp. 28. sect. 4. n. 18.* Henriq. *lib. 6. de pœnit. cap. 6. num. 8.* Vasq. *quæst. 91. art. 3. dub. 4. n. 3.* Fagund. *de secund. Eccles. præcep. lib. 7. c. 2. n. 36.* Barbos. *de potest. Episc. n. 18.* Notanter dixi, *dum beneficium retinet*: nam si eo privatus sit, vel à se abdicavit, cessat approbatio, sicuti cessat per mutationem diœcesis approbatio authentico judicio Ordinarii facta, ut *posteà* dicemus.

9. De approbato per authenticum judicium dicendum est, si absolutè absque ulla restrictione approbatus sit, eligi posse virtute Bullæ, seu ex commissione Parochorum, non solùm dum est intra propriam diœcesim, in qua est approbatus; sed etiam dum commoratur extrà, modò domicilium non mutaverit: quia dum retinet diœcesim approbantis, ratione domicilii illi subditus est, ac proinde illius approbationem retinet, sicuti tradit Fagund. *de secundo Eccl. præcep. lib. 7. cap. 2. n 37.* Coninch. *disp. 8. dub. 7. n. 53.* Henriq. *lib. 7. cap. 12. n. 4.* Suar. *disp 28. sect. 7. n. 4.* & alii. Neque obstat, in alia diœcesi diversas Constitutiones, & consuetudines, & casuum reservationes, contractus, & commercia vigere solere, ut meritò judicari possit inhabilis ad confessiones ibidem excipiendas, qui alibi idoneus judicatur: quia id est per accidens, & conscientiæ Confessarii remissum. Nam etiam intra eandem diœcesim non omnes approbati apti sunt ex natura rei ad omnium confessiones excipiendas; tametsi spectata juris positivi dispositione apti sint. Aliàs nec Parochus eligi posset contra *superius* dicta, & communem sententiam.

Dixi, *si diœcesim non mutavit*: nam mutata diœcesi grave dubium est, §. 4. examinandum, an cesset approbatio.

10. Si verò approbatio non fuerit absoluta, sed cum restrictione ad certum numerum personarum, vel locorum variant Doctores, an virtute Jubilei eligi possit, tum ab illis personis, & illis in locis, in quibus est approbatus, tum ab illis, & aliis in locis indifferenter. Aliqui affirmant à nemine eligi posse: quia Bulla, seu Jubileum expostulat eligendum esse approbatum ab Ordinario; tacitè innuens debere esse absolutè approbatum. Proximiùs veritati accedunt Suar. *disp. 28. sect. 7. n. 3.* Rodrig. *t. 1. sum. cap. 60. n. 4. concluss. 4.* asserentes ab illis personis, comparatione quarum Sacerdos approbatus est, eligi posse: secùs ab aliis, & aliis in locis. Sed rectiùs sentiunt Henriq. *lib. 6. de pœnit. c 6. n. 8.* & *lib. 7. cap. 12. num. 4.* Coninch. *disp. 8. dub. 7. n. 57.* Sanch. *lib. 8. de matr. disp. 34. n. 16.* Bonac. *disp. 5. de pœnit. quæst. 7. p. 4. § 1. num. 22.* Fagund. *de secund. Eccl. præcep. lib. 7. cap. 2. n. 45.* & *cap. 3. n. 7.* Barbos. *de potest. Episc. alleg. 25. n. 17.* affirmantes eligi ab omnibus posse. Moveor: quia fœmina eligens approbatum ad confessiones virorum audiendas, propriè, & in rigore eligit approbatum ab Ordinario: ergo satisfacit conditioni in Bulla, seu Jubileo requisitæ. Non enim Jubileum, seu Bulla expostulat, ut Sacerdos approbatus sit comparatione omnium, qui illum virtute privilegii, seu specialis commissionis eligere possunt, aliàs fideles diversæ diœcesis illum non possent eligere: sed sufficit, quòd simpliciter approbatus sit.

11. Sed,

11. Sed, quid dicendum de confessionibus Religiosorum, possúntne Religiosi eligentes Confessarium virtute Jubilei eligere ab Ordinario non approbatum, sed solùm à suis propriis Prælatis designatum: Et procedit quæstio, quando Jubileum expostulat eligere Confessarium ab Ordinario approbatum. Hoc, inquam, casu videtur nequaquam eligi posse à Regularibus Sacerdotem ab Ordinario non approbatum, tametsi à propriis Prælatis fuerit designatus: quia Jubileum expresse postulans, ut eligatur Confessarius ab Ordinario approbatus, aliis non committit jurisdictionem absolvendi. Sic docuit Suar. *disp.* 28. *sect.* 6. *num.* 11. Reginald. *l.* 1. *n.* 175. Zerola *de pœnitent. c.* 15. *q.* 1. & *c.* 16. *q.* 8. Et Favet Constitutio quædam Clement. VIII. edita 3. Novemb. 1590. relata à Quaranta *verbo Confessor. pag.* 197. Fagund. *de secundo Eccl. præcep. l.* 7. *c.* 2. *n.* 5. & 12. Verùm, etsi hæc sententia, ut omninò secura, consulenda sit, contrariam probabilem reputo cum Bonac. *disp.* 5. *de pœnit. q.* 7. *p.* 4. §. 1. *n.* 26. quia præsumendum non est, Pontificem facultate Jubilei sæcularibus, & Religiosis concessa eligendi Confessarium ab Ordinario approbatum, mutare voluisse jus Religiosorum petentium confiteri Sacerdotibus ab eorum Prælatis approbatis: sed potiùs illo jure retento hanc illis extensionem addidisse, ut approbatum ab Ordinario loci eligere possint. Quare illa verba, *approbatum ab Ordinario*, ampliativè, & non privativè sumenda sunt. Præterea, Confessor à Prælatis Ordinis designatus absolutè dici potest ab Ordinario approbatus comparatione Religiosorum. Tum, quia extra Sacramentum Ordinis Prælatus Religionis comparatione Religiosorum est Ordinarius. Tum, quia à Pontifice approbatus est comparatione Religiosorum, qui ab eorum Prælatis fuerit approbatus.

§. III.

Qui possint, & debeant approbationem concedere.

1. *Episcopus Vicarius generalis, Capitulum, Sede vacante approbationem concedunt.*
2. *Prælati Regularium non habent hanc potestatem.*
3. *Cujus Prælati loci, pœnitentis, vel Confessarii approbatio requiratur, proponitur quadruplex sententia.*
4. *Probabilior est quarta sententia, scilicet, Prælatum Confessarii approbationem concedere debere.*
5. *Approbatio ex odio, vel iniquo animo denegari potest.*
6. *Ex eo quod diœcesis illo Confessore non indigeat, denegari posse examen, & approbationem, putavit Faguna.*
7. *Contrarium est verius.*
8. *Si justæ petitioni Episcopus renuat acquiescere, negant plures reputari sacerdotem approbatum.*
9. *Intelligendum hoc est de sæcularibus, secùs de religiosis à suo Prælato præsentatis.*

1. APprobationem concedit Episcopus electus, & confirmatus subditos habens, tametsi consecratus non sit, quia approbatio, utpote quædam sententia de idoneitate personæ, actus est non ordinis, sed jurisdictionis: deinde illam concedit Vicarius generalis Episcopi; quia personam Episcopi repræsentat, & illius vices gerit. Item Capitulum Sede vacante, quippe succedit in jurisdictionem Episcopi, juxta text. in cap. *Cùm olim, de majorit. & obedient.* Præterea Abbates, aliique Prælati jurisdictionem quasi episcopalem habentes, quia nomine Episcopi in iis, quæ ad jurisdictionem pertinent, subintelliguntur. Sic docent Henriq. *libr.* 6. *cap.* 6. Suar. *disp.* 28. *sect.* 5. Sanch. *lib.* 3. *de matr. disp.* 29. *n.* 14. August. Barbos. *de potest. Episc. alleg.* 25. *n.* 3.

2. Prælati verò regularium, etsi jurisdictionem quasi episcopalem habeant in subditos, nequaquam Religiosos approbare possunt ad confessiones sæcularium: quia non sunt Ordinarii quoad hunc actum, nec sub nomine Episcopi intelliguntur, ut est omnium sententia declarata à Pio V. in sua Constitutione quæ incipit *Romani Pontificis*, edita anno 1571. prout refert Barbos. *de potest. Episc. alleg.* 25. *n.* 24. & 25. & tradit Suar. *disp.* 28. *sect.* 5, *n.* 4. Henriq. *de pœnit. cap.* 6. *n.* 4. Fagund. *de secundo Eccles. præc. lib.* 7. *cap.* 20. *n.* 57. Deinde parochi, etsi ordinarii sunt quoad pœnitentiæ forum; quia tamen jurisdictione externa, & contentiosa carent, approbare non possunt ad confessiones excipiendas suorum subditorum; sed cùm aliquem in sui coadjutorem eligere intendant, necessariò approbatum ab Episcopo eligere debent. Sic ex certa sententia tradunt, aliis relatis, Barbos. *alleg.* 25. *n.* 13. Bonac. *disp.* 5. *de pœn. q.* 7. *p.* 4 §. 1. *n.* 12.

3. Sed cujus Prælati approbatio exigatur, an, inquam, prælati loci, in quo confessiones excipiuntur, an pœnitentis, an Confessarii, Doctores divisi sunt. Quadruplex est illorum sententia. Prima asserit, cujuscunque Prælati, sive loci, sive pœnitentis, sive Confessarii sit approbatio, sufficientem esse. Sic Henriquez *lib.* 3. *de pœnit. cap.* 6. *n.* 8. & *lib. de Indulgent.* §. 4. Cordub. *casu* 10. Eman. Rodrig. *in expos. Bullæ*, §. 9. *n.* 5. & probabilem reputat Sanch. *lib.* 8. *de matr. disp.* 34. *num.* 16. Moventur, quia Trident. approbationem Episcopi expostulavit absque ulla restrictione, aut determinatione. Ergo cujuscunque Episcopi fuerit approbatio. Concilii decreto satisfactum erit. Adde, non absque causa Concilium dixit sub numero plurali, Sacerdotem debere esse approbatum ab Episcopis, non quasi simul à diversis Episcopis approbationem obtinere debeat, sed divisum ab hoc vel illo Episcopo, loci, inquam pœnitentis, vel Confessarii.

Secunda sententia requirit determinatè approbationem Episcopi loci, in quo confessiones excipiuntur, qui aliquando potest esse diversus ab Episcopo pœnitentis, & confessarii, si alibi domicilium habeant. Sic Navarr. *cap.* 27. *num.* 266. *vers. Sextum.* Gambarupt. *de casibus reservat. cap.* 20. *num.* 30. Gutier. *canon. quæst. lib.* 1. *cap.* 27. *num.* 6. Ugolin. *de potest. Episcop. cap.* 7. §. 2. *num.* 8. quos refert, & sequitur Barbosa *de potest. Episcop. allegat.* 25. *num.* 14. Ratio est: quia ad Episcopum spectat, ne in sua diœcesi aliquis confessiones excipiat, qui ab eo idoneus judicatus non fuerit: sicuti ad gubernatorem urbis pertinet, ne medicus aliquis absque ejus facultate ibidem medeatur: etenim obligatus non est aliorum Episcoporum judicio acquiescere, cùm sæpè contingat, decipi posse, vel idoneum non esse in ea diœcesi ad confessiones excipiendas ob diversas consuetudines, & commercia, tametsi in propria diœcesi habilis reputetur. Quod si inquiras qualiter Episcopus loci approbare Confessarios alterius diœcesis poterit, cùm non sint subditi? Facilis est responsio, approbare illum, quia ratione loci, & transeuntis habitationis sibi subjicitur.

Tertia sententia approbationem Episcopi pœnitentis expostulat: in quam sententiam non leviter propendet Suar. *disp.* 28. *sect.* 6. *num.* 8 quia penes Episcopum est oves suas regere, judicareque, quinam idonei ad earum confessiones excipiendas esse possint. Quod si hoc judicium jurisdictionis actus sit, exercere illud Episcopus potest in confessarium non subditum, ob jurisdictionem, quam habet in eos; quorum confessiones permittit excipere. Favetque huic sententiæ declaratio sacræ Congregationis, relata à Rodrig. *in expos. Bullæ*, §. 5. & à Barbosa, *in remission.*

Concil. in hæc verba: *Congregatio Concilii respondet, approbatum ab alio, quàm à Valentino Episcopo in Diœcesi Valentina, non censere approbatum ab Ordinario, juxta formam Concilii.*

4. Quarta sententia, cui tanquam probabiliori accedo, (etsi tres prædictæ sententiæ probabiles sint) affirmat, ab Episcopo Confessarii necessariò approbationem obtinendam esse. Sic aliis relatis Suar. *t.* 4. *de pœn. disp.*28. *sect.*6. *n.*6. *& sect.*7. *n.*3. *junctos* 8. Coninch. *de pœn. disp* 8. *dub.*7. *n.*50. Bonac. *disp.*5. *de pœn.q.*7. *pun.*4. *n.*15. Fagund. *de secundo Eccles. præc. lib.*7. *cap.*20. *n.*92. Comprobantque Cardinalium declarationibus. Moveor: quia hæc approbatio est authenticum judicium, quod in non subditum exercere nullatenus potest. Debet ergo confessarius Episcopo subjici, ut ejus periculum faciat, & authenticè declaret, idoneum esse ad confessiones excipiendas. Hanc tamen subjectionem habere confessarius potest, non solùm ratione domicilii, sed quasi domicilii, obsequii, alteriusve ministerii. Per quæ patet solutio aliarum sententiarum fundamentis.

5. Quoad secundam partem tituli propositi non leves difficultates insurgunt. Prima, an sæculari Clerico, vel regulari à suo prælato expositio petenti ab Episcopo approbationem, possit Episcopus examen, & approbationem denegare? Qua in re certum est denegare Episcopum non posse approbationem vel examen, si ex odio, alióve iniquo fine moveatur: quia id charitati, & religioni adversatur, & alienum esse debet ab episcopali munere. Deinde negare non potest approbationem, si tentatum de aptitudine idoneum reperit: quia ea negatione declararet ineptum esse, quippe examine posito ex officio obligatur juxta merita causæ judicare.

6. Quocirca solùm est controversia, an possit Episcopus approbationem negare nulla ad examen admissione facta, ex eo quòd sua diœcesis Confessariis pluribus, & fortè doctioribus abundet. Affirmat Fag. *de secundo Eccl. præc. l.*7. *c.*2. *n.*14. Moveri potest: quia non videtur, ex quo capite obligari graviter possit Episcopus ad explorandam cujuscunque sacerdotis suæ diœcesis aptitudinem, præcipuè cùm eo non indiget pro confessionibus excipiendis. Favétque Clem. *Dudum de sepultur.* ubi conceditur Episc. ut possint approbare eos tantùm, qui sibi videantur sufficere ad audiendas confes. suorum subditorum, & alios rejicere.

7. Cæterum, verius existimo, si seriò & juridicè aliquis sacerdos regularis vel sæcularis approbationem expostulet, repelli non posse, sed necessariò examinandum esse, si placuerit, & idoneo reperto approbationem concedendum esse. Sic ex communi sententia docet Coninch *disp.*8. *dub.*7. *n.*50. Vasq. *q.*93. *a.*3. *dub.*5. *n.*5. Suar *disp.*28. *sect.*5. *n.*15. Laym *l.*5. *sum. tract.*6. *c.*11. *n.*3. Et quidem de sacerdote regulari à suo prælato expositio mihi est indubitatum. Nam cùm Pontifex omnibus Religiosis legitimè expositis, & approbatis ab Ordinario privilegium excipiendi confessiones concedat, Ordinarius negans hanc approbationem, cùm eam dare possit, injustè privat Religiosos usu privilegii à Pontifice concessi. Quæ ratio suo etiam modo procedit in sæcularibus clericis, qui negata approbatione impediuntur, ne virtute Bullæ cruciatæ, aut ex commissione Parochorum confessiones excipiant. Et ratio omnium est: regularis sacerdos jus habet procurandi, ne sibi impediatur privilegii concessi usus; sæcularis item jus habet se taliter disponendi, cui meritò jurisdictio ad excipiendas confessiones committi possit. At hunc finem obtinere nequeunt, nisi Episcopus eos ad examen admittat, & repertis idoneis approbationem concedat: habent ergo jus compellendi Episcopum ad prædicta concedenda, & Episcopus ex officio hæc omnia præstare debet. Neque obstat Clem. *Dudum*, ibi enim concedebatur simul cum approbatione jurisdictio, quæ cùm sit gratia, denegari poterat pro arbitrio concedentis. Secùs de approbatione tantùm, quæ non gratia, sed justitia censenda est.

8. Sed, quid, si nolit Episcopus justæ petitioni acquiescere, approbationémque petitam absque rationabili causa deneget, poteritne sacerdos, tum regularis, tum sæcularis audire confessiones? De omnibus negant Suar *disp.*28. *sect.*5. *n.*6. *&* 15. Vasq. *q.*93. *art.*3 *dub.*3. Coninch. *disp.*8. *de pœnit. dub.*7 *n.*58. Moventur: quia Trid. expressè postulavit approbationem Episcopi, tanquàm conditionem, ut sacerdos idoneus reputetur, ut constat ex illis verbis: *Nullus reputetur idoneus, nisi ab Episcopo approbationem obtineat*, at deficiente conditione deficit sub illa dispositum, ergo: Neque obstat text. in c. *Licet. de Regularib.* ubi licentia petita, & non obtenta transeundi ad strictiorem Religionem, reputatur concessa: quia ibi est specialis dispositio, quæ sub voto obedientiæ comprehendebatur; ideóque non est extendenda ad quamlibet petitionem injustè negatam.

9. Fateor hanc sententiam verissimam esse, si de sacerdotibus sæcularibus loquamur. At de Religiosis verius credo, si à suis Prælatis præsentati fuerint, eisque injustè approbatio negata, aut restricta, jure ipso censeri approbatos ex Clem. *Dudum de sepultur.* & ex Extravag. Bonif. VII. quæ incipit, *Super cathedram eodem tit.* ibi enim conceditur Mendicantibus & consequenter omnibus, qui in eorum privilegiis communicant, ut si ex odio, vel malevolentia à suis superioribus præsentati repellantur ab Episcopo, possint confessiones audire. Quod privilegium Trid. decreto non censetur derogatum illa clausula, *privilegiis quibuscunque non obstantibus.* Tum, quia privilegium jure communi insertum indiget speciali derogatione. Tum, quia privilegium concessum in Clem. *Dudum*, loquitur in causa speciali, Trid. verò generaliter Quando autem lex generaliter loquitur non derogat speciali, cujus expressam non facit mentionem, ut pluribus firmavi *tr. de legib. disp. tum de revocatione privilegii, tum de legis derogatione.* Quòd si dicas cum Suar. Vasq. & Coninch. Trid. non revocasse dispositionem Clement. *Dudum de sepultur.* sed prædictæ dispositioni approbationem Ordinariis addidisse; obstat: quia additio approbationis in prædicto casu est expressa illius dispositionis derogatio. Si enim *ibidem* dispositum erat, ut possent Religiosi Ordinariis præsentati, & ab eis ex odio, vel malevolentia repulsi confessiones sæcularium excipere virtute suorum privilegiorum, & Trid. decreto approbationem exigente, nequeunt deficiente approbatione eas excipere confessiones, manifestum est, privilegium in dicta Clem concessum revocatum esse, vel saltem restrictum. Quòd si urgeas: Trid. æquè in regularibus, ac in sæcularibus approbationem requisivit; sed negata sæcularibus approbatione, tametsi negetur injustè, non possunt confessiones excipere, ergo nec regulares. Neganda est consequentia: quia regularibus est à jure privilegium concessum: quod tamen non invenitur concessum sæcularibus. Atque ita docent post Trid scribentes, Navarr. *c.*27. *n.*265. Palac. *dist.*17. *q.*7. Henriq. *de pœnit. l.*3. *c* 6. *n.*4. Vega *lib.*1. *sum. casu* 38. Rodrig. *in explicat. Bullæ*, §. 9. *dub.*1. *n.*33. *& t.*1. *qq. regular. quæst.*59. *art.*2. *&* 10. Mirand. *Man. Prælat. t.*1. *quæst.*45. *art.*6. *&* 8. Zenedo *de qq. canon. quæst.*38. *n.*20. *&* 21. Laym. *lib.*5. *sum. tract.*6. *c.*11. *num.*4. Fagund. *de* 2. *Eccles. præcep. lib.*8. *c.*2. *n.*15. *&* 58.

Constabit autem, Episcopum nulla causa justa duci ad negandam approbationem, si nullam hujus negationis causam legitimam exhibeat, si Religiosis, vel Religioni detrahit, si alios Clericos sæculares, vel Religiosos in communi hominum æstimatione minùs idoneos approbet, ut latiùs prosequitur Rodriquez

in

in explicat. Bullæ, §. 9. *dub.* 1. Fagund. *de secundo Eccl. præc. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 16.

§. IV.

Quousque approbatio duret, revocarique possit.

1. *Approbatio ex beneficio durat, dum beneficium retinetur.*
2. *Si per examen, aut aliàs approbatus fueris pro limitato tempore, eo finito cessat.*
3. *Si absolutè, cessat, si diœcesim mutes.*
4. *Contrarium probabilitate non caret.*
5. *Cessat, si Episcopus revocet, posse successorem, imò eundem revocare, plures firmant.*
6. *Si absque causa revocetur approbatio, nullius momenti est revocatio.*
7. *Religiosis approbatio revocari potest, si constet de eorum indignitate.*
8. *Extra hunc casum censent aliqui, nunquam revocari posse, etiam à successore approbantis.*
9. *Verius est à successore posse revocari.*
10. *Excipitur Capitulum, Sede vacante.*
11. *Aliqui excipiunt Religiosos Dominicanos, & Franciscanos: sed immeritò.*
12. *Translati Religiosi in aliam diœcesim possunt ab illius Episcopo examinari.*
13. *Ab eodem Episcopo, si prævio examine fuerint approbati, nequeunt novo examini subjici: secùs si absque examine.*
14. *Quid noviter statuerit sacra Congregatio circa revocationem approbationis.*

1. APprobatio beneficio parochiali annexa durat, dum beneficium retinetur, poterit tamen ex justa causa usus illius, & jurisdictio suspendi, sicuti notarunt Suar. *disp.* 28. *sect.* 2. *num.* 8. Reginald. *lib.* 1. *num.* 201. Barbos. *de potest. Episc. alleg.* 25. *n.* 23.

2. Si verò per examen, aut aliàs idoneus reputatus fueris tunc subdistinguendum est, si pro tempore limitato judicatus fueris idoneus, finito eo tempore approbatio finitur: quia extendi non potest ultra voluntatem concedentis, ut alios referens docet Barbos. *alleg.* 25. *à n.* 21. *&* 31. Posse autem ad tempus approbationem concedi docuerunt Gutier. *lib.* 1. *can. qq. c.* 27. *n.* 18. *&* 19. Suar. *disp.* 28. *sect.* 7. *dub.* 6. Man. Rodrig. *t.* 1. *qq. regul. quæst.* 9. *art.* 8. Mirand. *Man. Prælat. t.* 1. *quæst.* 45. *art.* 10. *conclus.* 1. Fagund. *lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 34. Potes namque examinatus non adeò idoneus reputari, ut meritò timere Episcopus possit, decursu temporis te ineptum fore, nisi approbatio cum restrictione temporis concedatur: occasio enim novæ approbationis petendæ te diligentem faciet.

3. Quòd si absolutè, & indistinctè approbatio concessa sit, affirmant communiter Doctores, duplici ex capite cessare posse. Primò, ex parte Confessarii: secundò, ex parte Episcopi. Ex parte Confessarii cessat approbatio, si diœcesim mutet: quia mutatione diœcesis cessat in ipsum Ordinarii approbantis jurisdictio, & consequenter ipsa approbatio facta, uti comprobat usus, & consuetudo: quoties enim Religiosi, vel sæculares in aliam se diœcesim transferunt, illius Episcopi approbationem requirunt. Sic docent Suar. *disp.* 28. *sect.* 7. *num.* 3. *&* 8. Fagund. *lib.* 7. *de* 2. *Eccles. præcep. c.* 2. *n.* 22. Quaranta *in sum. Bull. verb. Confessor*, §. *Præter*, Vasq. *q.* 93. *art.* 3. *dub.* 4. *n.* 3. & aliis relatis Bonac. *disp.* 5. *de pœnit. q.* 9. *pun.* 4. §. 1. *n.* 21. colligitúrque ex declaratione Cardinalium apud Quarant. & apud Rodr. *in expos. Bullæ*, §. 9. *n.* 5. ubi dicitur, approbatum ab alio, quàm à Valentino Episcopo, in diœcesi Valentina non censeri Approbatum. Item, ex privilegio concesso à Greg. XIII. Religiosis Societatis Jesu, audiendi confessiones, cùm per alias diœceses, à quarum Episcopis approbati non sunt, transeunt, neque ibi Episcopus præsens adest, ut habetur *in Comp. privil. Soc. Jesu*, *verbo, Confessor.* §. 2. Si igitur jure possent audire confessiones, ut quid illis privilegium hoc concedebatur? Neque inde fit, Sacerdotes regulares, vel sæculares, si postmodum redeant ad diœcesim, in qua priùs fuerunt approbari, nova approbatione indigere; non, inquam, indigent. Nam esto illa approbatio pro eo tempore, quo à diœcesi abfuerunt, extincta sit: redit tamen ad ipsos, cùm ipsi ad diœcesim redeunt: quia (sic explicante usu, & consuetudine) censetur concessa, dum in ea diœcesi approbari domicilium habuerint, sicuti notavit Fagund. *de* 2. *Eccl. præcep. lib.* 7. *c.* 2. *num.* 29. & pluribus relatis Barbos. *de potest. Episc. alleg.* 25. *n.* 22.

4. Verum esto ita sit, probabilitate non caret approbatum ab uno Episcopo mutatione domicilii, approbationem non perdere. Sic docuit Cordub. *q.* 10. *ad* 2. Henriq. *de pœnitent. lib* 3. *cap.* 6. *n.* 7. Coninch. *disp.* 8. *dub.* 7. *n.* 53. Man. Rodrig. *in expos. Bullæ*, §. 9. *dub.* 2. Barbos. *alleg.* 25. *n.* 16. Quia approbatio est quoddam judicium authenticum de idoneitate personæ: quod semel factum perseverat, dum retractatum non est. Neque à subjectione actuali Episcopi, à quo receptum est, pendere videtur: sicuti non pendet gradus Doctoris, & Magistri in Universitatibus recepti à subjectione eorum, à quibus recepti sunt. Neque contrarium declaravit sacra Cardinalium Congregatio, dum dixit, in diœcesi Valentina non censeri approbatum, qui ab alio, quàm ab Episcopo Valentino, approbatus est: quia intelligi debet de approbatione jurisdictionem concedente: hæc enim ab alio in diœcesim Valentinam, quàm ab Episcopo Valentino concedi non potest. Deinde non obstat privilegium Religiosis Societatis concessum, à Gregor. XIII. Tum, quia sæpè privilegia conceduntur, non quia absolutè necessaria sint; sed ad majorem securitatem, ne ex contrariis opinionibus scrupulus oriatur.

5. Ex parte Episcopi cessare potest approbatio, si ipse, vel ejus successor concessam revocent. Posse autem justa causa intercedente non solùm successorem in episcopatu; sed qui approbationem concessit, revocare, firmant, tanquàm certum, Henriq. *l.* 3. *de pœnit. c.* 6. *n.* 6. Suar. *disp.* 28. *sect.* 7. *n.* 7. Laym. *l.* 5. *sum. tract.* 6. *c.* 11. *n.* 5. Fagund. *de* 2. *Eccles. præc. l.* 7. *c.* 2. *n.* 60. Barbos. *de potest. Episc. alleg.* 25. *num.* 21. & colligitur ex cap. *Accepimus, de ætate, & qualitate*, ubi idonei ad Ordines reputati non sunt postmodum reputandi indigni ad beneficium, nisi fortè postquam promoti fuerint reddiderint se indignos. Si igitur post approbationem concessam approbatus indignus redditus est, revocare potest, & debet Episcopus approbationem. Ratio est: quia approbatio, quæ est authentica declaratio de idoneitate personæ, sic ab idoneitate personæ approbatæ pendet, ut ea cessante, meritò approbatio revocari debeat. Et quidem quando constat aliquem redditum esse insufficientem, nemini est dubium revocari posse, & deberi illius approbationem. Credo tamen probari sufficienter cujusvis insufficientiam, si Episcopo generaliter præcipiente omnes suæ diœcesis mercenarios sacerdotes examinari; aliquis renuat comparere. Satis enim probat, se redditum esse indignum, tum illa inobedientia, tum præsumptione quam ingerit de scientiæ defectu, quódque praxi, & consuetudine firmatum videmus.

6. Quòd si Episcopus absque justa causa alicui datam approbationem revocet (quod præsumendum non est,) verius existimo, invalidam esse revocationem: quia approbatio, quæ est quædam sententia declarativa de sufficientia personæ, non videtur stante eadem

ſufficientia mutari poſſe. Tum, quia eſt mutatio injurioſa. Tum, quia eſt aliena à poteſtate Epiſcopi, quæ non in deſtructionem, ſed in ædificationem conceſſa eſt. Atque ita, etſi cum formidine, docuit Suar. *diſp.28. ſect.7. n7.* Fag. *de 2. Eccl. præc. lib.7. c.... n.63.* Excipit Fagund. niſi à principio approbationem Epiſcopus conceſſerit juxta ſuum beneplacitum: nam, eo ceſſante ceſſat approbatio, ſicuti ceſſaret, limitato tempore conceſſa, eo tempore finito. Non caret difficultate exceptio, eò quòd de beneplacito rationabili, & juſto videtur intelligendum, non de beneplacito injuſto, & irrationabili.

7. Quod ad Religioſos ſpecialiter attinet, certum eſt, revocari eorum approbationem poſſe, & deberi, ſi cognitum, & probatum fuerit, ſcandalosè vivere, errores diſſeminare, ſurdos, vel mente captos eſſe: tum argum. text. *in d. c. accepimus. de ætate, & qualit.* Tum, ex Concil. Trid. *ſeſſ.5. c.2.* qui textus, etſi de Prædicatore regulari loquatur, æquè de Confeſſario procedit, ſicuti notarunt Henriq. *lib.3. de pœnit. c.6. nu.6.* Rodrig. *in expoſit. Bull. §.9.n.31. in fin.* Fagund. *de 2. Ecc. præc. lib.7. cap.2. n.24.& 31.* Nam in prædicto caſu Epiſcopo, tanquam Apoſtolicæ Sedis Legato, regulariter ſubjiciuntur, ut ex dicto Concil. colligitur.

8. Extra hunc caſum judicat Petr. Zenedo *de qu. canon. quæſt.26. num.14. in fin.* & Barth. Fumus *verbo Abſolutio, n.23.* ſemel datam approbationem Regularibus revocari nullatenus poſſe, non ſolùm ab ipſo approbante; ſed neque ab ejus ſucceſſore, eò quòd hæc approbatio ſit quoddam miniſterium, quod ex delegatione Sedis Apoſtolicæ præſtant Epiſcopi comparatione Religioſorum. At Legatorum juriſdictio ceſſat expleto miniſterio, ad quod delegantur. Ergo approbatione conceſſa non poſſunt Epiſcopi ſe amplius intromittere.

9. Cæterùm omninò dicendum eſt à ſucceſſore revocari dictam approbationem poſſe, uti ſupponitur à Pio V. in quodam motu proprio edito anno 1571. incipiens, *Romani Pontificis.* ibi enim conceditur Epiſcopis, ut poſſint Religioſos omnes à ſe non approbatos prævio examine præcedente examinare. Ex qua conceſſione manifeſtè infertur, illis concedi revocare approbationem poſſe, ſi facto examine indignos approbatione invenerint, aliàs fruſtra examini ſubjicerentur. Ex quo manifeſtè infertur, expleta approbatione non finiri Ordinariorum legationem; ſed in ipſis, eorúmque ſucceſſoribus continuari, ut cauſa juſta exigente ſuſpendere, vel mutare approbationem poſſint. Atque ita docent Suar. *tom.4. de pœnit. diſp.27. ſect.8. n.4. & 5.* Fagund. *de ſecundo Eccl. præcept. lib.7. cap.2. n.26.* Coninch. *diſp 8. de pœnit. dub 7. num.57.* Barboſ. *de poteſt Epiſc. alleg.25. n.26.* Mirand. *in Manual. prælat. t.1. qu 45. art.7.* & alii.

10. Excipe ab hac doctrina Capitulum, Sede vacante, quod licèt de jure poſſet Regulares ad examen vocare; ſpectatis tamen privilegiis Regularibus conceſſis, nequaquam poteſt: etenim conceſſum eſt Dominicanis, & Franciſcanis, ne Capitulum, Sede vacante, revocare poſſit approbationem ad confeſſiones, licentiam prædicandi, & vota in pia opera commutandi, uti docuit Fagund. *lib.7. de ſecundo Eccl. præcept. c.2. n.28. & 29.* relatis Sylveſt. *verbo Conf. ſ. ſor.2. q.3.* Rodrig. *t.1. q.59. q. regular. art.6. in fine.*

11. Secundò, excipit Man. Rodrig. *tom.1. qq. reg. q59. art.4.* Religioſos SS. Dominici, & Franciſci, qui ſemel ab uno Epiſcopo approbari nequeunt novo examini à ſucceſſore ſubjici, eò quod prædictis Religioſis concedatur in Clement. *Dudum de ſepultur.* ne nova approbatione indigeant, tametſi aliquoties diœceſim, in qua fuerunt approbati, exierint. Sed nullatenus eſt admittenda exceptio: nam in dicta Clement. ſolùm conceſſum eſt, ut approbati, & præſentati liberè poſſint confeſſiones audire, non tamen ibi conceditur, ne poſſint à ſucceſſore examinari.

12. Quòd dictum eſt de ſucceſſore, à fortiori dicendum eſt, ſi in aliam diœceſim transferantur; poſſunt inquam, à Prælato illius diœceſis examinari. Neque enim tenetur aliorum Epiſcoporum judicio fidere, cum ſæpè contingat, idoneum in una diœceſi non ſic reputari in alia diverſa, ſicuti docent Coninch. *dub.7. n.57.* Laym. *l.5. ſum. tract.6. c.11. n.8.* Miran. *dicta q.45. art.7.* Barb. *alleg.25. n.29.* & colligitur ex Clem. *Dudum de ſepult. poſt medium.*

13. Ab eodem autem Epiſcopo, ſi prævio examine fuerint Religioſi approbati, novo examini ſubjici non poſſunt, & conſequenter nequit Epiſcopus eorum approbationem ſuſpendere, aut aliquo modo revocare. Sic expreſsè conceditur à Pio V. in dicto motu proprio, qui non eſt revocatus per Greg XIII. ut ex declaratione Cardinal. teſtantur Barboſa, Fagund. Suar. & alii *ſupra.* Notanter dixi, *prævio examine.* nam, ſi nullo examine præcedente aliquem regularem Epiſcopus approbaverit, poterit examini ſubjici: quia ex nullo privilegio contrarium videtur cautum, uti advertit Suarez *tom.4. de pœnitent. diſp.28. ſect.8. numer.5.* Fagund. *dicto lib.7. cap.2. num.27.*

14. Ad extremum notandum eſt, ſacram Cardinalium Congregationem decreviſſe 20. Novemb. anno 1615. prout refert Barboſ. *alleg.25. num.30.* ne Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis, ad quos Confeſſarios approbandi jus ſpectat, Confeſſarios regulares aliàs ab ipſis liberè approbatos ab audiendis confeſſionibus ſuſpendere poſthac liceat, niſi ex nova cauſa, eáque ad confeſſiones pertinente, aut ob non ſervatum interdictum ab ipſis Ordinariis poſitum. Inſuperque, ne confeſſiones audiendi facultatem omnibus ſimul unius Conventus regularibus Confeſſariis eadem ſacra Congregatione inconſulta adimere poſſint. Ex quo decreto videtur inferri non poſſe, jam locorum Ordinarios generali ſuo edicto Religioſis omnibus approbationem ſuſpendere, niſi denuò examinentur: quia ex hoc generali decreto omnibus Confeſſariis Conventus ſimul licentia adempta eſſet. Deinde infertur, nullius particularis Religioſi approbationem ſupendi poſſe ab eo Prælato, à quo fuit conceſſa, tametſi prævio examine conceſſa non fuerit, niſi prius in particulari cauſa nova legitima ſuſpenſionis cognita, & probata fuerit: quod eſt conforme doctrinæ Henriq. *lib.3. de pœnit. cap.6. §.6.* à ſucceſſore autem videtur ſuſpendi poſſe. Tum, ne dicamus, motum Pii V. revocari hoc Congregationis decreto. Tum, quia hoc decretum manifeſtè inſinuat de ipſis concedentibus approbationem loqui, non de ſucceſſoribus, ut colligitur ex verbis, *aliàs ab ipſis liberè approbatos.*

PUNCTUM XVIII.

De officio, & obligatione Miniſtri in Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtratione.

TRiplicem obligationem Miniſter habere poteſt, antecedentem, comitantem, & ſubſequentem in Sacramenti adminiſtratione.

§. I.

De obligationibus antecedentibus Sacramenti adminiſtrationem.

1. *Quales Sacerdotes non parochi obligantur hoc Sacramentum petenti adminiſtrare.*

2. *Plures ejuſdem, Parochum obligatum eſſe audire confeſſio-*

confessiones eo casu tantùm, quo pœnitens obligatur confiteri.

3. *Verius est teneri, quoties subditi graviter Sacramento indigent.*

4. *Rarò est obligatio Parocho hoc Sacramentum per se administrandi.*

5. *Qualiter Parochus obligetur tempore pestis Sacramentum ministrare.*

6. *Quid, si infirmus nolit alta voce confiteri, debes secretam confessionem cum periculo contagionis excipere.*

7. *Qualiter sunt excipiendæ confessiones, si plures eodem periculo naufragii laborent.*

8. *Parocho irrationabiliter negante licentiam alieno Sacerdoti confitendi, plures censent à jure concedi.*

9. *Sed verius est oppositum.*

10. *Fit satis rationi dubitandi.*

11. *Quid in prædicto casu te oportet facere.*

1. ANtecedens obligatio ea tantum est sacerdoti, ut hoc sacramentum, cùm ab eo petitur, administret. Hanc autem obligationem, extra extremam necessitatem, solus Parochus habere potest. Alii vero sacerdotes, quia ex officio obligari non sunt sacramenta ministrare, recusare possunt administrationem petitam: at, si semel petitioni acquieverint, & confessionem exceperint, absolutionem concedere, vel negare pro meritis causæ tenentur, sicuti docuit Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 5. *in fine.* Laym. *lib.* 5. *sum. tract.* 6. *cap.* 13. *num.* 2. *concl.* 2.

2. De Parocho autem dubium est, an teneatur audire subditi confessionem, quoties ipse confiteri voluerit. Plures firmant, solùm obligatum esse, cùm ipse pœnitens tenetur confiteri: quia horum obligatio mutua esse videtur, aliàs onus gravissimum, & intolerabile subirent Parochi, si quoties eorum subditi confessionem petunt, obligati essent excipere. Sic docuerunt Richard. *in* 4. *dist.* 18. *art.* 2. *quæst.* 3. Major. *dist.* 17. *quæst.* 2. Sylvest. *Confessor.* 1. *quæst.* 18. Joan. Med. *Cod. de confess. quæst. de confess. peccat. audienda, quoties subditus confiteri voluerit.* Armilla *verbo, Absolutio, num.* 27.

3. Communior tamen, & vera sententia docet, teneri Parochum administrare Sacramentum subditis, quoties ejus administrationem graviter subditi indigent: quia ex officio tenetur subditis, tanto bono indigentibus providere. Censetur autem sacramenti administratione graviter indigere, tum, cùm præcepto divino, vel ecclesiastico ad illius receptionem urgentur: tum cùm sibi reputant maximè convenientem ad vincendam gravem aliquam tentationem: tum, cùm diu illius receptione caruerint, quia vix gratiam conservat, qui longo tempore à pœnitentiæ sacramento arcetur: tum, cùm sacramentum pœnitentiæ medium est ad singularem aliquem spiritualem profectum; vel quia pœnitens aliqua mortali culpa gravatus est, quam expedit non solùm contritione, sed absolutione purgari; vel quia est Jubilei tempus, quod omissa confessione non lucratur. Atque ita docent, aliis relatis Vasq. *quæst.* 93. *art.* 3. *dub.* 6. Suar. *disput.* 32. *sect.* 1. *num.* 4. Henriq. *lib.* 6. *cap.* 17. *num.* 3. Coninch. *disp.* 8. *dub.* 17. *q.* 1. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 6. *cap.* 13. *q.* 1.

4. Monent tamen Suar. Vasq. Layman. & alii, rarò esse obligatum parochum per se in supradictis casibus sacramentum ministrare, sed satisfacere suæ obligationi; si per alios ministret: quia sacramentum æqualis virtutis est à quocumque sacerdote ministretur: subditi autem non solent ægrè ferre, quòd eorum confessiones nolit parochus excipere, si alios sacerdotes vices ejus habentes paratos habeant. Quapropter in oppidis & civitatibus, ubi Religiosi mendicantes commorantur, vix parochi extra casum extremum, delinquere mortaliter possunt, si subditos religiosis mendicantibus confitendos remittant.

5. Secundò dubitabis, qualiter obligatus sis tempore pestis seu naufragii sacramentum pœnitentiæ ministrare. Huic dubitationi ex parte satisfeci *tr. 6. de charit. disp.* 1. *punct.* 9. ibi enim pluribus firmavi, si parochus sis, fugere non posse, sed obligatum esse, etiam cum periculo vitæ, subditis peste infectis sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ ministrare, cùm alii non suppetant, qui ministrent. Expedit tamen, ut quoad fieri possit, procures periculum contagionis vitare, rogando infirmum, ut permittat è lecto, vel cubiculo portari ad fenestram, te foris stante, vel ad alium locum latum, ubi minus adsit contagionis periculum, ipseque infirmus huic petitioni acquiescere debet, si absque gravi incommodo facere potest, uti ex Joan. Major *in* 4. *dist.* 13. *q.* 1. Joan. Chapeavil. *tract. de modo ministrandi sacramenta tempore pestis, cap.* 1. *quæst* 9. *& cap.* 3. *quæst.* 29. notavit Layman. *lib.* 5 *sum. tract.* 6. *cap.* 13. *quæst.* 3. Idem est dicendum, si è loco commodè moveri non possit; valet tamen peccata alta voce fateri, quin alii audiant, & tu propinque accedas: lex enim charitatis infirmum obligat ne te periculo vitæ exponat, cum sibi necessarium non est.

6. Quòd si infirmus confiteri non possit, quin alii audiant, vel tu proximè accedas cum periculo contagionis, rogare in primis illum potes, ut alta voce ea peccata confiteatur, quæ nullam irrogant infamiam, tacitis aliis, quæ irrogare possunt: nam ob tui periculum integritas confessionis emitti potest. Si enim pœnitens ob sui periculum non tenetur integre confiteri, neque tu teneberis integram confessionem excipere ob tui periculum. Et licèt pœnitens ob præceptum confessionis obligatus non sit, aliis audientibus confiteri: at si id absque sui gravi detrimento facere possit, videtur obligatus, ob vitandum tuæ vitæ periculum. Verùm si huic petitioni justæ, vel nolit acquiescere, vel ægrè acquiescat: credo, te obligatum esse proximè accedere, & secretam confessionem excipere; quia ex officio obligaris ministrare subditis extremè laborantibus sacramentum, secundùm ritum, qui institutus est: quia jus habet petendi sacramenta ministrari sibi, secundùm modum, & ritum à Christo, & Ecclesia præscriptum, si alius extraneus sibi molestus sit. Eo tamen casu non teneris, etsi possis, integram confessionem excipere; sed audito uno, vel altero peccato absolutionem poteris impendere, uti dixi, ob periculum contagionis, quod in audienda integra confessione subire potes, & credis vitaturum dimidia confessione excepta.

7. Illud verò est certum, si alii eadem necessitate premantur, & periculum sit, quòd absque Sacramento sint decessuri, si unius confessionem integrè excipias, te obligatum esse abstinere ab illa confessione integrè excipienda, & qua potueris brevitate omnibus succurrere, uti latius dixi, cùm de integritate confessionis sum locutus. Quinimò probabile existimo, multis simul periclitantibus, & signa confessionis exhibentibus, confessionemque postulantibus, unico verbo absolutionem impendere te posse dicendo: *Absolvo vos à peccatis vestris, &c.* si sigillatim concedi non potest; quia illa forma, esto physicè una sit, moraliter est multiplex, & in quolibet pœnitente suum sacramentum distinctum constituit. Notantes dixi, *probabile*, quia non desunt qui negent, illum modum ministrationis illicitum esse, utpote alienum à ritu communi, & Ecclesiæ praxi. Sed audiendi non sunt: nam esto ille modus ministrationis non sit usitatus extra necessitatem, stante necessitate extrema nihil est, quod illius usum impediat, sicuti hæc omnia latius prosequitur Zambran. *de casibus reservat. cap.* 4. *dub.* 6. Chapeavil. *de modo ministrandi Sacramenta*

tempore peſtis, c.1. q.9. & c.3. q.26. & ſeqq. Layman. *lib.5. ſum. tract.6. c.13. n.4. q.3.*

8. Tertiò dubitatis, an parocho tibi injuſtè negante licentiam, alieno ſacerdoti confitendi. jure ipſo cenſeatur tibi conceſſa. Ratio dubitandi eſt: quia ſuperior, cui ſunt caſus reſervati, negans ſubdito irrationabiliter licentiam confitendi Ordinario, cenſetur jure ipſo eam licentiam obtinere, & Ordinario confiteri poſſe, ſicuti firmatum ex probabili ſententia reliquimus *pun.14. §. ult.* Ergo ſimiliter cenſebitur conceſſa facultas alieno ſacerdoti confitendi, quæ ab Ordinario injuſtè denegatur, præcipuè cùm non patet aditus ad Epiſcopum, vel alium ſuperiorem. Atque ita tradunt Paludan. *in 4. diſt.17. q.3. art.3. caſu 1.* Richard. *eadem diſt. art.3. quæſt.7.* Major. *q.2. col.6.* Adrian. *de confeſſ. quæſt.6. dub.3.* Sylveſt. *verbo, confeſſ.1. quæſt.6.* Navarr. *cap. Placuit n.144. de pœnit. diſt.6.* Henriq. *lib.6. cap 3. n.14.* Tolet. *lib.3. cap.13.* & colligitur ex *cap. Placuit, ut deinceps de pœnit. diſt.6.* ibi: *Placuit, ut deinceps nulli Sacerdotum liceat quemlibet commiſſum alteri ſacerdoti ad pœnitentiam ſuſcipere ſine ejus conſenſu, cui prius ſe commiſit, niſi pro ignorantia illius, cui pœnitens priùs confeſſus eſt.* Si igitur ob ignorantiam proprii ſacerdotis liceat ad alienum accedere; à fortiori licebit, ſi ad malum provocaturus eſt, ſi revelaturus eſt ſigillum, aliámque iniquitatem effecturus.

9. Cæterùm, etſi ſupradicta ſententia probabilis ſit probabiliorem exiſtimo negantem, concedi ſacerdoti alieno juriſdictionem. Sic S. Thom. *in Supplement. quæſt.8. art.4. ad 4.* Alenſ. *in 4. q.78. n.1. art.2.* Joann. Medin. *Cod. de confeſſ. q.30.* Sotus *diſt.18. qu.4. art.2.* Llamas *1. part. method. c.6. §. 1.* Petr. Navarr. *lib.2. de reſtit. cap.4. num.269.* Philiarc. *1. part. lib.2. c.24.* Suar. *diſp.27. ſect.4. concl.2.* Laym. *lib.5. ſum. tract.6. c.13. quæſt.2. concl.3.* Moveor: quia ad Pœnitentiæ Sacramenti adminiſtrationem neceſſaria eſt juriſdictio: hanc autem extra mortis periculum alienus Sacerdos non habet, nihi à proprio illi fuerit conceſſa, ut expreſsè dicitur in *cap. Omnis utriuſque ſexus. de pœnit. & remiſſionibus.* Cui non obſtat text. *in cap. Placuit.* ibi enim prohibet Pontifex, ne ullus ſacerdos, etiamſi aliàs legitimus eſſet, ſuſcipiat ad pœnitentiam, id eſt, ad mutandam publicam pœnitentiam, ei, qui alteri confeſſus eſt, niſi de ejus conſenſu, vel niſi conſtiterit, pœnitentiam irrationabilem eſſe: ex quo nec leviter colligitur, negata facultate à proprio ſacerdote, alieno juriſdictionem ad confitendum concedi, ut benè aliis relatis expendit Suar. *diſp.27. ſect.2. à n.12. uſque in finem.*

10. Ad rationem dubitandi reſpondeo, diverſam eſſe rationem: nam reſervatio eſt arrogatio juriſdictionis inferioribus ſacerdotibus competentis, quam ob bonum ſubditorum ſibi ſuperior facit: ceſſante autem hoc bono, mirum non eſt, quòd reſervatio ceſſet, & inferiores ſacerdotes in poteſtate ſibi aliàs competente ſuccedant. At alienus ſacerdos, cum nunquam juriſdictionem habuerit in non ſubditum, nequit ex ſola negatione injuſta proprii ſacerdotis illam obtinere, cùm nullibi à jure cautum ſit. Præterea ex variis textibus colligitur, uti *punct.14. §. 2.* probavimus, urgente cauſa ſuperiorem concedere ſubdito facultatem eligendi Confeſſorem, aliàs idoneum, pro caſibus reſervatis, cum obligatione comparendi. At ex nullo textu colligi poteſt, conceſſam eſſe facultatem confitendi alieno ob negationem injuſtam proprii Paſtoris. Ergo, &c.

11. Quòd ſi inquiras, quid in prædicto caſu te facere oporteat; ſpectandus eſt finis, ob quem licentiam expoſtulas alieno confitendi: ſi enim expoſtulas, quia gravi verecundia, & pudore afficeris peccata proprio Parocho manifeſtans, certè cùm hæc occaſio ex peccato commiſſo, & ex tui immoderato amore oriatur, & non ex malitia parochi nullatenus concedere poteſt alieno ſacerdoti facultatem confitendi, quinimò ſi præceptum confeſſionis urget, obligatus es verecundiam, & pudorem vincere, & proprio ſacerdoti facultatem neganti fateri, ſicuti docuit Suar. *diſp.27. ſect.4. in fine.* At, ſi licentiam expoſtulas, quia parochus eſt ignarus; vel, quia ſcandalum præbiturus eſt; vel quia ſigillum violaturus, vel aliud ſimile. Si hæc inconvenientia, non ex confeſſione abſolutè, ſed ex confeſſione unius, vel alterius peccati timentur, potes, & debes tacito eo peccato confeſſionem facere: quia eſt ſufficiens cauſa omittendi integritatem confeſſionis: ſecus eſt, ſi ex confeſſione abſolutè timeantur: tunc enim omitti poteſt confeſſio, ſicuti omittenda eſſet ſi ipſe parochus, nec excipere confeſſionem vellet, neque licentiam alteri Sacerdoti concedere: tunc enim te reputare debes, ac ſi Sacerdos proprius abſens, vel mortuus eſſe, quo caſu non licet tibi alienum adire.

§. II.

De obligationibus occurrentibus in Sacramenti adminiſtratione.

1. *Examinare tenetur Confeſſarius pœnitentem, quem credit juxta ſui captum non præmiſiſſe ſufficiens examen: ſecùs ſi moraliter certus eſt.*
2. *Si ſufficienter, juxta poſſibilitatem, pœnitens conſcientiam examinavit, videtur non eſſe obligatus Confeſſarius interrogare; tametſi credat plura emitti.*
3. *Sed contrarium tenendum eſt.*
4. *Qualis interrogatio facienda eſt.*
5. *Quid, ſi pœnitens interrogatus negat peccatum commiſſum.*
6. *Tenetur Confeſſarius monere pœnitentem laborantem ignorantia craſſa, & vincibili.*
7. *Si ignorantia ſi invincibilis, neque ſperat fructum ex monitione, monere non tenetur.*
8. *Si probabiliter judicet morationem profuturam; abſque gravi incommodo præſtare debes.*
9. *Si de matrimonio contrahendo agatur, regulariter monendus eſt pœnitens: & quid de jam contracto, vel privatione debiti petendi.*
10. *Stante dubio, non poteſt Confeſſarius monitionem omittere.*
11. *Sed, an eo caſu, quo Confeſſarius non tenetur pœnitentem monere, poſſit illum ſtatum conſulere.*
12. *Quibus eventibus ſit obligatio abſolvendi pœnitentem, vel inabſolutum dimittendi.*

1. ENodandæ ſunt aliquæ quæſtiones, ut huic puncto ſatisfaciamus. Prima, an teneatur Confeſſor pœnitentem examinare, & qualiter præſtare debeat? Qua in re certum eſt, ſi Confeſſor moraliter certus ſit pœnitentem non præmiſiſſe juxta ſui captum, ſufficiens ſuæ conſcientiæ examen, obligatum eſſe ſuis interrogationibus adjuvare, aliàs abſolutionem concedere nequit: quia eſſet infidelis diſpenſator Sacramentum miniſtrans ei, qui indiſpoſitus eſt, integritatem confeſſionis culpabiliter omittens, ut benè tradit Ægid. de Coninch. *diſp.8. dub.17. num.130 concl.2.* Econtra, ſi moraliter certus eſt, pœnitentem integrè omnia, quæ commiſit explicare, ritéque eſſe diſpoſitum, nullatenus tenetur, imò neque expedit pœnitentem interrogare: quia eſſet interrogatio curioſa, otioſa, & onerosa pœnitenti, ut benè notavit Suar. *diſp.32. ſect.3. num.3.* Layman. *lib.5. ſum. tract.6. cap.13. q.5. concl.1.* & alii apud ipſos.

2. Verùm, ſi probabiliter credis (ut ſemper præſumendum eſt) pœnitentem, juxta ſui captum, & poſſibilitatem præmiſiſſe ſufficientem diligentiam in ſuæ

con

conſcientiæ examinatione, difficultate non caret, an eo caſu teneatur Confeſſor illum interrogare de peccatis, ſeu circunſtantiis, quæ probabiliter credit commiſiſſe: & ob ignorantiam, vel inadvertentiam inculpabilem non fatetur. Etenim ſacerdos non videtur obligatus interrogare pœnitentem, niſi ob perfectionem ſacramenti, & illius effectum. At perfectio ſacramenti, & illius effectus non impeditur ex eo, quòd pœnitens circunſtantiam, vel peccatum confiteri inculpabiliter omittat. Ergo eo caſu non tenetur ſacerdos interrogare. Præterea grave onus eſſet Confeſſariis impoſitum, ſi pœnitentem aliàs abſolutioni ritè diſpoſitum obligati eſſent examinare, & novis interrogationibus peccata, quæ præſumuntur commiſſa, inquirere: quia vix eſſet ullus pœnitens, qui ab hoc examine liberari poſſet: nam eſto doctus, & litteratus ſit, ob oblivionem, & inadvertentiam aliquas ſolet circunſtantias, & peccata omittere, quæ ſi diligentia Confeſſarii accederet, explicarentur. Adde, quòd Confeſſarius in Sacramento Pœnitentiæ non eſt obligatus officium accuſatoris, & teſtis exercere (id enim ſoli pœnitenti competit): ſed tantùm officium Judicis: at ad Judicis officium non pertinet, novis interrogationibus peccata inquirere, ſed ab accuſatore, & teſte inquiſita, & ſibi manifeſtata judicare. Nulla igitur eſt obligatio, pœnitentem ritè diſpoſitum examinare. Atque ita docet Joan. Med. *Cod. de confeſſ. q. de confeſſ. dimidiata iteranda.* Favet Vaſquez. *de pœnit. q.93. art.3. dub.7. num 7. & 4.* ubi inquit, pœnitentem noſcentem, quæ neceſſaria ſunt ad ſubſtantiam ſacramenti, ſi conſtet, ſufficientem adhibuiſſe diligentiam in examine, interrogandum non eſſe, etiamſi probabiliter judicet Confeſſarius novum aliquod peccatum inveſtigaturum. Et Dominic. Sotus *in 4. diſt.18. quæſt.2. art.4. colum.14.* ait: *Officium per ſe Confeſſarii non eſt interrogare, ſed audire pœnitentiam: in foro namque criminali, quod procedit ad punitionem, debet judex reum interrogationibus examinare; ſed in foro pœnitentiario, quod non procedit per viam coactionis, ſed per ſpontaneam voluntatem pœnitentis, quantùm eſt per ſe ſatis eſt ſimplicem confeſſionem audire, & ſecundùm illam judicare.* Ex quibus verbis, etſi Sotus judicet, per accidens Confeſſarium obligari poſſe ad interrogandum pœnitentem; id explicari debet, cùm pœnitens ob ſuam culpam non integrè confitetur: quia hic caſus eſt, qui per accideas contingit.

3. Nihilominus communis ſententia docet, in prædicto caſu Confeſſarium obligatum eſſe pœnitentem examinare, & interrogare, præcipuè quando defectus creditur in circunſtantiis, vel numero peccatorum explicandis. Sic Navarr. *cap.5. num.2.* Graffis *lib.1. c.25.* Tolet. *lib.3. c.19.* Henriq. *lib.6. c.27.* Suar. *diſp.32. ſect.3. num.7.* Layman. *l.5. ſum. tract.6. c.13. q.5.* Ægidius de Coninch. *diſp.8. dub.17. n.131.* Vaſq. *dicto dub.7.* defendit hanc partem, ut probabiliorem, & alii apud præcitatos Doctores; & mihi certa videtur, & ſufficienter indicata in *c. Omnis utriuſque ſexus de pœnitent. & remiſſionib.* ibi: *Sit ſacerdos cautus diſcretus, more medici; diligenter inquirens peccatorum circunſtantias.* Ratio eſt: quia eſto judicium pœnitentiæ ſpontaneum ſit, & non coactum, id non impedit, quin Judex in illo foro inquirere debeat de cauſa judicanda, non ut coactè, ſed ut ſpontaneè judicetur. Neque enim Judex perfectè ſuum munus obibit, ſi quoad fieri poſſit, non procuraverit, ut omnis cauſa in illo foro neceſſariò judicanda innoteſcat. Neque item officium periti medici exercebit, ſi credens pœnitentem plura vulnera lethalia habentem, & ob ignorantiam non manifeſtantem, omittat inquirere. Deinde ſi pœnitentem pro ſuo captu diligenter examinatum non tenetur Sacerdos interrogare, tametſi videat alicujus peccati oblivioſi; efficitur ſanè, ferè nunquam teneri pœnitentem examinare. Nam vel pœnitens eſt doctus, vel indoctus, & ruſticus. Si doctus eſt, præſumi debet ad confeſſionem accedere examine ſufficienti præmiſſo, ſicuti præſumitur accedere cum aliis ad abſolutionem requiſitis. Si verò indoctus, & ruſticus ſit, & moneatur de examine requiſito, ipſéque feciſſe aſſerat; credere confeſſarius tenetur, ſicuti credit de peccatis dolore; præcipuè cùm ii ruſtici, etiamſi longius tempus inſumant, nunquam poſſunt ita integrè confiteri, quin multa peccata omittant aliàs manifeſtanda, niſi diligentia Confeſſarii juventur. Ergo vel dicendum eſt, nunquam Confeſſorem eſſe obligatum interrogare, & examinare pœnitentem; quod eſt contra praxim Eccleſiæ & conſuetudinem receptam: vel dicendum eſt, teneri, quoties probabiliter & prudenter judicat, ſpectatis circunſtantiis, pœnitentem alicujus mortalis neceſſariò manifeſtandi oblivioſi. Et per hæc ſit ſatis rationi contrariæ. Dicimus namque, obligationem interrogandi pœnitentem oriri, non ob interrogantem formalem ſacramenti, & illius effectum; ſed ob interrogantem, etiam materialem judicii; quam non ſolùm pœnitens, ſed etiam Confeſſarius obligantur, quoad fieri poſſit, procurare: quippe tenentur procurare, ut in judicium adducantur omnia quæ neceſſariò judicanda ſunt. Neque inde fit, Confeſſariis grave onus imponi. Non enim affirmamus; omnes pœnitentes examinandos eſſe; ſed eos tantùm, quos ex circunſtantiis probabiliter colligitur aliquorum mortalium manifeſtationem omittere, de illiſque tantùm interrogandos.

4. Sed qualiter ſunt interrogandi? Certè ſumma prudentia opus eſt. Non enim decet ſacerdotem inutilibus interrogationibus detineri: tum ob reverentiam Sacramenti: tum ne pœnitenti moleſtus ſit: tum ne videatur potius curioſus inquiſitor, quàm neceſſarius inveſtigator: quod in peccatis carnis maximè obſervandum eſt, partim ne pœnitens appetat poſtmodum exercere peccatum, cujus à Confeſſario inſtructus eſt, partim ne ipſi, vel tibi cauſa ſit alicujus tentationis vel conſenſus, partim ne pœnitentem ſcandalizet, vel illi occaſionem præbeat ſuſpicandi; ſacerdotem in omnibus venereis delectari. Quocirca de rebus inhoneſtis ſolum ea interroganda ſunt, quæ ex his, quæ pœnitens confitetur, colliguntur neceſſaria interrogatu: alia præſtat omitti, quàm ſupradictis incommodis involvi. De aliis verò peccatis ſpectanda eſt qualitas pœnitentis, officia, & negotia, quibus verſatus eſt, tempus ex quo non fuit confeſſus, & ſecundùm hæc interrogari poteſt de iis, quæ probabiliter credis commiſiſſe. Ut tamen cordatè procedas, ſpectare debes, quid ipſe dicat, & ex ejus dictis colliges, quid ſit neceſſariò vel convenienter interrogandum, uti latius tradunt Navarr. Henriq. Suar. Vaſquez Laymann. Ægid. *locis allegat* Nullum tamen peccatum ante finitam confeſſionem graviter ponderabis, aut objurgabis, ne pœnitens deterritus alia fortè graviora manifeſtare omittat.

5. Secunda quæſtio: An pœnitenti non ſolùm tacenti peccatum, ſed interrogata neganti, abſolutio impendi debeat. Reſpondeo cum Suarez *diſp.32. ſect.3. num.9.* Layman. *lib.5. ſum. tract.6. cap.14. circa finem. quæſt.3.* regulariter ſtandum eſſe dicto pœnitentis potius, quàm aliorum relationi: quia ipſe eſt reus, & teſtis in illo foro, & ſecundùm ejus probationem, & allegationem ſententia ferenda eſt. Quod ſi ſacerdos evidenter ſciat, pœnitentem negare peccatum, quod confeſſus non eſt; quod rarò continget; uti poterit notitia, quam habet, ut illum convincat, modò ſit abſque ſigilli violatione: & ſi adhuc in negatione perſeverat, neganda eſt abſolutio: quia abſolutio cùm ſit actus ſecretus, & ad bonum pœnitentis relatus, concedi non poteſt ei, quem ſacerdos evidenter cognoſcit

cognoſcit eſſe indiſpoſitum, uti docuit Suar. *ſuprà*. Henriquez *lib.6. cap.20. num.6.* Laymann. *lib.5. ſum. tract.6. cap.14. in fine.*

6. Tertia quæſtio: An tenearis pœnitentem monere, quando per ignorantiam eſt in ſtatu de ſe malo, vel illum aſſumere intendit? Reſpondeo, ſi ignorantia eſt craſſa, & vincibilis, monere omnino illum debere, ut peccati pœniteat: fortè enim monitione, & exhortatione, propoſitum concipiet deſiſtendi à peccato: ſin minus, abſque abſolutione dimittendus eſt, utpote indiſpoſitus. Sic ex communi ſententia docet Med. *de confeſſ. quæſt.19.* Sotus *in 4. diſt.8. quæſt.2. art.4. ad 2.* Sanch. *lib.2. de matrimon. diſp.38. n.2.* Coninch. *diſp.8. de pœnit. dub.17. n.136.* Layman. *lib.5. ſum. tract.6. c.13. quæſt.4. n.5.*

7. Verùm, ſi ignorantia præſumatur invincibilis, & mortaliter inculpabilis, diſtinguendum eſt ſi, ex monitione fructum non ſperas conſequi; ſed potiùs times monitione facta in eodem ſtatu pœnitentem perſeveraturum, nullo modo debes monere; ſed abſolutionem utpote rectè diſpoſito impendere: quia, cùm hæc monitio in bonum pœnitentis dirigatur, eo bono ceſſante, ceſſare debet; quippe pœnitenti ob ſuam malitiam ea monitio nociva eſt, peccati committendi occaſio: quæ omnia omiſſa nonitione vitantur. Atque ita docent aliis relatis, Vaſquez *de pœnitent. quæſt.93. art.3. dub.9.* Suar. *diſp.32. ſect.4. n.4.* Coninch. *dub.17. num.137. dicto lib.5. tract.6 cap.13. q.4. num.5.* & colligitur ex Auguſt. relato in *cap. Si quis autem de pœnitent. diſt.7.* ibi: *Si ſcirem non tibi prodeſſe, non te admonerem, non te terrorem.* Et Innoc.III. *in cap. Quia circa. De conſanguinit. & affinit.* ubi diſſimulari præcipitur, ob vitaodum ſcandalum cum quibuſdam, qui bona fide matrimonium ſe contraxiſſe putabant, cùm tamen impedimentum occultum haberent.

8. Quòd ſi probabiliter judices, monitionem profuturam, abſque gravi tamen incommodo, & ſine ſcandalo: teneris pœnitentem monere, tum ex charitate, tum ex juſtitia, ſi Paſtor es. Etenim error ille malum quoddam eſt, & occaſio plura materialia peccata comittendi, & ſæpè non levibus incommodis expoſitum. Removeri ergo debet, ſi facilè poteſt, uti ex communi ſententia firmant Covar. *lib 4. 2. p. c.6. §. 10. num.15.* Suar. *diſput.52. ſect.4. num.3.* Vaſq. *q.93, dub.6.* Coninch. *diſp.8. dub.17. num.138.* Laym. *lib.5. ſum. tract.6. cap 13. q.4. concl.3.* Notanter dixi, *abſque gravi incommodo, & ſcandalo.* ſæpè enim pœnitens monitioni acquieſcet, & ſtatum de ſe malum vitare conabitur. Sed tot querimoniæ, & lites, aliáque inconvenientia inde timeri poſſunt oritura, ut meritò Confeſſarius diſſimulare debeat, ut benè ſupradicti Doctores notarunt.

9. Duo tamen placet advertere. Primum: Si de matrimonio contrahendo agatur, & pœnitens ignorantia impedimenti dirimentis laboret, regulariter omninò monendus eſt: tum ob reverentiam ſacramenti: tum ob inconvenientia, quæ ex matrimonio irrito frequenter oriuntur, & difficillimè reparantur; tum, quia ſæpè poſt matrimonium contractum error, & ignorantia ceſſare ſolet, qua ceſſante expoſitus eſt pœnitens non levi periculo peccandi: tum denique, quia ſemper præſumi debet pœnitens, vel à matrimonio contrahendo receſſurus, vel diſpenſationem impetraturus; ſicuti hæc omnia latiùs notat Sanch. *lib.2. de matr. diſp.38. à num.6.* At, ſi de matrimonio invalidè contracto agatur, vel de privatione debiti petendi, ſi eſt caſus, in quo Confeſſarius diſpenſare, vel ab Epiſcopo facilè obtineri diſpenſatio poteſt, plerumque pœnitens monendus eſt; quia cùm hujuſmodi error, & ignoratia ſit quoddam malum, & occaſio multa peccata materialia committendi, credendum non eſt, pœnitentem ab eo liberari nolle, tum facilè poſſit, ut benè dixit Layman. *lib.5. ſum. tract.6. c.13. q.4. n.6.*

10. Secundum: Si pœnitens dubius ſit de matrimonii valore, vel de poteſtate petendi debitum, vel de obligatione reſtituendi, ſtante eo dubio diſſimulare Confeſſarius non poteſt: quia jam incepit ignorantiam vincibilem habere; ſed neceſſariò obligatur, tum ex charitate, tum ex juſtitia veritatem pœnitenti manifeſtare, ne ejus error, & ignorantia ipſi tribuatur. Sic ex communi ſententia docent Sanch. *lib.2. de matrim. diſp.38. n.8.* Ægid. de Coninch. *diſp.8. dub.17. concl.8.* Layman. *lib.5. ſum. tract.6. c.13. q.4. n.7.*

11. Supereſt dicendum, an eo caſu, quo diſſimulare potes cum pœnitente ignorantia invincibili laborante, poſſis illum ſtatum conſulere: v. g. laborat invincibili ignorantia pœnitens impedimenti, quod habet in matrimonio contrahendo, vel contracto? poteriſne conſulere, ut matrimonium contrahat, vel poſt matrimonium contractum, ut debitum petat, vel reddat in iis caſibus, in quibus potes diſſimulare? Item, ſi pœnitens bona aliena invincibili ignorantia poſſideat, poteriſne conſulere, ne reſtituat, ſicuti potes diſſimulare, cùm non ſperas monitionis fructum?

Reſpondeo, te conſulere poſſe omnem illam actionem, quam pœnitens poſita illa ignorantia omittere abſque peccato non poteſt: ſecùs verò illas actiones, quas liberè poteſt omittere. Utramque partem docuit Ægidius de Coninch. *diſp.8. dub.17. concl.7. & 8.* Et probatur: nam actiones, quas pœnitens obligatur exercere, nullam malitiam, etiam materialem, continent; quia hæc eſſe non poteſt, ubi non adeſt libertas materialis actus vitandi, ideóque nihil impedit, quominus conſuli poſſint. At actiones, quas pœnitens liberè poteſt omittere, eſto ob ignorantiam à malitia formali excuſentur; at materialem continent, cùm de ſe malæ ſint, & liberæ ſint factæ. Ex quo fit, in prædictis caſibus te non poſſe conſulere pœnitenti, ut matrimonium contrahat, neque poſt contractum petat debitum, neque poſſidenti aliena bona, ne reſtituat: quia conſuleres actiones, quæ à pœnitente vitari poſſunt, ac proinde ſunt materialiter improbæ, benè tamen conſulere potes, & debes, ut poſt contractum matrimonium debitum reddat: quia redditionem debitam ex ignorantia poſita vitare nequit, ac proinde nec materialiter mala eſt. Conſentiunt in hac poſteriori parte Sanch. & Laym. *loc. allegg.*

12. Quæſtio quarta: Quibus eventibus poſſis, vel tenearis pœnitentem abſolvere, vel inabſolutum dimittere? Pœnitenti ritè peccata fatenti obligaris ſub gravi culpa abſolutionem concedere: quia ob confeſſionem factam jus acquiſivit, ne ei abſolutionis beneficium negetur. Et contra peccata abſque debito dolore, vel non integrè pro ejus captu fatenti abſolutiomem negare debes, utpote ea indigno, quouſque dolorem concipiat, & integrè fateatur. Sic ex omnium ſententia tradit Suar. *diſp.32. ſect.2. n.2.* Coninch. *diſp.8. de pœnit. dub.17. concl.3.* Laym. *lib.5. ſum. tract.6. cap.13. quæſt.6. concl.1.* Si verò hæreas, nec probabile judicium de legitima diſpoſitione pœnitentis concipere poſſis, debes pœnitentem interrogare, & ejus reſponſioni acquieſcere, dum tibi contrarium non conſtat: quia ipſe eſt ſolus teſtis in illo foro. Sic Suar. Layman. & Coninch. *loc. allegatis.* Porrò ſæpè pœnitens ſine vero dolore ad confeſſionem accedit; ſed Confeſſarii monitis, & exhortationibus, quibus & turpitudo peccati, & offenſa Dei, & Inferni pœna repræſentatur, verum dolorem concipit. Sæpè integrè non fatetur ob craſſam ignorantiam, vel malitiam: at interrogationibus Confeſſarii negligentiam purgat, & confeſſionem integram præſtat: ideóque non debes ſtatim hunc pœnitentem indiſpoſitum

inab

inabsolutum dimittere, ut legitimè paratus, & cum debita dispositione postmodum revertatur : fortè enim non redibit, ut multi faciunt, sed charitatis Christi memor expedit, si tempus suppetit, ut,quoad fieri possit, illum disponas ; non tamen teneris, sed potes illum inabsolutum dimittere,ut dolore concepto,& examine legitimo præmisso ad confessionem redeat. Etenim judicium confessionis ob doloris, vel integritatis culpabilem defectum ritè inceptum non est, ac proinde jus pœnitenti de absolutione sibi concedenda non est acquisitum : de qua re Bartholom. de Med. *l.2.instruct.c.6.*Suar.*disp.32.sect.2.&3.* Laym. *lib.5. sum. tract.6. cap.13. quæst.6.* Quòd si pœnitens inculpabiliter dolorem, vel integritatem confessionis omittit, credo, eo revertente, te non posse illum inabsolutum dimittere ; tametsi possis aliquantulum differre : quia est judicium confessionis legitimè inceptum, & jus à pœnitente inchoante acquisitum ; sed obligaris, tum exhortationibus, tum interrogationibus, tum dilatione absolutionis, defectum supplere, ne sacramentum truncum, & imperfectum relinquatur, néve pœnitenti onerosum fiat,ut benè inter alios docuerunt Sylvest. *Confess.3. num.19.* Navarr. *in cap. Fratres. n.48. de pœnit. dist.5.* Suar. *disp.32, sect.3.* Layman. *lib.5.sum. tract.6. cap.13. quæst.6.* Qualiter autem te debeas gerere cum eo, qui occasionem peccandi non fugit, latè diximus *tract.2. de peccat. disp.2.p.9. §.3. à nu.15.* Neque *ibi* dictis aliquid addendum occurrit.Ea tamen omnia reperio confirmata ab Ægidio de Coninch. *disput.8. de pœnit. dub.17. concl.4.* Suar. *disp.32. sect.2.n.3.*

§. III.

De obligationibus post Sacramenti administrationem.

1. *Post Sacramentum solùm supereſt obligatio, si malè administratum est.*
2. *Si ob indispositionem pœnitentis fuit nulla administratio, & ipse ignarus est defectus, obligaris monere.*
3. *Quid, si non habuisti intentionem absolvendi, vel non absolvisti.*
4. *Quid, si caruisti jurisdictione.*
5. *Quid, si errorem docuisti.*
6. *Quid, si culpabiliter omisisti monere de obligatione restitutionis, alteriusve præcepti.*

1. OBligatio nulla supereſt, nisi ob malam Sacramenti administrationem, quæ oriri potest, partim ex pœnitente, eò quod ad suscipiendam absolutionem indispositus accessit; partim ex Confessario, qui jurisdictione ad absolvendum caruit, vel errorem consulvit, vel monitionem debitam omisit.

2. Si sacramentum nullum fuit ex defectu pœnitentis, & ipse nullitatem agnoscit, nulla alia est sacerdoti obligatio, nisi pœnitere peccati commissi. At, si pœnitens ignarus est, obligatur sacerdos, tum ex charitate, tum ex justitia, si Pastor est,pœnitentem monere, sperans monitionem profuturam, partim ob divinum præceptum, quo adstringitur ad ea peccata ritè confitenda, cujus violationis complex fuit Confessarius, absolutionem indebitè impendens ; partim ob damnum ipsius pœnitentis, qui in statu damnationis est, cum non fuerint illi peccata remissa.

3. Si verò defectus se teneat ex parte Confessarii, eò quod intentione caruit absolvendi pœnitentem vel oblitus est illum absolvere ; si pœnitens ab ejus conspectu non recessit, credo, recta intentione posse, & debere absolvere, tametsi pœnitens nihil de absolutione secundò data cogitaverit : quia pœnitens confessionem fecit animo recipiendi veram absolutionem, in qua voluntate censendus est perseverare, quousque illam recipiat. Sic Ægid. de Coninch. *disp.8. dub.17. conc.9. num.142.* Bonac. *disp.5.q.7. punct.6. n.2.* Quòd si pœnitens à conspectu Sacerdotis recessit pro aliquo tempore, ob cujus causam timeri potest, novo peccato se maculasse, nullatenus ei non præmonito, etsi præsenti, nova absolutio concedenda est ob periculum irritandi sacramentum, & conferendi absolutionem indispositi : sed monitus pœnitens de defectu commisso,si in eadem contritione & voluntate excipiendi absolutionem affirmat persistere, ei concedi debet : quia ea significatio est quædam repetita confessio, ob quam absolutione dignus existit.

4. Ferè idem est dicendum, si absolutio nulla fuit ob defectum jurisdictionis in reservata, vel in omnia peccata confessarario tamen ob hujusmodi defectum absolutio nulla est, si ex parte pœnitentis legitima adest dispositio. Etenim ut ex supradictis constat, satis probabile est, pœnitentem bona fide peccata aliqua venialia simul cum mortalibus simplici sacerdoti confitentem, sacramentum recipere, & verè absolutum manere directè à venialibus, indirectè ab aliis ; ac proinde cum obligatione detecto errore illa fatendi, sicuti docuit Sanch. *lib.1. sum. c.9. n.35.* Laym. *l.5. sum. tract 6. c.19. n.16. vers. Ad extremum.* Sed concesso,absolutionem esse nullam,vel saltem esse nullam quoad reservata,ut necessariò fatendum est ; debet Confessarius,si absque gravi incommodo possit, monere pœnitentem de defectu, ut obligationi confitendi satisfaciat : fortè enim ob non receptam absolutionem condemnabitur. Sic Navarr. *c.26. n.14.* Coninch. *disp.8. de pœnit. dub.17. num.143.* Suarez *disp.32. sect.6. n.6.* Henriquez *l.4. c.12. n.5.* Bonac. *disp.5. q.7. pun.6. n.3.* Si Confessarius facultatem absolvendi à reservatis obtinuit,facillimo negocio potest defectum absolutionis reparare, procurans, ut pœnitens iterum sibi confiteatur : quod uno verbo præstare potest, si de omnibus peccatis in ea confessione manifestatis se generaliter accuset, modò confessarius illorum,saltem in genere.,memor sit,& specialiter recenseat,si quæ post illam confessionem commisit, sicuti, notarunt Coninch. Suar. Bonac. *loc. alleg.*

5. Denique ex parte Confessarii esse potest defectus, docuit pœnitentem errorem aliquem, scilicet, valere matrimonium, cùm invalidum sit ; non esse obligatum restituere, cùm ad id teneatur, & similia. Quibus in eventibus certum est apud omnes Doctores, Confessarium malitiosè procedentem, sive Parochus sit, sive delegatus,obligatum esse ex charitate, & justitia errorem purgare : quia fuit causa malitiosa illius : quo casu, si consuluit non restituere,ipse obligatur creditori satisfacere : Si verò ex ignorantia invincibili docuit errorem ; adhuc obligatur, ex charitate,si absque gravi incommodo potest. Quia lex charitatis exigit, damnum proximi, quoad fieri possit, reparare. Est autem grave damnum pœnitenti factum ex illa iniqua doctrina : quippe ob illam est constitutus in statu de se malo, & quasi impotens redditus ab eo desistendi. Ergo, &c. Ex justitia verò Parochus obligatur : quia ei ex officio competit sibi suditos ab erroribus liberare, & veritatis doctrinam docere, non, tamen ex hac obligatione creditori debet satisfacere : quia non est obligatio comparatione creditoris sed pœnitentis.

6. Quòd si pœnitentem obligatum restituere culpabiliter omisisti monere, ob quam omissionem non restituit, probabilius censeo, si Confessarius delegatus est sola lege charitatis teneri ad monitionem faciendam : quia solùm contra religionem,& debitamque sacramenti administrationem deliquisti : at si Parochus es, lege justitiæ teneris ; quia peccasti contra debitum tui officii, ex vi cujus astringeris subditos à peccatis & erroribus liberare,& in viam veritatis dirigere. Non tamen teneris creditori restituere : quia

obligatio

obligatio Parochi non eſt comparatione creditoris; ſed pœnitentis, & ſubditi, ſicuti in præſenti notat Suar. *diſp.*32. *ſect.*6. *n.*9. Vaſq. *de pœnit. quæſt.*93. *art.*3. *dub.*8. Coninch. *diſp.*8. *dub.*15. *concl.*9. *circa finem.* Quoties autem pœnitentem monere debes de defectu in confeſſione commiſſo; expedit, ut ab eo licentiam expoſtules, ne videaris ſigillum violare, ut docet Ægid. de Coninch. *diſp* 8. *dub.* 17. *in fine.* Dixi, *ne videaris*, quia probabile eſt, te non eſſe cenſendum ſigilli violatorem, cùm hæc monitio ad perficiendum ſacramentum anteà factum dirigatur, & quaſi pars illius ſit. Unde etiam reverente pœnitente fieri poteſt. Suarez *diſp.*33. *ſect.*5. *n.*3. Laym. *l.*5. *ſum. tract.*6. *c.*14. *num.*15.

Ad extremum, ob nullam hujus ſacramenti iniquam adminiſtrationem, eſt aliqua pœna ipſo jure impoſita; ſed arbitrio Judicis pro qualitate criminis ferri debet, ut benè notavit Suar. *d. diſp.*32. *ſect.*7

Punctum XIX.

De ſigillo Confeſſionis.

§. I.

Quid ſit ſigillum, & qualis ejus obligatio.

1. *Unde dicatur ſigillum, & quid ſit.*
2. *Qualiter peccet violans ſigillum.*
3. *Nullo caſu violare licet.*
4. *Etiam ob manifeſtandum proprium peccatum.*
5. *Neque poſt mortem pœnitentis.*
6. *Ex ſola facultate pœnitentis violari ſigillum poteſt.*
7. *Debet eſſe expreſſa, nec ſufficit præſumpta.*
8. *Item, debet eſſe ſpontanea.*
9. *Revocari poteſt ſemel conceſſa.*
10. *Verbo concedi poteſt, neque eſt ſcriptura neceſſaria.*
11. *Qualiter ſe defendet Sacerdos accuſatus de ſigilli violatione.*
12. *Obligatio ſervandi ſigillum non admittit levitatem materiæ.*
13. *Nullæ ſunt pœnæ ipſo jure impoſitæ violantibus ſigillum.*
14. *Quis ſit Iudex hujus delicti.*

1. SIgillum eſt obligatio non manifeſtandi ea, quæ in confeſſione cognita ſunt. Deſumpta eſt hæc vox per metaphoram ex ſigillo litterarum, quæ eo durante, nec legi, nec aperiri poſſunt.

2. Ad ſervandum ſigillum obligat; tum juſtitia, ne aliena peccata revelentur, tum fidelitas, ob tacitam promiſſionem non revelandi, quæ ſub ea conditione dicta, & accepta ſunt, tum religio, ne ſacramenti inſtitutioni aliquo modo derogetur. Quocirca violans ſigillum, & contra fidelitatem, & juſtitiam, & contra religionem delinquit, ſicuti benè docent Suar. *tom.*4. *de pœnitent. diſp.*33. *ſect.*1. Coninch. *diſp.*9. *dub.*1. *in princ.* Fagund. *de ſecundo Eccleſ. præcept. lib.*6. *cap.*1. *n.*2. *&* 6. Bonac. *diſp.*5. *de Sacram. Pœnit. q.*6. *ſect.*5. *punct.*1. *n.*4. & alii apud ipſos.

3. Hæc obligatio, quatenus ex religione oritur, ita ſtrictiſſima eſt, ut nullo caſu, quantumvis graviſſimo, ſive boni conſequendi, ſive mali vitandi, abſque voluntate pœnitentis ceſſare poſſit, uti ex communi ſententia tradunt Suar. *dicta diſp.*33. *ſect.*2. Navarr. *cap.*8. *num.*2. Layman. *l.*5. *ſum. tract.*6. *cap.*14. Fagundez *cap.*1. *n.*7. & colligitur ex cap. *Sacerdos de pœnitent. diſt.*6. & cap. *Omnis utriuſque ſexus de pœnit. & remiſſionib.* Etenim, ut ex perpetuo uſu, & traditione Eccleſiæ conſtat, Chriſtus Dominus hoc ſacramentum inſtituens præcepit, ne ob ullam cauſam ibi cognita manifeſtentur, ut hac ratione Sacramentum, neque odioſum, neque oneroſum redderetur.

4 Hanc doctrinam aliqui Doctores, inter quos eſt Domin. Soto *in* 4. *diſt.*18. *quæſt.*4. *art.*5. *verſ. Occurrunt, & lib. de tegendo ſecreto, quæſt.*4. *conclu.*3. limitant ne procedat in caſu, ſacerdos ſuum peccatum explicare non poſſet abſque manifeſtatione peccati pœnitentis in confeſſione auditi: quia eo caſu duo præcepta concurrunt, & utrumque divinum; alterum de integritate confeſſionis; alterum de ſervando ſigillo. At præceptum de integritate confeſſionis ſtrictùs videtur videtur obligare, quàm præceptum de ſigillo ſervando: quia præceptum de integritate confeſſionis in gratiam Sacramenti, & integritatem illius judicii appoſitum eſt; præceptum verò de ſigillo ſervando in gratiam pœnitentis. Deinde, quia ſacerdos potiùs videtur obligatus ſuæ ſaluti conſulere, integram faciens confeſſionem, quàm famæ pœnitenti ſecretum ſervando.

Sed hæc limitatio, ut omninò improbabilis, rejicienda eſt, ſicuti multis relatis rejicit Vaſq. *de pœnit. quæſt.*43. *art.*4. *dub.*4. Suar. *diſp.*33. *ſect.*1. *n.*18. Gutier. *canon. quæſt. lib.*1. *cap.*11. *n.*49. *&* 50. Fagund. *de ſecundo Eccleſ. præcept. lib.*6. *cap.*1. *n.*7. *&* 9. Coninch. *diſp.*9. *dub.*1. *n.*21. Laym. *lib.*5. *ſum. tract.*6. *cap.*14. *n.*13. Nam eſto, obligatio ſigilli in gratiam pœnitentium ſtatuta ſit, cedit tamen maximè in ipſius ſacramenti bonum, ſi omnes ſciant, in nullo caſu, abſque pœnitentis licentia, violari poſſe: quippe ejus uſus facilior, & ſuavior redditur.

5. Alii, quorum meminit Covar. 2. *p. art. decret. cap* 8. §.11. *num* 9. excipiunt caſum, quo pœnitens mortuus ſit, & illius confeſſionis revelatio neceſſaria ſit ad impediendum grave malum. Sed, ut rectè ipſe Covarr. notat, hi Doctores audiendi non ſunt, utpote conſuetudini Eccleſiæ, & communi ſententiæ adverſantes. Etenim fama æquè in vita, ac poſt mortem pœnitentibus neceſſaria eſt, æquéque deterrentur homines ab uſu Confeſſionis, ſi ſcirent poſt eorum mortem peccata ad impediendum damnum revelari poſſe.

6. Quocirca ſolum hæc exceptio admittenda eſt, ſcilicet, ex licentia, & facultate pœnitentis. Nam cùm in gratiam ipſius hoc præceptum impoſitum ſit, expediebat ejus conſenſu ceſſare. Nec enim via nulla fit pœnitenti injuria: ſed potiùs commodum, cùm juxta ejus voluntatem ſecreti obligatio metiatur: nec ſacramenti reverentia læditur, cùm omnes ſciant, ſolùm ex voluntate pœnitentis loqui ſacerdotem poſſe de peccatis in confeſſione auditis. Sic S. Thom. *in* 4. *diſt.*21. *quæſt.*3. *art.*2. & *in ſupplem. quæſt.*10. *art.*4. Adrian. *in* 4. *de confeſſ.* ubi de ſigillo §. *Sed probabilior.* Navarr. *ſum. cap.*8. *n.*2. Vaſq. *diſp.*93. *art.*4. *dub.*5. Suar. *diſp.*33. *ſect.*5. *n.*6. Suar. *lib.*6. *moral. cap.*18. *n.*43. Fagund. *de ſecundo Eccleſ. præcep. lib.*6. *cap.*1. *à n.*14. Layman. *lib.*5. *ſum. tract.*6. *cap* 14. *n.*14. Bonac: *diſp.*5. *quæſt.*6. *ſect* 5. *punct.*4. *à num.*9 contra Scotum *in* 4. *diſt.*21. *q.*2. §. *Ad argum.* Durand. *q.*4. *art.*3. Major. *quæſt* 3. *argum.*3. Alenſ. *p.*4. *quæſt.*78. *membr.*2. *art.*3 exiſtimantes, cujuſlibet particularis licentiam inſufficientem eſſe, ſicuti non ſufficit, ut Clericus ad ſæculare judicium trahatur, ſed eſt longè diverſa ratio. Nam ut rectè Coninch. *diſp.*9. *dub.*1. *n.*22. hoc præceptum in gratiam privatorum latum eſt: at privilegium Clericorum non in illorum gratiam, ſed in gratiam, & reverentiam Eccleſiaſtici Ordinis, & ſtatus conceſſum eſt.

7. Hæc tamen licentia debet eſſe expreſſa, & formalis, nec ſufficit præſumpta: & meritò, ne aliquando contra voluntatem pœnitentis ejus confeſſio reveletur: quod ſine dubio ſæpè contingeret, putans Confeſſarius gratam eſſe pœnitenti eam revelationem, cùm tamen ingrata ſit. Atque ita docent Navarr. *in cap. Sacerdos, de pœnitent. diſt* 6. *n.*151. Covarrua. 2. *p. decretal. c.*8. *n.*11. Suar. *de pœnitent. diſp.*33. *ſect.*5.

sect. 5. n. 14. Fagund. *de secundo Eccles. præcep. lib. 6. c. ... num. 14.* Layman. *lib. 5. sum. tract. 6. cap. 14. n. 14.* Coninch. *disp. 9. de pœnitent. dub. 1. n. 23.* contra Altisiodorem *libr. 4. tract. 6. cap. 3. q. 7.*

8. Deinde debet esse spontanea, & libera. Nam vi, dolo, & metu extorta censenda est, ac si concessa non esset, tum ob reverentiam sacramenti, tum ne foveantur injuriæ, tum ut pœnitens securus sit de secreto. Atque ita docent Navarr. *dicto cap. Sacerdos, n. 158. & in summ. cap. 8. n. 15.* Suar. *sect. 5. n. 14.* Fagund. *cap. 1. n. 20.* Graffis *lib. 1. decis. cap. 23. n. 15.* Quòd si objicias: Sæpè pœnitens obligatur peccatum suum aperire ad impediendum damnum grave innocentis: poterit ergo tunc à Confessario cogi, ut licentiam concedat. Respondeo, nullatenus hanc coactionem esse permittendam. Nam si hæc obligatio pœnitentis incumbit, antequàm ei absolutionem concedas, negare utique debes absolutionem, si firmiter non proponat obligationi satisfacere: si verò post datam absolutionem ea obligatio noscatur, petita licentia monendus est pœnitens, & rogandus, ut concedat: si renuat, dissimulandum est: præstat enim sigilli inviolabilis observatio cuicunque damno, quod violatione sigilli vitari poterat. Ægid. de Coninch. *disp. 8. dub. 1. num. 24.* Layman. *lib. 5. sum. tract. 6. c. 14. n. 14.*

9. Præterea semel concessa licentia revocari ad libitum potest; quia ejus usus pendet ex voluntate concedentis. Unde non licet Sacerdoti, neque in personis, neque in tempore, neque in aliqua circumstantia excedere modum in licentia præscriptum, uti benè notavit Navarr. *dicto c. Sacerdos. n. 127. & 154.* Henriq. *lib. 6. de pœnit. cap. 23. num. 2.* Suar. *de pœnit. disput. 33. sect. 5. num. 7.* Fagundez *de secundo Eccles. præcep. lib. 6. cap. 1. num. 18.* Laym. *lib. 5. sum. tract. 6. c. 14. n. 15.*

10. Sed qualiter hæc licentia concedi debet, ne sacerdos violator sigilli præsumatur? Aldret. *lib. 2. de religiosa dicipl. c. 19. § 1. n. 6.* affirmat in scriptis concedi debere: aliàs accusatus sacerdos de violatione sigilli non valebit se defendere. Fateor, in casu gravi hoc expedire: sed plerumque nec necessarium est; neque expediens. Et quidem ad valorem licentiæ conveniunt omnes, scripturam necessariam non esse, sed verbo tenus concedi posse. Ad defensionem item sacerdotis accusati scriptura non requiritur, solius enim sacerdotis testimonio asserentis sibi à pœnitente concessam esse licentiam, creditur, & pœnitenti incumbit onus probandi contrarium, ut rectè docuit Decius *cap. 1. de exceptionib. n. 27.* Lapus *alleg. 94.* Capua *lib. 1. decis. c. 23. n. 16.* Henriq. *lib. 6. de pœnitent. cap. 19. num. 10.* Quod difficillimè facere potest, cùm hæc concessio secreta omninò esse soleat; ex alia parte non expedit regulariter in scriptis licentiam à pœnitente expostulare: quia ei oneroſum esset, & periculo publicationis majoris expositum, ut benè notavit Suarez *disput. 33. sect. 3. n. 14.* Capua. *lib. 1. decis. capit. 23. num. 15.* Fagundez *de secundo Eccles. præcept. lib. 6. cap. 1. n. 23.*

11. Quòd si sacerdos, ut ab accusatione violati sigilli se defendat, asserat, aliunde quàm ex confessione rem agnovisse, tenetur exceptionem probare, ejúsque probationi standum est, tametsi accusator contrarium probaverit; tum ne præsumatur delictum præcipuè in Judice; tum ob reverentiam sacramenti, ne censeatur offensum violatione sigilli. Atque ita docent Suarez *sect. 8. n. ult.* Mascard. *de prob. concl. 1286.* Aldret. *lib. 2. de relig. dis. § 1. num. 7.* Ant. Gabr *tit. de test. b. concl. 2. num. 28.* Sacerdoti autem accusato de violatione sigilli nullo modo expedit desistere à via se defendendi, quòd ex licentia pœnitentis factum sit: quippe est via securior, cùm in adversarium tranferatur onus probandi contrarium, quod vix facere potest. Hoc tamen crederem intelligendum esse, quando revelatio sigilli in bonum pœnitentis, vel alterius cessit absque læsione honoris, & famæ. Nam, si revelatio sigilli in damnum pœnitentis, vel alterius cessit; Confessario incumbit onus probandi ex licentia pœnitentis factum esse: quippe præsumi non potest pœnitens voluisse, quod sibi nocivum erat, ut optimè notat Bernard. Diaz. *pract. cap. 109.* Suar. *disp. 33. sect. ult. n. 4.* tùm, si licentiam fuisse concessam probare non potueris, & electa via, quòd aliunde quàm ex notitia confessionis peccatum revelatum agnoverit, si probationi succumbat, non pœna ordinaria, sed arbitraria puniendus est, uti docuerunt Navarr. *in dicto cap. Sacerdos, n. 163.* Farinac. *praxi quæst. 51. à num. 95.* Menoch. *lib. 1. de præsumpt. quæst. 89 num. 26.* Suarez *de pœnitent. disp. 33. sect. 8. in fine.* Fagundez *de secundo Ecclesiæ præcept. lib. 6. cap. 1. circa finem. num. 24.*

12. Qualitas obligationis servandi sigilli ita gravis est, ut levitatem materiæ non admittat. Nam esto verùm sit, quod revelatur, & pœnitenti non noceat, sacramentum ipsum, in cujus reverentiam sigillum præcipitur, gravissimè offenditur cujuscunque peccati manifestatione, sicuti ex communi sententia docent Navarr. *cap. Sacerdos num. 39.* Suar. *disp. 33. sect. 1. n. 12. & sect. 3. n. 3.* Henriq. *lib. 6. c. 19. num. 3.* Coninch. *disp. 9. dub. 1. n. 24.* Bonac. *disp. 5. q. 6. sect. 5. pun. 1. circa finem,* adversùs Ledesm. *2. p. 4. q. 11. art. 1. cap. 5.* asserentem, revelationem venialis peccati leve peccatum esse.

13. Pœnæ violantibus sigillum nullæ sunt ipso jure impositæ. Nam pœna depositionis, & perpetua in Monasterium detrusio, quarum fit mentio in cap. *Sacerdos de pœnit. dist. 6.* & cap. *Omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss.* non ipso jure latæ sunt, sed ferendæ.

14. Judex hujus delicti non est sanctæ inquisitionis tribunal, nisi delictum hæresi mixtum fuerit: sed est prælatus Ecclesiasticus, cui accusatus sacerdos subjicitur, ut relato Molfesio *tr. 7. c. 23. an 68.* notavit Bonac. *disp. 5. quæst. 6. sect. 5. pun 1. in fine.*

§. II.

Ex qua confessione, & ad quæ sacrum sigillum extendatur.

1. *Obligatio sigilli ex confessione facta sacerdoti, saltem existimato, animo, & intentione recipiendi absolutionem nascitur.*
2. *Si alia intentione accedat pœnitens, non obligaris sacro sigillo.*
3. *Extenditur obligatio ad peccata in confessione audita, & quatenus ibi cognita sunt.*
4. *Expenduntur in particulari, quæ cadant sub sigillum.*
5. *Complicis peccatum, aliásque circunstantias, quæ non sunt materia confessionis, licitè pro declaratione materiæ dicta sint, aliqui censent sub sigillo comprehendi*
6. *Verius est oppositum.*

1. OBligatio sigilli servandi solùm nascitur ex confessione facta sacerdoti, saltem existimato intentione recipiendi absolutionem. Quia est confessio homini facta, quatenus Judex est in hoc sacramentali foro. Atque ita docet D. Thomas communiter receptus *in 4. dist. 21. qu. 1.* Dixi, *Sacerdoti*: quia ex confessione facta laico, vel Clerico inferior sic cognito, hæc obligatio nasci non potest: quia non fit judici à Christo designato, & benè notarunt Suar. *disp. 33. sect. 2. n. 2.* Vasq. *quæst. 93. art 4. dub. 2. n. 6.* Coninch. *disp. 9. dub. 1. n. 4. & 5.* Bonac. *disp. 5. q. 6. sect. 5. p. 2.* Dixi, *existimato*, quia saltem ex inten-

tione pœnitentis confeſſio ſacramentalis eſt : quod videtur ſufficiens, ut ſigilli confeſſionem inducat, ſicuti docuit Scotus *in* 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 1. & *diſt.* 18. *quæſt.* 4. *art.* 5. *concl.* 5. Suarez *ſect.* 2. *num.* 5. Vaſq. alios referens *n.* 4. Laym. *lib.* 5. *ſum. tr.* 6. *cap.* 14. *n.* 16. *verſ. Inter.* Coninc. *diſp.* 5. *dub.* 1. *n* 8. Bonac. *diſp.* 5 *de pœn. q.* 6. *ſect.* 5 *pun.* 2. *n.* 2. Quod à fortiori procedit, ſi confeſſio facta fuerit ſacerdoti juriſdictione carenti, uti notant prædicti Doctores, Dixi, *intentione recipiendi abſolutionem* : tametſi de facto ob indiſpoſitionem non receperit : quia eſſe abſolutioni indiſpoſitum non impedit obligationem ſigilli, ex omnium ſententia, teſte Suarez *diſput.* 33. *ſect.* 2. *num.* 8. eò quod non impediat intentionem recipiendi abſolutionem, ſi capax extiterit; ſin minùs exhortationibus diſponatur, ut dignus abſolutione fiat.

2. Verùm, ſi alia intentione, quàm recipiendi abſolutionem ſacerdoti peccatum fateris; tametſi inde obligatio ſecreti naturalis oriatur, non tamen ſacrilegii : quia ea confeſſio, etiam ex intentione pœnitentis, non eſt ſacramentalis, cùm ad ſacramentum conficiendum non dirigatur. Unde, ſi gratia ſolùm petendi conſilii ad ſacerdotem acceſſeris, petieriſque, ut ſub ſigillo confeſſionis dicenda recipiat; non obinde ipſe ſigillo obligatur : Sic poſt alios antiquiores : quos refert Navarr. *ſum. cap* 18. *n.* 53. Sanch. *lib.* 3. *de matr. diſp.* 13. *num.* 6. Suarez *diſp.* 33. *ſect.* 2. *n.* 7. Vaſq. *quæſt.* 93. *art.* 4. *dub.* 2. *in fine.* Laym. *lib.* 5. *ſum. tract.* 6. *cap.* 14. *num.* 2. *verſ. Ex his.* Bonac. *diſput.* 5. *quæſt.* 6. *ſect.* 5. *num.* 3. Quod à fortiori procedit, ſi peccatum manifeſtaſti, non animo impetrandi abſolutionem, ſed Confeſſorem decipiendi, vel ad malum inducendi, tametſi contrarium verbis exprimeres : quia illa non eſt confeſſio, ſed deceptio, & ſacrilega ſimulatio, ſicuti notarunt Suar. *dicta ſect.* 2. *num.* 7. Vaſq. *dub.* 5. *n.* 8. *& dub.* 10. *n.* 5. Henriq. *lib* 9. *cap.* 19. *&* 21. Coninch. *diſp.* 9. *dub.* 1. *n.* 7. Bonac. *diſp.* 5. *qu.* 6. *ſect.* 5. *p.* 2. *num.* 5.

3. Hoc ſacrum ſigillum extenditur ad peccata in confeſſione audita, & quatenus ibi cognita ſunt. Notanter dixi *quatenus ibi cognita ſunt :* neque enim ob confeſſionem impediri debet Confeſſarius notitia peccati aliundè accepta uti ut benè tradunt. Suplemen. S. Thom. *quæſt.* 11. *art.* 5. Valen. *t.* 4. *diſp.* 7. *qu.* 13. *p.* 4. Coninch. *diſp.* 9. *dub.* 1. *concl.* 2. *n.* 9. Laym. *lib.* 5. *ſum. tract.* 6. *cap.* 14. *n.* 3. Bonac. *diſp.* 5. *de pœnitent. quæſt.* 6. *ſect.* 5. *p.* 2. *n.* 9. Unde, ſi extra confeſſionem noveris, Petrum res tuas furatum eſſe, poteris, non obſtante confeſſione facta, eum de latrocinio accuſare. Si autem latrocinii notitiam ante confeſſionem habuiſti, & accuſare decreviſti, expediret omninò, ne illius confeſſionem exciperes, ſed alteri Sacerdoti confitendum remitteres, ne accuſatione poſt confeſſionem factam inſtituta ſuſpicionem violati ſigilli gigneres. Ad idem eſt, ſi uſurarii, vel concubina, rii publici confeſſionem excepiſſes, & inabſolutum remitteres, poſſes à Communione repellere non ob indiſpoſitionem in confeſſione cognitam, ſed ob non exhibitam ſatisfactionem, & ſcandalum non ſublatum. Ob quam cauſam etiam à ſacro convivio repellendus eſſet, etiamſi ei abſolutionem conceſſiſſes, quia in iis non uteris ſcientia per confeſſionem comparata, ſed aliunde acquiſita. Sic aliis relatis docent Suarez *diſput.* 33. *ſect.* 3. *num.* 7. Vaſquez *quæſt.* 93. *artic.* 4. *dub.* 7. Coninch. *diſp.* 9. *dub.* 1. *concluſ.* 2. Laymann. *lib.* 5. *ſumm. tract.* 6. *cap.* 14. *num.* 3. Cavendum tamen maximè eſt, ut benè prædicti Doctores monent, ne propter notitiam ex confeſſione acceptam aliquid amplius, vel certiùs affirmetur, aliàs violatur ſigillum.

4. Igitur cadunt ſub ſigillum primò peccata mortalia, etiam in genere : non enim tibi licet ſignificare, pœnitentem peccatum mortale commiſiſſe : quia per ſe eſt occaſio infamiæ, & ſacramentum exoſum reddit. Sic omnes Doctores, teſte Coninch. *diſput.* 9. *dub.* 1. *n.* 10. Secundò, ſub ſigillo continentur peccata quantumvis publica, ſi aliunde ea noveris : quia dum ex confeſſione noſti, ſigillata eſt ea notitia, ut benè Coninc. *n.* 11. Tertiò, ſub ſigillo ſervari debent peccata abſque ullo dolore confeſſa, quinimò quæ committenda narrantur, ſi ex intentione ſe diſponendi ad abſolutionem mediis ſacerdotis exhortationibus dicta fuerunt : quia ea confeſſio iniqui propoſiti ſaltem ex intentione ſacramentalis extitit : atque ita adversùs Innocent. & Abbat. *in c. Omnis utriuſque ſexus de pœnit. & remiſſion. in fine.* & Alen. 4. *p. q.* 78. *membr* 2. *art.* 2. Sylv. *verbo, Confeſſio,* 3. *q.* 5. docuerunt Major. *in* 4. *diſt.* 21. *q.* 3. *argum* 4. Adrian. *in* 4. *de confeſſ.* §. *His præmiſſis.* Laym. *lib.* 4. *ſum. tr.* 6. *c.* 14. *n.* 5. Suar *diſp.* 33. *ſect.* 2. *n.* 8. Conin. *diſp.* 9. *dub.* 1. *n.* 3. Bonac. *diſp.* 5. *q.* 6. *ſect.* 5. *p.* 2. *n.* 7. Quartò, ſigillum comprehendit omnia peccata venialia in ſpecie: quia hæc, vel alia peccata pœnitentem commiſiſſe, & confeſſioni detuliſſe non eſt per ſe cognitum, ut rectè dixit Coninch. *diſp.* 9. *de pœnit. dub.* 1. *n.* 10.

5. Solùm eſt difficultas, an ſub ſigillum cadant complicis peccata, aliæque circunſtantiæ, quæ ad explicandum peccatum narratæ ſunt : v. g. ut homicidium à te factum explicares, narraſti, Petrum tibi ſocium fuiſſe, quod dicere neceſſarium non erat. Item, declaraſti, te fuiſſe ad ſacros Ordines promotum, cùm eſſes illegitimus, vel procuraſſe, ut Petrus illegitimus promoveretur. Item, te jactaſti de generis nobilitate, vel conſuluiſti alteri jactionem, falsò tamen. Dubium ergo eſt, an complicis peccatum, aliſque naturales defectus ita ſub ſigillo debeant contineri, ut ob nullam cauſam manifeſtari poſſint. Et quidem contineri ſub ſecreto naturali ſtrictiùs obligante, quam ſi extra confeſſionem cognita eſſent ob reverentiam ſacramenti omnes Doctores firmant : ſicuti etiam aſſerunt, ſi ex eorum manifeſtatione, aliqua etſi levis ſuſpicio audientibus daretur : omninò ſub ſigillo inviolabili celanda eſſe. At ſecluſo hoc periculo negant Ledeſm. 2. *p* 4. *q.* 10. *art.* 2. *conc.* 2. & Vaſq. *q.* 93. *art.* 4. *dub.* 3. *n.* 3. prædicta ſub ſacro ſigillo contineri : quia non ſunt materia confeſſionis : at ſacri ſigilli materia eſſe non poteſt, quæ materia confeſſionis non eſt, neque ad abſolutionem dirigitur. Ergo, &c.

6. Sed placet communem ſententiam ſequi, nempe, ea omnia, quæ ad peccati confeſſi explicationem aliquo modo conduxerunt, quæque perſonam infamant, ſeu dehoneſtant ſub ſigillo contineri : ſecùs verò, quæ nullo modo ad confeſſionem attinent, ſed incidenter dicta fuerunt. Sic tradit *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 4. *art.* 5. *concluſ.* 3. Navarr. *cap. Sacerdos de pœnit. diſt.* 6. *n.* 51. Suar. *diſp.* 33. *ſect.* 3. *n.* 5. Valen. *t.* 4. *diſp.* 1. *q.* 13. *pun.* 3. Laym. *l.* 5. *ſum. tr.* 6. *c.* 14. *n.* 4. Coninch. *diſp.* 9. *de pœn. dub.* 1. *n.* 15 Bonac. *diſp.* 5. *de pœn. q.* 6 *ſect.* 5. *pun.* 2. *n.* 10. Ratio eſt : quia licèt prædicta non ſint materia confeſſionis, conducnt tamen, ſaltem ex opinione pœnitentis, ad materiæ explicationem. Debent ergo ſub ſacro ſigillo ſervari aliàs odioſa redderetur confeſſio, ſi ſcirent pœnitentes, prædicta evulgari in aliquo caſu poſſe, mallétque ſæpè eorum peccata revelari quam eos defectus, & circunſtantias. Quando autem ea, quæ in confeſſione manifeſtantur, ad explicationem peccatorum dicta non fuerunt, nulla ſupereſt cauſa, ob quam ſub ſigillo confeſſionis contineri debeant.

§. III.

Qualiter ſacrum ſigillum ſervandum ſit,

1. *Nec verbis, nec ſignis manifeſtanda eſt confeſſio.*
2. *Si plurium confeſſiones excipiens dicas de aliquibus*

venia

venialia tantùm confessos esse, violas sigillum.

3. *Item, si asseras, pœnitentem non absolvisse, nulla causa expressa.*
4. *An tenearis dare schedulam, & testimonium de confessione.*
5. *Quid de quodam usu Ecclesiæ Compostellanæ.*
6. *Si de publico usurario, latrone, &c. affirmes, confessum esse sua latrocinia, violas sigillum.*
7. *Item, loqui de peccatis cum his, qui norunt.*
8. *Aliquando ex sola manifestatione confessionis talibus circunstantiis factæ, violatur sigillum.*
9. *Revelare peccata venialia in specie est contra sigillum.*
10. *Quid de narratione peccatorum in genere, nulla persona nominata.*
11. *Gravissimum est in prædicta narratione periculum violandi sigillum.*
12. *Qualiter monendus est Gubernator civitatis de gravi damno reipublicæ in confessione cognito.*
13. *Qualiter respondere debes Iudici interroganti de auditis in confessione.*
14. *Non potes cum pœnitente loqui, absque ejus facultate de auditis in confessione.*
15. *Si apprehendas errorem commissum, potes, & debes. Firmant plures. Verius est oppositum.*
16. *Ex licentia pœnitentis complex corrigi potest.*
17. *Nequis notitia confessionis uti ad actiones, quas pro libito omittere non potes.*
18. *Ad actiones externas, quæ in pœnitentis damnum non cedunt, benè poteris ea notitia uti.*
19. *Plures affirmant, te ea notitia uti posse ad privationem suffragii, beneficii, &c. si absque suspicione peccati fieri possit.*
20. *Verius est nullo modo licere.*
21. *Satisfit contrariis.*

1. REcepta est omnium sententia confessionem sic debere esse sigillo munitam, ut nec factis directè, vel indirectè manifestes. Habetur cap. *Omnis utriusque sexus, de pœnit. & remiss.* ibi, *verbo, vel signo, vel alio modo aliquatenus prodat peccatorem.* Ut ergo constet, quando hæc manifestatio, seu violatio sigilli contingat, quando non, placet frequentiores casus referre.

2. Primò censeo, te sigillum violare, si plurium confessiones excipiens, dicas de aliquibus, tantùm venialia peccata fassos esse: tacitè enim denotas, reliquos mortalia habuisse. Excipe, nisi specialis aliqua ratio hoc dicendi subesset, sicuti notant Navarr. *cap.8. num.3. & 9.* Vasq. plures referens *q.93. art.4. dub.3. n.1. & 2.* Suar. *disp.33. sect.3. num.9.* Coninch. *disp.9. dub.1. n.12.* Ad idem est, si audita duorum, vel trium confessione, unum specialiter commendes, nisi specialis aliqua causa subsit hujus commendationis; periculum non leve est violandi sigillum: indicas enim, alios commendatione dignos non esse. Sic. Navarr. *cap.8. n.4.* Valen. *disp.7. q.13. p.3.* Laym. aliis relatis *lib.5. sum. tract.6. cap.14. n.7. in fine.* Bonac. *disp.6. q.6. sect.5. p.4. n.2.* Secundò, violabis sigillum, si dicas, pœnitentem non esse confessum peccatum, quod fecit: quia revelas defectum integritatis, quem pœnitens in confessione commisit. Laym. *lib.5. sum. tract.6. cap.14. n.6. vers. Simile.*

3. Tertiò, sigilli violatores, si asseras, pœnitentem non absolvisse: nam esto ob varias causas negari absolutio possit, regulariter ob indispositionem pœnitentis negatur, ac proinde negata absolutione, absque causæ expressione, siniſtra de pœnitente suspicio concipitur, quod ex notitia confessionis illicitum est. Sic docent Suar. *disp.33. sect.3. n.7. & sect.6. n.1.* Vasq. *q.93. art.4. dub.10. n.9.* Bonac. *disp.5. quæst.6. sect.5 pun.4. n.6.* Laym. *lib.5. sum. tract.6. cap.14 n.8.* Coninch. *disp.5 dub.1. n.14.* adversus Cajet. *verbo, Confessio necessaria. §. Quintum.* Secùs esse, si exprimeres causam non concessæ absolutionis, quæque in pœnitentis injuriam non cedit, ut quia confessio ob superveniens impedimentum perfici non potuit; vel, quia nullum peccatum pœnitens confessus est: quia in iis solùm manifestas, pœnitentem confessum non esse, sicuti docuit Suarez *disp.33. sect.6. n.2.*

4. Ex quo fit, si pœnitens testimonium, seu schedulam Confessoris expostulaverit, ut ejus Parocho, vel hero, vel aliis constet, præcepto confessionis satisfeciſſe, nullatenus potes ei schedulam denegare, tametsi non absolveris: quia tacitè ejus indispositionem, & impœnitentiam declarares, vel saltem illius suspicionem gigneres: uti docent optimè Medin. *l.1. Instruct. c.4. casu 5.* Henriq. *lib.6. c.22. n.3.* Fagund. *de secund. Eccles. præcept. lib.6. cap.4. in fine* Coninch. *disp.9. dub.1. n.14.* Laym. *lib.5. sum. tract.6. c.14. n.8.* Quamvis contrarium sentiat Bonac. *disp.5. de pœnit. q.6. sect.5. p.4. n.7.*

5. Quocirca approbare non possum usum, quem in Compostellana Ecclesia Canonicus Cardinalis major stabilire præsumit, ne ullus Confessarius schedulas confessionis peregrinis concedat, eò quod ipse testimoniales litteras, tum confessionis tum Communionis tribuat. Nam esto, ipsi competat has litteras testimoniales tribuere, cùm ipsæ, quod attinet ad sacramentum Confessionis: ex sola relatione Confessarii concedi possit, si pœnitens iis contentus non sit, sed Confessarii testimonium exigit, non viderur à Confessario negari posse: quia petit, quod sibi utile est, & secundum communem Ecclesiæ usum debitum. Et licèt, spectato juris rigore, hoc testimonium non deberetur à Confessario concedi, si ipse Confessarius ante auditam confessionem omnibus pœnitentibus declararet, se confessiones excepturum, ea conditione, ad dandum testimonium obligari posset, quia ea conditione posita cedunt pœnitentes juri, quod habent testimonium exigendi. At nullatenus expedit hic quasi contractus, præcipuè cùm fiat, ne Cardinali majori lucrum, quod ex testimonialibus acquirit, diminuatur. Relinquendi ergo sunt Confessarii, ut suas schedulas, seu testimonia pœnitentibus exigentibus gratis concedant. Dixi. *testimonium confessionis concedendum esse pœnitenti, tametsi inabsolutum dimiseris:* quia in eo testimonio cùm non sit de absolutione, sed de confessione, quæ facta est, tametsi iniquè, nullum adest mendacium. Quòd verò ipse pœnitens eo testimonio abutatur, ut ad sacram Eucharistiam permittatur accedere, sibi tribuendum est, non Confessario, qui suo muneri satisfecit, ut bene notavit Layman. *lib.5. sum. tract.6. cap.14. num.8.*

6. Quartò, si de publico usurario, latrone, concubinario, diceres tibi confessum esse sua latrocinia, fornicationes, &c. magna animi contritione, non est dubium, sigillum esse violatum, si aliunde, quàm ex confessione, ea peccata tibi nota non erant: nam esto publica fuerint, & audientibus manifesta, tu autem aliunde, quàm ex confessione non noveras. Teneris ergo sub sigillo servare, aliàs sæpè ob imprudentiam, & ignorantiam præsumeres dubia, & occulta certa & publica esse & ut talia evulgares, quod sine dubio est gravissimum inconveniens. Atque ita docent Navarr. *dicto c. Sacerdos. n.62. & 66.* Cajet. *verbo, Confessio necessaria, condit.3.* Suar. *disp.33. sect.3. n.8.* Henriq. *lib.6. c.20. n.4.* Coninch. *disp.9. dub.1. n.17.* Layman. *lib.5. sum. tract.6. cap.14. n.9.* Vasq. *q.93. art.4. dub.6.* Idem existimo dicendum, si ex sola fama, Judicisque sententia agnovisses, alium esse latronem, vel usurarium, aut concubinarium, assereres specialiter latrocinia, & usuras tibi confessa esse, quia tuo dicto, quantum ex te est, ejus peccata certiora reddis, sicuti benè tradunt Navarr. *c.8. n.10.* Suar. Vasq. Conin. *locis citatis.* Secùs crederem

si in genere affirmares, Petrum magna animi contritione sua peccata tibi confessum esse : quia ex vi hujus dicti, neque mortale peccatum commisisse Petrum declaras, neque aliquid affirmas, ex quo ei infamia evenire possit, sed potiùs illius laudabilem animum, rectámque dispositionem explicas, ut rectè Joan. Medin. *Cod. de confess. q.47. post princ. aliàs 51. de his, quæ à Confessore celanda sunt.* Coninch. *disp.9. dub.4. n.53.*

7. Quintò, violares sigillum, si de peccatis tibi confessis sermonem haberes cum iis, qui ea rectè norunt, si tibi aliunde, quàm ex confessione, nota non erant : nam quatenus ex te illa locutio procedit, manifestat, quæ omninò celanda sunt. Præterquàm, quòd ingratum est pœnitenti ejus peccata in memoriam revocari, & in conversationem adduci, ut notavit Layman. *lib. 5. summ. tract. 6. cap.14. num.9.* Ob quam causam crederem tibi ab eo sermone abstinendum esse, tametsi ea peccata aliunde, quàm ex confessione novisses.

8. Sextò, quamvis sigillum plerumque non violes, afferens, aliquem tibi confessum esse, aliquando tamen id affirmare potes ut ex circunstantiis suspicionem ingeras, casum reservatum, vel aliam gravem culpam confessum fuisse : quo casu sigillum indirectè violas sicuti advertit Suar *disp. 33. sect 3. n 9.*

9. Septimò, etsi affirmares de pœnitente, peccata venialia fuisse confessum, nulla sit sigilli violatio : quia tacitis in specie peccatis solùm manifestas pœnitentem esse confessum, siquidem confessio absque peccato saltem veniali esse non potest. At si diceres, pœnitentem minutissimis suis peccatis tibi molestum esse, vel aliis narrationibus superfluis caput obtundere, veriùs credo, te sigillum violaturum, non quia peccatum aliquod manifestas ; sed, quia manifestas pœnitentis naturalem defectum, scilicet, scrupulosum, & impertinentem esse : qui tamen defectus, utpote ex peccatorum confessione cognitus, sub secreto confessionis servari debebat. Atque ita docent Coninch. *disp.9. de pœnit. dub.1. num.12.* Layman. *lib.5 sum. tract.6.c.14. n.6.* contra Navarr. *c 8. n.12.*

10. Octavò, tametsi nulla sit violatio sigilli, si in genere nulla nominata persona Confessor narret peccata gravia sibi confessa, ex qua narratione nec levis suspicio committentium haberi possit, quippe ea narratione nulli fit injuria, neque in ullius gravamen redit, ut benè docuit Sylvest. *verb. Confess.3. q.5.* Navar. *c.8. n.15. & in Sacerdos de pœn. dist. 6. n.47.* Consultissimum tamen est, ab ea locutione abstinere, præcipuè coram multis, & aliquibus circunstantiis expressis; partim, quia rudes præsumunt, sigillum esse violatum ; partim, quia sagaces inde in suspicionem committentium venire possunt, ut rectè advertit Navar. *dicto c. Sacerd. n.81.* Henriq *l.6.c.21.n.6.* Coninch. *dub.1.n.16.* Laym. *c 14. n 10.* Quod à fortiori procedit, si aliqualiter personas scelera committentium exprimeres : ut, si diceres. Plura adulteria audivi ab eo, cujus confessionem primò excepi : facilè enim investigari potest, quinam fuit, præcipuè cùm aliquando primò tibi confessum potuisti nominare, ut benè ex Medin. notavit Laym *suprà.*

11. Hinc fit, gravissimum periculum esse violandi sigilli, si in aliquo oppido, & fortè non amplo, ubi paulo ante confessiones excepisti affirmas plura peccata gravia committi, plures confessiones generales ex necessitate excepisse. Etenim ex tali dicto illa Communitas non leviter infamatur, cujus infamia in pœnitentes, tanquàm illius membra, derivatur : & qui de aliquibus siniſtram conceperant opinionem ob tale delictum, in ea firmantur. Atque ita docent, S. Anton. *3 p. tit.17. c.22. §.3.* Navar. *c Sacerd. n.54. & cap 8. n.16.* Henriq. *lib.6.cap.21.num.6.* Coninch. *disp.9. dub. 1. num.16.* Layman. *lib.5. sum. tract.6. cap.14 n 10.* Bonac. *disp.5. q.6. sect.5. p.4. n.3.* Et hæc efficacius urgent, si de aliqua exigua Communitate, & alioqui religiosa dicantur, Collegio, scilicet, Religiosorúmque Conventu : in his enim credit Ægidius de Coninch. sigillum violari. Expedit ergo, ab his omnibus abstinere.

12. Nonò, tametsi licitum sit cognita conspiratione de civitate prodenda, vel occisione innocentis intentata, monere Gubernatorem, ut invigilet, & innocentem, ut se custodiat, si absit periculum, ne ex tali narratione rei comprehendantur, vel aliqualiter agnoscantur, summa tamen prudentia, & circunspectione faciendum est, ne id periculum subsit : nam sæpè ea notitia accepta conspiratores investigantur, & tandem comprehenduntur : ideóque expedit omninò, si fieri potest ex licentia pœnitentis, eam monitionem fieri. Atque ita docent Henriq. *lib.6. c.22. n.2. & 3.* Ægidius de Coninch. *disp.9. de pœnitent. dub. 1. n.17. & 18.* Layman. *c. 14. n.11.*

13. Decimò, si à Judice rogeris de peccato in confessione audito, affirmare debes, etiam cum juramento, te nihil scire ; subintelligendo, ut revelare possit, sicuti ex communi sententia firmant Navarr. *c.8. n.19.* Valent. *q.13. p.4.* Henriq. *lib.6. c.19. n.7.* Vasq. *q.93. art.4. dub.13. n.8.* Suar. *disp.33. sect.6. à n.6.* Ægid. *disp.9. d.1. in fin.* Laym. *lib.5 sum. tr.6.c.14. n.12.* Bonac. *disp.5. q.6. sect.5. p.4. n.31.* Quinimò, si inique peccatum manifestares asserunt, pluribus relatis Covar. *2.p. decr. c.8. n.9. & 10.* Fagund. *l.6. de 2. Eccl. prac. c.1. n.8* tuum dictum, utpote contra juris ordinem extortum, nullius considerationis esse nullamque fidem facere. Quod si à judice, vel à privata persona rogatus fueris an pœnitens confessus sit peccatum aliquod notorium & publicum, nequaquam id affirmare, nec negare debes, ut benè notavit Ægid. *disp. de pœnit. dub.1 in fine.* Nam, si affirmas, confessum esse, auges peccati commissi certitudinem : si negas ingeris audientibus suspicionem non fuisse pœnitentem integrè confessum. Deinde nunquam licitum tibi est, aliquem absque absolutione dimissum affirmare absolvisse ; quia in nullo sensu ea propositio affirmativa, vera esse potest : neque etiam è contra asserere licet, negatam fuisse absolutionem : quia, ut *superius* dixi, siniſtra opinio de pœnitente firmaretur : sed his iniquis interrogationibus respondere debes, te tuo officio functum esse : expeditque, ut interrogantem objurges, etiamsi superior sit, quòd similia interrogare audeat, cùm confessionis sigillum ob nullam causam violari possit.

14. Superest triplex quæstio. Prima, an violes sigillum, si cum pœnitente loquaris de peccatis, aliisque circunstantiis ex sola notitia confessionis cognitis ? Si ex licentia expressa pœnitentis id fiat, licitum est. Censetur autem pœnitens licentiam expressè concedere, si ipse priùs loqui incipiat, ut docuerunt Suar. Layman. & Bonac. statim referendi. At facultate à pœnitente non concessa, illicitum per se est, quia sigillum non solùm obligat audita in confessione tegere, sed ne ob illa pœnitens exprobretur, aut pudore afficiatur, sicuti tradit Suar. *disp.33. sect.5. in princ.* & Bonac. *disp.5. q.6. sect.5. q.4. num.8. & 11.* Laym. *l 3. sum. tr.6. c.14. n.9. fin.* tametsi contrarium videatur sentire Vasq. *q.93. art.4. dub.10. num 9* cum Joan. Med. *q. de his, quæ à Confess. celanda sunt, vers. Inde ultrà.*

15. Solùm est dubium, si deprehendas errorem commisisse in confessione, an possis pœnitentem monere, si ipse neget facultatem loquendi de auditis. Suar. *disp.33. sect.5. n.3.* Laym. *dicto c.14. n.15.* affirmant, & satis probabiliter, te posse, imo etiam debere : quia ea locutio non censetur esse extra confessionem sed intra, cùm ad præteritam confessionem perficiendam dirigatur, ideoque pœnitens videtur irrationabiliter

biliter invitus. Sed verius oppositum censeo cum Victor. *sum. de confess. num* 195. Man. Rodrig. *sum. c.* 55. *concl.* 12. *n.* 15. Philiar. *de offic. Sacerd. l.* 2. 1. *p. c.* 26. §. *si Sacerd.* Soto *de tegendo secreto, dub.* 4. *in fine.* Sanch. *l.* 3. *de matrim. disp.* 16. *n.* 3. *& n.* 15. Fagund. *de 2. Eccl. præc. l.* 6. *c.* 4. *n.* 33. Quia ea locutio esset tacita peccati exprobratio, neque ullo modo cum confessione præcedenti conjuncta: nam esto fiat ad illius defectum reparandum, ea reparatio distincta est à confessione, & contra voluntatem pœnitentis. Et addunt; neque improbabiliter Sanch. *num.* 16. & Tolet *l.* 3. *sum. cap.* 26. *n.* 4. & Fagund. *n.* 32. se non credere, teneri confessorem petere licentiam à pœnitente, ut eum moneat de peccato, quod vult admittere; sed tantùm in confessione teneri eam monitionem præstare. Nam ut tradunt D. Thom. *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 3. *art.* 1. *n.* 20. Sylvest. *Confessio*, 3. *quæst.* 14. ex auditis in confessione non arctatur Confessor ad aliquid faciendum, vel omittendum, vel remedium adhibendum extra illam: ea enim notitia est ad solum pœnitentiæ forum. Præterquam quòd multi pœnitentes ægrè ferent, eam licentiam peti, & peccati confessi memoriam refricari: vellent enim peccata omninò memoria excidisse.

16. Quæstio secunda, an violetur sigillum corrigendo complicem? Constat ex *superius* dictis violari, si absque licentia expressa pœnitentis fiat. At ea concessa non desunt, qui id affirment, ut videre est in Palud. *in* 4 *dist.* 21. *q.* 3. *art.* 2. *conc.* 2. Soto *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 6. *ad* 4. Angel. *verbo*, *Confess.* 1. §. 3. Rosel. *ibi*, §. 6. Bann. 2. 2. *q.* 33. *in fin.* Moventur primò: quia inordinatum videtur, uti notitia confessionis ad externas actiones à Sacramento distinctas. Secundò, non potest esse efficax hæc notitia ad correctionem: partim, quia corrigendus negare potest delictum, & ei est fides adhibenda æquè ac pœnitenti: partim, quia ad denunciationem procedi non potest, utpote quæ publicitatem delicti requirit. Cùm ergo correctio ad denunciationem dirigatur, & denunciatio fieri non possit, & correctio cessare debet.

Cæterum omninò dicendum est, ex licentia pœnitentis licitum esse complicem corrigere, ejusque spirituale bonum procurare, quando alia via obtineri non potest. Sic multis relatis firmat Suar. *disp.* 33. *sect.* 4. *à num.* 4. ea præcipuè ratione: quia hæc correctio non est contra sigillum, cùm fiat ex facultate pœnitentis, in cujus gratiam, & favorem peccata confessa secretò servanda sunt. Neque est contra reverentiam debitam sacramento confessionis, uti notitia ibi comparata in bonum spirituale alterius. Unde enim hæc indecentia oriri potest? Neque item est medium inutile, sed potius est efficax, ad correctionem faciendam: nam, quòd corrigendus negare posse delictum, non obest, aliàs nunquam liceret ex sola relatione socii criminis complicem corrigere, contra August. relatum *in cap. Si peccaver.* 2. *quæst.* 1. præterquam quòd plerumque id non contingit. Neque denique est verum, non posse ad denunciationem procedi, si pœnitens licentiam tribuat: potest utique ad denunciationem paternam, qua superior, ut pater, consilio, & exhortatione corrigere subditum possit, non tamen ad denunciationem judicialem, quia hæc esse non potest dum delictum occultum est.

17. Quæstio tertia, & gravissima, an uti possis notitia à confessione excepta ad exteriores actiones regulandas? Quando actiones ejus conditionis sunt, ut pro libito confessoris non possint omitti, sed necessariò adhibenda est causa, sicuti contingit in ministratione publica Eucharistiæ, Ordinis, Matrimonii, constans est omnium sententia, si hæ petitæ denegentur pœnitenti ob notitia ex confessione comparatam, violari sigillum. Etenim ex hac denegatione oritur rationabilis suspicio alicujus indignitatis, & peccati confessi manifesta exprobratio, sicuti bene expendit Vasq. *q.* 93. *art.* 3. *dub.* 8. & habetur *c. Si Sacerd. de offic. Ordinar. c. fin.* 6. *q.* 2. *c. Cùm non ab homine de sentent. excommunicat.*

Hinc fit non posse à confessario injungi pœnitentiam, quæ aliis suspicionem ingerat, vel alicujus gravis peccati in genere, vel alicujus levis in specie: quia esset tacita sigilli violatio. Deinde fit, non posse pœnitenti, vel alteri insidias parari, ut in peccato comprehendatur: quia hæ sine probatione in foro externo parari non possunt. Etenim insidiarum paratio est quædam peccati punitio, & reprehensio, & semper denotat malum aliquod velle perpetrare insidiarum: ac proinde est manifesta peccati confessi revelatio, vel exprobratio. Atque ita docent tanquam certum Coninch. *disp.* 9. *dub.* 4. *n.* 10.

18. Verùm, si loquamur de actionibus, quæ pro libito confessarii exerceri possunt: adhuc distinguendum est, si nullatenus cedunt in pœnitentis damnum, vel peccati confessi suspicionem, exerceri optimè possunt, non obstante sigilli obligatione, uti docuit latè Sanch. *l.* 3. *de matr. disp.* 16. *a n.* 4. Quocirca poteris consulere virum doctum in re dubia, sine periculo cognitionis personæ. Deinde potes ex confessione unius complicem examinare, absque eo, quòd ipse intelligat, unde movearis ad interrogandum. Præterea poteris rem propriam diligentius custodire. Item si nosti ex confessione Pauli, tibi Petrum parare insidias, poteris non exire domo; tametsi alias exiturus esses: & si cognoscas tibi præparatum venenum, poteris non suscipere: quia ex hujusmodi actionibus non revelas Petro Pauli peccatum, sed solùm denotas Petro Paulum tibi confessum esse, quod non est sigilli violatio, ut rectè notavit Adrian. *in* 4. *de confess.* ubi de sigillo circa tertium principale: *vers. ad quintum* Sylv. *verb. Confess.* 3. *q.* 19. Henriq. *l.* 6. *c.* 24. *n.* 5. Coninch. *disp.* 9. *dub.* 4. *n.* 54. Suar. *disp.* 33. *sect.* 7. *n.* 9. Laym. *l.* 5. *sum. tract.* 6. *c.* 14. *n.* 20. *q.* 1. Bonac. *disp.* 5. *q.* 6. *sect.* 5. *pun.* 4. *n.* 27. tametsi contrà sentiant Navar. *c. Sacerdos de pœn. dist.* 6. *n.* 135. Sotus *in* 4. *disp.* 18 *q.* 4. *art.* 5. *post medium.*

Neque ab hac fuga, & defensione impediri potes, tametsi Petrus inde ad occidendum Paulum moveatur: quia non teneris, etsi laudabiliter posses, alienam vitam propriæ tuæ vitæ jactura defendere, ut benè notavit Layman. & Coninch. *locis allegatis.* Neque ob hanc causam Sacramentum redditur per se odiosum, ut inquit Bonac. *suprà*, *num.* 29. sed ad summum illud Sacramentum in tali occasione factum; quod utpote rarum & extraordinarium spectari non debet. Ad idem est, si scias, aliquem noctu è Monasterio egredi: poteris illum locum quæsito colore observare. Item, si scias, subditum aliquo in loco peccare, poteris per te, vel alium frequenter locum illum visitare: quia est quædam debita custodia, modò ex his actionibus nulla criminosi suspicio oriatur. Neque obest, quod ipse criminosus præsumat hæc fieri ob notitiam confessionis: nam cùm in illius commodum, & spiritualem utilitatem cedant, censeri non debent peccati confessi exprobratio, sicuti censentur insidiæ: & docet Suar. *dicta disp.* 33. *sect.* 7. *n.* 9. Ægid. *disp.* 9. *dub.* 4. *n.* 68. inclinat Laym. *l.* 5. *sum. tr.* 6. *c.* 4. *q.* 2. *circa finem.*

19. Si verò actiones in damnum, saltem temporale, pœnitentis cedant, quales sunt privatio officii, prohibitio frequentis è domo egressus, removere à loco, negatio secreti ad prælaturam suffragii, impeditio Matrimonii, Ordinis, & similium, allegata alia causa; Doctores divisi sunt. Nam Navar. *cap. Sacerdos de pœnit. dist.* 6. *art.* 1. *n.* 10. *ad* 3. *&* 2. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 4. *art.* 5. *ad finem.* Henriq. *l.* 6. *de pœnit. c.* 23. *n.* 3. inclinat Suar. *disp.* 33. *sect.* 7. *ad finem*, *& tom.* 4. *de relig. tract.* 10. *l.* 8. *cap.* 5. *à num.* 12. *& seqq.* Gutierr.

de matrim. cap.61. n.10. Vasq. *quæst.93. art.4. dub.8. num.5.* & alii innumeri relati à Sanch. *l.5. de matrimon. disp.16. numer.2.* affirmant licere, quando ex supradictis actionibus nulla videntibus suscipio ingeritur peccati confessi. Moventur primò: quia Sacerdos, ex vi sigilli solùm astringitur, ut confessionem tegat taliter, quòd nec pœnitenti, neque aliis occasionem tribuat male te non pœnitentibus suspicandi. At ex vi prædictarum actionum, neque pœnitenti, neque aliis malam suspicionem ingerit, cùm sint actiones, quæ ob alias infinitas causas absque ulla culpa pœnitentis fieri à Sacerdote possunt. Ergo. Quòd verò pœnitens suspicetur, ob confessionem eas actiones à suscipere fieri: non obest, quin superior eas exercere possit: quia ea suscipio non ex ipsis actionibus, quæ indiferentes sunt, ut ex hac, vel illa causa fiant; sed ex discursu pœnitentis oritur, quem non videtur confessor obligatus impedire. Secundò, superior ante confessionem factam jus habeat removendi subditum ab officio, & loco, negandi suffragium. Ergo etiam post confessionem factam hoc jus retinere debet. Non enim confessio excepta juri superioris præjudicare debet, sicuti non non præjudicat notitiæ aliunde, quàm ex confessione exceptæ. Tertiò, sæpe pœnitenti officium, quod exercet, & locus, in quo habitat, occasio est delinquendi, obligaturque, pro suæ conscientiæ securitate, ea si fieri potest, deserere. Ergo superior removens à tali officio, & loco pœnitentem, nullam illi injuriam, seu incommoditatem infert. Quartò, ad hujusmodi finem videtur reservatio casuum statuta, ut superiores securiùs possent bono spirituali suorum subditorum consulere. Neque decretum Clement. VIII. de casibus reservatis huic doctrinæ adversatur. Nam ipse *in* §.7. inquit: *Tam Superiores pro tempore existentes quàm confessarii, qui postea ad superioris graduin fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.* Quæ verba non est dubium præceptiva esse tum modo, quo referuntur, tum quia statim subjungitur: *Atque ita per quoscunque Regularium Superiores, quicunque illi sint fieri mandavit.* Non inquam, hoc decretum obstat: quia asserere possumus, ibi solùm præcipi, & commendari, quòd aliàs jure divino commendatum est de observatione sigilli; ne, scilicet, ullus superior ad exteriorem gubernationem utatur notitia ex confessione excepta, quæ ex se suspicionem confessi peccati ingerat. Deinde notanda sunt verba, *ad exteriorem gubernationem*, quibus, ut expendit Suar. *tom.2. de relig. tr.10. l.8. cap.5 n.12.* indicatur, non prohiberi usum notitiæ ex confessione exceptæ, ad interiorem gubernationem, & pœnitentis spiritualem profectum.

20. Nihilominus verius, existimo, nullomodo licere uti notitia confessionis, pœnitente non consentiente ad prædictas actiones exercendas, scilicet, ad removendum subditum de officio, & loco, negandúmque secretò sacramentum, suffragium, & similia; tametsi nullus alius, præter pœnitentem, suspicetur ob confessionem fieri. Sic pluribus relatis firmat Sanch. *lib 3. de matrim. disp.16. num.3.* Coninch. *disp.9. dub.4. n.6. & 69.* Martin. Delrio. *lib.6. disquisit. mag. sect.2.* Bonac. *disput.5 quæst.6. sect.5. part.4. à numer.14. & seqq.* Layman. *lib.5. sum. tract.6. capit.14. quæst.2. numer.22.* Cui sententiæ favere intendit Clement. VIII. *in supra dicto decreto.* Si enim solùm vellet observari, quod aliàs jure divino certum est observari debere, non verbis præceptivis utpote superfluis; sed commendatitiis uteretur. Cùm ergo Clemens speciale præceptum tulerit, ne Regulares superiores notitia ex confessione accepta uterentur ad exteriorem gubernationem, manifestè indicavit prohibere voluisse illum usum, qui aliàs sub opinione positus erat, licere. Quod in Societate expressè constat ex instruct.5. & cap.21. Ordinat. communium: ibi enim R. N. P. Claudius Aquaviva inquit: *Tametsi non desunt Doctores, qui sentiant, salvo sacramentalis confessionis sigillo, justis de causis licere nonnunquam Confessario, cùm id fieri potest sine ulla revelatæ Confessione suspicione, uti extra confessionem notitia per confessionem habita: tamen, quia hac doctrina, & eam exigit in tanta re circumspectionem, quam servare perdifficile sit, & interim posset aliquando retardare subditorum libertatem, quam hujus fori sanctitas, & nostræ Societatis institutum requirunt in se ipsis, rebusque suis Confessario aperiendis; idcircò usum nobis est in Domino statuere, sicut & severè statuimus pro reverentia, qua semper Societas nostra coluit hujus Sacramenti inviolabile sigillum, & libertatem, ut omnes superiores diligenter caveant, ne vel ipsi, vel nostrorum aliquis supradictam doctrinam usquam introducant, neque illam publicè, aut privatim doceant, neque ea utantur ullo modo, (nisi fortè de pœnitentiis licentia:) sed ita prorsus in omnibus casibus nostris se gerant Confessarii, ac si in confessione nihil penitus audivissent, sibique persuadeant, ut humanarum rerum regimen ab hoc sacramento longissime distat, ita debere nullatenus ab eo pendere.* Hæc Claudius. Ratio conclusionis præcipua est: quia ex sigillo obligatur Confessarius, ut non solùm aliis; sed nec pœnitenti absque ejus licentia peccata objiciat, exprobret, aut in memoriam reducat. At, si sumpta occasione confessionis pœnitentem removet ab officio, & loco, in quo antea erat, vel officium, & locum procuratum, & petitum denegat, satis censetur peccatum confessum objicere: siquidem præstat pœnitenti sufficiens fundamentum suspicandi, ob confessionem prædicta fieri. Ergo, &c. Deinde hoc usu (si licitus esset) arcerentur homines à peccatis manifestandis, timentes, ne ob eorum manifestationem privandi essent commoditatibus, & honoribus, quos haberent reddereturque confessio nimis odiosa. Adde, quòd casuum reservatio humanæ fragilitati intolerabilis esset: quomodo enim Clericus suo Episcopo auderet peccatum fateri, ex cujus manifestatione cognoscit, posse, sibi Ordines, & beneficia denegari? Item, esset inutilis: non enim cum gravi suo detrimento obligari potest subditus peccata Prælato manifestare, ob quorum manifestationem probabiliter timet à beneficiorum, & officiorum consecutione removendum esse, sicuti latiùs prosequitur Coninch. *disp.9. dub.4. à n.64.*

21. Neque rationes in contrarium urgent. Prima, & secunda ex probatione nostræ conclusionis solutæ sunt. Fateor namque, Confessarium illas actiones pro suo rationabili arbitrio exercere posse: nego tamen, unquam exercere potuisse ob notitiam ex confessione acceptam, neque in illis circunstantiis, quibus præbere pœnitenti possit occasionem suspicandi ob confessionem fieri. Ad tertiam concedo, sæpè pœnitentem obligatum esse officium, & locum deserere: at, si obligationi renuit voluntariè acquiescere, nequit superior ob confessionis notitiam ad illius executionem compellere: sed potiùs se gerere debet, ac si nihil in confessione audivisset. Ad quartum nego, ad hujusmodi regimen casuum reservationem esse statutam: etenim reservatio casuum introducta est, ut graviores causæ à doctioribus, & prudentibus judicentur, & pœnitentes ab ipsis securiorem medicinam, & peccatorum remedium in foro sacramentali accipiant, & ex difficultate impetrandæ absolutionis gravitatem peccatorum agnoscant, eáque fugiant. Non autem introducta est ad exteriorem gubernationem, quæ à Sacramento Pœnitentiæ nullatenus pendere debet.

§. IV.

§. IV.

Qui teneantur confessionis sigillo.

1. *Statuitur regula certissima.*
2. *Confessarius, dum ex sola confessione peccata novit, tenetur.*
3. *Interpres necessarius tenetur.*
4. *Adstantes sine quorum notitia fieri confessio non potuit, eadem obligatione astringuntur.*
5. *Qui præter voluntatem pœnitentis casu, vel ex malitia confessionem audierunt.*
6. *Item ille, cui sacerdos injustè confessionem manifestavit.*
7. *Consiliarius ex communi sententia videtur teneri.*
8. *Sed oppositum verius est.*
9. *Adstantes absque necessitate non obligatur.*
10. *Neque superior, cui petitur facultas pro casuum reservatorum absolutione.*
11. *Neque inventor chartæ, in qua scripta sunt peccata tenetur, tametsi eam Sacerdos amisisset.*
12. *Ob sigilli revelationem nequeunt Magistratus inquirere.*
13. *Pœnitens non obligatur ad sigillum.*
14. *Qualiter obligati sigillo teneantur subire punitionem, si violant.*

1. REgula certissima est, omnes illos, qui ex confessione sacramentalis peccata necessariò justè, vel injustè agnoverunt, teneri obligatione sigilli: aliàs Christus Dominus non satis pœnitentibus consuluisset, si obligationem sigilli non imponeret confessioni utcunque exceptæ, redderetúrque confessio odiosa, & facilè homines ab illius usu averterentur. Si D. Th. *in* 4. *dist.* 21. *q.* 3. *art.* 1. *quæst.* 3. Scotus *dist.* 17. *q.* 1. & *dist.* 21. *q.* 2. Adrian. *in* 4. *de confes. q. de sigillo, §. secunda p.* Sylvest. *verb. Confess.* 3. *q.* 1. Joan. Medin. *q.* 46. Navarr. *cap.* 8. *n.* 4. & *in cap. Sacerdos. de pœnit. dist.* 6. *n.* 42. Suar. *disp.* 33. *sect.* 4. Coninch. *disp* 9. *dub.* 3. Laym. *lib.* 5. *sum. tr.* 6. *ca.* 14. *n.* 16. Bonac. *disp.* 5. *q.* 6. *sect.* 5. *p.* 3. Vasq. *q.* 93. *art.* 4. *dub.* 1. & *seqq.*

2. Primò igitur tenetur sigillum servare Confessarius, dum solùm ex confessione peccata novit. Quod non solùm verum est de Confessario legitimo, sed eo, qui à pœnitente existimatur: quia saltem ex intentione pœnitentis confessio ei facta sacramantalis fuit. Sic Vasq. *qu.* 93. *art.* 4. *dub* 2. *n.* 6. Coninch. *disp.* 9. *dub.* 3. *n.* 35. *juncto dub.* 1. *n.* 8. Layman. *lib.* 5. *sum. tr.* 6. *c.* 14. *n.* 16. *vers. Inter.*

3. Secundò, tenetur eodem sigillo, tametsi minus principaliter, interpres, qui necessarius fuit, ut pœnitens peccata Confessario manifestaret: nam esto pœnitens obligatus non fuerit confessionem per interpretem facere, obligatus tamen fuit ad illam faciendam, ut à peccatis directè absolveretur. At Christus Domini obligationem sigilli imposuit confessioni, quæ ad absolutionem directam à peccatis necessaria est, & sine qua integrè pœnitens confiteri non potest, aliàs non esset pœnitenti satis consultum. Ergo. Sic alios referentes docent Suar. *disp.* 33. *sect.* 4. *n.* 4. Vasq *q.* 93. *art.* 4. *dub.* 2. *n.* 2. Conin. *disp.* 9. *de sigillo, dub.* 3. *n.* 35. Laym. *lib.* 5. *sum. tract.* 6 *cap* 14. *n.* 16. *vers. Secundò,* Bonac. *disp.* 5. *de pœn. q.* 6. *sect.* 5. *p.* 3. *n* 5. tametsi contrarium sentiat Cajet. *verbo, Confessio, cendit.* 11.

4. Tertiò, ob eandem rationem adstringuntur adstantes, sine quorum notitia confessio fieri non potest, ut in communi naufragio, vel peste contingit. Etenim omnes illi notitia peccati ex confessione sacramentali, qua talis est, accipiunt: obligari ergo debent ad sigillum Confessionis sacramentali annexum. Atque ita docent Adrian. *in* 4. *de confess. q. de sigil. §. Secunda pars.* Vasq. *q.* 93. *art.* 4. *dub.* 2. *n.* 3. Conin. *disp.* 9. *dub.* 3. *n.* 35. & 46. Laym. *l.* 5. *sum. tr* 6. *c.* 24. *vers. Tertio.* Bonac. *disp.* 5. *de pœnit. qu.* 6. *sect.* 5. *p.* 3. *n.* 6 Suar. *disp.* 33. *sect.* 4 *num.* 7.

5. Quartò, sigillo obligantur, qui præter voluntatem pœnitentis, casu, vel ex malitia confessionem audierunt: quia notitiam ex confessione, quatenus necessaria fuit ad absolutionem obtinendam, exceperunt. Aliàs si hujusmodi confessioni Christus Dominus sigilli obligationem non imposuisset, sæpè pœnitentes nequirent sua peccata securè, & absque periculo revelationis fateri, confessionémque onerosam, & exosam haberent, ut benè tradunt Adrian. Vasquez Layman. Coninch. Bonac. & Suar. *suprà.*

6. Quintò, adstringit communis sententia sigilli obligatione eum, cui sacerdos injustè confessionem manifestavit: quia ea manifestatio est odiosa, tum sacramento, tum pœnitenti. Non igitur ex illa comparari jus revelationis potest. Prætereà, si sigilli obligatione prædictus non astringeretur, sed solùm naturali secreto, posset, & sæpè deberet, peccatum sic cognitum Magistratibus denunciare: ipsíque possent delinquentem punire: quod in gravissimum sacramenti, & pœnitentium detrimentum cederet, ut benè, aliis relatis docent Suar. *disp.* 33. *sect.* 4. *n.* 7. Vasq. *q.* 93. *art.* 4. *dub.* 2. *num.* 10. Laym. *l.* 5 *sum. tr. cap.* 14. *n.* 17. *vers. Quartò.* Conin. *disp.* 9. *dub.* 3. *n.* 36. Bonac. *disp.* 5. *q.* 6. *sect.* 5. *pr* 3. *n.* 4. Tametsi contrarium sentiat Joan. Medin. *Cod. de conf. ff. q.* 46. *de iis qui confessionem celare tenentur.* propterea, quòd audiens non acceperit notitiam ex confessione sacramentali, cui est obligatio sigilli annexa; sed ex injusta, & sacrilega revelatione, cui Christus Dominus eam obligationem non imposuit. Sed dicendum est, sufficere ad hanc obligationem, quòd saltem mediatè ex confessione ea notitia excepta sit, absq; ullo alio medio legitimo: quippe ea revelatio, utpote contra ordinem juris facta, reputari debet, ac si facta non esset, ac proinde censeri debet moraliter ea notitia ex confessione sacramentali procedere: præcipuè cùm pœnitens ea conditione Confessario sua peccata manifestaverit, ut sigillo perpetuò contineantur; sub qua conditione ad tertium, cui pœnitente invito sunt revelata, transire censenda sunt, ne sacramentum odiosum reddatur.

7. Sextò, docent communiter Doctores, teste Suar. *disp.* 33. *sect.* 4. *n.* 6. Navarr. *c.* 8. *n.* 4. Laym. *l.* 5. *sum. tr.* 6. *c.* 14 *n.* 18. Bonac. *disp. de pœnit. q.* 6. *sect.* 5 *part.* 3. *n.* 4. consiliarium, cui sacerdos ex licentia pœnitentis, gratia petendi consilii, confessionem manifestavit, sigili obligatione teneri: quia eam notitiam accipit, ut Confessarium instruat, qualiter sacramentum ministrare debet: est igitur pœnitenti pro absolutione obtinenda necessaria. Debet ergo sub obligatione sigilli comprehendi.

8. Sed oppositum verius existimo cum Vasq. *q* 93. *art.* 4. *dub.* 2. *n.* 10. Coninch. *disp.* 9. *de pœnitent. dub.* 3. *n.* 50. Hieron. Onuphrio *de sigillo confess. sect.* 3. *q. un. dub.* 6. *vers. Respondeo secundo.* Pesantio *in audit. ad* 3. *part. q.* 11. *disp.* 3. *ad finem,* & aliis. Consiliarius etenim non accepit illam notitiam à confessione sigillata, sed à manifestatione Confessoris, nomine ipsius pœnitentis: at, si pœnitens per se ipsum consiliarium consuleret, consiliarius sigilli obligatione non teneretur, ut *superiùs* dixi; quia ea manifestatio non est sacramentalis confessio, utpote quæ ad absolutionem obtinendam à consiliario non dirigitur. Ergo neque etiam teneri potest ex manifestatione Confessoris, qui pœnitentis instrumentum est. Item, ea manifestatio non ex confessione ortum habet, sed ex facultate data à pœnitente: ergo non potest obligare sub sigillo. Prætereà, ea manfestatio non est pœnitenti necessaria, ut peccatorum absolutionem directam obtinere possit: nam Confessarius eum

absolvere potest ex eo præcisè, quod ipse proponat, per se, vel per alium, virum doctum consulturum, ejúsque consilio adhæsurum. Non igitur ea notitia sub sigillum cadere potest, cum ad confessionem necessaria non sit. Denique vix unquam necessarium est ad consilium petendum personam pœnitentis significare. Ergo, si ex facultate ipsius pœnitentis significata sit, conqueri non potest, quòd sub sigillum non contineatur. Satis enim Christus Dominus, tum sacramento, tum pœnitentibus providit sub inviolabili sigillo comprehendens eam notitiam, quæ pro absolutione obtinenda necessaria fuerit.

9. Ex his infero primò, si pœnitens coram aliis ob majorem sui confusionem absque ulla necessitate confiteatur, prædictos adstantes obligatione solùm naturalis secreti teneri. Non enim ipsi ex confessione sacramentali formaliter notitiam accipiunt: nam illa confessio, quatenus ad ipsos dirigitur, sacramentalis non est, tametsi sacramentalis sit, quatenus sacerdoti refertur, ut benè notavit Coninch. *disput.9. dub.3. n.46.* Præterea absque nulla notitia posset pœnitens suorum peccatorum absolutionem directam obtinere, ut suppono: non igitur debuit Christus eam sacro sigillo munire.

10. Secundò infero, superiorem, à quo extra sacramentum petitur facultas absolvendi à reservatis, sive per pœnitentem, sive per Confessarium, sacri sigilli obligatione non teneri: tum, quia ea petitio non est sacramentalis confessio; tametsi ad confessionem legitimè faciendam dirigatur: tum, quia necessaria non est, cùm pœnitens posset superiorem adire, eique peccatum reservatum fateri, & ab eo absolutionem obtinere: tum denique, quia fieri potest, & debet ea petitio absque expressione pœnitentis: quòd si ex ejus venia fiat, sibi imputet, si alia obligatione quàm naturalis secreti teneatur. Atque ita docent Vasq. *q.93. art.4. dub.1. n.10. & 12.* Henriq. *l.6. de pœnit. c.2, n.3.* Coninch. inclinat *disp.9. dub.3. n.44 & seqq.*

11. Septimò, addunt aliqui inventorem chartæ, in qua alicujus peccata scripta erant, sub sigillo teneri: quia videtur esse confessio inchoata. Sed rectiùs oppositum sentiunt communiter Doctores apud Navarr. *cap 18. n.34. & in c. Sacerdos, de pœnit. dist.6. num.8.* Suar. *disp.33. sect.4. n.4.* Henriq. *lib.6. cap 20. n.1.* Coninch. *disp.9. de sigillo, dub.3. in fine.* Laym. *lib.5. sum. tract.6. cap.14.n.19.* Bonac. *disp.5. quæst.6. sect.5. pun.3. circa finem.* Nam scriptura illa, esto, ad faciendam confessionem deservire possit, non tamen necessariò. Præterea non est sacramentalis confessio, neque etiam inchoata, cùm frequenter absente sacerdote, facta sit, & solùm ob excitandam peccatorum memoriam. Neque probandam censeo limitationem, quam solus Layman. adhibet, scilicet, obligari sigillo prædictæ chartæ inventorem, si constet, à Confessario, cui tradita erat, amissam fuisse. Nam, esto, per scripturam sacerdoti præsenti fieri confessio possit, ea tamen scriptura, ut quid permanens est, à confessione, quæ est ens successivum, & transiens omninò distinguitur: non enim ipsa scriptura est confessio, sed ipsius scripturæ traditio, & illius apud sacerdotem humilis manifestatio, ex qua tantùm datione, & manifestatione inventor notitiam peccatorum non accepit, sed ex signo scripturæ permanenti.

Monent tamen, & meritò Doctores *superiùs* relati, gravissimè peccatorum inventorem, qui confessionem ibi scriptam legeret, ob gravem injuriam, quam pœnitenti irrogaret, secretissima sui cordis contra ejus voluntatem agnoscens. Excipe, nisi certò sciret, (quod vix contingere potest,) minutissima contineri: casu autem, quo prædictam chartam inique legat, denunciare scripturam non potest, neque denunciatum possunt Magistratus punire, vel comprehendere: tum, quia delicta secreta sunt: tum, quia eorum manifestatio cedit in gravem irreverentiam sacramenti, pro cujus susceptione illa scriptura facta est.

12. Si verò ipse Confessarius, qui sacro sigillo tenetur, confessionem factam revelaret, ob ipsius revelationem inquirere Magistratus nequeunt, tametsi ob non institutam inquisitionem Respublica perire deberet, ut benè, aliis relatis, notarunt Sotus *in 4. dist.18. q.4. art.6.* Delrius *lib.6 disquisit. mag. cap.1. sect.2.* Menoch. *lib.1. præsumpt.89. n.26.* Bonac. *disp.5. de Sacram. Pœnit. q.6. sect.5. pun.3. in fine.*

13. Octavò addit Navarr. *in cap. Sacerdos de pœnit. dist.6 n.115.* pœnitentem obligatum esse sub sacro sigillo servare, quæ sibi à Confessario commendata secretò sunt. Sed rectiùs contrarium docet communis sententia, ut videre est apud Suar. *disput.33. sect.4.* Coninch. *disp.9. dub.3. num.47.* Tolet. *lib.3. cap.20.* Henriq. *lib.6. cap.20. n.1.* Layman. *lib.5. sum. tract.6. cap.14. n.20.* Bonac. *disp.5. de pœnit. q.6 sect.5. pun.3. in princ.* Etenim, cum sigillum in favorem pœnitentium institutum sit, ut securè peccata sacerdoti absque periculo revelationis manifestare possint, ea tantùm, quæ ipsi manifestant, sub sigillo contineri debent, non quæ à Confessario accipiunt, cùm ex eorum revelatione exosa pœnitentibus confessio esse non posset.

14. Ad extremum adverte, etsi plures sacri sigilli obligatione teneantur, primò, & principaliter tenetur sacerdos, & secundariò alii, ideóque pœna depositionis, & reclusionis, cujus fit mentio in cap. *Omnis utriusque sexus*, solùm sacerdotibus Confessariis imponenda est, reliquis arbitraria pro qualitate criminis, sicuti notarunt Navarr. *cap. Sacerdos de pœnit. dist.6. num.50.* Suar. *disp.33. sect.4. n.4.* Henriquez *lib.6. cap.19. n.9. & cap.20. n.2.* Layman. *lib.5. sum. tract.6. cap.14. n.16. vers. Secundò.*

Punctum XX.

De obligatione confessionis ex divino, Ecclesiasticóque præcepto.

§. I.

Quæ personæ, & quo tempore ex divino præcepto ad confessionem teneantur.

1. *Qualiter obligentur omnes ad confitenda peccata ex divino præcepto.*
2. *Pro articulo mortis est hæc obligatio.*
3. *Extra prædictum tempus, secluſa Ecclesiæ determinatione, satis probabile est, nullam esse obligationem.*
4. *Per accidens obligantur gravati mortali, si susceperint Eucharistiam.*
5. *Si moraliter certam speciem peccati vitare non possunt.*
6. *Solùm fideles obligantur ad confessionem.*
7. *Item, gravati mortali.*
8. *Carentes peccato mortali, & veniali; suscipere hoc Sacramentum nequeunt.*

1. SUperiùs, *in fine pun.4. hujus tract.* decisum reliquimus, sacramentum Pœnitentiæ esse medium necessarium, in re, vel in voto susceptum, ad consequendam gratiam lapsis post Baptismum. Hanc necessitatem colligimus ex illis verbis Christi, Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta sunt.* Conceditur enim à Christo Domino Apostolis, & eorum in sacerdotio successoribus, non solùm potestas remittendi peccata, sed etiam ea retinendi: retinent autem, dum non remittunt: quia eo ipso peccatores ligantur suis peccatis, saltem

saltem quoad obligationem ea fatendi etenim, si peccatores plenam suorum peccatorum absolutionem absque ulla obligatione suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ obtinere possent, nullatenus sacerdotes potestatem haberent, peccata retinendi. Hæc autem obligatio non est solùm de confessione peccatorum in genere, qua quis confiteretur, se peccatorem esse, sed in specie, & sigillatim, qua omnia peccata, quæ post diligentem inquisitionem memoriæ occurrerint, quoad speciem, & numerum explicentur, juxta Trid. *sess.14. cap.5.* & *can.7.* pluribúsque exornant Bellarm. *lib.3. de pœn.* Val. 4. *disp.7. q.9. pun.1.* Suar. *disp.17. sect.1.* & *disp.35. sect.1.* Ægid. *disp.5. de conf ff. dub.1.* Laym. *lib 5. sum. tr.6. c.6. assert.1.* Etenim, cùm sacerdos in Sacramento Pœnitentiæ Judex sit & Medicus, & officium Medici, & Judicis exercere non possit, nisi statum pœnitentis cognoscat, eique omnia, quæ absolutioni obstare possunt declarentur: ut pro qualitate causæ absolutionem concedat, & pœnitentiam injungat, efficitur sanè, pœnitentes obligatos esse ad hoc judicium omnia peccata mortalia in specie, & sigillatim adducere, quippe unum tantùm peccatum mortale, & absolutionem impedire potest, & judicium notabiliter variare.

2. Hanc obligationem communiter Doctores agnoscunt pro mortis articulo, pro periculoso partu, pro naufragio imminenti, pro belli conflictu, pro grassante peste, & similibus: quippe cùm eo tempore maximè urgeat necessitas divinæ reconciliationis, docuit conscientia peccati mortalis gravatum astringi obligatione assumendi medium ad reconciliationem per se institutum. Quinimò, esto periculum mortis proximè non adsit, si adsit periculum probabile nunquam inveniendi sacerdotem, cui confiteri possis, jure divino teneris confiteri, aliàs manifesto periculo te expones omittendi Sacramentum, quod à Christo Domino in remedium necessarium peccati post Baptismum commissi institutum & præceptum est: uti bene docent ex communi sententia D. Thom. *in 4. dist 17. q.3. art.1. qq.4.* Suar. *tom.4. de pœnitent. disp.35. sect.3. à num.2* Coninch. *disp.5. dub.2. concl.1. n.36* Henriq. *l.4 c.3. n.1. & cap.6. n.6.* Fagund. *de secundo Ecclesiæ præcepto, l.1. c.1. n.6.* Layman. *lib.5. sum. tract.6. c.5. n.5.*

3. Extra prædictum tempus, secluſa Ecclesiæ determinatione, satis probabile est, nullum aliud esse, quo fideles, maximè si contriti existant, ad faciendam confessionem adstringantur. Neque enim statim post commissum mortale peccatum obligat, sicuti dixerunt Guillelm. Parisiens. *de Sacram. pœnit. cap.19. aliàs 14.* & Angel. *verbo, Confessio, 1. §. 3.* Sed utens Deus sua misericordia, inducias peccatori concedit, & tempus necessitatis expectat, alias Ecclesia annuam confessionem tantùm præcipiendo, suo muneri non satisfaceret; sed necessariò deberet confessionem post commissum peccatum statim præciperi, uti bene docet D. Thom. *in supplem. quæst.6. art.5.* Adrian *in 4. de confess. §. Tertiò inquirendum est.* Sotus *in 4. dist.18. quæstiunc 1. artic.4.* Coninch. *disput.5. dub.2. numer.32.* Henriquez *lib.4. capitul.3. numer.2.* Layman. *suprà, numer 4.* Neque item obligat divinum præceptum, ut dixit Joann. Medin. *de confess. tract.2. quæst.14. §. 2. sub finem.* quoties peccatori adest periculum oblivionis peccati commissi. Nam, ut rectè Suar. *disput.35. section.3. numero 6.* Coninch. *disput.5. dub.2. numer.33.* Layman. *dict. cap.3. numer.4.* ex vi juris divini tantùm astringitur pœnitens ad fatenda ea peccata, quæ post diligentem inquisitionem memoriæ occurrerint; nunquam tamen tenetur extraordinariam diligentiam adhibere, ne illorum obliviscatur, aliàs peccatis assuetus, & oblivioſus, teneretur sæpe in anno confiteri: vel sua peccata scripto mandare: quod Doctores nuper relati ex communi sententia reprobant. Restat ergo, ut secluſa Ecclesiæ determinatione solùm pro mortis periculo obligatio confessionis adsit. Nam cùm ex jure divino nullum aliud tempus hujus obligationis exequendæ determinatum signari possit, pro nullo alio hæc obligatio asserenda est, ut rectè docuit Suar. *disp.35. sect.3. num 6.* Coninch. *disp.5. dub.2. concl.3. in fine.* Layman. *lib 5. summ. tract.6. capit.5. num.5.* Fagund. *de secundo Eccles. præcepto, lib.1. cap.1. n 6.* Filliucius *tract.7. cap.2. quæst.5.* Dixi, *secluſa Ecclesiæ determinatione:* nam ea posita non solùm præcepto ecclesiastico, sed divino, teneris peccata annuatim fateri: quippe credendum est, Christum Dominum obligationem confessionis pro mortis articulo imposuisse: pro aliis verò temporibus, juxta Ecclesiæ determinationem, ut tradit Vasq. *quæst.90. artic.1. dub 4. num.26.*

4. Per accidens autem obligari fideles possunt ad confessionem. Primò, si gravati conscientia peccati mortalis, tametsi contriti, suscipere Eucharistiam velint: ob dignitatem enim tanti Sacramenti tenentur ex præcepto divino non solùm contritione; sed confessione cujuscunque mortalis peccati non confessi occurrentis memoriæ ante Communionem se disponere, juxta illud Pauli: *Probet autem se ipsum homo*, & tradit Trident. *sess.13. cap.7. & can.11.* & pluribus exornat D. Thom. *3. par. quæst.80. art.4. & ibi* Suar. *disp. 80. sect.3.* Bellarm. *lib.4. de Eucharist. cap.17.* Henriq. *lib.8. cap.45.* & alii, & nos *superiori tractatu* diximus.

5. Secundò, obligaris, si certam speciem peccati, verbi gratia, luxuriæ, odii, aut furti, credas, te non posse moraliter evitare, quin ad pœnitentiam accedas, & confessarii monitis adjuveris: cùm enim tenearis, quodlibet peccatum vitare, teneris & media apponere, quæ reputat ad eum finem necessaria, argument textus in cap. *Præterea de officio deleg.* & tradit in præsenti Caietanus *verbo, Sacramentalis confessio.* Petrus de Soto *section.5. de confession.* Suarez *disput.35. section.3. numer.10.* Coninch. *disp.5. de confession. necessitat. dub.2. num.31.* Fagundez *de secundo Ecclesiæ præcepto lib.1. cap.1. numer.15* Laym. *lib.5. summ. tract.6. cap.5. numer.6.* Notanter dixi, *si certam speciem peccati, &c.* nam ex eo, quòd credas, plura in genere peccata vitaturum, si confessionem frequentes; non videris speciale peccatum committere confessionem omittendo: quia eo casu non reputatur confessio medium propinquè necessarium ad peccatum vitandum: siquidem peccatum non in genere, sed in specie & sigillatim committendum est, ad cujus fugam non apprehenditur confessio necessaria. Aliàs damnare peccati mortalis teneremur plures confessionem per annum differentes, aliisque operibus virtutis non incumbentes: siquidem plura peccata sine dubio vitarent, si confessionem frequentarent singulis mensibus, aliaque opera virtutis exercerent. Atque ita docent Caiet. & Petr. de Soto *suprà.* Suar. *dicta section.3. numer.11.* Fagund. *lib.1. cap.1. numer.16.* Coninch. *disput.5. dub.2. num.31.*

6. Personæ, quæ divino præcepto confessionis astringuntur, sunt fideles post Baptismum in peccatum mortale lapsi: quia solùm peccata post Baptismum commissa Sacramento Pœnitentiæ subjici possunt. Unde fit, infideles obligari non posse præcepto divino confessionis: quia nequeunt obligari ad confessionem, quousque materia confessionis apponatur, quæ non est peccatum ante Baptismum commissum; sed post Baptismum: & ita tradunt ex communi sententia Major *in 4. dist nct.17. quæst.1.* Sotus *in 4. distinct.18. quæst.1. art.2.* Medin. *tr.2. de confess. q.5. circa fin.* Suar. *disp.35. sect.2. n.2.* Fagund. *de*

secundo

ſecundo Eccleſiæ præcept. lib. 1. *cap.* 2. *num.* 4. Sanch. *lib.* 1. *ſum. c.* 2. *n.* 15. Henriq. *lib.* 4. *c.* 5. *n.* 5. Bonac. *diſp.* 5. *de pœnit. q.* 5. *ſect.* 2. *p* 4. *n.* 5.

7. Dixi, *lapſi poſt Baptiſmum in mortale peccatum*: nam habentes ſola peccata venialia, nec præcepto divino, neque eccleſiaſtico aſtringuntur, ut ſatis colligitur ex capit. *Omnis utriuſque ſexus de pœnitent. & remiſſ.* & ex Trident. *ſeſſ.* 14. *c.* 5. & ex his quæ diximus *ſuprà punct.* 6. ubi probamus, peccata venialia non eſſe hujus Sacramenti materiam neceſſariam, ſed voluntariam. Et tradunt in præſenti poſt alios antiquiores Suar. *diſput.* 36. *ſect.* 2. *num.* 9. Coninch. *diſp.* 5. *de pœnitent. dub.* 5. *num.* 52. Fagund. *de ſecundo Eccleſ. præcept. lib.* 1. *cap.* 2. *numero* 8. *&* 9. Bonac. *diſp.* 5. *q.* 5. *p.* 4. *n.* 8.

8. Qui verò nec peccatum mortale, neque veniale unquam commiſerunt, ſicuti hoc privilegium ſanctiſſimæ Virgini fuit conceſſum, quæ nulla labe peccati neque originalis neque actualis, etiam venialis infecta fuit, nullatenus aſtringi poſſunt obligatione recipiendi Sacramentum Pœnitentiæ; quinimò neque capaces illius ſunt, utpote quibus deeſt materia neceſſariò requiſita, quæ ſunt peccata actualia, ſaltem venialia. Atque ita de Beata Virgine docent Victor. *in ſumm. de confeſſ. num.* 15. Vivald. *in Candel. aureo, num.* 82. Suar. *diſp.* 35. *ſect.* 2. *num.* 15. Fagund. *de pœnit. lib.* 1. *cap.* 2. *in fine.*

§. II.

Quæ perſonæ, & quo tempore, ad confeſſionem ex eccleſiaſtico præcepto teneantur.

1. *Qui ad annos diſcretionis pervenerit, obligatur: & quando cenſeatur ad diſcretionem pervenire.*
2. *Pueri, cùm primùm rationis uſum conſequuntur, obligati ſunt.*
3. *Fit ſatis dubitandi rationi.*
4. *Qualiter cum pueris accedentibus ad confeſſionem agendum eſt.*
5. *Gravati venialibus non tenentur confiteri.*
6. *Qualiter potuerit Eccleſia ad venialium, confeſſionem obligare.*
7. *Tempus confeſſionis paſchale eſſe docent aliqui.*
8. *Verius eſt, non tempus determinatum, ſed qualibet parte anni fieri poſſe.*
9. *Satisfit oppoſitis rationibus.*
10. *Qualiter annus computetur.*
11. *Teneris anticipare confeſſionem, quando prævides impediendam.*
12. *Si omiſiſti per annum confiteri, negant aliqui te eſſe obligatum.*
13. *Verius eſt, te obligatum eſſe.*
14. *An ſatisfacias unica confeſſione præſenti anno, & præterito. Negant plures.*
15. *Sed difficilis ſententia.*

1. COnſtat omnes fideles, cùm ad annos diſcretionis pervenerint, ſi peccato mortali graventur, obligatos eſſe confiteri. Sic habetur ex Concil. Lateranen. relato cap. *Omnis utriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſionib.* & in Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. *de reformat.* & tradunt omnes. Cenſetur fidelis ad annos diſcretionis pervenire, cùm rationis uſu inter bonum & malum diſtinguente pollet; quod arbitrio prudentis Confeſſarii relinquendum eſt. Qui non tam ex ætate, quàm ex ingenio, & conditione puerorum id colligere debet. Nam eſto, regulariter completo ſeptennio, perfectus uſus rationis omnibus eluceat; plures tamen ante eam ætatem, alii poſt eam rationis uſum conſequuntur.

2. Solùm eſt dubium, an ſtatim ac perfectum rationis uſum conſequuntur, hoc præcepto confeſſionis obligentur? Ratio difficultatis eſt: quia Eccleſia non videtur velle aſtringere ſuis cenſuris, & præceptis fideles ante puberem ætatem. Item, non aſtringit regulariter ad ſumptionem Euchariſtiæ, quouſque duodecimus annus, vel quartus decimus compleatur. Ergo, neque ad confeſſionem adſtringere ante eam ætatem debet cùm eodem tenore verborum præceptum de confeſſione, & ſumptione Euchariſtiæ latum fuerit. Atque ita docent D. Antonin. 2. *part. ſum. tit.* 9. *cap.* 18. §. 1. Hoſtienſ. & Anchar. *in cap. Omnis utriuſque ſexus. de pœnit. & remiſſ.* Sotus *in* 4. *diſt.* 12 *q.* 1 *art.* 11. *in fine.* Sed omninò tenendum eſt, pueros ſtatim ac uſum rationis perfectum fuerint conſecuti, obligatos eſſe ſingulis annis confiteri, ſi conſcientia peccati mortalis graventur. Conſtat ex praxi, uſúque Eccleſiæ recepto: & quia aliis præceptis Eccleſiaſticis audiendi Sacrum, ſervandi interdictum, abſtinendi ab ingreſſu in Monaſteria Monialium adſtringuntur. Non ergo ab hoc præcepto maximè neceſſario excuſari debent. Atque ita docent ex communi ſententia Sylveſt. *verbo, Confeſſio,* 2. *quæſt.* 5. Suar. *diſp* 36. *ſect.* 2. *n.* 6. Coninch. *diſp.* 5. *dub.* 5. *n* 50. Navar. *c.* 21. *n.* 33. Henriq. *lib.* 4. *cap.* 5. *n.* 2. Fagund. *de ſecundo Eccleſ. præcep. lib.* 1. *c.* 3. *n.* 12. Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 6. *cap.* 5. *n.* 6. & 7. Bonac. *diſp.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 2. *punct.* 4. Vaſq. *quæſt.* 90. *art.* 2. *dub* 4. Valent. *tom.* 4. *diſput.* 7. *q.* 9. *part.* 4. *ad fin.* & alii plures.

3. Neque ratio dubitandi in contrarium urget. Fateor namque, mitiùs ſe habere Eccleſiam cum pueris ante pubertatem, in pœnis ob peccata commiſſa interrogandis, ut ſatis colligitur ex *cap.* 1. & 2. *de delictis puerorum*, ibi: *In pueris relinqui ſolet inultum, quod in aliis progreſſioris ætatis humanæ leges dicunt ſeverius puniendum.* Ex quo textu moventur, Sà *verb. cenſur. n.* 2. & *verbo Pueri, n.* 1. & Mol. *tr.* 3. *de juſtit. diſp.* 51. *n.* 8 & alii, ad affirmandum, nulla cenſura pueros ante puberem ætatem affici, tametſi peccatum mortale commiſerint. Sed, quamvis hæc ſententia de cenſuris ipſo jure latis non videatur probanda, ac de cenſuris, quæ ab homine feruntur, qualis eſt pœna excommunicationis, quæ in pluribus Epiſcopatibus fertur adversùs eos, qui ſingulis annis ſua peccata confeſſi non fuerint, veriſſima eſt: non enim ante pubertatem citari poſſunt ac proinde neque ab homine excommunicari, ſicuti in præſenti tradit Suar. *diſp.* 36. *ſect. ult. in fine.* Vaſq. *q.* 90. *art.* 2. *dub.* 4. *n.* 2. Sà *verbo, Confeſſio, n.* 3. Henriq. *lib.* 4. *cap.* 5. *n.* 2. Sanch. *lib.* 1. *ſum. c.* 12. *n.* 7. Bonac. *diſp.* 5. *q.* 5 *ſect.* 2. *part.* 4. *n.* 3. & 4. Fagund. *lib.* 1. *de pœnit. c.* 3. *à n.* 14. & 15. Non tamen ex hac benignitate inferendum eſt, nolle Eccleſiam ſuis præceptis pueros uſu rationis pollentes aſtringere: id enim nec neceſſarium erat, neque expediebat. Non item obſtat, quòd præceptum de ſumenda Euchariſtia plerumque non obliget ante pubertatem: quia hoc præceptum obligat diſcretione obtenta, niſi ex conſilio Confeſſoris judicatum fuerit differendum: quæ conditio pro præcepto confeſſionis appoſita non fuit. At conſuetudine recepta omnes Confeſſarii uſque ad eam ætatem communionem differunt; tum ob reverentiam tanti ſacramenti: tum quia eſt minoris neceſſitatis: quam dilationem pro ſacramento Pœnitentiæ non eſt illis permiſſum concedere. Ergo fideles diſcretionem habentes obligantur confeſſione, tametſi Euchariſtiæ præcepto non obligentur.

4. Pueri verò accedentes ad confeſſionem diligenter examinandi ſunt, an ſatis capaces exiſtant abſolutionis recipiendæ. Sunt enim plures, qui, eſto, peccare ſciant, peccata confiteri nequeunt; quos tamen non expedit ſtatim dimittere; ſed confeſſoris

monitis,& diligentia instruendi sunt. Qui si instructionem non percipiant, neque de peccatis,prout par est,doleant, concessa benedictione, & imposita aliqua pœnitentia, absque absolutione sacramentali dimittantur, maximè quando nullo peccato mortali adstringuntur: hac enim via,& confessioni assuefient, & paulatim instruentur. Si verò mortale peccatum fassi fuerint, diligentiùs investigandum, & procurandum, ut dolorem debitum illius concipiant, & absolutioni recipiendæ se disponant. Quòd si nec sub dubio capaces absolutionis existant; monendi sunt, ut dispositioni debitæ incumbant, iterum pro absolutione recipienda reversuri. At stante dispositione, omninò absolvi debent, præcipuè si urgeat aliqua necessitas; sub conditione tamen mente retenta. Quæ omnia notavit Zambran. *de casibus reservatis, cap.*4. *dub.*3. *n.*2. Layman. *lib.*5. *sum. tract.*6. *cap.*5. *n.*7.

5. Dixi initio, *si mortali peccato graventur:* nam venialibus peccatis tantùm adstricti, nec divino, ut dixi,neque ecclesiastico præcepto confiteri tenentur, ut ex communi sententia tradunt Suar. *disp.*36. *sect.*2. *num* 8. Coninch. *disput.*5. *dub* 5. *num.*52. Vasquez *quæst.*90. *art.*2. *dub.*2. *num* 11. Bonac. *disp.*5. *quæ* .6. *sect.*2. *p.*4. *n.*8. Fagund. *de secundo Eccl. præcep. lib.*1. *cap.*2. *num.*8. Layman. *lib.*5. *sum. tract.*6. *cap.*5. *n.*12. adversùs Alen. 4. *p. quæst.*77. *memb.*1. *numero* 3. *& memb.*2. *art.* 5. *ad* 10. Bonav. *in* 4. *dist.*17. *art.*2. *quæst.*1. Richard. *ibi art.*2. *quæst.*4. *ad* 1. existimantes, Ecclesiam præcepisse annuam confessionem,sive peccatis mortalibus, sive venialibus fideles graventur. Sed conclusio probatur manifestè ex Trident. *sess.*14. *cap.*5. *& can.* 7. ubi de peccatis venialibus dicitur, taceri citra culpam posse, & multis aliis remediis expiari, quæ vera non essent si ex præcepto Ecclesiæ deberent necessariò fateri. Item,Ecclesia præceptum divinum de confessione facienda, quod indeterminatum erat quoad tempus, ad singulos annos determinavit: at præceptum divinum solùm est de confessione mortalium: nam venialia aliis multis remediis expiari possunt. Ergo. Præterea, si latum esset præceptum de confessione facienda ab eo; qui venialibus tantùm peccatis gravatus sit, omnia venialia peccata obligatus esset fateri, siquidem in *cap. Omnis utriusque sexus*, omnia peccata fateri præcipiuntur: at præceptum de confessione omnium venialium durum esset,& ferè impossibile: non igitur ad eam confessionem præceptum extenditur. Neque illa verba Christi Domini Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* An peccata mortalia, & venialia æquè extenduntur: sed diverso modo. Ad peccata mortalia utrumque verbum remittendi, & retinendi extenditur: quia Christus Dominus, & potestatem ea peccata remittendi, & retinendi Sacerdotibus concessit. At comparatione venialium solam potestatem remittendi ex privilegio concessit, sublata potestate retinendi: neque enim Sacerdotes ea valent retinere, cùm aliis remediis, præter sacramentum pœnitentiæ, expiari possint,uti benè notavit Vasq. *q.*90. *art.*2. *dub.*2. *n.*15. Layman. *lib.*5. *sum. tr.*6. *c.*5. *n.*12.

Verùm,esto,à præcepto annuæ confessionis excusetur, qui nullius peccati mortalis conscius est; non tamen excusatur, quin Pastori se sistat, & statum suæ conscientiæ declaret; tum ob scandalum vitandum; tum, ne excommunicetur, saltem in foro exteriori; Pastórque obligatus est sic de se deponenti credere, nisi manifestas rationes habeat in contrarium, sicuti docent Suar. *t.*4. *de pœnitent. disp.*36. *sect.*2. *num.*9. Coninch. *disp.*5. *dub.*5. *num.*52. Fagund. *de secundo Eccles. præcept. lib.*1. *cap.*2. *numero* 9. Bonac. *disp.*5. *q.*5. *sect.*2. *p.*4. *n.*8. Vasq. *q.*90. *art.*2. *dub.*2. *n.*19. Fateor tamen, non leve fundamentum iniquæ suspicionis præbere, quin integro anno confessionem omitteret sub prætextu carentiæ peccati mortalis. Etenim, cùm per hujus Sacramenti susceptionem gratia augeatur, & majori cum reverentia, & fructu suscipiatur Eucharistia, & satis in Ecclesia usitatum sit quòd fideles, tametsi solis venialibus gravati existant,Communioni recipiendæ confessionem præmittant,certè qui hæc omnia despiceret,præsumptionem gigneret,non esse ita purum,& immaculatum,ac ipse opinatur. Quapropter monendus hic esset,& persuadendus, jut confessionem venialium faceret. Nam esto,mortalis conscius non sit,fortè illo gravatur: & confessione venialium legitimè facta illius mortalis ignorati remissionem obtinebit, quam absque confessione non obtineret.

6. Doctores autem disputant,an saltem potuerit Ecclesia legem ferre de peccatis venialibus confitendis. Et mihi dicendum videtur cum Ægid.de Coninc. *disp.*5. *dub.*5. *concl.* 3. directè legem ferri non posse de confessione venialium. Nam,si ad confessionem omnium obligaret,esset lex intolerabilis humanæ fragilitati,& gravis occasio scrupulorum. Si ad aliqua confitenda pro libito pœnitentis,esset parum utilis. Si ad venialia in aliqua determinata materia,certè extra religiosum statum fingi non potest justa causa ferendi talem legem. Pro Religiosis verò, utpote perfectioni studentibus, facilius hæc lex ferri posset: at solum sub veniali culpa obligaret, quia materia levis est.

Verùm esto de confessione venialium directè ferri non possit lex, indirectè tamen ferri potest: præcipiendo, inquam, confessionem, sicuti aliud quodvis opus virtutis,præcipuè cum tot utilitates ex frequenti confessione oriantur. Si enim ad confessionem faciendam singulis mensibus,vel annis, voto obligari quis potest: cur non lege, & præcepto? Et ita sæpè obligatur, qui à Sede apostolica impetrat dispensationem voti castitatis, vel alterius impedimenti ad matrimonium contrahendum. Quo præcepto posito, qui peccatis mortalibus gravatus non esset,necessariò venialia fateri debet: quia sine confessione mortalis, vel venialis confessio stare non potest,ac proinde neque illius præcepti executio. Sic Coninch. *disp.*5. *de necessit. confess. dub.*5. *n.*53. Suar. *disp.*22. *sec.*8. Vasq. *q.*90. *art.*2. *dub* 3. Layman. *lib.*5. *sum. tr.*6. *c.*3. *n.*13. ubi affirmat,re ipsa Monachis S. Benedicti menstruam confessionem præceptam esse in Clement. *Ne in agro Dominico. § Sanè. de statu Monach.* ibi: *Ut in singul. mensib. tam in Monasteriis, quàm extra, ad confessionem saltem semel accedant omnes, & singuli.* Sed credo cum Barbos. *in remission. Concil. sess.*14. *c.*5. Henriq. *l.*4. *c.*4. *n.*10. Rodrig. *t. q.*62. *art.*1. Cano *relect. de pœnit. c.*5. §. *At vero*, potiùs sub consilio & directione quàm sub rigoroso præcepto prædictam confessionem statutam esse, sicuti & Communionem omnibus diebus Dominicis.

7. Tempus annuæ confessionis aliquibus videtur paschale esse,sicut est Communionis. Sic Pet. de Soto *lect.*5 *de confess.* Suar. *disp.*36 *sect* 3. Fagund. *de secund. Eccl. præc. l.*1. *c.*3. *n.*5. Moventur primò ex Trid. *sess.*14. *can.*8. anathematizante eos,qui negaverint,fideles singulis annis obligatos non esse confiteri;& ob id suadentes,ne tempore Quadragesimæ confiteantur. Supponit ergo tempore Quadragesimæ adesse obligationem. Secundò,in Extrav. *Vices de treuga & pace*,asseritur, parochianos temp. pasch. obligatos esse proprio Sacerdoti confiteri. Tertiò in *c. Omnis utriusque sexus de pœn. & remiss.* præcipitur omnibus fidelibus ut singulis annis omnia sua peccata mortalia confiteantur,qui temp. pasc. gravatus mortalibus non confessis ea non fateretur,confessionem omnium mortalium eo anno commissurum non præstitisset. Ergo non satisfeciisset præcepto. Quartò, temp. pasch. solent Rectores à suis subditis testimonium confessionis exigere. Signum ergo est eo tempore subditos obligari. Denique, si eo tempore subditi non obligarentur confiteri, possent

fermè

fermè per duos annos confessionem differre absque peccato. Nam, si annus computetur à Januario in Januarium, vel à Dominica in albis usque ad aliam Dominicam in albis, qui primo die Januarii anno 16,1. fassus esset, posset usque ad ultimum diem Decemb. anni 1632. confessionem differre, & qui in Dominica in albis anni 1631. sua peccata aperiret, posset usque ad Sabbatum antecedens anni 1633. confessionem prorogare: quia facta confessione primo die Januarii anni 1631. satisfecit præcepto eo anno confitendi, & facta confessione ultimo die Decembr. anni 1632. satisfacit confessioni debitæ illo anno. Et idem est, si computatio fiat à Dominica in albis usque ad aliam similem Dominicam: confitens enim Dominica in albis anni 1631. satisfacit confessioni debitæ eo anno usque ad eandem Dominicam sequentis anni, à qua incipit annus obligationis computari, qui durare debet usque ad Sabbatum in albis anni 1633. quo die si fiat confessio, satisfacis præcepto annuæ confessionis: ergo fermè per duos annos differs confessionem. Ne igitur hoc inconveniens admittas asserendum est, paschale tempus confessioni, sicuti & Communioni signatum esse. Hinc infert hæc sententia, si tempore paschali impeditus sis à Communione vel, quia non adest copia Sacerdotis; vel, quia ob teneram ætatem tibi non conceditur; vel quia ob aliam causam ex consilio Confessarii differtur, te gravatum mortali obligatum esse ad Confessionem.

8. Nihilominus contraria sententia communior est, & probabilior, scilicet, confessioni non esse determinatum tempus paschale; sed quolibet die anni fieri posse, & præcepto esse satisfactum Sic post alios antiquiores docuerunt Sotus *in* 4. *dist.*18. *q* 1. *art.*4. *conc.*1. Victor. *summ.*137. Henriq. *l.*4. *de pœn. cap.*4. *n.*7. Vasq. *qu.*90. *art.*3. *dub.*1. *num.*3. *&* 15. Valen. *tom.*4. *disp.*7 *quæst.*9. *part.*4. *vers. Consuetudo.* Emman. Sà *Confessio*, *n.*4. Coninch. *disp.*5. *dub.*7. Laym. *libr.*5. *sum.tract.*6 *cap.*5. *num.*10. Bonac. *disp.*5. *q.*6. *sect.*2. *part* 4. *n.*10. Fundamentum desumitur ex cap. *Omnis utriusque sexus de pœnitent. & remission.* ubi inquit Concilium: *Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Paschа Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de consilio proprii Sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum.* Cùm ergo Concilium solum tempus paschale Eucharistiæ recipiendæ signaverit, non autem confessioni; absque fundamento obligatio confessionis ad tempus paschale restringitur. Præterea Trident. *sess* 16. *c.* 5. *in fine*, declarans, obligationem confitendi à Christo impositam, Concilium Lateranense singulis annis exequendam præcepisse, subdit: *In universa Ecclesia cum ingenti animarum fructu observatur nos illi salutaris confitendi sacro illo, & maximè accepta bile tempore Quadragesimæ: quem morem hæc sancta Synodus maximè probat & amplectitur, tanquam pium, & meritò retinendum.* Ex quibus verbis colligitur apertè, distinxisse Concilium inter præceptum confitendi, & morem confitendi in Quadragesima. Et de præcepto inquit, ut saltem semel in anno impleatur: morem autem in Quadragesima confitendi non præcipit, sed tanquam pium: & meritò retinendum probat, & amplectitur. Quod clariùs explicuit *can.* 8. *ejusd. session.* si attentè verba expendantur: ibi enim Concilium anathematizat eos, qui dixerint, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, aut traditionem humanam à piis abolendam, aut ad eam non teneri omnes, & singulos utriusque sexus fideles, juxta magni Concilii Lateran. constitutionem semel in anno: & ob id suadendum Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ. Si igitur tempore Quadragesimæ tenerentur fideles confiteri, Concilium absolutè anathematizaret eos qui dicerent, fideles tempore Quadragesimæ non esse obligatos confiteri; sicuti anathematizat eos, qui dicunt, semel in anno non teneri: solum enim anathematizat eos, qui fidelibus suaserint, ne tempore Quadragesimæ confiteantur, eò quòd obligationem non habeant semel in anno confitendi.

9. Restat argumentis oppositis satisfacere. Ad primum constat ex probatione nostræ conclusionis. Ad secundum ex Extravag. *Vices*, respondeo, ibi nullum præceptum imponi, sed impositum in cap. *Omnis utriusque sexus*, referri, ut constat ex illis verbis. *Cùm Parochianus de jure teneatur, saltem semel in Paschate, proprio Sacerdoti confiteri.* Et licèt ibi expressum sit tempus paschale, id factum non est, ut prædicto tempori obligatio astringatur, sed quia eo tempore plerumque impletur simul, cum obligatione Eucharistiam suscipiendi. Ad tertium concedo, præcipi in cap. *Omnis*, omnia peccata mortalia commissa, tempore, quo fit confessio, confiteri: quia id ad integritatem confessionis est requisitum; non tamen præcipitur, ut omnium mortalium, quæ eo anno committuntur, confessio fiat: aliàs si facta legitima confessione in ultimo die anni novum mortale committeres, eo die deberes iterum confiteri: quòd onus; utpote sine fundamento, admittendum non est. Ad quartum fatcor, Parochos solere testimonium confessionis à suis subditis exigere tempore Paschatis: quia plerumque eo tempore præceptum confessionis implent: & quia cognoscere debent, an ad Communionem eo tempore suscipiendam rectè dispositi sint. Ad ultimum, admittimus, absque transgressione præcepti confessionis, posse fidelem fermè per duos annos confessionem differre. Hæc enim dilatio, etsi fini, & intentioni præcepti adversetur, non adversatur materiæ præcepti, cum saltem semel in anno confessio fiat.

10. Sed qualiter annus computandus est? Aliquibus videbitur computandus ab eo tempore, quo post ultimam confessionem mortale commiseris: quia ab eo tempore obligatio confessionis te astringit. Alii affirmabunt, computandum esse ab ultima confessione, ne ultra duodecim menses subsequens differatur. Sed hos modos dicendi optimè reprobat Coninch. *disp.*5. *de confess. dub.*6. *concl.*1. propterea quòd textus in cap. *Omnis utriusque sexus*, legem communem, & generalem statuit, ut omnes fideles semel in anno confiterentur. At si prædicta computatio servanda esset, non omnes eodem anno præcepto confessionis astringerentur, sed juxta diversitatem personarum, vel peccantium, vel confitentium, tempus confessionis prorogaretur, vel restringeretur: quod alienum est à verbis Concilii, & communi Ecclesiæ praxi.

Quapropter duplex est probabilis computatio anni. Prima à Januario in Januarium: quia lex intelligi debet, juxta communem, & frequentem usum. At negari non potest esse communem & frequentem usum computandi annos à Januario in Januarium. Ergo hæc lex juxta hanc computationem intelligi debet. Quòd si dicas, hanc computationem esse profanam, non Ecclesiasticam: hæc enim à Paschate Resurrectionis, usque ad sequens Pascha desumi debet; obstat: quia hæc annorum computatio ab Ecclesia accipitur, tum in ordinibus conferendis; tum in beneficiorum possessione; tum in obligatione ad jejunium, ad matrimonium, ad vota, tum in censurarum impositione. Non ergo hoc præceptum ab hac computatione eximi debet. Præterea mos ecclesiasticus computandi annum non à Paschate, sed ab Adventu usque ad Adventum incipit. Ergo vel ab

hoc

hoc tempore Adventus facienda est computatio, si morem ecclesiasticum recitandi sequamur; vel facienda est à Januario in Januarium; ut communiter fit, & affirmandum est cum Vasq. *q.90. art.3. dub.1. n.15.*

Alter modus computandi annum, communi Doctorum authoritate receptus est à Paschate in Pascha. Sic tradit Navar. *c.21. n.45.* Sotus *in 4. dist.18. q.1. art.4.* Medin. *de confess. q.14.* Victor. *n.147.* Suar. *disp.36. sect.3. n.8.* Con. *disp.5. dub.6. concl.2.* Laym. *l.5. sum. tract.6. c.5. n.8.* Bonac. *disp.5. q.5. sect.2. part.4. n.19.* Henriq. *l.4. cap.4. n.1.* Reginald. *lib.6. n.33. & 37.* & alii. Fundamentum hujus computationis est: quia eo tempore solent Parochi testimonium confessionis à fidelibus exigere, quasi indicantes, tunc expirare tempus obligationis exequendæ. Sed est leve fundamentum, ut constat ex *superius* dictis. Quapropter sententiam Vasq. spectato jure, & ratione naturali, seclusa authoritate, probabiliorem, & veriorem existimarem.

11. Sed inquires an tenearis anticipare confessionem, ante anni finem, si scias in fine anni copiam confessoris non habiturum, vel alia via à confessione impediendum: Respondeo affirmativè ex communi omnium sententia, quam tradit Suar. *disp.36. sect.5. n.2.* Vasq. *q.60. art.3. dub.2. n.9.* Conin. *disp.5. dub.7. n.58.* Henr. *l.4. c.3. n.3.* Reg. *l.6. n.25.* Bon. *de Pœnit. disp.5. q.5. sect.2. part.4. n.21.* Laym. *l.5. sum. tract.6. c.5. n.8. cor.2* Ratio est manifesta: quia teneris confiteri eo tempore, quo præceptum confessionis te obligat, eique satisfacere potes: at agnoscis, eo tempore te obligare præceptum confessionis, eique satisfacere posse & in reliquo impotentem esse. Teneris ergo eo tempore confiteri, ne confessionem præceptam omittas, sicuti teneris die festivo Missam audire hora octava, si scias in reliquis horis impediendum esse; & Eucharistiam tempore paschali primis illis octo diebus suscipere, si credas in reliquis impediendum fore: quia præcepto satisfaciendum est, cùm de facto obligat, & impleri potest.

12. Verùm, si confessionem integro anno omiseris, dubitant Doctores, an tenearis statim, cùm primùm possis, confiteri? Negant Sylvest. *Euch.3. q.15. dicto 3.* Ledesm. *2. p.4. q.6. art.5. dub.7.* Moventur argumento desumpto ex reliquis præceptis, quæ tempori designato alligata sunt, ut præceptum audiendi Sacrum, recitandi Horas, jejunandi, imò & Eucharistiam sumendi, quinimò & confitendi tempore mortis: quorum obligatio cessat transacto tempore obligationis executioni designato, uti colligitur ex *c. Sicut de sponsalib. vers. Nisi forsan. leg. Si fidejuss. §. ult. ff. Mandat.* & similibus. Præterea, si transacto anno adhuc perseverat obligatio confitendi, bis teneberis eodem anno confiteri: semel, ut satisfacias obligationi anni præteriti: & semel, ut satisfacias obligationi anni præsentis. Quòd si plures annos confessionem omiseris, toties obligatus eris, cùm primùm possis, ad confitendum, quod praxi receptum non est.

13. Nihilominùs probabilius est, sive justè, sive injustè confessionem annalem omiseris, te obligatum esse initio sequentis anni, cùm primùm possis, confiteri: quia tempus unius anni non assignatur ut terminus finiens obligationem: sed ne ultra illam differatur, sicuti cùm alicui signatur tempus ad comparendum, vel ad solvendum debitum, & eo tempore nec comparet, nec debitum solvit: non obinde liber manet, sed potiùs ampliùs adstringitur. Secùs verò est in reliquis præceptis, quæ pro contraria sententia referuntur: quia apposita sunt, ut onus, & pensum illius diei, ejúsque honorem: atque ita transacto eo die, & cessat finis præcepti, & ipsum præceptum. At in confessione aliter se res habet: etenim illius præceptum latum est, ut cum Deo reconcilieris: qui finis, elapso anno, efficaciùs urget. Deinde colligitur hæc obligatio ex excommunicatione synodali, quæ ferè in omnibus diœcesibus lata est adversùs eos, qui semel in anno fassi non fuerint, neque Eucharistiam in Paschate receperint, à qua excommunicatione nunquam absolvuntur, nisi confessionem facere velint. Signum ergo est, confessionis obligationem elapso anno perseverare.

14. An verò elapso anno, unica confessione, & præsentis anni obligationi, & præcedentis satisfacias: non est constans inter Doctores. Plures, & gravissimi Doctores negant, eò quòd confessio initio sequentis anni fiat in satisfactionem obligationis anni præcedentis, & moraliter reputetur, ac si præcedenti anno fuerit facta. Supereſt ergo præsentis anni obligationi satisfacere. Sic docuit Suar. *disp.36. sect.4. n.5.* Con. *disp.5. de pœnit. dub.8. n.65.* Filliuc. *tract.7. c.1. q.5. n.56.* Bonac. *disp.5. de pœnit. q.5. sect.2. p.4. n.31.* Layman. *lib.5. sum. tract.6. c.5. n.10. vers. Ad secundum. in fine.*

15. Sed hæc sententia dura mihi videtur, & difficilis: nam si initio anni sequentis omnia tua peccata, tam præcedenti, quàm præsenti anno commissa fatearis, tametsi eo anno nullam aliam confessionem feceris, præceptum latum de confessione semel in anno facienda, eo anno non transgrederis: si quidem eo anno jam semel confessus es. Et quidem si eo anno nullum aliud mortale commiseris post eam confessionem factam evidens est, te obligatum non esse, ut notavit Bonac. *supr.* Signum ergo est, unica illa confessione, & obligationi præcedentis anni satisfeciſſe: nam ad illam confessionem faciendam non solùm ex obligatione præcedentis; sed & præsentis anni astringebaris. Deinde, si in fine anni sequentis confessionem facias, affirmat Coninch. *dicto dub.8. concl.2.* te non esse obligatum iterum confiteri; tametsi novum mortale committas: quia ea confessio ob distantiam ab anno præcedenti censeri non potest moraliter facta eo anno, sed solùm in satisfactionem obligationis præsentis. Quod à fortiore diceret, si per plures annos confessionem omisisses. Sed, cùm obligatio confessionis, elapso anno, non fuerit extincta; sed quo magis differtur, eò plus urgeat, si facta ea confessione in fine anni nulla supereſt obligatio confitendi, efficitur sanè unica confessione obligationi præsentis, & præteriti anni satisfactum esse. Ergo eodem modo satisfieri potest; tametsi initio anni confessio fiat. Atque ita probabile docent Ægid. & Bonac. *suprà.*

§. III.

Qua confessione fiat satis præcepto lato in cap. *Omnis utriusque sexus*, & de causis excusantibus à pœnis ob illius transgressionem.

1. *Non fit satis huic præcepto confessione venialium.*
2. *Confessione mortalium memoriæ occurrentium, & absolutione recepta sit satis.*
3. *Si post factam eam confessionem in mortale incidas, tametsi* Suar. *&* Henriq. *censeant, te esse obligatum eo anno fateri, verius est oppositum.*
4. *Per confessionem illegitimam non satisfacis præcepto.*
5. *Incurris excommunicationem synodalem.*
6. *Ab hoc præcepto non excipiuntur peccatores publici.*
7. *Non satisfacis præcepto, si absolutio non concedatur.*
8. *Expenduntur causæ excusantes ab hoc præcepto.*

1. ALiqua sunt apud Doctores communiter certa, alia sub opinione versantur. Primò certum est, huic præcepto confessionis non satisfieri confessione venialium eò quòd præcepto satisfacere non

possis, nisi rem præceptam exequaris: at confessio venialis in prædicto cap. *Omnis* tibi non præcipitur. Non ergo ea confessione satisfacere præcepto potes. Ex quo evidenter infertur, si facta confessione venialium, quia solis venialibus gravatus eras eodem anno in aliquod mortale incidas, te obligatum esse, ante finitum annum illius mortalis confessionem facere: aliàs eo anno omitteres confessionem præceptam. Sic docent Vasq. *q.90. art.3. dub.1. ad finem.* Laym. *lib.5. sum. tract.6. c.5. n.10. vers. Ad tertium.* Reginal. *lib.3. n.38.* Bonac. *disp.5. de pœnit. q.5. sect.2. p.4. n.33. in fine.*

2. Secundò certum est, facta legitima confessione omnium mortalium, quæ tibi memoriæ occurrerint, & absolutione à Sacerdote recepta, satisfacere præcepto confessionis, tametsi aliquorum mortalium invincibiliter oblitus fueris, neque obligatum esse ea intra illum annum ad confessionem adducere: aliàs obligatus esses bis, & ter confiteri, quod receptum non est. Non enim præceptum imponitur de confitendis omnibus mortalibus absolutè: id enim sæpè esset impossibile, sæpè non expediens, sed de confitendis iis omnibus, quæ post diligentem inquisitionem memoriæ occurrerint tempore confessionis, quorúmque manifestatio, nec tibi, neque alteri graviter nociva est. Neque refert, ea peccata oblita te fateri debere ex obligatione juris divini: ut inde inferas, etiam ex præcepto ecclesiastico, quod juris divini determinatum fuit, te fateri obligatum esse: quia ex jure divino non teneris ea fateri eo anno: sed, quando periculum mortis adfuerit, vel Eucharistiam susceperturus sis, vel ad Eucharistiam voluntariè accessurus. Sic Navar. *cap.2. n.9.* Suar. *disp.23. sect.2.* Coninch. *disp 5. dub.9. num.66. & 71.* Fagund. *de pœnit. lib.1. c.4. n.17.* Bonac. plures referens *de pœnit. disp.5. quæst.5. sect.2. p.4. n.32.* adversùs Sotum *in 4. dist.18. q.2. art.5. ad 3.* Henriq. *lib.4. capit.4. num.5. in com. lit. D. & capit.15. num.1.*

3. Sed dubiæ quæstionis est, an si post factam legitimam confessionem in peccatum mortale incidas, tenearis eo anno illud peccatum fateri. Affirmat Suar. *disp.36. sect.3. num.9. & sect.4. num.7.* Henriq. *lib.4. cap.4. num.2. & 6.* Etenim præceptum esse videtur de confessione facienda, semel in anno, omnium mortalium, quæ eo anno, vel præcedentibus fuerint commissa. Si igitur illud peccatum, quod post factam confessionem commissum est, voluntariè fateri omittis, præcepto de confessione facienda omnium mortalium, quæ eo anno commissa sunt, non satisfacis.

Cæterum longè verius est, te non esse obligatum ex vi hujus præcepti, illud peccatum eo anno fateri, quia præceptum non est de confessione facienda eo anno omnium peccatorum, quæ eo anno fuerint commissa: id enim apertiùs explicari debebat: sed præceptum fuit de confessione semel in anno facienda omnium peccatorum, quæ ad validam, & fructuosam confessionem fateri necessarium fuerit. Quòd si postmodum peccatum aliquod committas, in confessionem sequentis anni reservare poteris. Aliàs nunquam censeri posses, plenè huic præcepto satisfeciisse, quousque annus finitus sit: tametsi pluries fueris ritè confessus: quia semper periculo es expositus novum peccatum committendi, & novam confessionis obligationem contrahendi: expediretque confessionem, non in principio, neque ad medium anni; sed in fine præstare. Ne igitur hæc inconvenientia admittas, asserendum est, facta semel legitima confessione nullam tibi supereesse obligationem eo anno confitendi, nisi fortè susceperturus sis Eucharistiam, vel in periculum mortis incidas. Atque ita docent Victor *de conf. ff. num.137.* Reginal. *disputat.5. de confess. dub.7. num.59.* Laymán. *lib.5. sum. tractat.6. cap.5. numer.10. in respons. ad 1.* Bonacina probabile reputat *de pœnit. disp.5. quæst.5. sect.2. p.4. num.33. in fine.*

4. Secunda, & gravior quæstio est, an per confessionem illegitimam, scilicet, absque dolore, vel integritate, fiat satis prædicto præcepto; Et quidem eo casu, quo plures Doctores sentiunt, dari confessionem validam, sed informem, verius est præcepto satisfactum esse. Nam esto fini præcepti, qui est reconciliari cum Deo, satisfactum non sit, materiæ præcepti, quæ est confessio valida, veráque Sacramenti susceptio satisfactum est. Sed posita sententia, quam *superius* firmatam reliquimus, scilicet, non dari confessionem validam, & informem: adhuc plures censent te satisfacere præcepto, quocunque modo confessionem facias; quia Ecclesia solum externam confessionem præcipit, & illius defectum punit, cujus executioni occultissimus defectus doloris, & integritatis soli Deo cognitus obstare non potest. Deinde in *cap. Quod quidam de pœnit. & remiss.* dicitur, recipiendos esse ad pœnitentiam peccatores, quamvis absolvi non possint. Censentur ergo præcepto pœnitentiæ satisfacere. Atque ita docent. Paludan. *in 4. dist.17. quæst.7.* Gabriel. *ibi, quæst.1. artic.3. dub.5.* Sylvest. *Confess.4. n.3. in fine.* Victor. *n.163.* & alii relati à Fagund. *de secundo Eccl. præc. lib.1. cap.4. n.4.*

Sed multò probabilior, & verior est opposita sententia, quam pluribus relatis firmant Suar. *t.4. de pœnit. disp.36. sect.7. n.3. & 8.* Paul. Comitol. *lib.1. respons. moral. quæst.19. in fine. §. Enunciatum.* Coninc. *disp.5. de pœnit. dub.8. num.70.* Layman. *lib.5. sum. tractat.6. cap.5. num.11.* Fagund. *lib.1. de pœnitent. cap.4 n.5.* Bonac. *disp.5. de pœnit. quæst.5. sect.2. p.4. num.23.* Ratio est manifesta: quia præcepto divino de confessione facienda non satisfacis, cùm invalidè confiteris. Ergo neque satisfacis ecclesiastico præcepto: hoc enim solùm est præcepti divini determinatio, ut dixit Trident. *sess.14. cap.5. sub finem*, & *can.8.* Præterea Ecclesia præcipit omnia mortalia fideles confiteri, sicuti dicitur in *cap. Omnis utriusque sex. de pœnit. & remiss.* At, si absque dolore, vel non integrè fatearis, non fideliter, sed infideliter, & fictè peccata fateris. Non igitur præcepto satisfacis. Neque obstat, ex defectu omninò occulto invalidam reddi confessionem, quominùs inde impediatur præcepti ecclesiastici executio: nam esto, Ecclesia actum interiorem per se, & directè præcipere non possit; potest tamen indirectè, quatenus ad valorem actus externi præcepti necessarius est: hac enim ratione præcipiendo orationem, præcipit attentionem: quia sine attentione oratio esse non potest. Cùm ergo ad valorem externæ confessionis necessarius sit dolor; interiùs præcipiendo confessionem dolor internus præceptus censetur. Neque item obstat textus in *cap. Quod quidam*, nam, ut benè respondet Suar. *dicta sess.7.* ibi non dicitur, confessionem illam admittendam esse, ut sufficientem ad implendum præceptum; sed hos peccatores esse audiendos, ut continuis exhortationibus moveantur & convertantur.

5. Hinc fit, fictè confitentem incurrere excommunicationem synodalem, quæ ipso facto omittentibus confessionem ferè in omnibus diœcesibus imposita est: quia verè confessionem omittit, quippe idem est actum non fieri, ac fieri nullum, leg. *Duo sunt Titii ff. de testam. tutela.* Nomine namque confessionis confessio valida intelligi debet: quia sub appellatione actus regulariter solus validus comprehenditur, ut pluribus firmat Tiraq. *de retract. lignag. §.1. gloss.2. n.5.* & leg. *Boves, §. Hoc ferm. tota limit.1. ff. de verbor. significat.* Seraphin. *de privil. juram. privil.7. in fine.* Atque ita in præsenti tradit Suarez *t.4. disputat.36. sect.8.*

sect.8. num.1. Fagund. *de secundo Eccl. prac. lib.1. c.4. n.12.* Bonac. *disp.5. de pœnit. q.5. sect.2. p.4. n.25.* tametsi contrarium sentiat Navar. *cap.19. n.4.* & Henr. *lib.4. cap.4. n.1.* propterea quòd probari non possit confessionis defectus. Sed respondetur, id necessarium non esse, cùm non delicto probato, sed delicto externo excommunicatio synodalis annectatur. Secùs verò est de privatione sepulturæ, & ingressu Ecclesiæ; quæ ipso facto nullibi sunt impositæ; sed per sententiam Judicis imponendæ: quæ, cùm probationem delicti requirunt, & hæc sit ferè impossibilis, stante defectu omninò occulto imponi non possunt, ut benè ex Cordub. notavit Fag. *loc. alleg.*

6. Ab hac doctrina excipiunt Vivald. *in Candelab. aureo, de confess. n.60.* Rod. *in addit. ad Bullam Cruciat. §.11. aliàs 9. n.133.* Zerola *praxi Episc. 1. p. verbo*, Lupanaria, §.3. meretrices, usurarios aliosque peccatores publicos, quos neque Episcopi, & Parochi excommunicatos declarant, quamvis prædicto præcepto confessionis legitimè, ut dictum est, non satisfaciant. Signum ergo est, hac excommunicationis pœna eos non adstringi. Sed nullatenus admittenda est exceptio: quia nec fundamentum habet in *c. Omnis utriusque sexus.* cùm æquè omnes fideles comprehendat: neque publici peccatores digniores sunt indulgentia; quàm alii. Quòd verò non soleant declarari; id in favorem aliorum fidelium cum illis communicantium fit: non, quia ipsi peccatores publici excommunicatione affecti non sint, ut rectè notavit Fagund. *de secund. Eccles. præcep. libr.1. cap.3. numer.11.*

7. Tertia quæstio, an satisfacias huic præcepto si confessionem ex parte tua validam facias, & Confessarius ex malitia, vel ignorantia absolutionem non concesserit? Si confessio facta est Sacerdoti existimato, vel jurisdictione carenti; nullatenus per illam satisfieri præcepto potest: quia præceptum est de confessione facienda proprio Sacerdoti, uti cavetur in supradicto *c. Omnis.* & consequenter habenti jurisdictionem. At, si proprio Sacerdoti facta fuerit; ipse tamen ex malitia, vel inadvertentia te non absolverit, plures Doctores censent, te præcepto confessionis satisfeciisse. Tum, quia culpa Confessarii tibi nocere non debet. Tum, quia præceptum non tibi est impositum, neque imponi potest de actione, quæ non sit in tua potestate; sed ab alterius voluntate pendet, qualis est absolutio. Sic docent, licèt non ita expressè, Palud. Gab. Vict. Sylv. propriori, sententiáque præcedente relati. Cæterùm probabilius est te præcepto non satisfacere ea confessione, quam absolutio non sequitur, uti expressè docent Navar. *c.10. n.4.* Suar. *disp.36. sect.7. n.3.* Coninch. *disp.5. dub.9. n.70.* Fag. *de secundo Eccl. prac. lib.1. c.4. n.5.* Laym. *lib.5. sum. tract.6. cap.5. n.11.* Ratio ea est: quia per eam confessionem non satisfacis divino præcepto: siquidem peccata soluta non sunt, sed adhuc retinentur, ut absolutioni directæ subjiciantur. Ergo neque satisfacis humano præcepto, quod est divini determinativum. Et exemplo Eucharistiæ convinci potest: si enim credens, te Eucharistiam recipere, Sacerdos, vel ex malitia, vel inadvertentia hostiam inconsecratam loco consecratæ porrigeret, præcepto communicandi non satisfaceres; sed errore detecto obligatus eris communicare: quia præcedentis hostiæ sumptio non fuit sacra Communio. Confessio autem, quam absolutio non sequitur, neque est pars sacramenti, neque peccata solvit, aut remittit. Ergo non est confessio, qua præcepto satisfieri potest.

Neque obstat, non tua, sed Sacerdotis culpa defectum contingere: id enim probat, te excusatum esse à præcepto, & à pœnis ei annexis, dum bona fide existimas, te absolutum esse. Secùs est, si bona fides cesset, & defectum agnoveris: sicuti docent Corduba *q.15.* Suar. *disp.36. sect.8. n.3.* Fagund. *de pœnit. lib.1. c.4. n.6.* Neque est verum, quòd sola confessio in tua sit potestate, non absolutio: quia esto absolutio à te proximè non pendet; à te tamen pendet absolutionem procurare, eique confiteri, qui absolutionem concedat: si tamen aliquando id præstare non potes, à præcepto excusaris; tametsi illud non impleas.

8. Quoad causas excusantes ab hujus præcepti transgressione, illiusque pœnis; breviter dicendum est, te excusatum esse primò, si immineat tibi, vel alteri grave damnum vitæ honoris, vel fortunæ: nam lex divina, & ecclesiastica, cùm sit jugum suave, & onus leve, non censetur cum tanto detrimento obligare. Illud verò detrimentum honoris, quod ex confessione ipsa subsequitur, ut scilicet, apud Confessarium minùs habearis opinionémque religiosam, quam de te conceperat, amittas: non te potest à præcepto excusare, ut benè notavit Con. *disp.5. dub.10. n.73.* ubi advertit, sæpè te posse excusari à confessione unius, vel alterius peccati: quia ex illius manifestatione imminet damnum, non tamen à manifestatione aliorum peccatorum; & consequenter neque à confessione facienda. An verò excuseris à confessionis præcepto, si alia via, quam per interpretem, vel scripturam, vel nutus declarare peccata non possis, *superius*, cùm de integritate confessionis sermonem fecimus, decisum reliquimus. Illud verò est certum, si nullum in specie peccatum declarare potes, non esse tibi absolutionem extra mortis articulum concedendam: quia alienum est ab usu Ecclesiæ, sententiam absolutionis proferre nulla causa speciali judicanda proposita, ut benè advertit Layman. *lib.5. sum. tract.9. c.5. num.15. ad finem.*

Punctum XXI.

De satisfactione peccatorum.

Dupliciter de satisfactione loqui possumus. Primò, de satisfactione absolutè sumpta, & sine, ordine, ad sacramentum Pœnitentiæ. Secundò, de satisfactione quatenus pars est, & complementum sacramenti pœnitentiæ.

§. I.

De satisfactione absolutè sumpta, & absque ordine ad Sacramentum.

1. *Satisfactio differt à restitutione.*
2. *Nullus, præter Christum, satisfacere pro mortalibus potest.*
3. *Qualiter pro venialibus.*
4. *Pro omnibus potest de congruo.*
5. *Remissa mortali culpa, pœna æterna remittitur: sed plerumque manet aliqua pœna temporalis.*
6. *Pro hac pœna temporali benè potest quis satisfacere de condigno.*
7. *Ad hanc satisfactionem requiritur, opus voluntarium, & liberum.*
8. *Item debet esse opus bonum.*
9. *Item pœnosum, & afflictivum.*
10. *Potest esse opus alias debitum.*
11. *Satisfaciens debet esse in gratia.*
12. *Item, viator.*
13. *Unus pro alio bene satisfacere potest.*
14. *Limitatio Medinæ rejicitur.*
15. *Fit satis opposito fundamento.*
16. *Ex parte Dei adesse debet promissio satisfactionem acceptandi.*

1. Satisfactio sæpè cum restitutione confunditur: sed est longe ab ea diversa. Nam restitutio consistit in rebus. Est enim redditio rei contra voluntatem Domini sublatæ, vel illius æquivalentis;

ac proinde reſpicit reparationem damni offenſo illati. Secùs eſt ſatisfactio, quæ in actionibus conſiſtit. Eſt enim honoris, & authoritatis læſæ reparatio. Peccato namque honorem, & authoritatem divinam contempſimus; at petitione veniæ, ſubmiſſione, & humilitate contemptum illius honoris reparamus, uti notarunt Bellarm. *l.4. de pœnit. cap.1.* Suar. *diſp.37. in princ.* Con. *diſp.10. de pœnit. dub.1.* Fag. *de ſecundo Eccl. præcep. l.9. in princ.* Laym. *lib.5. ſum. t.6. c.15. num.1*

2. Pro peccatis mortalibus nemini à Chriſto Salvatore datum eſt poſſe ſatisfacere, quia, cum malitia peccati mortalis ſit infinita, eò quòd divinam majeſtatem infinitam offendat, noſtræque ſatisfactiones ſemper finitæ ſint, & limitatæ; nequeunt ſatisfactionem debitam attingere, ideóque opus fuit. Verbum divinum hominem fieri, ut ejus opera, utpote à perſona infinitæ dignitatis procedentia, dignam, & ſuperabundantem ſatisfactionem pro noſtris peccatis exhiberent.

3. Pro venialibus verò exiſtens in mortali ſatisfacere non poteſt: quia, ut D. Thom.3. *part. quæſt.87. artic.4.* omneſque ejus diſcipuli teſtantur, nullius peccati venialis remiſſio conceditur homini peccatori Dei hoſti, & inimico. At ſi à mortali receſſerit, Deóque gratus ſit ex Dei benignitate, & Chriſti meritis pro venialibus ad æqualitatem ſatisfacere poteſt.

4. Verùm, eſto de condigno nullus peccator, nec pro veniali, nec pro mortali ſatisfacere poteſt, de congruo tamen pro omnibus peccatis ſatisfacit, cùm eam ſatisfactionem exhibet, quam exhibere poteſt. Decebat namque Dei bonitatem, ne homines facilè labentes abſque remedio derelinqueret, ſed poſita Chriſti perfecta ſatisfactione ob illam contentus eſſet pro remiſſione culpæ, ea ſatisfactione, quam peccator divina gratia adiutus poſſet exhibere. Et in hac decentia meritum de congruo ſitum eſt.

5. Porrò remiſſa culpa & pœna æterna, culpæ debita, remittitur uti definivit Trident. *ſeſſ.5. c.14.* & manifeſtè colligitur ex illo ad Roman.8. *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu.* Remiſſa namque culpa, redditur peccator filius Dei, & hæres regni cœleſtis. Non igitur manere poteſt debitor æternæ pœnæ.

At eſto, pœna æterna ſimul cum culpa remittatur, plerumque pœna aliqua temporalis in hac vita luenda reſtat. Nam eſto benigniſſimus Deus poſſet ſimul cum remiſſione culpæ omnem pœnam prorſus remittere, ſicut facit in Sacramento Baptiſmi, & martyrio, non tamen decebat, ne, ut pulchrè inquit Chryſ. *homil. de pœnit. & confeſſ.* peccantes, & inviti manentes efficeremus deteriores. Quod optimè declarat, pluribuſque confirmat Trident. *ſeſſ.14. cap.8.* redditque rationem, ob quam conveniens fuit, totam pœnam in Baptiſmo remitti: ſecùs poſt Baptiſmum lapſis. Menſura hujus temporalis pœnæ, quæ luenda reſtat ex peccato remiſſo, ſoli Deo cognita eſt: ipſe enim pro qualitate delicti pœnam deſignat. Notanter dixi, remiſſa culpa pœnam aliquam reſtare luendam: ut tacite inſinuarem, aliquando cum remiſſione culpæ omnem pœnam remitti. Contritio namque quæ ad gratiam, & culpæ remiſſionem diſponit, quatenus gratia ipſa informatur, vim habet remittendi de condigno aliquam partem pœnæ temporalis deſignatæ. Ergo quò intenſior, & ferventior fuerit contritio, eo majoris partis remiſſionem obtinebit: poteſt ergo eſſe ita intenſa, ut omnem pœnam remittat, ſicuti contingit in Magdalena, aliiſque peccatoribus ferventiſſimo actu charitatis peccata deteſtantibus, ſicuti notavit Coninch. *diſp.2. de pœnit. dub.12. n.116. concl.4.*

6. Pro hac pœna temporali ſatisfacere nos de condigno poſſe oratione, jejunio, eleemoſyna, aliiſque piis operibus, catholica fides docet apud Trident. *ſeſſ.14. cap.8. & 9. can.13.* & pluribus Scripturæ & Patrum teſtimoniis, & rationibus exornant adverſus hæreticos noſtri temporis, Bellarm. *lib.4. de pœnit. c.5. & ſeq.* Suar. *diſp.37. ſect.1.* Valen. *Tom.4. diſp.37. q.14. part.2.* Coninch. *diſp.10. dub.5.* Laym. *lib.5. ſum. tract.6. cap.14. à n.2.* Etenim cùm non ſolùm peccatores, ſed juſti ad orationem, jejunium, eleemoſynam, aliáque pia opera excitentur, ut divinum judicium evitent, & peccata perſolvant, uti colligitur ex Job. *c ult.* David. *Pſal.6. 37. & 101.* Tobia *c.12.* Iſaïa *c.38.* Paulo 1. *Corinth.11. & alibi*, ſæpè manifeſtè infertur, remiſſa culpa pœnam reſtare luendam, pro qua piis operibus nos ſatisfacere poſſe. Adverto tamen cum Medin. *de pœnit. tract.2. q.4.* Suar. *diſp.37. ſect.9.* Con. *diſp.10. dub.5.* ſæpè benigniſſimum Deum aliquibus pœnis in hac vita peccata commiſſa punire: ſicuti contigit David ob adulterium, & populi numerationem in quarum pœnarum recompenſationem, nullam aliam ſatisfactionem admittit: quippe hæ pœnæ à Deo infliguntur, non tam ut juſtitiæ vindicativæ fiat ſatisfactio, quàm ut peccatores à peccatis committendis arceantur, Deo rigorem, & ſeveritatem ſuæ juſtitiæ oſtendente.

7. Ut igitur prædictæ pœnæ temporali fiat ſatisfactio, aliquæ conditiones requiruntur; tum ex parte operis in ſatisfactionem exhiberi, tum ex parte perſonæ ſatisfacientis, tum ex parte Dei, cui fit ſatisfactio.

Primò ex parte operis requiritur, ut ſit voluntarium, & liberum, vel per modum actus eliciti, quales ſunt orationes, jejunia, eleemoſynæ, reliquique virtutum actus, tam interiores quàm exteriores, quos exercere vis in Dei honorem, & peccatorum ſatisfactionem, vel per modum objecti voliti, ut contingit in flagellis, laboribus, & infirmitatibus à Deo immiſſis, quæ ſi voluntariè acceptes, ſatisfactionem ſufficientem pro peccatis præſtare poſſunt, ita ut ipſa ſatisfactio non ſolùm ex acceptatione, ſed ex ipſis flagellis liberè acceptatis conſurgat: aliàs non definiret Concilium *ſeſſ.14. cap.9.* flagellis temporalibus à Deo infligtis, & à nobis patienter toleratis apud Deum Patrem per Chriſtum Jeſum nos ſatisfacere poſſe; ſed ſolùm diceret, acceptatione flagellorum nos ſatisfacere: eaque de cauſa, quo graviora fuerint flagella à Deo inflicta, & patienter tolerata, eò abundantior eſt ſatisfactio. Ratio autem, quare ad ſatisfactionem libertas, ut dictum eſt, requiritur, ea eſt: quia peccator media ſatisfactione pœnis pro peccatis debitis facit ſatis. At cenſeri non debet peccator facere ſatis, niſi opus, per quod ſatisfacit, ab eo aliquo modo procedat. Deinde ſatisfactio eſt actus virtutis pœnitentiæ: quia eſt peccati deteſtatio, illiuſque punitio, & cum Deo reconciliatio. Ergo debet eſſe liber. Præterea quia à ſatispaſſione non aliter ſatisfactio diſtinguitur, niſi quia ſatisfactio ex libera voluntate ſatisfacientis procedit, ſecùs ſatispaſſio, quæ non ſpectat, an liberè ſatis patiens pœnas accepter; ſed an ex ſatispaſſione pœnæ ſufficienter vindicentur: ideoque ſatispaſſio ad juſtitiam vindicativam, ſatisfactio ad commutativam pertinet. Ex qua ratione colligitur cauſa, ob quam leviſſimæ pœnæ in hàc vita patienter toleratæ ſatisfaciunt pro gravi pœna in Purgatorio luenda: quia pœnæ in hac vita non in ſe ſpectantur, ſed quatenus ab homine Deo grato liberè exhibentur, vel acceptantur, ob quam acceptationem ex Dei gratia, & Chriſti meritis efficaciorem vim habent pro peccatis ſatisfaciendi, quàm pœnæ in Purgatorio ſuſceptæ: ubi ſola paſſio, & non libera patientium voluntas, & acceptatio, ac dignitas attenditur: uti ex communi ſententia notaverunt Coninch. *diſp.10. dub.4. n.25. & 34.* Laym. *l.5. ſum. tr.6.*

tract.6. c.15. n.4. Fagund. *de secund. Eccles. præcept. lib.9. c.2. n.1.*

8. Deinde opus satisfactorium, quatenus tale est, debet esse bonum: tendit namque ad peccati punitionem, & perfectam cum Deo reconciliationem, quæ absque bonitate morali consistere non possunt. Quapropter pœnæ, quas tyranni Martyribus infligebant, etsi quatenus à tyrannis procedebant, Deo displiceant, at quatenus à Martyribus tolerantur, & acceptantur in peccatorum punitionem, gratissimæ Deo sunt, & plenam pro peccatis exhibent satisfactionem. Coninch. *dicta disp.10. dub.4. n.27.* Fagund. *lib.9. de secundo Eccl. præcep. cap.2. n.1.* Non tamen est necessarium, ut ex formali intentione satisfaciendi procedat: satis enim est virtualis, qua quis in actu exercito se Deo submittit, ut perfectam cum Deo reconciliationem obtineat. Si enim ad meritum non requiritur expressa intentio merendi, sed sufficit virtualis in ipsomet opere meritorio inclusa; à fortiori ad satisfactionem ea sufficere debet: quippe nullus est, qui voluntatem non habeat obtinendi à Deo omnem effectum sibi utilem, suisque bonis operibus correspondentem, uti relato Suar. *disp.36. aliàs 37. sect.3. n.5.* dixit Fagundez, *lib.9. de pœnit. c.2. n.1.*

9. Præterea debet esse opus pœnosum, seu afflictivum, quod satis indicat Scriptura, consulens pœnitentiam, & peccatorum redemptionem jejunio, fletu, planctu, oratione, & eleemosyna aliisque virtutum actibus, qui esto, ab aliquo summa cum voluptate, & dulcedine exerceantur; quia tamen de se humanæ naturæ graves sunt, & molesti, apti sunt ad satisfaciendum. Etenim per peccatum propriæ voluntati contra divinam indulsisti: per satisfactionem ergo divinæ voluntati contra propriam te submittere debes. Hanc autem submissionem præstas quolibet virtutis actu. Ergo quilibet virtutis actus est satisfactorius. Atque ita docent Suar. *disp.37. sect.6. n.8.* Fag. *de 2. Eccl. præc. l.9. c.2. n.5. & 12.* Con. *d.10. dub.4. n.28. & 29.* Hinc inferunt communiter Doctores, quo magis opus laboriosum sit, eò majorem vim satisfaciendi habere. Sed hoc intelligendum est, cæteris paribus: sæpè namque contingit opus ex se minus laboriosum, quia in se perfectius est & Deo gratius majorem vim habere satisfaciendi, quàm aliud opus minus perfectum, etsi magis laboriosum sit: v. g. pauperi gravem necessitatem patienti largam eleemosynam tribuis summa cum facilitate; non est dubium te abundantius mereri, & satisfacere, quàm si unico die gravi cum difficultate jejunasses. Quòd si difficultas operis ex fervore spiritus superata sit, non obinde minuit satisfactionem, nec meritum, aliàs tepidi, & virtutibus exercendis difficiles abundantius mererentur, & satisfacerent, quàm spiritu ferventes, & in exercendis virtutum operibus omninò faciles: quod non est admittendum, ut rectè notavit Coninch. *disp.10. dub.4. num.30.*

10. Addunt aliqui, debere esse opus supererogationis, & non aliàs debitum: sed immeritò id postulant, cùm Concil. *sess.14. c.9.* satis indicet, per opera alias præcepta fieri satisfactionem posse. Nam, sicut præceptum non impedit meritum, neque satisfactionem impedire debet. Non enim opera virtutis in commodum Dei; sed in nostram utilitatem præcipiuntur. Ergo ex præcepto nec meritum, nec satisfactio illius diminuitur. Quodlibet namque opus, tametsi præceptum, meriti rationem habet: quia factum est à filio in obsequium munificentissimi patris, quem decebat filiorum obsequia se ipso præmiare. Habet tamen rationem satisfactionis quatenus per ipsum Deo, ejúsque voluntati se homo submittit, à qua se per peccatum subtraxerat. At hæc ex præcepto non impediuntur, quinimò præceptum augere videntur. Ergo ad satisfactionem non est necessarium esse opus supererogationis, sed potest esse opus aliàs præceptum. Atque ita docent Navarr. *cap.26. n.23.* Sotus *in 4. dist.19. q.2. art.1. circa finem.* Henriq. *lib.5. de pœnit. cap.19. n.5.* Suar. *disp.37. sect.4. n.3.* Fagund. *de secund. Eccles. præcep. lib.9. c.2. n.8.* Coninch. *disp.10. dub.10. dub.4. num.31.* Monent tamen communiter relati Doctores, quibus adhæret Sanch. *lib.1. sum. cap.14. n.6.* Bonac. *disp.5. de pœnit. q.5. sect.3. p.2. n.12. & infrà* latiùs dicemus; etsi Confessarius possit opus aliàs præceptum in pœnitentiam injungere, non tamen censeri injunctum, nisi id expressè explicet: docet enim ad opera aliàs indebita obligare in satisfactionem peccati confessi.

11. Secundò, ex parte satisfacientis conditio necessariò requisita est gratia. Nam, cùm satisfactio tendat in reconciliationem cum Deo perfectam, nequit non reconciliatio fieri. Præterea, stante culpa, non potes pro pœna illi debita obtinere remissionem: neque etiam eam remissionem obtinere potes pro pœnis ex aliis culpis remissis relictis: quia dignus non es, ut hæc tibi gratia conferatur. Ergo gratia necessariò ad satisfactionem est requisita. Atque ita indicat satis Trident. *sess.14. cap.8.* asserens satisfaciendo pro peccatis conformes fieri Christo Jesu, certissimamque arrham glorificationis habere, quæ peccatori nullatenus convenire possunt. Deinde asserit Concilium, nos satisfacere non posse, nisi per Christum & in Christo, quo vivimus, meremur, & satisfacimus. At nullus vivit in Christo, nisi qui ejus gratiam possidet: ergo nullus satisfacere potest, sicuti nec mereri, nisi qui gratiam habeat. Atque ita tanquam certum tradit D. Thom. *in 4. dist.14. art.3. c.2.* Bonav. *ibi, artic.1. quæst.3.* D. Anton. *3. p. tit.14. cap.10. §.2.* Cajet. *t.1. Opusc. tract.6. quæst.3.* Petr. de Soto *relect. ut de satisf.* Dom. Soto *in 4. dist.19. q.1. art.4.* quos refert Con. *disp.10. dub.4. concl.1. n.23. & 24.* advertit optimè, sæpè benignissimum Deum pœnitentiam peccatoris se humiliantis acceptare in satisfactionem pœnæ temporalis in hac vita, quam infligere decreverat; uti contigit scelestissimo Acha, *3. Reg.21.* & colligitur ex Jerem. *c.18.*

12. Præterea ex parte satisfacientis requiritur, quòd sit viator: etenim satisfactio simul cum merito conjungitur, ut patet *ex supradicto loco* Concilii, ibi: *In quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus.* At meritum finita hac vita non est: ergo nec satisfactio. Aliàs animæ in Purgatorio existentes, cum Deum ardentissima charitate prosequuntur, brevissimo tempore pro peccatis satisfacere possent, ut notavit Coninch. *disp.10. dub.4. n.24.*

13. Addunt aliqui, requiri, ut satisfactio ab eodem debitore procedat: est enim obligatio ad pœnam solvendam debitum personale, quod non videtur posse per alium satisfieri. Propria namque actione divinam authoritatem, & honorem læsisti ab ejus voluntate subrahendo. Non ergo aliena actione hanc divinæ authoritatis læsionem reparare potes; sed necessario propria submissio, & humiliatio requiritur. Præterea, nemo pro alio mereri, nec demereri potest: ergo neque pro alio satisfacere. Item, non potest satisfacere pro culpa: ergo nec pro pœna. Et fortè ob hanc causam dixit Paul. ad Galat.6. *Unusquisque onus suum portabit* & 2. ad Corinth.3. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.*

Cæterùm hæc sententia nullatenus admittenda est; sed omninò affirmandum, unum pro alio satisfacere posse. Sic, tanquam certum, docuit Suar. *disp.48. sect.2. n.4.* Henriq. *lib.5. c.19. n.6.* Bellarm. *lib.2. de Indulgent. cap.2.* Ægid. de Coninch. *disp.10. dub.7.* Fag. *l.9. c.2. n.10.* & declaravit Catechismus Pii V. *de Sacr. Pœnit. n.81.* ibi: *In hoc summa Dei bonitas, & clementia maximis laudibus prædicanda est, qui humana*

imbecillitati hoc condonavit, ut unus posſit pro alio ſatisfacere. Et paulò infrà addit: *Qui divina gratia præditi ſunt, alterius nomine poſſunt, quod Deo debetur, perſolvere: quare fit, ut quodam pacto alter alterius onera portare videatur.* Et tamen concludit: *Nec verè de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus, qui in Apoſtolorum Symbolo, Sanctorum communionem profitemur.* Ratio hujus ſententiæ eſt, quia Deus pro ſua bonitate, & clementia acceptare poteſt opera à juſto facta in ſatisfactionem pœnæ, quam alter pro peccatis debet, ac ſi illud opus à debitore factum eſſet. At, poſita ea acceptione, nemini eſt dubium, obligationem ſatisfaciendi nullam debitori ſupereſſe: ergo poteſt unus pro alio ſatisfacere. Quòd autem bona opera unius juſti oblata in ſatisfactionem pœnæ ab alio debitæ à Deo acceptentur, probat communis uſus fidelium, qui continuò excitantur ad prædictas ſatisfactiones applicandas, maximè pro iis qui in Purgatorio exiſtunt.

14. Hanc ſententiam limitat Medin. *de poenit. tr.3. quæſt.2 & 3.* & probabile reputat Coninch. *diſp.10. dub.7. in fin.* ne procedat ſemper, & infallibiliter; ſed quando divinæ bonitati placitum fuerit, prædictam ſatisfactionem unius pro alio acceptare: quia nullibi habetur, ob ſatisfactionem ab altero exhibitam, pœnam, quam quis debet, remittit, ſicuti habetur ob ſatisfactionem propriam. Neque expediens videtur, eam acceptationem infallibilem eſſe; tum, ne debitores negligentes fiant in ſatisfactione propria exhibenda, ſperantes, amicos pro illis ſatisfacturos; tum, ne ſubmiſſionem, & humilitatem divinæ authoritati debitam omittant. Sed diſplicet prorſus hæc limitatio, utpote contraria communi ſenſui fidelium, exiſtimant, unius ſatisfactionem pro altero oblatam ei abſolutè deſervire: quod verum non eſſet, ſi non ſtaret promiſſio divina eam infallibiliter acceptandi. Illud verò inconveniens de negligentia ſatisfaciendi, per accidens eſt, & abundè compenſatur actu charitatis, quem unus fidelium cum altero exercet, proprias ſatisfactiones ei applicando.

15. Fundamentum verò illorum, qui aſſerebant, neminem pro alio ſatisfacere poſſe, facilè diluitur. Fateor namque, actione propria ſatisfactionem exhibendam fore, idque expedire: at ex benignitate Dei aliena ſubmiſſio, & humiliatio alteri applicata à Deo acceptatur, ac ſi ab eo eſſet exhibita. Ad confirmationem dico, neminem pro alio mereri: quia eſto, id fieri poſſit, non fuit expediens, eò quòd meritum præmium ſit virtutis, quæ propriis actibus acquiri debet. Ad ſecundam confirmationem cõcedo, pro culpa unius neminem à Chriſto ſatisfacere poſſe: quia ſi de ſatisfactione quoad ſufficientiam loquamur, neceſſarium non eſt alium à Chriſto ſatisfacere, cùm Chrinus pleniſſime ſatisfecerit, præterquam quod ea ſatisfactio ad æqualitatem ſit impoſſibilis. Si verò ſermo ſi de ſatisfactione quoad efficaciam, nullatenus decuit ex alienis actibus fieri: cùm enim peccator propria voluntate maculatus fuerit, propria etiam voluntate purgari à macula debuit. Secùs autem eſt de obligatione ad pœnam, quæ ex benignitate Dei ob quamlibet, ſatisfactionem remitti convenienter poteſt.

16. Tertiò ex parte Dei requiritur, promiſſio acceptandi noſtra bona opera in ſatisfactionem pœnæ pro peccatis debitæ. Etenim, cùm cuilibet peccato poſt remiſſam culpam, & pœnam deſignetur à Deo aliqua temporalis pœna in Purgatorio luenda, quæ quantumcunque minima ſit, excedit omnem pœnam, quæ in hac vita ſuſtineri poteſt, pœnis hujus vitæ compenſari nequit: tum, quia ſunt pœnæ diverſæ, & longè leviores, tum quia non tenetur Deus eas in recompenſationem acceptare, cùm liberum illi ſit peccatorem pœna à ſe deſignata punire, neque aliam loco illius admittere. Ut ergo loco pœnæ deſignatæ obligatus ſit noſtra bona opera in ſatisfactionem admittere, neceſſaria fuit illius divina promiſſio, ut pulchrè docuit Medin. *tr. de pœnit. q.5.* Snar pluribus relatis, *diſp.37. ſect.7. à num.2.* Fagund. *de Eccleſ. præcep. lib.9. cap.2. n.15.* Coninch. *diſp.10. concl3. n.33.* & colligitur ex Trid. *ſſ.14. cap.8.* aſſerentes nos in Chriſto vivere, mereri, & ſatisfacere, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, hoc eſt, ex ejus meritis, & promiſſione, ob quæ à Patre acceptantur.

§. II.

De ſatisfactione ſacramentali, & obligatione Sacerdotis illam imponendi.

1. *Quæ ſit ſatisfactio ſacramentalis, & quem effectum habeat?*
2. *Debes eſſe in gratia, ut obtineas effectum.*
3. *Secluſo mortali habet effectum.*
4. *Satisfactio habet vim impetrandi gratias pervenientes.*
5. *Non habet gratiæ augmentum.*
6. *Plerumque obligatur Sacerdos ſub gravi culpa hanc ſatisfactionem imponere.*
7. *Quando excuſatur ab imponenda ſatisfactione. Et primò de articulo mortis.*
8. *Secundò, ſi credatur pœnitens plenè per contritionem ſatisfeciſſe.*
9. *Tertiò, qualiter tempore Jubilei.*
10. *Quid ſi intra horum ſæpius confiteatur.*
11. *Quid, ſi pœnitens credatur nullam admiſſurus.*

1. EXecutio operis à Confeſſario in pœnitentiam peccati confeſſi injuncta eſt ſatisfactio ſacramentalis, quæ etſi per ſe ſpectata vim habeat remittendi pœnas peccatis debitas, quia ut ſuppono, eſt opus virtutis ab homine grato effectum: at, ut à Confeſſario imponitur, tanquam pars complens & integrans Pœnitentiæ Sacramentum, uti docuit Concilium Florentinum *in decreto Eugenii*, & Concilium Tridentinum *ſeſſ.14. capit.3.* efficaciorem vim obtinet ex Chriſti inſtitutione. Hæc major efficacia non provenit, ut placuit Dominico Soto *in 4. diſt.14. qu.1. art.5. §. Nihilominus.* ex eo, quòd pœnitens, pœnitentiam injunctam exequens, pœnitentiæ actum eliciat; aliàs tota illius efficacia ex opere operantis procederet, & ſecluſo Sacramento conſiſtere poſſet: ſed ex eo, quòd ſit pars integrans, & complens ſacramentum præteritum: ac proinde ſicut ſacramentum confert ſuos effectus ex opere operato rectè diſpoſitis; ſic executio operis à Confeſſario injuncti, quæ pars eſt Sacramenti, confert ſuum effectum obicem non ponenti: effectus autem hujus ſatisfactionis ſacramentalis eſt remiſſio pœnæ pro peccatis debitæ. Ergo hanc remiſſionem ex opere operato confert. Et ita ex communi ſententia tradit Suarez *diſput.38. ſection.2.* Vivald. *de ſatisfaction. num.13.* Henriq. *lib.5. cap.20. num.7.* Coninch. *diſp.10. dub.10. concluſ.1. & 2.* Fagund. *de ſecundo Eccleſ. præcep. lib.9. capit.3. num.2.* Quanta auem remiſſio ex opere operato concedatur, ſoli Deo cognitum eſt. Verius eſt, majorem remiſſionem concedi ferventius, & devotiùs ſatisfactionem exequenti. Decet enim, Deum liberaliorem ſe oſtendere iis, qui ei diligentiùs obſequuntur. Stante verò æqualitate ſatisfactionis nunquam abundantior remiſſio uni potiùs, quàm alteri conceditur: quia perſonarum acceptor non eſt: & notavit Coninch. *diſput.10. dub.10. numer.93. concluſion.3.*

2. Notanter dixi, conferri hanc pœnæ remiſſionem, *non ponenti obicem:* nam, ſi tempore quo, pœniten

nitentiam exequeris, in statu peccati mortalis existas, impedis illius effectum: quia dum es in peccato, non vivis in Christo, & consequenter neque in illo satisfacis. Quod à Trid. *sess.14. capit.8.* requisitum est. Deinde, quia remissio pœnæ temporalis est effectus supernaturalis, præparans hominem ad gloriam: qui autem est in mortali, omninò est ad gloriam improportionatus. Non igitur ei pœna debet remitti. Atque ita docet ex communi sententia Suarez *disp.38. sect.3. num.3.* Coninch. *disp.10. dub.11. n.96.* Henriq. *lib.5. cap.8. & 5. & cap.20. n.7.* Bonac. *disp.5. de pœnit. q.5. p.4. n.16.* adversus Vasq. *q.94. art.2 dub.5.* Zerol. *in praxi fol.371.* Ruiz *controv.9.* Med & alios ab Henriq. & Vasq. relato: propterea quòd hæc satisfactio, non ex dignitate operantis, sed ex meritis Christi proveniat. Verùm esto ex meritis Christi proveniat: favor est satisfacienti factus quem non decet fieri inimico.

3. Secluso autem mortali peccato effectus satisfactionis non impeditur, tametsi satisfactio veniali culpa vitietur, ut bene notavit Coninch. *disput.10. dub.10. num.88.* Henriq. *lib.5. cap.20. num.7.* Bonac. *disp.5. de poenit. quæst.5, sect.3. p.4. num.16.* Layman. *lib.5. sum. tract.6. cap.15. q.3. concl.3.* quippe ea satisfactio non ut est tuum opus, & ut à te procedit; sed, ut est sacramenti pars, & quasi Christi opus, effectum habet: sicuti habet effectum gratiæ sacramentum cum peccato veniali susceptum, tametsi contrarium sentiat Vasquez *de poenit. quæst.94. artic.2. dub.5. numer.14.* eò quòd satisfactio nullam aliam bonitatem moralem habeat, nisi eam, quam suscipit ab operante: aliàs si ob finem mortaliter peccaminosum satisfactio fieret, effectu non careret, sicuti non caret effectu Baptismus, vel Confirmatio in peccato mortali susceptus. Sed respondetur, opus satisfactorium ex pravo fine factum, solùm extrinsecè, & quatenus ab operante procedit, vitiari, eáque de causa nullam bonitatem moralem liberam obtinet, at quia in se, & physicè est opus gratum Deo, & à Christo assumptum in sacramenti partem, ea de causa remissionem pœnarum obtinere potest ex Dei gratia, & Christi meritis. Si autem ex pravo fine morali fieret, eo tempore effectum remissionis habere non potest, sicuti nec susceptio Baptismi, alteriúsque sacramenti: quia à peccato mortali impeditur.

An verò prædictum opus, recedente peccato mortali, habeat suum effectum, incertum est. Validè pium & probabile est, effectum habere: siquidem, ut probabilius defendimus, recedente fictione, sacramentum pœnitentiæ suum conferre effectum. Ergo idem est huic parti concedendum. Atque ita docent Henriq. *lib.5. cap.20. num.7.* Vivald. *de satisfact. n.12. in fine.* Suar. *disp.38. sect.*. Coninch. *disp.10. dub.11.* Bon. *disp.*. *de pœnit. q.*. *sect.3. part.4. n.17.* Et videtur apertè decidi in *cap. Quæret aliquis. de poenit. dist.3. in fine*, ibi: *Satisfactionis fructum non percipit impeditus peccato, quod non deseritur: percipitur autem, cùm ejus poenitentia fuerit subsecuta: sicut ad lavacrum fictè accedens, regenerationis Sacramentum accepit; non tamen in Christo renascitur: renascitur autem virtute Sacramenti, quod perceperat, cùm fictio illa de corde ejus recesserit veraci poenitentia.*

4. Præter hanc remissionem pœnæ temporalis, concedenda est satisfactioni quædam vis impetrandi gratias prævenientes, & auxilia divina, prout divinæ bonitati placitum fuerit, qui peccata in futurum pœnitens caveat. Etenim, cùm hæc satisfactio, ut ex Trid. *sess.14. c.8.* constat, instituta sit, non solùm ad punienda peccata præterita, & pœnas pro illis debitas recompensandas; sed, ut cautiores, & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiat, & à peccatis committendis revocet; necessariò illi concedenda est hæc vis impetrandi gratias prævenientes, utpote necessarias ad peccatorum fugam. Atque ita tradit Suar. *disp.38. sect.2. num.3.* Coninch. *disp.10. dub.10. n.92.*

5. Addunt aliqui huic satisfactioni, gratiæ habitualis augmentum, tanquam effectum ex opere operato: sed immeritò, tum, quia ipsa neque est sacramentum, neque pars essentialis illius; sed solùm pars integralis perficiens sacramentum factum: neque est instituta ad reconciliandum pœnitentem cum Deo aliàs attritum existentem in mortali reconciliaret, quod est absurdum: sed solùm est instituta ad remissionem pœnæ pro peccatis debitæ, & ad faciliùs peccata in futurum cavenda ad quos effectus gratia habitualis non deservit; ut benè D.Thom. *in 4. dist.16. quæst.1. art.1. qq 2. ad 3.* notavit Coninch. *disp.10. de pœnit. dub.10. num.94.*

6. Hanc satisfactionem plerumque obligatur Sacerdos sub gravi culpa pœnitenti imponere, ut satis indicat Trident. *sess.14. c.8. verf. Debent ergo Sacerdotes*, & tradit communis sententia Suar. *disp.38. sect.3. num.1.* Henriq. *lib.5. sum. cap.20. num.9.* Coninch. *disp.10. dub.8. concl.1.* Fagund. *lib.9. de poenit. cap.3. num.8.* Layman. *lib.5. sum. tract.6. cap.15. quæst.1.* Tum, ut æquitatem judicii servet, debitam pro peccatis pœnam exigendo: tum, ut pœnitentem coërceat, ne iterum in peccata labatur: tum ne sacramentum imperfectum relinquat. Ob quam ultimam rationem credo, sacerdotem obligatum esse sub gravi culpa pœnitentiam injungere; cùm commodè potest; tametsi confessio sit de solis venialibus, vel de mortalibus jam confessis: nam Sacerdoti incumbit, ne mutilum, & imperfectum Sacramentum relinquat, quod necessariò fit nulla pœnitentia imposita. Quapropter, etsi pœnitentia imponenda levis sit; non est tamen levis illius omissio, sicuti notavit Joan. Sanch. *disp.15. select. disp. n.14. & 17.* adversùs alios oppositum docentes.

7. Dixi, *plerumque*: quia aliquando licèt hoc sacramentum ministrare, nulla satisfactione injuncta. Cùm enim hoc Sacramentum necessarium sit, & perfici essentialiter possit absque satisfactione, non debet ob illius impossibilitatem omitti. Igitur omitti satisfactio potest, si pœnitens ita sit in extremis, ut nec minimam exequi valeat: quia obligatio imponendi pœnitenti satisfactionem, est, cùm pœnitens capax est illam exequendi, uti ex communi sententia tradit Cajet. *tom.*. *Opusc. quæst.2. art.2.* Navarr. *cap.26. n.20.* Suarez *disp.38. sect.3. num.4.* Coninch. *disp.10. de poenit. dub.8. num.63.* Fagund. *de secundo Eccl. præcept. lib.8. cap.3. num.9.* Rarò tamen hæc impotentia contingit: nam, si pœnitens non est sensibus destitutus, credo, Sacerdotem obligatum esse illi pœnitentiam imponere, etsi leviſſimam, nempe, invocationem nominis Jesu ore, vel corde; voluntariam oblationem infirmitatis, & dolorum, aliúmve similem pium motum. Quod si peccata ampliorem satisfactionem expostulent, & credatur infirmus victurus, imponenda est sub obligatione, si convaluerit, exequenda, ut docuit Theod. Cantuarienſ. *in cap.1. 26. q.7.* ibi: *Si divinitus ereptus convaluerit, pœnitentiæ modum à Sacerdote sibi impositum diligenter observet.* & tradit Fagund. *d.l.9. cap.3. num.9.* Layman. *lib.5. sum. tract.6. c.15. q.2. circa fin.*

8. Secundò, excusatur sacerdos à pœnitentiæ impositione, si probabiliter existimet, pœnitentem, ob vehementem contritionem, vel ob aliam gravem pœnitentiam assumptum plenè peccatis satisfeciſſe. Nam, stante hac opinione æquitas judicii postulat, ut reus absolvatur absque obligatione solvendi, cùm nihil solvendum habeat. Sic Suar. Coninch. Fagund. *loc. allg.* Sed hic casus moraliter est impossibilis, cùm absque divina revelatione constare Sacerdotem non possit, pœnitentem plenè pro peccato satisfeciſſe, ut benè advertit Coninch. *d. dub.8. num.63.* Præterea

deberet constare, non indigere pœnitentia in remedium, & medecinam peccatorum præservativam, quod vix est possibile.

9. Tertiò, ad idem est, si tempore Jubilei confessio fiat: nam, cùm per Jubileum plena peccatorum concedatur remissio, superfluit quælibet alia satisfactio. Verùm, quia sæpè accidit pœnitentes intentione lucrandi Jubileum confessionem fecisse, postmodum verò, vel mutare voluntatem, vel ab eo lucrando impediri, nullatenus Sacerdos satisfaceret, si hac intentione contenus esset; sed necessariò debet ad executionem illius intentionis obligare pœnitentes, eísque diligentias pro lucrando Jubileo in pœnitentiam injungere, sicuti docuit Vasq. *q.* 94. *art.* 2. *dub.* 3. Ipsis verò obligatis Jubileum lucrari, non tenetur Sacerdos aliam pœnitentiam in satisfactionem injungere ob rationem dictam: quia Jubileum est plena peccatorum remissio: & tradit aliis relatis Eman. Saà *verbo Satisfactio*, *n.* 2. Tolet. *lib.* 6. *cap.* 23. *n.* 10. & pluribus exornat Suar. *disp.* 38. *sect.* 10. *n.* 10. Benè tamen potest, & plerumque tenetur, aliquam satisfactionem ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum eis injungere: nam, cùm sacerdos non solum sit judex, sed Medicus, qui pœnitentes mederi debet, & per obtentionem Jubilei non censeantur regulariter satis curati, tenetur eas pœnitentias injungere, quæ huic fini visæ sibi fuerint convenientes. Quapropter rectè inquit Suar. *disp.* 38. *sect.* 10. *n.* 10. his temporibus pœnitentes ab executione pœnitentiæ à Confessario injunctæ rarò, vel nunquam excusari ob Jubileum, vel plenariam Indulgentiam: quia plerunque imponuntur levissimæ pœnitentiæ, & quæ vix sufficiunt per modum medicinæ.

10. Quartò, credunt Fagund. *de secundo Eccl. præcep. lib.* 9. *cap.* 3. *num.* 9. & Bonac. *disp.* 5. *de pœnit. quæst.* 5. *sect.* 3. *part.* 2. *num.* 3 excusari Sacerdotem ab impositione pœnitentiæ, si sæpius intra horam pœnitentiæ sacramentum scrupuloso ministret. Moveri possunt: quia pœnitentia in prima confessione imposita censeri debet pro aliis imposita esse. Sed hoc ad summum verum esse potest, casu, quo scrupulosus eadem peccata, à quibus in prima confessione absolutus fuit, iterum clavibus Ecclesiæ subjiceret: quia satisfactionis prioris impositio visa fuit sufficiens pro illorum peccatorum remissione obtinenda. Cæterum, neque cum hac limitatione hanc excusationem admitto, ne consequenter dicamus: Sacerdotem excusatum esse à pœnitentia injungenda, quoties pœnitens de peccatis ritè confessis confessionem instituit. Ratio autem hujus obligationis ea est: quia Sacerdoti nunquam constat Pœnitentiam injunctam sufficientem esse ad plenam pœnæ debitæ remissionem: quinimò plerumque præsumere potest, insufficientem esse: quippe sæpè insufficiens imponitur, & longè levior, quàm peccata exigunt, ob majorem pœnitentis fructum, ne à Sacramento Pœnitentiæ arceatur, néve de pœnitentia injuncta horrorem concipiat. Quod verò Bonac. inquit, posse eandem pœnitentiam priori confessione impositam denuò imponi, mihi displicet: quia esto opus aliàs præceptum in pœnitentiam injungi possit, non tamen præceptum eodem titulo.

11. Quintò addunt aliqui, quo minùs benè refert Henriq. *lib.* 5. *sum. c.* 20. *n.* 6. *in comment. litt. Z.* Sacerdotem obligatione imponendi pœnitentiam excusatum esse, si credat, pœnitentem nullam esse admissurum, vel executurum. Nam, cùm impositio pœnitentiæ in bonum pœnitentis referatur ea impositio potius in illius detrimentum, quàm commodum cedit. Item, finis ob quem pœnitentia imponitur, est, ut prænitens illius executione pro peccatis satisfaciat. Si ergo illam executurus non est, quinimò admissurus, finis impositionis cessat, ac proinde & Confessarii obligatio. Sed hanc excusationem nullatenus censeo admittendam, sicuti neque eam admittit Regin. *lib.* 7. *n.* 12. Bonac. *disp.* 5. *de pœnit. quæst.* 5. *sect. v.* 2. *num.* 5. Fagund. *lib.* 9. *de pœnit. c.* 3. *num.* 10. Nam esto, plures DD. non infimæ notæ, quos *infrà* referemus, sentiant, pœnitentem obligatum non esse pœnitentiam injunctam acceptare, vel acceptatam implere: at sacerdotem non audent à pœnitentia injungenda excusare; tum ne videatur peccatis prænitentis connivere ea impunita relinquens: tum, ne sit occasio prænitenti peccata temnendi, & in graviora incidendi, utpote qui se sentit fræno pœnitentiæ destitutum: tum, ne Sacramentum Pœnitentiæ truncatè, & imperfectè ministret, nullam pœnitentiam, partem illius integralem assignando. Qui fines non cessant tametsi pœnitens pœnitentiam non acceptet, neque impleat.

§. III.

Quæ, qualiter, & quanta satisfactio imponenda sit.

1. *Opus bonum pœnosum, & aliquando ex præcepto debitum imponi potest.*
2. *Non est necessarium, ut sit opus externum.*
3. *Quid de suffragiis pro animabus Purgatorii.*
4. *Debet esse opus præstandum ab ipsomet pœnitente.*
5. *Qualiter opus publicum in pœnitentiam injungi possit.*
6. *Potest cogi pœnitens ad confessionis frequentiam.*
7. *Quid de reliquis Sacramentis dicendum sit.*
8. *Quantum pœnitentiæ arbitrio prudentis Confessarii relinquitur.*
9. *Peccat graviter Confessarius, si absque causa levissimam pœnitentiam pro gravibus peccatis injungat.*
10. *Stante causa licitum est.*
11. *Pœnitens monendus est, poenitentiam non esse delicto commensuratam.*
12. *Plerumque sub præcepto poenitentia imponenda est.*
13. *Sub consilio verius est, imponi sacramentaliter non posse.*
14. *Gravis poenitentia imponi non potest sub levi obligatione.*
15. *Sub conditione verius est imponi non posse: quidquid alii contrarium sentiant.*
16. *Regulariter ante absolutionem est satisfactio imponenda.*

1. CErtum est, opus in satisfactionem injungendum debere esse bonum moraliter, & de se gratum: siquidem in satisfactionem peccatorum, & perfectam cum Deo reconciliationem assumitur. Debet item esse pœnosum, & naturæ humanæ afflictivum: quam conditionem habent omnia opera bona post naturæ lapsum, ut aliis relatis probant Valent. *t.* 4. *disp.* 7. *q.* 14. *punct.* 3. Pitigian. 2. *p. dist.* 15. *quæst.* 1. *art.* 3. *concl.* 1. Non requiritur necessariò esse opus supererogationis; sed potest esse opus aliàs præceptum: nam ex eo, quòd præceptum sit, non impedit, quin in partem sacramenti, & peccati satisfactionem assumatur, & novo titulo pœnitens ad illius executionem obligetur. Quinimo aliquando expedit ita fieri, saltem ex parte, si pœnitens creditur illius pœnitentiæ impositione ad præceptorum observationem fore excitandum; cùm tamen antea tepidus, & remissus extiterit. Frequenter autem opera non præcepta, sed supererogarionis imponenda sunt: quia operibus aliàs præceptis vix censeri potest pœnitens gravari, cùm jam gravatus sit, ac proinde rationem punitionis diminutè habent. Quocirca, quoties confessarius opus in pœnitentiam injungit, semper intelligendus est injungere opus non debitum, nisi

contra

contrarium communi consuetudine expressum intelligatur, sicuti intelligitur in eleemosyna, quæ si detur extremè indigenti, sit ea satis: quia est casus extraordinarius, qui non censetur exceptus: & sicuti si præciperet, diebus festis duplicem Missam audire, censendus est Missam ex præcepto, & aliam tantùm supererogationis præcipere. Si præcipit singulis diebus Missam audire, creditur Missa diei festi contingentis contentus esse, ne nimium pœnitentem gravet. Secus esset, si diceret, ut singulis hebdomadis Missam audiret, censendus esset velle obligare ad Missam aliàs non debitam ex præcepto, vel voto. Quando autem pensatis circunstantiis dubium est, consulendus est confessarius, si potest, sin minùs prudentis arbitrio res decidenda. Quæ omnia docent communiter Doctores, ut videre est in Suar. *disp.* 38. *sect.* 6. Henriq. *l.* 5. *cap.* 21. Coninch. *disp.* 10. *dub.* 8. *n.* 68. *& seqq.* Laym. *l.* 5. *sum. tract.* 6. *cap.* 15. *q.* 2. Bonac. *disp.* 5. *de pœnit. q.* 5. *sect.* 3. *p.* 2. *n.* 11. Thom. Sanch. *l.* 1. *sum. c.* 14. *à n.* 5. Fagund. *de* 2. *Eccl. præc. l.* 9. *c.* 5. *n.* 8. & aliis.

2. Tametsi opus in pœnitentiam injungendum debere necessariò externum esse docuerit aliis relatis Joann. Sanchez *in select disp.* 16. *num.* 1. propterea quòd pars Sacramenti sit, quæ visibilis debet esse, sicut, & sacramentum: & quia imponitur per modum præcepti humani, quod in actum interiorem directè cadere non potest: attamen praxis Ecclesiæ, & communis sententia docet, actus interiores, verbi gratia, aliquam piam meditationem, de Dei præsentia, de judicio futuro, de morte imminente, de peccatorum fœditate, & gravitate aliquemque contritionis actum, & similia injungi posse. Nam esto, per se sensibilia non sint, sunt tamen sensibilia, quatenus à Confessario injunguntur, & à pœnitente acceptantur: quod sufficit, ut pars sacramenti esse possint, sicuti est contritio, quæ per confessionem manifestatur, & Corpus Christi in Eucharistia, quæ mediis speciebus consecratis sensibilis redditur. Et licèt hæ injungantur ad modum humani præcepti: quia tamen non injunguntur absolutè, sed ex pœnitentis consensu, & acceptatione, ea de causa, etsi interiora sunt, & invisibilia, sub præceptum cadere possunt: sicuti docuerunt Suarez *disp.* 38. *section.* 6. *num.* 2. Reginald. *tom.* 1. *l.* 6. *num.* 22. Basil. Ponc. *lib.* 1. *de matrim. c.* 7. *num.* 4. Coninch. *disp.* 19. *dub.* 8. *num* 67. *concl.* 4 Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 6. *cap.* 15. *quæst.* 2. Bonac. *disp.* 5. *de pœnit. quæst.* 5. *sect.* 3. *punct.* 2. *n.* 10. Fagund. *de secundo Ecclesiæ præcepto, lib.* 9. *cap.* 5. *n.* 5. & alii. Quinimo, etsi frequenter opus externum in pœnitentiam injungatur, quia faciliùs & certiùs, præsertim à rudibus impleri potest, aliquando tamen expedit supradictam meditationem, & considerationem injungi, utpote efficaciſſimam ad vitæ anteactæ emendationem, ut benè notarunt Suarez Coninch. Layman. *loc. alleg.*

3. Quòd verò prædictus Joan. Sanch. subjungit *dicta disp.* 16. *n.* 1. non posse, inquam, confessarium pœnitenti imponere in pœnitentiam peccatorum, ut aliquas orationes pro animabus purgatorii recitet: eò quòd sacramentum in satisfactionem alieni peccati, sed proprii institutum sit, mihi displicet. Concedo namque sacramentum Pœnitentiæ ad delenda peccata pœnitenti, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam institutum esse: sed inde non infertur, orationes pro animabus Purgatorii applicandas effectum in pœnitente habituras non esse: habent quidem effectum ex opere operato, & virtute sacramenti, qui à pœnitente animabus Purgatorii communicari non potest, tametsi illius communicet effectum, seu satisfactionem, illis orationibus correspondentem, quatenus ab ipso procedunt: qui effectus est omnino distinctus, & separabilis ab effectu & satisfactione, quem illæ orationes habent, quatenus à Confessario sunt injunctæ, & pars sacramenti Pœnitentiæ constitutæ.

4. Rursus debet esse opus ab ipsomet pœnitente præstandum, quicquid in contrarium sentiant Fagund. *lib.* 9. *de secundo Eccles. præcept. cap.* 4. *num.* 12. & Suar. *disp.* 38. *sect.* 9. *num.* 4. Nam esto, unus pro alio satisfacere possit; illius tamen satisfactio pars sacramenti Pœnitentiæ esse non potest: & consequenter neque ex opere operato effectum habere. Quippe satisfactio sacramentalis necessariò imponenda est à confessario ex potestate quam habet, ligandi, ac solvendi in sacramento pœnitentiæ. At confessarius non alium, præter pœnitentem ligare ac solvere potest, neque alterius delicta vindicare. Ergo nemini alteri potest satisfactionem sacramentalem imponere. Præterea Florent. & Trident, declarantur, materiam sacramenti pœnitentiæ esse actus pœnitentis, scilicet, contritionem, confessionem & satisfactionem. Ergo satisfactio, quæ non est à pœnitente facta, pars materialis Sacramenti esse non potest. Quocirca, cùm alicui imponitur in pœnitentiam, ut ipse vel alius nomine ipsius peregrinationem suscipiat, orationes fundat; non aliena oratio, & peregrinatio in pœnitentiam injungitur, sed illius diligens procuratio, quæ non absque labore & difficultate fit uti bene notarunt Layman. *l.* 5. *sum. tract.* 6 *c* 15. *q* 2. *n.* 10. *in fin.* Vasq. *de pœnit q.* 94 *art.* 2. *dub.* 1. *n.* 11. *Henriq. l.* 5. *cap.* 20. *n.* 7. Coninch. *disp.* 10. *de pœnit. dub.* 8. *n.* 66. & plures referens Bonac. *disp.* 5. *de pœnit. quæst.* 5. *p.* 4. *num.* 14. Illud verò est omnino certum, quodque etiam admittit Suar. si pœnitens specialiter indigeat satisfactione in medelam, & præservationem peccatorum, nullo modo posse per alium impleri quia medicina ab altero sumpta, v. g. jejunium, te mederi non potest.

5. Sed, an opus injunctum debeat esse secretum, an possit esse publicum, non consentiunt DD. Et quidem, si peccata secreta sint, omnes conveniunt injustissimè cogi pœnitentem ad pœnitentiam publicam: cogeretur enim ad ea manifestanda. Si autem peccata publica sint, & scandalosa, adhuc Navar. *in cap. Sacerdos de pœnit. dist.* 6. *num.* 86. *& in sum. cap* 6. *num.* 10. Eman. Saà, *verbo Satisfactio num.* 12. Reginald. *lib.* 7. *num.* 32. Vega 3. *p. casu.* 1. *vers. Infertur præterea.* & alii negant, posse eam pœnitentiam injungi; quia esset delictorum manifestatio, & sigilli violatio: nam esto, illa peccata aliis nota sint, novo titulo agnoscuntur ob pœnitentiam, & certiora redduntur. Cæterùm, sæpe ob peccata publicè commissa expedire, & aliquando etiam necessarium esse pœnitentem cogere ad pœnitentiam publicam exhibendam, ut sic scandalo satisfaciat, communis est sententia, teste Suarez *disput.* 37. *sect.* 6. *num.* 3. Vasq. *quæst.* 94. *art.* 2. *dub.* 2. Coninch. *disp.* 10. *dub.* 8. *num.* 74. *concluſ.* 6. Henriq. *lib.* 5. *capit.* 21. Bonac. *disput.* 5. *de pœnitent. quæst.* 5. *sect.* 3. *p.* 2. *num.* 14. & videtur decisum in *cap.* 1. *de pœnit. & remissionib.* & à Trident. *sess.* 24. *cap.* 8. *de reformat.* quæ noa solùm de foro judiciali, sed pœnitentiali, & sacramentali loqui optimè expendit Vasq. *loco alleg.* Ratio est manifesta: quia confessario competit peccata punire, eaque mederi ea punitione, & medicina quæ necessaria est: at sæpè convenit, sæpeque necessarium est peccata publica, & scandalosa publicè punire, & satisfactione publica mederi. Ergo confessarius ad sic puniendum, & medendum potestatem habet. Neque inde fit, sigillum violari: quia hæc obligatio ex consensu pœnitentis imponitur, aliàs non absolvendus: sicuti injurianti onus imponitur postulandi veniam ab offenso, absque ulla sigilli violatione.

Quòd si objicias: Ergo pœnitens, cujus peccatum cedit in commune reipublicæ detrimentum, nisi manifestatur, cogi poterit, ut in illius manifestationem consentiat: Admittendum est, si velit absolutionem obtinere: quia cogitur præstare id, quod jure divino & naturali tenetur. At eo non consentiente, neque

illi

illi est absolutio concedenda, neque confessio manifestanda.

Si verò pœnitentia publica necessaria non sit ad satisfactionem scandali rarò expedire potest cogere pœnitentem ad illius acceptationem, & nolentem acceptare inabsolutum dimittere: quia hoc sacramento illiusque pœnitentiæ impositione, bonum pœnitentis, quoad fieri potest, procurandum est, quod ex hac pœnitentiæ publicæ impositione absolutionisque negatione nequaquam provenire potest, ut bene notarunt Coninch. *disp.*10. *dub.*8. *in fine.*

6. Gravior dubitatio est, an cogi possit pœnitens ad confessionis frequentiam. Ratio difficultatis est: nam vel astringitur ad confitenda peccata commissa, vel committenda. At commissa, cùm supponamus ea esse concessa; astringi non potest, quippe nulla lex humana arctare peccatorem potest ad binam suorum peccatorum confessionem. Ad confessionem autem eorum, quæ committenda sunt, nequit astringi: etenim obligatio hæc fatendi solùm esse potest sub conditione, si committantur: cujus conditionis positionem ipse peccator vitare debet. Non igitur astringi pœnitens potest ad frequentem confessionem. Atque ita docuit Navarr. *in sum. cap.*9. *n.*1. *& cap.*] *Placuit. dist* 6. *num.*115. Sed contrarium omnino tenendum est cum communi sententia, quam pluribus relatis firmat V. sq. *quæst.*91. *art.*3. *dub.*7. *num.*12. Joan. Sanch. *disp.*13. *select. num.*2. Layman. *lib.*5. *sum. tract.*6. *c.*15. *num.*12. *vers. Caveant.* Tolet. *lib.*5. *sum. cap.*13. *n.*6. Fagund. *de secundo Ecclesiæ præcep. lib.*9. *cap.*5. *num.*4. Et probat usus communis Ecclesiæ: passim enim assueti peccatis, ad frequentes confessiones astringuntur; quippe confessio est opus maximè Deo gratum, & ad removendum pravos habitus, coërcendumque peccatorem à peccatis committendis efficacissimum: ergo in pœnitentiam injungi potest. Neque obstat lege humana neminem obligari posse ad eadem peccata bis confitenda: nam hoc intelligendum est directè, & formaliter: secùs indirectè ex obligatione ad confessionem: ex hac enim obligatione nascitur, quod aliquando debeat peccata confessa fateri: nolit ex venialibus denuò commissis confessionem facere. Præterea esto absolutè nulla lex humana ad frequentem confessionem obligare possunt, (quod falsum est:) at ex aliqua suppositione, & quasi pacto optimè potest. Etenim confessarius ad confessionis frequentiam pœnitentem obligat ob beneficium absolutionis illi concessum, aliàs non concessurus: sicuti Pontifex in voto castitatis, & impedimento affinitatis dispensans ad menstruam confessionem obligare solet. Quinimò censent Joan. Sanch. non solum ad confessionis frequentiam obligari pœnitentem posse; sed ut cum eodemmet Confessario fateatur. Sed hoc rarò vel nunquam expedit; est enim gravissimum periculum, vel transgrediendi pœnitentiam, vel infideliter confitendi. Adde ex obligatione ad confessionem non adstringi pœnitentem per se ad fatenda peccata jam confessa, vel committenda; sed indifferenter ad hæc, vel illa, prout sibi placuerit, & expediens esse judicaverit, in quo nulla est deordinatio.

7. De reliquis Sacramentis facilis est resolutio, an eorum susceptio possit in pœnitentiam imponi? Et quidem de Eucharistia credo certissimum, si à Confessario judicatum fuerit expedire; quia cedit in Dei honorem, & maximum pœnitentis fructum. Ad Confirmationem suscipiendam, casu, quo suscepta non sit, optimè potest pœnitens obligari, cùm omnibus Christianis expediat hoc sacramentum suscipere: & idem est de extrema Unctione, si in extremis sit constitutus. Ad susceptionem autem Sacramenti Ordinis, vel matrimonii nullatenus censeo obligari pœnitentem posse: quia sunt status summam libertatem requirentes; sicuti neque ad religionis statum, ut notavit Fagund. *lib.*9. *de pœnit. cap.*5. *num.*5.

8. Quanta verò pœnitentia sit à Confessario injungenda, ipsius arbitrio relinquitur, non quidem ut pro libito gravem, vel levem possit injungere; hoc enim æquitas judicii non patitur; sed secundùm gravitatem peccatorum, & pœnitentis dispositionem. Hæc enim duo præ oculis habere debet, ut arbitrium pœnitentiæ legitimum sit. Etenim hæc pœnitentia, ut inquit Trident. *sess.*14. *cap.*8. *circa finem*, in duplicem finem referenda est, nempe, in præteritorum vindictam, & castigationem, & ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum. Unde pœnitentia, quæ præterita delicta vindicat, & futura præcavet, & medetur, rectissima est. Hinc fit, expediens esse avaris, & rapacibus, si divitias habent, eleemosynas in pœnitentiam injungere, luxuriosis jejunium; carnis macerationem & regulariter omnibus quotidianam orarii recitationem, & confessionem menstruam, quia hæc & peccata præterita vindicat, & coërcent à futuris.

9. Si autem Sacerdos absque justa causa levissimam satisfactionem pro gravibus peccatis injungat, sine dubio mortaliter peccabit, quia nec peccata punit, nec pœnitentem medetur: & manifestè colligitur ex Trid. *sess.*14. *c.*8. *circa finem.* asserente, debere Sacerdotes, quantùm spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & convenientes satisfactiones injungere, ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo alienorum peccatorum participes efficiantur.

10. Notanter dixi, *si absque justa causa*, nam ea intercedente optimè potest Confessarius, imò debet Pœnitentiam peccatorum gravitati debitam temperare: ex hac enim mitigatione, nec sacramento fit injuria, cùm ipsum ad sui integritatem solùm exigat satisfactionem imponi, & recta illius administratio petit, ut imponatur secundùm prudens sacerdotis arbitrium, uti dicitur in *cap. Deus, qui de pœnit. & remiss.* & in *cap. Mensuram. de pœnit. dist.*1. & aliis, quæ referuntur 26. *quæst.*7. Neque item fit injuria Deo, cùm jus puniendi peccatum prout par est, non amittat. Ex alia parte cedit hæc mitigatio in pœnitentis utilitatem: siquidem hac via confessioni afficitur; quam tamen horreret, si gravior ei imponeretur. Quapropter pœnitentiam quam timet Confessarius pœnitentem ex infirmitate non executurum, moderari debet, vel in aliam leviorem commutare: potiùs enim expedit, puniendum in Purgatorio remittere, quàm ob omissam pœnitentiam in Infernum detrudere, sicuti dixit Ioan. Gerson. 2. *p. Operum in reg. moral. lib.* & tradit Navar. *cap.*26. *num.*18. *&* 20. *& in d. cap. Mensuram. de pœnit. dist.*1. *num.*5. *&* 6. Henriq. *lib.*5. *cap.*21. *n.*1. Suar. *disp.*38. *sect.*4. *num.*4. Coninch. *disp.*10. *dub.*8. *à n.*71. Layman. *lib.*5. *sum. tract.*6. *c.*15. *concluf.*2. *&* 3.

11. Monent tamen communiter Doctores, ut videre est in Suar. *disp.*38. *sect.*4. *n.*4. Coninch. *disp.*20. *dub.*8. *num.*73. Vivald. *de satisfact. num.*10 Layman. *lib.*5. *sum. tract.*6. *cap.*15. *qu.*2. *concl.*2. Bonac. *disp.*5. *de poenit. quæst.*5. *sect.*3. *p.*2. *num.*17. Reginal. *lib* 7. *n.*38. *&* 47. & aliis Confessarium leviorem pœnitentiam imponentem, quàm peccata merentur ob justum timorem, quem habet si graviorem imponat, omittatur; debere monere pœnitentem, pœnitentiam delicto commensuratam non esse; tum, ne ob levitatem pœnitentiæ injunctæ leviùs delicta existimet; tum, ut excitetur ad novam satisfactionem sponte assumendam.

Modus imponendi pœnitentiam esse potest ex præcepto, vel ex consilio. Item, absolutus, vel sub conditione alicujus operis.

12. Omnes Doctores admittunt plerunque ex præcepto

cepto imponendam esse, & sic esse intelligendum, cùm sacerdos contrarium non expresserit. Sic an sub consilio imponi possit, verius est eorum sensus. Affirmant Paludan. *in* 4. *dist.* 20. *q.*2. Navar. *in c.* 1. *n.*33. & 52. *de poenit. dist.* 6. & *in sum. c.* 26. *n.*22. & 24. Eman. Saà *verbo, Satisfactio, n.*11. Petr. de Soto *lect.*2. *de satisfact.* Suar. *disp* 38. *sect.*3. *num.*2. Layman. *lib.*5 *sum. tract.*6. *cap.*15. *n.*11. Fagund. *de secundo Eccles. pracep. lib.*9. *in fine*, & *c.*3. *n.*8. & 11. Bonac. *disp.*5. *de poenit. q.*5. *sect.*3. *p.*2. *n.*6. Moventur: quia Confessarius imponere debet pœnitentiam, prout judicaverit convenientius esse. At sæpè convenientius est, non arctare præcepti obligatione pœnitentem: sed suæ liberæ voluntati opus injunctum relinquere. Ergo id poterit Confessarius præstare. Neque inde fit, Confessarium non exercere potestatem ligandi, ac solvendi pœnitentem: exercet utique, quia ligat pœnitentem, ne ex opere operato plenam suorum peccatorum remissionem obtineat, nisi medio opere in pœnitentiam injuncto. Hinc inferunt Suarez *sect.*6 *n.*6. Fagund. Eman. Saà, & alii, posse Confessarium in pœnitentiam designare quodlibet bonum opus à pœnitente efficiendum: & de facto designari illis verbis absolutionem subsequentibus: *Et quidquid boni feceris, vel mali patienter sustinueris sit tibi in remissionem peccatorum*, &c. Subdunt verò prædicti Doctores limitationem, ut solùm pro peccatis in ea confessione absolutis censeantur ea verba habere effectum ex opero operato.

13. Cæterùm, verius censeo; pœnitentiam per modum consilii impositam sacramentalem non esse, neque effectum ex opere operato habituram, ac proinde Confessarium suæ obligationi nullatenus satisfacere pœnitentiam sub consilio imponentem. Sic docuit Vasq. *quæst.*94. *art.*2. *dut.*1 *n.*10. Coninch. *disp.*10. *de poenit. dub.*8. *num.*64. Moveor quia pœnitentiæ impositio nascitur ex potestate, quam sacerdos habet, pœnitentem ligandi, ac solvendi, non solùm à culpis: sed etiam à pœnis pro culpis debitis. At, si confessarius voluntati pœnitentis pœnitentiam remittit, nullo modo ad illius executionem pœnitentem ligat. Quòd si dicas cum Suar. ligare, si velit remissionem peccatorum perfectam obtinere: obstat; quia hæc non est ligatio: sicuti non ligaret Pontifex ad lucrandum Indulgentiam eum, cui concessa Indulgentia est, si orarium recitet. Præterea ex potestate, quam Sacerdos habet ligandi in hoc sacramento, inferunt Doctores obligationem, quam fideles habent confitendi sua peccata, utpote qui alia via non possunt peccatorum absolutionem obtinere: ergo inde etiam inferre debet obligationem, saltem ex præcepto, quam habent pro pœnis satisfaciendi, cùm ex eadem potestate utraque obligatio ortum habeat. Item, sacerdos in hoc sacramento obligatus est, non solùm consulere pœnitenti peccatorum vindictam; sed de facto ea vindicare pœnitentiæ impositione. At per pœnitentiam, quæ arbitrio pœnitentis relinquitur, censeri non potest peccata vindicare, & punire; sed vindicationem, & punitionem pœnitenti consulere. Ergo Sacerdos, quatenus Judex est, non ex consilio; sed ex præcepto pœnitentiam imponere potest. Deinde, si pœnitentia arbitrio pœnitentis remittitur, jam Sacerdos permittit Sacramentum Pœnitentiæ relinqui truncum, & imperfectum: quippe permittit esse sine parte integrali, scilicet, satisfactione. Specialiter autem mihi displicet: ea verba communia. *Quidquid boni feceris*, &c. efficacia esse, ut omnia opera bona postmodum facta ex opere operato remittant pœnas pro peccatis debitas. Nam ex vi illorum verborum non designantur opera in satisfactionem ex opere operato; sed oratur Deus, ut taliter fiant, ut in satisfactionem peccatorum deserviant. Tum quia in communi designantur; quæ designatio obligationi apta non est. Si enim peccatum in communi non licet pro materia hujus sacramenti constituere, nisi in casu raro, & extraordinario; neque etiam satisfactionem in communi licebit. Tum, quia æquè designantur omnia opera à pœnitente efficienda, ut in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ deserviant, ac designantur in peccatorum remissionem. Sed ea opera à Confessario injuncta vim non habent augendi gratiam ex opere operato, ut etiam contrarii fatentur: ergo neque vim habere debent remittendi peccata ex opere operato. Adde, absque fundamento ea verba restringi ad satisfactionem pro peccatis in ea confessione declaratis: nam opus in satisfactionem à Confessario injunctum, non solum pro peccatis illius confessionis; sed pro quibuscunque peccatis satisfactorium est. Ergo idem est dicendum, si omnia opera in communi possint in satisfactionem injungi.

14. Addit Suarez *disp.*38. *sect.*7. *n.*5. cum Medin. *Cod. de confess. tract.*2. *quæst.*48. quibus consentit Ochagavia *tract. ult. de satisfact. sacram. quæst.*8. *n.*7. posse Sacerdotem injungere pœnitentiam gravem exequendam sub veniali obligatione; nam, si potest obligationem tollere, à fortiori illam poterit temperare. Et quidem, si vera esset sententia nuper rejecta, scilicet, Confessarium non astringi ad imponendam pœnitentiam sub præcepto: sed posse sub consilio eam imponere, crederem, posse obligationem temperare, & ad gravem pœnitentiam sub levi culpa obligare. Nam ex prædicta potestate manifestè infertur, institutionem, & naturam Sacramenti pœnitentiæ non exigere pœnitentiam sub obligatione imponi; sed arbitrio Confessarii relinqui, qui si potest à gravi pœnitentia injuncta obligationem sejungere, aptius poterit eam temperare. At quia satis probatum est, non esse constitutum in potestate confessarii à pœnitentia injuncta obligationem separare: ideò probabilius censeo, illius obligationem temperare non posse: Confessario namque solùm datum est, pœnitentiam, quæ sibi visa fuerit expediens, injungere: obligatio autem illam exequendi, non ex voluntate Confessarii, sed ex ipso sacramento, & institutione oritur. Præterea sacerdos pœnitentiam injungens non suo nomine, sed Christi nomine, & tanquam Christi Vicarius injungi. At Christus semper præsumi debet, velle obligationem pœnitentiæ gravitati illius commensurari. Ergo absque fundamento asseritur, posse Sacerdotem gravi pœnitentiæ levem tantùm obligationem adjungere. Sic Nonius *de pœnit quæst.*15. *art.*1. & *quæst.*13. *art.*2. *diffic.*2. *concl.*4. Coninch. *disp.*10. *de pœnit. dub.*8. *num.*65. Bonac. *disp.*5. *de pœnit. quæst.*5. *punct.*4. *n.*4. *in fine.*

15. Alter modus imponendi satisfactionem satis usitatus est sub conditione: v. g. imponit tibi Confessarius, ut confessionem frequentes, peregrinationem instituas, eleemosynam tribuas, si in tale, vel tale peccatum incideris, quia judicat medium illud esse aptissimum, ut à peccato committendo detinearis, & paulatim emendationem obtineas. Posse autem pœnitentiam hoc modo injungi, colligitur ex Navarr. *cap.*26. *n.*25. Henriq. *lib.*5 *cap.*21. Suar. *disp.*38. *sect.*3. expressè Bonac. *disp.*5. *de pœnit. q.*5. *sect.*3. *pun.*2. *n.*16. Layman. *lib.*5. *sum. tract.*6. *cap.*15. *n.*11. Neque alio fundamento ducuntur, nisi quia Sacerdos officium judicis, & Medici cum pœnitente exercet, & ad officium Medici videtur pertinere, medicinas designare, prout sibi convenire visum fuerit.

Sed contrarium longè probabilius existimo: nam esto confessario, quatenus Medicus est, competat medicinas pœnitenti designare; modus autem designandi non fuit voluntari ejus relictus; sed necessariò astringitur, ut illas convenientes medicinas designet, ligans pœnitentem ad illarum executionem, & non libero ejus arbitrio relinquens. Et ratio est, quia sacramentum absolutè factum exigit pœnitentiam absolutè imponi,

imponi, ne ſacramentum ſine parte ſatisfactoria relinquatur: quòd neceſſariò contingere poteſt, ſi ſolùm ſub conditione contingenti pœnitentia injuncta ſit: nam, cùm hæc conditio ceſſare poſſit, poterit & pœnitentiæ executio ceſſare. Prætereà obligatus ad pœnitentiam ſub hac conditione, ſi peccatum commiſerit, abſolutè ad nullam pœnitentiam obligatur: nam ipſe obligatus eſt ad non efficiendum peccatum. Ergo etiam es obligatus ad non contrahendam pœnitentiæ obligationem quæ peccatum neceſſariò requirit. Atque ita docent Vega 2. *p. ſum. c.* 64. *caſu.* 2. Tolet. *lib.* 3. *c.* 18. *n.* 3. Thom. Sanch. *lib.* 3. *ſum. cap.* 5. *num.* 3. Joan. Sanch. *diſp.* 13. *ſelect. n.* 8.

16. Supereſt dicendum, quo tempore hæc ſatisfactio injungi à Confeſſario debeat, an ante, abſolutionem, an poſt? Breviter reſpondeo, & ante, & ſtatim poſt abſolutionem imponi poſſe: ſolùm enim neceſſarium eſt, ut hæc omnia ſimul moraliter conjungantur, confeſſio, abſolutio, & ſatisfactionis impoſitio, utpote quæ ad integritatem judicii requiruntur, Conſultiſſimum autem eſt, & Eccleſiæ uſus probat, ut ante abſolutionem pœnitentia injungatur: ex illius enim acceptatione, vel repulſa cognoſcit ſacerdos apertiùs diſpoſitionem pœnitentis, & qua ratione paratus ſit abſolutioni recipiendæ. Deinde rectus judicii ordo exigit, ne reus priùs abſolvatur, quàm ſatisfacere promittat, præcipuè cùm ſatisfactio injuncta ad materiæ integritatem pertinent, quam ſemper expedit formæ præmitti. Sic Navar. *de pœnit. diſt.* 6. *c.* 1. *n.* 35. & *in ſum. c.* 26. *n.* 10. Suar. *diſp.* 38. *ſect.* 3. *num.* 6. Coninch. *diſp.* 10. *dub.* 8. *in fine, n.* 76. Bonac. *diſp.* 5. *de pœnit. q.* 5. *punct.* 2. *n.* 19. Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 9. *c.* 15. *n.* 7. *verſ. Colligitur tertio.*

§. IV.

De obligatione pœnitentis acceptandi pœnitentiam, illámque exequendi.

1. *Aliqui cenſent, nullam eſſe obligationem acceptandi pœnitentiam.*
2. *Alii affirmant acceptam debere impleri.*
3. *Tenendum eſt, & obligationem eſſe acceptandi, & exequendi pœnitentiam.*
4. *Satisfit fundamento contrario.*
5. *Abſolvendus eſt pœnitens paratus leviorem pœnitentiam, quam par eſt, acceptare.*
6. *Pœnitens renuens abſolvi excuſatur ab obligatione acceptandi pœnitentiam.*
7. *Non eſt liberum pœnitenti, abſque cauſa fugere ſententiam, judicio inchoato.*
8. *Proponitur ratio dubitandi, an obligatio acceptandi pœnitentiam gravis ſit.*
9. *Sub diſtinctione reſpondetur.*
10. *Unde ſumatur levis materia poenitentiæ injunctæ. Proponuntur variæ ſententiæ.*
11. *Levis materia non ex cauſa; ſed ex ſe deſumenda eſt.*
12. *Si tempus deſignatum non eſt, impleri debet, cùm primum commodè poſſit.*
13. *Si tempus deſignatum ſit, tunc exequenda eſt: ſi omittatur, non perit regulariter obligatio.*
14. *Exceptio apponitur.*
15. *An poſſit poenitens obligari, ſatisfactionem exequi ante abſolutionem.*
16. *Fit ſatis poenitentiæ injunctæ, tametſi in peccato mortali eam exequatur.*
17. *Peccat tamen, ſaltem venialiter.*

1. PLures, neque infimæ notæ, docuerunt, te obligatum non eſſe pœnitentiam à Confeſſario injunctam acceptare, ſed poſſe pœnam pro peccatis debitam remittere in Purgatorio luendam. Sic Scotus *in* 4. *diſt.* 16. *q.* 1. §. *Ad quæſtionem motam poſt medium illius.* Gab. *diſt.* 16. *q.* 2. *art.* 3. *dub.* 5. & latiùs *diſt.* 18. *q.* 1. *art.* 3. *dub.* 1. Joann. Med. *Cod. de confeſſ. q. de poenit. injuncta acceptanda.* Navarr. *cap.* 26. *n.* 20. Fr. Gregor. Ruiz. *in* 4. *cont.* 94. Armilla *verbo, Confeſſio num.* 20. Moventur: quia nemo tenetur in hac vita pro peccatis ſatisfacere; ſed poteſt ſatisfactionem in Purgatorium remittere. Deinde, ſi obligatus eſſes ſatisfactionem à Confeſſario injunctam acceptare, obligatus eſſes acceptare quamcunque, cùm nulla, quantumvis gravis ſit, æquet peccati gravitatem. Subdunt verò prædicti Doctores, ſi ſemel pœnitentiam acceptes, te obligari ad illius executionem: quia jam juriſdictioni Confeſſarii te voluntariè ſubjeciſti.

2. Cajet. verò *t.* 1. *Opuſc. tract.* 6. *q.* 2. *ad* 2. magis conſequenter locutus eſt, affirmans, te non teneri pœnitentiam acceptare, neque acceptatam ſub gravi culpa implere. Cajet. ſequuntur Ludovic. Vega *reſponſ. caſuum conſcient* 4. *p. caſu* 3. *verſ. Ex parte ergo poenit.* Paul. Comitol. *reſponſ. moral. lib.* 1. *q.* 35. Joan. Rebello *lib. de miraculis Virg. Mariæ, lib.* 3. *dial.* 7. Zenodo *ad decretum collect.* 40. *n.* 2. Valer. Reginald. *lib.* 7. *n.* 15. & tanquàm probabile defendunt Eman. Saà, *verbo, Satisfactio, n.* 4. Zerola *de pœnit. cap.* 25. *q.* 9. Villalob. *ſum. tract.* 4. *de pœnit. difficult.* 78. *n.* 2. & 4. Priorem partem, ſcilicet, te non eſſe obligatum acceptare pœnitentiam; probant ex fundamento prioris ſententiæ. Et quia hoc judicium, cùm voluntarium ſit, in invitum exerceri non poteſt. Nihil autem videtur obſtare, quin te Sacerdoti ſubjicias quoad peccatorum abſolutionem abſque ſubjectione ad ſatisfactionem acceptandam vel exequendam. Secunda pars manifeſta videtur: nam, ſi obligatio exequendi pœnitentiam non ex præcepto Confeſſarii naſcatur; ſed ex tua acceptione, obligationem ſimplicis promiſſionis, quæ plerumque levis eſt tranſcendere non poteſt. Prætereà nequit eſſe pars ſacramenti, cùm non proveniat ex poteſtate ſacerdotis ligandi, ac ſolvendi, ſed ex tua libera acceptatione.

3. Cæterùm, omninò tenendum eſt, te obligatum eſſe, pœnitentiam rationabilem acceptare, & acceptatam exequi. Sic tanquam certum docuit Victor *de Sacram. n.* 209. Petr. de Soto *lect.* 4. *de ſatisfact.* §. *Impoſito pœn.* Suar. dicens contrarium eſſe improbabile *t.* 4. *diſt.* 38. *ſect.* 7. *n.* 2. Valen. *t.* 5. *diſp.* 7. *q.* 14. *p.* 4. Vaſq. *q.* 94. *art.* 2. *dub.* 1. *n.* 4. Coninch. *diſp.* 10. *dub.* 9. *à n.* 79. Bonac. *diſp.* 5. *de pœnit. q.* 5. *ſect.* 3. *p.* 4. *num.* 1. Laym. *lib.* 5. *ſum. tract.* 5. *cap.* 15. *q.* 1. *verſ. Colligitur. ſecundò.* Fag. *lib.* 9. *de pœnit. cap.* 3. *n.* 16. Et deciditur in Concilio Salegunſtadienſi *cap.* 18. *t.* 3. *Conciliorum*, ibi: *Multa tanta falluntur ſtultitia, ut capitali crimine culpati pœnitentiam à ſuis Sacerdotibus acceptare nollent.* Et Leo I. *epiſt.* 89. *aliàs* 91. relatus *in c. Multiplex. de pœnit. diſt.* 1. ibi: *Indulgentia, niſi ſupplicationibus Sacerdotum, nequit obtineri*, præcipuè hæc ſententia comprobatur ex cap. *Omnis utriuſque ſexus de pœnit. & remiſſionib.* ubi eodem tenore præcipit Innocent. ut fideles omnes, ſaltem ſemel in anno, fideliter omnia ſua peccata proprio Sacerdoti fateantur, & pœnitentiam injunctam ſtudeant pro viribus adimplere. Supponit ergo ex inſtitutione hujus Sacramenti obligationem eſſe pœnitentiam adimplendi, ſicuti eſt obligatio peccata fatendi. Pontifex enim in dicto cap. *Omnis*, non obligationem confeſſionis ſancivit: ſed jure divino ſancitam determinavit. Deinde ex Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. aſſerente, pœnitentiæ impoſitionem ex poteſtate, quam ſacerdotes habent, ligandi, ac ſolvendi ortum habere. At ex hac poteſtate manifeſtè colligitur, te peccata fatentem obligatum eſſe, tum ad acceptandam pœnitentiam, tum ad illius executionem. Nequit enim intelligi, qualiter Sacerdos poteſtatem habeat pœnitentiis injunctis te ligandi, ſi tu ad illarum acceptationem, & executionem ligatus

non

non es. Quòd si dicas, potestatem habere ligandi pœnitentiis injunctis, quando te pœnitentiis subeundis subjicere vis: obstat quia hæc ligatio non à Sacerdote sed à te procederet. Deinde, quia hæc potestas ligandi pœnitentiis injunctis necessariò provenit ex potestate, quam sacerdos habet, te ligandi, & solvendi à peccatis. At hanc potestatem habet per modum judicii, & tanquam Judex in illa causa sententiam profert. Ergo prolata sententia de pœnitentia exequenda, obligatus es illam acceptare, & exequi, sicut in aliis tribunalibus quilibet reus, qui judicandus de delicto subjicitur, eo ipso ad sustinendam pœnam subjici debet: id enim æquitas judicii postulat. Præterea, si sacerdos suo præcepto potestatem non haberet te ligandi, ad acceptandam pœnitentiam, illámque exequendam, eo ipso, quo peccatorum absolutionem obtinere vis; sed necessariò deberet absolutionem concedere, tametsi nolles pœnitentiam injunctam acceptare, & exequi; non videtur qualiter punire, & mederi tua delicta possit: siquidem ab ejus jurisdictione absolutus exis; nulla punitione facta, nec medicina applicata. Item, *superiùs* diximus, confessarium obligatum esse, ex institutione hujus Sacramenti, pœnitentiam pro qualitate criminum, & dispositione pœnitentis injungere; tum ut æqualitatem judicii servet: tum, ut pœnitentem medeatur: at hæc obligatio inutilis esset, si pœnitentem ad illius acceptationem, & executionem nequit astringere. Ergo, &c. Tandem onus integrandi sacramentum pœnitentiæ, tam confessario, quam pœnitenti incumbit: ergo uterque debet ad id concurrere, confessarius satisfactionem imponendo, & pœnitens illam acceptando.

4. Fundamentum contrarium levissimum est: nam esto, spectato peccato, & illius extra sacramentum remissione, possit satisfactio in Purgatorium remitti: at eo ipso, quo remissio per modum judicii conceditur, exequenda est satisfactio juxta judicii sententiam. Neque inde fit, quamlibet pœnitentiam, etiam gravissimam te obligatum esse acceptare, & exequi: quia neque ipse Sacerdos eam potest imponere: sed qualem, tum ad peccatorum vindictam, tum ad illorum medelam judicaverit expedire. tametsi gravitati peccati non adæquet.

5. Ex dictis videtur inferri, contrariam sententiam, spectato juris rigore, & ratione, neque ut probabilem admittendam esse, tametsi tot Doctorum authoritate fulcita sit. Placet tamen cum Laym. *lib. 5. sum. tract. 6. cap. 15. quæst. 1. num. 6. ad finem*, ea sententia uti, ne unquam pœnitens absque absolutione dimittatur, si pœnitentiam delictis commensuratam renuat acceptare: paratus tamen acceptare exequi leviorem, quàm peccata merentur: quia ea dispositione pœnitentis posita contentus esse debet Sacerdos ea levis pœnitentiæ impositione, quippe spectatis circunstantiis rationabilis est & justa.

6. Dixi, obligationem acceptandi, exequendi, pœnitentiam injunctam nasci ex potestate, quam habet Sacerdos ligandi, ac solvendi pœnitentiam: unde, si pœnitens renuat absolvi, excusatur ab obligatione acceptandi, exequendique pœnitentiam: nam in tantum ei Sacerdos imponere pœnitentiam potest, in quantum ejus judicio, & sententiæ subditur. Igitur, si hoc judicium sententiam fugiat, fugiet etiam obligationem pœnitentiæ acceptandæ, & exequendæ. Atque ita docent Ægidius de Coninch. *disput. 10. de pœnit. dub. 8. numer. 80.* Laymann. *libr. 5. summ. tr. 6. capit. 15. numer. 6. fine, vers. Dico hic.* Suarez. *disp. 38. sect. 7. n. 4.* Bonac. *disp. 5. q. 1. sect. 3. p. 4. n. 3.*

7. Sed non caret difficultate, an liberum sit pœnitenti hoc judicium jam inchoatum fugere, & sententiam hujus sacerdotis declinare alium adeundo. Et quidem si fiat absque rationabili, & legitima causa (qualis esset, si nollet Sacerdos gravem, & nimis molestam pœnitentiam moderari,) omnes prædicti Doctores fatmant, illicitum esse: tum ob virtualem illius Sacerdotis despecti contemptum: tum ob indecentiam sacramenti, quod inceptum, & imperfectum relinquitur: tum ob debitum judicii ordinem, quod semel inchoatum perfici debet. Sæpè enim liberum est judicando, hunc, vel illum Judicem eligere, eique se submittere: at facta electione, & submissione, illicitum est illi retrocedere, sed sententiæ Judicis electi, si justa sit, stare debet. Ob has rationes censerem, gravem culpam committere pœnitentem, qui absque legitima causa inchoatum judicium pœnitentiæ abrumperet, nisi viderem, praxim contrariam esse communi Doctorum authoritate fulcitam. Nullum enim reperi, qui expressè peccati mortalis damnet pœnitentem inchoatam confessionem relinquentem, & alium confessarium adeuntem: solùm enim damnatur cujusdam irreverentiæ, & indecentiæ, quæ peccatum veniale non excedit, quæ sententia fundatur in præsumptione, quòd noluerit Christus pro sua pietate, & summa misericordia gravare pœnitentem, ut semel inchoatam confessionem cum uno sacerdote, cum eodem perficiat, sed possit, saltem absque gravi culpa, ejus judicium fugere, & alteri sacerdoti se judicandum submittere. Hac enim via, & sacramentum pœnitentiæ suavius redditur, & pœnitentes faciliùs sua peccata manifestant, & pœnitentias injunctas admittunt, & exequuntur.

8. Constitutio autem quòd pœnitens obligatus sit pœnitentiam acceptare, & exequi, eo ipso, quo velit absolvi; restat examinandum, an semper hæc obligatio sit gravis. Ratio dubitandi est: quia esto pœnitentia injuncta in se levis sit, illam tamen acceptare, & exequi non videtur leve: siquidem ex hac acceptatione, & executione pendet sacramenti pœnitentiæ integritas: omittere autem absque causa Sacramenti integritatem, non leve, sed grave censendum est. Præterea *superius* diximus, obligatum esse sacerdotem sub gravi culpa, hoc sacramentum ministrare pœnitentiam injungendo, tametsi confessio facta fuerit ex venialibus, vel ex mortalibus jam confessis. Ergo etiam obligandus est pœnitens sub gravi culpa, eam pœnitentiam acceptare, & exequi: quia integritas sacramenti non tam in pœnitentiæ impositione, quàm in illius acceptatione & executione sita est.

9. Cæterùm distinguendum censeo inter acceptationem, & executionem pœnitentiæ. Et de acceptatione credo, ob superiorem rationem dubitandi semper pœnitentem obligatum esse graviter pœnitentiam injunctam, esto levis sit, acceptare si velit absolvi: hac enim acceptatione formaliter integratur judicium, & reus convenienter absolvitur, tametsi contra sentiat Suar. *disp. 39. sect. 1. num. 5.* At exequi pœnitentiam injunctam, & acceptatam, censeo obligatum esse pro gravitate, vel levitate pœnitentiæ injunctæ, illiusque omissione. Si enim pœnitentia injuncta gravis sit &, ob gravem causam injunctam, & integrè omittere, grave peccatum erit. Secus, si illius pars levis omittatur, vel levis pœnitentia fuerit injuncta. Nam, si in voto, juramento, aliisque divinis præceptis levis obligatio admittitur ob materiæ levitatem, cur non erit admittenda in pœnitentiæ injunctæ executione, præcipuè cum hujus pœnitentiæ executio, neque ad essentiam sacramenti, neque ad illius formalem, sed materialem integritatem videtur pertinere? Atque ita ex communi sententia docent Paludan. *in 4. dist. 17. q. 7. concl. 4.* Sotus *dist. 20. q. 2. art 2.* Navar. *c. 21. n. 3.* Suar. *disp. 38. sect. 7. n. 5.* Conin. *disp. 10. dub. 9. n. 80.* Laym. *l. 5. sum tr. 6. c. 15. q. 1. n. 7.* Henriq. *lib. 5. cap. 20. numer. 3.* Bonac. aliis relatis *de pœnitent. disput. 5. q. 5. sect. 3. part. 4. numer. 4.* Fagund. *section. de pœnitent. l. 9. c. 3. num. 12.*

10. Verùm ſupradicti Doctores non conveniunt in aſſignanda hac levi materia. Aliquibus enim videtur, levem eſſe, quoties pro venialibus peccatis, vel mortalibus jam confeſſis imponitur, uti docuit Vival. *de confeſſ. ſatisfact. num.* 26. Navarr. *c.* 21. *n.*4. Suar. *diſp.*8. *ſect.*7. *num.*5. Layman. *lib.*5. *ſum. tr.*6. *cap.*15. *quæſt.*1. *numer.*7. quia non videtur proiis juſtè, & rationabiliter gravem poſſe pœnitentiam injungi, cùm circa hæc peccata non exerceat Sacerdos poteſtatem ligandi, ſed ſolùm ſolvendi ex Chriſti benignitate. Et eſto aliquando gravis pœnitentia injungi poſſit, ne pœnitens venialium multitudinem parvi pendet, & paulatim in grave peccatum decidat: at non videtur ad illius executionem obligari ſub gravi culpa: cum obligatio pœnitentiæ exequendæ non ſolùm ex ipſius gravitate; ſed ex cauſa, ob quam impoſita eſt, deſumi debeat. Alii è contra gravem materiam cenſent, tametſi in ſe levis ſit, ſi ob gravem cauſam, & neceſſariam, qualis eſt mortale non confeſſum, fuerit impoſita: quia eſto illud peccatum leviter puniat Sacerdos; punit tamen ex poteſtate ligandi & ſolvendi, quam illi Chriſtus conceſſit, & punit neceſſariò.

11. Sed verius exiſtimo, levitatem materiæ in executione pœnitentiæ injunctæ deſumendam eſſe, non ex cauſa ob quam injungitur pœnitentia; ſed ex levitate ipſius. Quocirca ſi pœnitentia injuncta levis fuerit, qualis eſt una, vel altera vice recitare Pſalmum *Miſerere*, quinquies orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam; tametſi ob peccatum mortale nunquam confeſſum fuerit injuncta, quod aliquando fieri poterit, ſi magna contritione pœnitens ad Sacramentum accedat, leve peccatum erit ejus omiſſio: è contrà, ſi ob venialia peccata gravis pœnitentia, uti eſt jejunium: Miſſæ auditio, roſarii recitatio fuerit impoſita, uti probatum eſt imponi poſſe, maximè viro religioſo, qui ſpecialiter perfectioni procurandæ aſtringitur, gravis erit illius omiſſio: quia gravitas, vel levitas hujus obligationis ſicut & reliquarum, non ex cauſa motiva, ſed ex materia præcepta deſumi debet. Atque ita tenent Henriq. 4. *l.*5. *cap.*20. *n.*3. Coninch. *diſp.*10. *dub.*9. *n.*81. Bonac alios referens *diſp.*3. *de pœnit. q.*5. *ſect.*3. *p.*4. *num.*4. Fag. *de* 2. *Eccl. præc. l.*9. *c.*3. *n.*14. & 15.

12. Sed quo tempore implenda eſt pœnitentia? Breviter reſpondeo, ſi nullum tempus ſignatum eſt, impleri debet, cùm primùm commodè poſſit: quia ea eſt intentio Confeſſarii, & finis pœnitentiæ, ut quamprimum poſſis peccato ſatisfacias, teque à committendis contineas, & plenam cum Deo obtineas reconciliationem. Quapropter ſi nimia fuerit dilatio, ſufficiet ad peccatum mortale, ſi brevis, ad veniale. Quæ autem ſit nimia, vel levis, arbitrio prudentis relinquitur. Neque enim ſingulis menſibus obligatus communicare, peccabis mortaliter, tametſi ſex vel octo dies communionem diſtuleris, præcipuè ſi aliqua, etſi levis, occaſio hujus dilationis ſe obtulit. Sic Suar *diſp.*38. *ſect.*7. *n.*6. Coninc. *diſp.*10. *dub.*9. *n.*84. Bonac. *diſp.*5. *de pœnit. q.*5. *ſect.*3. *p.*4. *num.*6. Sayrus *de Sacram. Pœnit. c.*36. *num.*8. Joann. Sanch. *diſp.*13. *ſelect. n.*9. & 10.

13. Si verò tempus deſignatum à confeſſaria ſit v. gr. ut proximo die Veneris, vel vigiliæ B. Virginis jejunes, confitearis, aliudve opus præſtes, non eſt dubium te obligatum eſſe, eo die exequi. At ſi ob malitiam, vel impotentiam eo die pœnitentiam omittas, alicui videri poterit, te excuſatum eſſe: quia illius diei deſignatio in ſpecialem B. Virginis, vel paſſionis Chriſti Domini honorem facta eſt; quem honorem non reſpicit jejunium alio die aſſumptum, ac proinde ceſſat materia præcepta pœnitentiæ, ſicuti ceſſaret, ſi obligatio eſſet ex voto & alio quovis præcepto. Sic ſentire videtur Fagundez *de* 2. *Eccl. præc. lib.*9. *cap.*4. *num.*5. & Favet Henriq. *lib.*5. *ſum. cap.*2. *in fine.*

Sed omnino dicendum eſt, per ſe non ceſſare obligationem jejunii, & communionis: nam eſto hæc opera eo die tibi præcipiantur exequi in honorem B. Virginis, vel Chriſti paſſionis: non tamen hic finis eſt ultimatus, ſicuti eſt in voto, alioque eccleſiaſtico præcepto, ſed eſt finis medius, & relatus ad finem ſatisfaciendi pro peccatis commiſſis, & præcavendi futura. Unde eſto, ceſſet illius finis medii conſecutio, cùm non ceſſet hic finis ultimus, & præcipuus, non ceſſat præceptum. Quòd ſi urgeas: Ceſſat materia præcepti: ſiquidem ceſſat fieri jejunium in Chriſti, vel B. Virginis honorem, quæ fuit materia præcepta. Reſpondeo, ceſſare ex parte, ſed non ex toto: ceſſare inquam, quoad accеſſorium, ſed non quoad principale. Etenim in prædicto præceptoduo continentur: primum, & principale jejunium: ſecundum minus principale, & acceſſorium, ut eo die in honorem Virginis jejunes, & utrumque ſatisfactionem præteritorum, & futurorum medelam reſpicit: at ceſſante ſecundo primum conſiſtere poteſt, cùm ſuum finem ſpecialiter ſpectet. Non igitur ex deſignatione temporis finitur pœnitentiæ obligatio. Atque ita docet Suar. *dicta diſp.*38. *ſect.*7. *n.*6. Coninch. *diſp.*10. *dub.*9. *n.*84. & 85. Bonac. *diſp.*5. *de pœnit. q*5. *ſect.*3 *p* 4. *n.*5. Quapropter omittere jejunium eo die temporis, vel vigiliæ, intentione transferendi in ſequentem, crederem non excedere culpam venialem ob materiæ levitatem: & indicat Ægid. *loc. alleg.*

14. Ab hac tamen doctrina excipiunt prædicti Doctores, Suar. Coninch. Bonac. pœnitentiam, quam confeſſarius ita tempori alligaret, ut eo tranſacto, obligationem ceſſare velit. Reputant autem hanc voluntarem habere, quoties pœnitentia per longum tempus, ſtatis temporibus, diſtribuatur, quæ ſi in unum conjungeretur, intolerabilis eſſet: v. gr. ſi debeas ex pœnitentia injuncta ſingulis hebdomadis, imò & ſingulis menſibus jejunare, vel communicare, & longo tempore jejunia, vel confeſſiones omiſeris, cenſent te non eſſe obligatum compenſare: quia intentio confeſſarii eam pœnitentiam imponentis, fuit, finire ſimul cum tempore obligationem, ne ſi ſimul cum ſubſequente perſiſtere, pœnitens nimium gravaretur.

15. Sed quid, ſi confeſſarius velit, ut pœnitentia executioni mandetur ante abſolutionem conceſſam, obligatuſne erit pœnitens obtemperare? Reſpondeo ex poteſtate, quam habet ſacerdos imponendi pœnitentiam, nequaquam obligari poſſe: quia nequit ſacerdos vindicare delictum, antequam illius ſententiam pronunciet, neque pars integralis ſacramenti eſſe poteſt, antequam Sacrementum in ſuo eſſe eſſentiali ſit conſtitutum; prius enim in eſſentia conſtitui ſacramentum debet, ut integritas illi adveniat. Verùm, ſi opus injunctum non per modum pœnitentiæ præcipiatur, ſed quia aliàs pœnitens ad illius executionem obligatur, uti eſt occaſionem peccandi dimittere, reſtitutionem ablatorum præſtare, & ſimilia; poteſtatem habet ſacerdos ea impetrandi pœnitenti ante abſolutionem, maximè ſi timorem habet conceſſa abſolutione non fore exequenda. Quinimò ſi de contritione pœnitentis ſatis confeſſario non conſtet: & ad hoc judicium concipiendum reputet neceſſarium, vel conveniens, ut pœnitens aliquod opus pœnale ante abſolutionem exerceat; poterit ſine dubio illud præcipere, & pœnitens ſi vult abſolvi, tenetur obedire: quia non præcipitur in pœnitentiam & ſatisfactionem peccati, ſed in teſtimonium doloris interni qui neceſſariò debet à Confeſſario cognoſci. Sic tradunt Suarez *diſp.*38. *ſect.*7. *numer.*7. Filliuc. *tract.*8. *capit.*2. *quæſt.*9. *n.*56. Reginald. *lib.* 7. *numero* 83. Bonac. *diſput.* 5. *de*

pœnit.

pœnit. q. 5. sect. 3. p. 2. n. 20. & 21. Fagund. *de 2. Eccles. præcept. libr. 9. cap. 3. in fin. n. 19.*

16. Restat dicendum qualiter pœnitentia implenda sit. Aliquibus placet, necessariò in statu gratiæ esse exequendam eò quòd in statu peccati effectum remissionis, & præservationis à peccato non obtinet, qui sunt fines, ob quos pœnitentia à Confessario imponitur: Confessarius namque imponens pœnitentiam, opus satisfactorium præcepit, quod certè esse non potest in peccato mortali factum.

Cæterùm communis est sententia apud S. Thom. *in 4. dist. 16.* Navarr. *cap. 21. de pœnit. dist. 6. n. 45. & in sum. cap. 3. n. 5.* Valent. *disp. 7. quæst. 14. p. 3. vers. Non est.* Vasq. *quæst. 94. art. 2. dub. 5.* Sayro *de pœnit. cap. 37. num. 1.* Suarez *disp. 38. sect. 8. num. 1.* Henriq. *lib. 1. c. 20.* Tolet. *lib. 3. c. 9.* Bonac. *disp. 5. de pœnit. q. 5. sect. 3. p. 4. n. 15.* Laym. *lib. 5. sum tract. 6. cap. 15. n. 15. concl. 9.* Coninch. *disp. 10. dub. 11. in princ.* Fag. *de secund. Eccles. præc. l. 9. c. 4. n. 2.* opus non esse in statu gratiæ pœnitentiam exequi, ut præcepto Confessarii satisfacias. Ratio est aperta: quia ad executionem præcepti solùm requiritur, ut rem præceptam exequaris; tametsi finem, ob quem præcipitur, non obtineas, ut videre est in omnibus præceptis. At exequens in peccato jejunium, in pœnitentiam injunctum, exequeris opus tibi præceptum. Ergo. Deinde duplici fine movetur Confessarius in pœnitentia imponenda. Primò, ut tua præterea delicta ea pœnitentia puniat, & à similibus committendis præservet. Secundò, ut pro peccatis commissis satisfacias. Et licèt hic secundus finis non obtineatur per pœnitentiam in mortali, quia tamen prior obtinetur, sufficit, ut obligationi pœnitentiæ fiat satis. Adde, prædictum finem obtinere recedente peccato, ut *superiùs* diximus.

17. Illud verò certum existimo, te aliquam culpam committere, satisfactionem exequendo in peccato mortali: quia impedis remissionem pœnæ, quam ex opere operato habere decebat satisfactio, præstásque indebitè partem sacramenti. Sed credo, levem culpam esse, & non gravem, eò quòd non videatur gravis deordinatio, pœnæ temporalis remissionem impedire, eáque de causa nec Confessarii rogant pœnitentes, an in statu gratiæ pœnitentiam impleverint, neque pœnitentes de hac circunstantia se accusant. Sic Suar. *disp. 38. sect. 8. n. 7.* Laym. *lib. 5. sum. tr. 6. cap. 15. quæst. 3. n. 15. in fine.* Fagund. *de 2. Eccles. præcept. lib. 9. cap. 4. n. 11.* Henriq. *l. 5. cap. 18. num. 3. & cap. 20. n. 7.* Bonac. *disp. 5. de pœnit. quæst. 5. sect. 3. p. 4. num. 16.*

§. Vlt.

De commutatione pœnitentiæ injunctæ, & de causis excusantibus ab illa.

1. *Differt communicatio à cessione.*
2. *Proponitur, pœnitentiam justam nunquam mutari posse.*
3. *Sed oppositum cum communi sententia affirmandum est.*
4. *Quilibet Confessarius mutare pœnitentiam potest.*
5. *Solvuntur rationes n. 2. adductæ.*
6. *Limitatur ab aliquibus doctrina in pœnitentia injuncta ob casus reservatos.*
7. *Censeo verius, hanc ab inferiori mutari posse.*
8. *Plures censent extra confessionem fieri hanc mutationem posse.*
9. *Verius est oppositum.*
10. *Pœnitens non potest in melius pœnitentiam mutare.*
11. *Satisfit oppositis fundamentis.*
12. *Aliquibus placet in qualibet confessione mutari pœnitentiam posse; tametsi pœnitens peccata, ob quæ fuit imposita non declaraverit.*
13. *Verius est, obligationem esse declarandi peccata, ob quæ fuit pœnitentia imposita.*
14. *Tametsi intra breve tempus ad eundem Confessarium recurras, non potest pœnitentiam mutare, sacramento non ministrato.*
15. *Excusaris à pœnitentia, si immoderata sit.*
16. *Si succesſu temporis reddaris impotens.*
17. *Si prohibearis à Superiore.*
18. *Si oblitus sis pœnitentiæ.*
19. *Quo casu non teneris iterum peccata fateri.*
20. *Neque teneris alia opera subrogare.*
21. *Qualiter intentione indulgentiæ excusari possis.*

1. Aliud est mutatio pœnitentiæ, aliud illius cessatio: cessat pœnitentia; quia cessat illius obligatio: mutatur pœnitentia; quia loco illius alia subrogatur. Hæc subrogatio fieri potest ab eodem Confessore, ab æquali, ab inferiori, vel superiori. Item, extra confessionem, vel confessione iterum repetita.

2. Non desunt, qui affirment, pœnitentiam rationabilem, & justam nequaquam mutari posse, neque ab eodem Confessario, neque ab illius superiore. Primò, quia est sententia data à supremo Judice, & omnino irrevocabilis: omnes enim sacerdotes ex potestate Christi accepta, & nomine illius sententiam absolutionis pronunciant, quæ semel validè prolata, nullatenus revocari potest. At illa sententia data fuit sub obligatione designatam pœnitentiam exequendi: ergo, cùm sententiam illam immutare nullus sacerdos possit, neque poterit pœnitentiam injunctam, quæ illi est accessoria. Secundò, vel hæc mutatio facienda est in sacramento confessionis, vel extra. Extra ferè omnes Doctores admittunt nullatenus mutari posse: quia extra sacramentum subrogari non potest pœnitentia, quæ pars sacramenti sit. In sacramento autem nequit fieri hæc mutatio: quia pœnitentia in susceptione novæ absolutionis imposita nunquam esse potest pars integralis præteriti sacramenti, sed præsentis, in quo designatur. Ergo nunquam illius loco subrogari potest. Tertiò, ad veram, & legitimam mutationem pœnitentiæ injunctæ opus erat causam, ob quam fuit imposita, iterum judicandam subjici, ac si nunquam judicata fuisset. At hoc est impossibile: nam esto eadem peccata materialia, à quibus primò fuisti absolutus, possis alteri Confessario subjicere, non ea subjicis, sicut primo subjeciſti. Nam primo subjeciſti ut materiam necessariam, secundo, ut liberam, & cuilibet subjicis sub diversa, & distincta confessione, & dolore: ergo non est eadem causa judicanda. Etenim absolutio, & sententia à Confessario prolata non fertur in peccata, sed in pœnitentem, qui diverso, & distincto modo eadem peccata in illis confessionibus fateretur.

3. Fateor, has rationes non levem mihi difficultatem inferre, sed, quia communis Doctorum consensus praxi, & usu Ecclesiæ firmatus in contrarium procedit, censeo, ab eo non esse recedendum, sed affirmandum mutari pœnitentiam posse, tum à superiore, tum ab eodem Confessario, tum ab æquali, tum ab inferiori. Sic pluribus relatis docent Suar. *disp. 38. sect. 10. num. 5.* Vasq. *quæst. 94. art. 2. dub. 3.* Coninc. *disp. 10. dub. 12. concl. 1. & 2. num. 99.* Henriq. *lib. 5. cap. 22. n. 1.* Valen. *disp. 7. quæst. 14. p. 4.* Laym. *lib. 5. sum. tract. 6. cap. 15. quæst. 4.* Bonac. *disp. 5. de pœnit. quæst. 5. sect. 3. p. 3. à num. 1.* Fagund. *de 2. Eccles. præc. lib. 9. c. 4. à n. 15.* Fundamentum est: quia ex benignitate Christi Domini Pœnitentiæ Sacramentum ita institutum est, ut de peccatis à quibus fuisti judicatus, & absolutus, possis iterum judicari, & absolvi: posito autem eo novo judicio, & absolutione illius sententiæ de pœnitentia injuncta, stare poteris omissa prioris judicii sententia: non enim teneris duplicem satisfactionem

condignam pro eodem peccato ſubire. Neque inde fit, ſecundum Sacerdotem prioris ſententiam revocare; ſed eandem cauſam iterum judicare, & pœnitentem ab ea abſolvere, eique optionem dare, ut eligat, quam voluerit ſatisfactionem.

4. Ex hac ratione manifeſtè convincitur ſententia Soti *in* 4. *diſt.* 20. *quæſt.* 2. *art.* 3. *ſub fin.* arbitrantis, ſolum ſuperiorem mutare pœnitentiam à confeſſario injunctam poſſe, non eundem neque æqualem: quia par in parem non habet imperium. Sed eſt frivola ratio: etenim cùm hæc poteſtas mutandi pœnitentiam non oriatur ex eo, quòd unus confeſſarius in alium exerceat juriſdictionem; ſed ex eo, quod juriſdictionem habeat judicandi cauſam ab alio judicatam, ſi inferior ſacerdos eam poteſtatem habeat, ſanè mutare pœnitentiam poterit: ea enim ſuppoſitione facta inferior non eſt cenſendus, ſed æqualis, cùm æqualem, quando illam cauſam, habeat à Chriſto poteſtatem, cujus nomine ſententiam abſolutionis pronunciat, uti docent DD. *n. præcedent.* relati.

5. Ex his ſolvuntur rationes *n.* 2. adductæ. Ad primum concedo, ſententiam eſſe datam à ſupremo judice, nec revocari poſſe, ſed valida perſeverante alia ſimilis ferri poteſt in eadem cauſa, qua poſita optio pœnitenti conceditur eligendi, quam voluerit ſatisfactionem, uti docuit Suar. *diſp.* 38. *ſect.* 10. *n.* 7. Regin. *dicto lib.* 7. *num.* 89. *ad finem.* Bonac. *diſp.* 5. *de pœnit. quæſt.* 5. *ſect.* 3. *p.* 3. *in fine.* Ad ſecundum admitto, in Sacramento pœnitentiæ hanc eſſe commutationem faciendam. Et ad impugnationem reſpondeo, ſufficienter ſubrogari poſſe pœnitentiam denuò injunctam loco prioris; tametſi illius prioris Sacramenti pars integralis non ſit: ſatis enim eſt, quòd ſi pars integralis ſacramenti denuò ſuſcepti. Ad tertiam nego minorem, & ad illius probationem reſpondeo, ſatis eſſe, eandem materialem cauſam judicare, declarata ſimul pœnitentiæ obligatione, & commutationis intentione, aliàs non cenſebitur commutata.

6. Sed, quid, ſi ob caſus reſervatos impoſita pœnitentia ſit à ſuperiore, poteritne inferior, qui poteſtate abſolvendi à reſervatis caret, eam pœnitentiam commutare? Negant ex communi Navarr. *cap.* 26. *n.* 22. Suar. *diſp.* 38. *ſect.* 10. *n.* 14. Coninch. *diſp.* 10. *dub.* 12. *n.* 100. *verſ. Dixi.* Valen *diſp.* 7. *q.* 14. *punct.* 4. *ad fin* Regin. *lib.* 7. *n.* 91. Vega 3. *p. caſu* 1. *verſ. Hæc tamen opinio.* Rodrig. 1. *p. ſum. cap.* 56. *n.* 8. & alii plures Moventur: quia eſto, peccata illa poſt abſolutionem à ſuperiore conceſſam reſervatione careant, poſſintque cujuſlibet ſacerdoris judicio ſubjici, attamen ex jure reſervationis ita ſuperiori adjudicata cenſentur quoad pœnam & vindictam impoſitam, ut nullus inferior eam valeat immutare. Etenim ſublata reſervatione, & abſolutione conceſſa, pœnitens ſtrictus eſt ſuperioris præcepto ad pœnitentiam exequendam: at inferior nequit in ſuperioris præcepto diſpenſare; ergo nequit pœnitentiam à ſuperiore injunctam mutare.

7. Cæterum admiſſa poteſtate commutandi pœtentias injunctas, verius cenſeo, ſacerdotem inferiorem, qui poteſtate in caſus reſervatos caret, poſſe pœnitentiam injunctam à ſuperiori, cui erant ſervati, mutare, ac ſi reſervati numquam fuiſſent. Sic Navarr. *conſ.* 25. *de pœnit. & remiſſ. & conſ.* 3. *aliàs* 6. *de voto*, Zerola *cap.* 25. *de pœnit. quæſt.* 10. *verſ. Dico ſecundo.* Vaſq. *quæſt.* 94. *art.* 2. *dub.* 3. *num.* 9. Bonac. *diſp.* 5. *de pœnit. quæſt.* 5. *ſect.* 3. *part.* 3. *nu.* 6. *verſ. Ego verò.* Henriq. *l.* 5. *cap.* 22. *num.* 1. & 2. Eman. Sà *verb. Satisfactio. num.* 5. Moveor: illa peccata reſervata eatenus ſuperiori affecta ſunt quoad pœnam, & vindictam, quatenus illorum abſolutionem ſacramentalem ſub onere, & obligatione conceſſit. At id non impedit, quominus ab alio inferiori ſacerdote judicati poſſint, & abſolvi injuncta pœnitentia ſalutari. Ergo non impedit, quin pœnitentia ceſſare poſſit, aliàs cogetur pœnitens duplicem condignam pro eiſdem peccatis pœnitentiam ſubire. Neque inde fit, inferiorem ſacerdotem ſuperioris præceptum de pœnitentia injuncta abrogare, aut diſpenſare ſed conditionem quandam apponere, qua præceptum illud ceſſare poſſit. Etenim illud præceptum ſuperioris ſicut & cujuſlibet confeſſarii eſt de exequenda pœnitentia injuncta, dum peccata, ob quæ fuit impoſita, denuò judicata non fuerint: illis autem denuò judicatis, liberum eſt pœnitenti, quam voluerit ſatisfactionem exequi. Neque obinde illuditur finis reſervationis: quia peccata non reſervantur, ut pœnitens neceſſariò ſequatur judicium ſuperioris de pœnitentia injuncta, quin poſſit aliud adire. Unde id conſtat: Sed ideo reſervantur, ut ſe ſiſtat ſuperioris judicio pro abſolutione impetranda, ab eoque monita ſalutis accipiat. Poſſemus noſtram ſententiam confirmare ex *cap. Accedens*, 50. *diſt.* & *cap. Tempore.* 26. *quæſt.* 7. *c. Latorem.* 33. *quæſt.* 2. ubi pœnitentiæ impoſitæ à Pontifice poſſunt ab Epiſcopo relaxari, ſi ſibi videatur expedire. Sed quia hi textus non loquuntur de foro ſacramentali; ſed externo & judiciario omittimus; & præcipuè, quia ex facultate *ibi* à Pontifice conceſſa fit ea relaxatio, ut notavit Gloſſa *in dict. cap. Latorem.*

8. Sed an extra confeſſionem hæc mutatio fieri poſſit variant DD. Primò Navarr. *cap.* 26. & 2. *conſil. lib.* 5. *de pœnit. & rem. conſ.* 26. Valen. 4. *diſp.* 7. *q.* 14. *p.* 4. *in fine.* Chapeavilla *de caſib. reſervatis cap.* 12. *in fine.* cenſent, facta confeſſario relatione peccatorum, ob quæ fuit pœnitentia impoſita, maximè illorum, quæ ejus ſtatum manifeſtant, poſſe pœnitentiam injunctam extra confeſſionem commutare. At Rodrig. *ſum* 1. *p. cap.* 56. *num.* 8. *in addit. ad Bull.* §. 9. *num.* 10. nequit hanc relationem peccatorum requiri, ſed ſolùm notitiam cauſæ ad commutationem requiſitæ, quæ regulariter eſt difficultas ſpecialis in executione pœnitentiæ injunctæ. Fundamentum horum DD. eſſe poteſt: quia cùm pœnitentia in bonum pœnitentis injuncta ſit; videtur ea conditione injuncta eſſe, ut ſi pœnitenti conveniens fuerit illius commutatio, fieri à ſacerdote poſſit.

Secundò Henriq. *lib.* 5. *cap* 21. *num.* 8. referens Sotum *in* 4. *diſt.* 20. *q.* 2. *art.* 1. §. *calce.* Vict. *de clavibus.* §. 13. & §. 211. Angel. *Confeſſio*, 6. §. 4. Armilla §. 29. Navarr. *c.* 26. *n.* 22. non ſolùm commutari, ſed & diſpenſari, ſeu relaxari à ſuperiore ſacerdote pœnitentiam poſſe, ſicuti præſtat Pontifex conceſſione indulgentiarum pro pœnitentiis injunctis, & Epiſcopus concedendo diſpenſationem. Nam eſto Sacerdos ea poteſtate, quam à Chriſto accepit ligandi, ac ſolvendi, obligationem pœnitentiæ injunxerit: quia tamen hæc obligatio ab homine inferiori, & Epiſcopo ſubjecto emanavit, ea de cauſa poteſt Epiſcopus in eo diſpenſare, aut commutationem facere. Tertiò in melius ab alio ſacerdote, & etiam à proprio pœnitente commutari pœnitentiam poſſe, docet tanquam certum Villalob. *ſumm. tract.* 9. *de pœnit. difficult.* 79. *concl.* 1. Nam cùm in utilitatem pœnitentis lex de pœnitentia ſancita ſit, cenſetur confeſſarius, conſentire, ut in melius commutari poſſit: abundantius enim ſolvit debitum, qui in melius pœnitentem commutat.

9. Cæterùm communior ſententia docet, quæque mihi certa videtur, extra confeſſionem nullatenus fieri poſſe commutationem pœnitentiæ injunctæ. Nam extra confeſſionem ſubrogari non poteſt pœnitentia, quæ ſacramentalis ſit, & ex opere operato pœnas pro peccatis debitas remittat: Sic Vaſq. *de pœnit. quæſt.* 94. *art.* 2. *dub.* 3. *num.* 7. Coninch. *diſp.* 10. *de pœnit. dub.* 12. *à n.* 100. Reginal. *l.* 7. *n.* 42. & 93. Suar. *diſp.* 38. *ſect.* 10. *n.* 4. Bonac. *diſp.* 5. *de pœnit. q.* 5. *ſect.* 5. *p.* 4. *n.* 7. Laym. *l.* 5. *ſum. tr.* 6. *cap.* 15. *circa fin. q.* 4. Fagund. *de* 2. *Eccleſ. præcep. l.* 9. *c.* 5. *n.* 17.

10. Hinc

10. Hinc à fortiori constat, pœnitentem non posse extra confessionem mutare pœnitentiam in confessione injunctam, tametsi in melius velit illam commutare: quia ea mutatio, & subrogatio sacramentalis esse non potest, neque pœnitentem ad illius executionem ligare ex eo, quòd sit pars sacramenti: & ex potestate clavium injuncta: nequit enim pœnitens in seipsum jurisdictionem exercere, & in pœnam delicti commissi se ad pœnitentem obligare alia via, quàm voto, vel juramento. Et ita docent Henriq. *lib.5. cap.20. numer.5.* Coninch. *de pœnit. disput.10. dub.12. n.103.* Regin. *lib.7. cap.8. in princ. numer.85.* Thom. Sanch. *libr.4. sum. cap.11. numer.36. in fin.* & *cap.49. numer.9. ad 6. argument.* Bonac. *disput.5. de pœnit. quæst.5. sect.3. p.3. in fin.* Ochagau. *tract. ult. de satisfact. quæst.12. num.2.*

11. Fundamenta Doctorum contrariam sententiam non urgent. Ad prioris sententiæ fundamentum respondeo, esto, in impositione pœnitentiæ imbibatur conditio, ut commutari possit, quoties pœnitenti visum fuerit expedire: at inde non infertur extra sacramentum commutationem fieri posse: satis enim pœnitenti consultum est, si intra sacramentum ea commutatio fieri permittatur. Ad secundæ sententiæ priorem rationem concedo, Pontificem concessione Indulgentiarum relaxare pœnitentiam satisfactoriam posse: quia ex meritis Christi applicat omnem illam satisfactionem, quam executione operis in pœnitentiam injuncti pœnitens obtineret: hæc tamen non est commutatio pœnitentiæ, cùm ad novam pœnitentiam nulla pœnitenti pro priori pœnitentia subrogetur obligatio, sed est cessatio pœnitentiæ injunctæ ob plenam peccatorum remissionem. Ad secundam nego, Episcopum, imò, nec Pontificem extra sacramentum dispensare, commutare abrogaréque posse directè obligationem à Confessario inferiori injunctam: quia in administratione sacramenti, ex suppositione, quòd sacerdos jurisdictionem habeat, nullus alteri inferior est: quia omnes nomine Christi, & ex potestate ab illo accepta, operantur. Ad tertiæ sententiæ fundamentum nego, ex consensu Confessarii fieri eam pœnitentiæ mutationem: nam vel fit ex consensu præsumpto, cùm fit ea mutatio: & hoc non; quia eo tempore, cùm sacramentum non ministret, non potest partem integralem sacramenti subrogare, & in pœnitentem jurisdictionem exercere: vel fit ea mutatio ob consensum, quem præsumitur habuisse, cùm Sacramentum Pœnitentiæ ministravit, & satisfactionem imposuit. Et hoc etiam nulla ratione videtur affirmandum: nam, si Confessarius, pœnitentiam imponens, ea intentione, & lege imponere censetur, ut possit pœnitens, si velit, excellentionem eligere; sanè nom absolutè, sed sub disiunctione pœnitentiam imponit, neque ad opus injunctum determinatè astringit, cùm liberè possit à pœnitente aliud, modò excellentius fit, subrogari. Prætereà hæc non esset mutatio pœnitentiæ; sed executio pœnitentiæ injunctæ: siquidem à Confessario à principio injunctum fuit, non opus aliquod determinatum; sed illud, vel aliud excellentius, quod pœnitens elegerit: permittitur enim pœnitenti ex consensu Confessarii electio ex operibus injunctis, sed non injuncti operis mutatio. Qui modus dicendi alienus est à communi Ecclesiæsensu, existimantis, Confessarium ad opus determinatum astringere pœnitentem, neque sub disiunctione pœnitentiam designare, neque liberam illius optionem pœnitenti committere.

12. Posito autem, quòd in sacramento Pœnitentiæ hæc mutatio præstanda sit, variant Doctores, an necesse sit, eadem peccata, ob quæ imposita sit, confiteri? Plures, gravésque Doctores, Navar. *c.26. n.22.* Henriq. *lib.5. cap.23. n.1. & 2.* Eman. Sà *verb. Satisfactio numer.5.* Tolet. *lib.3. cap.11. numer.11.* Vivald. *de satisfact. numer.29. & 30.* Anton. Fernand. *instruct Confess. docum.7. fol.37. num.5.* Vict. *num.211.* Villal. *summ. tr.9. diffic.79. conclus.5.* reputant probabile Possevin. *de offic. Curati, capit.7. numer.106. fol.254.* & Layman. *lib.5. sum. tr.6. cap.15. in fin.* negant opus esse eadem peccata fateri, sed satis esse, causam commutationis adesse, ut possit Confessarius quibusvis peccatis auditis pœnitentiam injungere, tum in præsentium satisfactionem, tum in subrogationem prioris pœnitentiæ injunctæ, Moventur quia pœnitens censetur Confessario subjici in obligationibus, quæ ex confessione ortum habent; & consequenter Confessarius jurisdictionem habet obligationem pœnitentiæ injunctæ tollendi, & aliam de novo imponendi. Et quamuis peccata, ob quæ illa pœnitentia data sit, non agnoscat, satis videtur esse, si agnoscat obligationem ipsius pœnitens ad illius pœnitentiæ executionem, & adsit causa mutationem exigens. Quòd si roges, quæ sit causa sufficiens ad commutationem præstandam, respondent. Nav. Henriq. Villalob. Man. Rodr. *in addit. ad Bull. §.9. n.102.* & alii communiter, esse difficultatem gravem in illius executione, timorem probabilem de illius transgressione, & quamlibet aliam, quæ ad commutationem, vel dispensationem in voto, vel juramento sufficeret.

13. Nihilominus longè verius existimo, opus esse ad hanc commutationem pœnitentiæ præstandam, agnoscere, & judicare peccata, saltem præcipua, ob quæ imposita fuit, sive mutatio ab eodem Confessario, sive ab alio fiat. Sic, aliis relatis, docent Suarez *disput.38 sect.10. n.4.* Coninch. *disput.10. dub.12. conclus.3.* Laym. *lib.5. sum. tr.6. capit.15. q.4.* Bonac. *disp.5. de pœnit. quæst.5. sess.3. p.3. dub.2. n.7.* Ratio ea est: quia eatenus mutare pœnitentiam potes ab alio confessore injunctam, quatenus potes eandem causam judicare. At, si peccata, ob quæ fuit pœnitentia imposita, tibi manifestentur, nequis illa judicare. Ergo nequis peccatis incognitis pœnitentiam mutare. Prætereà inconsultè pœnitentiam subrogare nesciens peccata, in quorum vindictam subroganda est. Et ex his solvitur ratio oppositæ sententiæ. Non enim sufficit, quòd obligationem pœnitentis agnoscas, sed opus est, ut cognoscas, & judices causam illius obligationis: quia nequis pœnitentiam sacramentalem novam constituere eisdem peccatis, nisi ea peccata sacramentaliter judices: quod præstare non potes absque illorum cognitione, & pœnitentis confessione. Quando idem est Confessarius, ad quem ob pœnitentiæ mutationem accedis, & memoria retinet peccata ob quæ imposita fuit, sat est unico verbo ea omnia subjicere, dicens, te denuò accusare, de peccatis priùs confessis, & Confessario præcedenti confessione manifestatis, ut benè observavit Coninch. *disp.10. dub.12. n.102.*

14. Porrò graves Doctores, Scotus *in 4. dist.20. q.2. art.3.* Vival. *de satisfact. n.31.* Coninch. *disp.10. dub.12. numer.102.* Laym. *l.5. sum. tr.6. c.15. quæst.4. concl.2.* Vival. *tr.9. diffic.79. numer.3.* Henriquez *lib.5. cap.21. in fin* censent, si intra breve temqus scilicet, unius diei ut placuit Coninch. & Laym. vel duorum triúmque dierum, ut Sotus & Vival. censuerunt, vel unius hebdomadæ, (ut putavit Henriq.) ad eundem confessarium recurras pro pœnitentiæ injunctæ mutatione, vel moderatione, posse eam moderationem, vel mutationem facere nullo denuo sacramento ministrato: quia moraliter censetur, ac si in confessione præcedenti ea mutatio facta esset: sicuti Judicibus fori externi contingit, qui in continenti sententiam datam interpretantur, vel moderantur. At huic doctrinæ nunquam potui acquiescere. Nam si demus, à peccatis absolutum, pœnitentiaque suscepta à præsentia confessoris discessisse, judicium illud omnino finitum est: nihil enim tali judicio deficit. Ergo nequit confessarius postmodum, pœnitentiam injunctam mutare nulla

denuò confessione facta: sicuti non potest novam absolutionem concedere. Nam ea nova pœnitentiæ impositio ad præcedentem confessionem pertinere non potest: quippe ea confessio absque reluctatione ad hanc novam pœnitentiam completa fuit non solùm essentialiter, sed etiam integraliter. Requiritur ergo ad pœnitentiam mutationem, quòd intra eandem confessionem fiat: quia tunc non mutatur, sed primò imponitur; vel si finita confessione, absolutione suscepta, & pœnitentia perfectè injuncta mutanda est pœnitentia, denuo confessio facienda est, absolutio concedenda, tametsi intra horam hæc mutatio contingat.

15. Superest dicendum de causis excusantibus à pœnitentiæ executione. Primò, si pœnitentia integra à principio immoderata fuit; tum spectata gravitate peccatorum, tum spectata tua dispositione, excusaris ab illius obligatione. Si solùm aliqua illius pars fuerit immoderata, ab ea excusatus eris, ut benè notavit Coninch. *disp.*10. *dub.* 12. *in princ. n.*97. Layman. *l.*5. *sum. tr.*6. *c.*15. *& ult. q.*4. *n.*17. ubique advertit, quemliber virum doctum, imò & pœnitentem, si talis est, judicare posse, an pœnitentia imprudenter fuerit injuncta. Rarò tamen, & non sine manifesta ratione hoc judicandum est.

16. Secundò excusaris, si successu temporis, & ob ob circunstantias occurrentes facta tibi fuerit moraliter impossibilis: lex enim divina, quæ jugum est suave, & onus leve neminem astringit cum gravi illius detrimento. Et notarunt prædicti Doctores, advertúntque, in his casibus opus non esse novam aliam pœnitentiam subrogare, non enim sacramentalis esset, nisi in sacramento subrogaretur, cujus nulla est obligatio, quippe nunquam obligari potes bis eadem peccata fateri.

17. Tertiò, excusaris ab executione pœnitentiæ ob præceptum superioris vetantis opera injuncta. Si enim tibi Religioso, uxorato, vel servo aliqua jejunia, peregrinationes, Ecclesiarum visitationes essent injuncta, & à marito, domino, vel Prælato impediaris, excusaris toto eo tempore ab illorum obligatione. Neque teneris Confessorem adire, ut pœnitentiam in opus tibi permissum commutet, quia non teneris peccata iterum fateri: quod secundùm probabiliorem sententiam necessariò requiritur ad commutationem. Neque item, si famulus es, teneris quærere alium dominum, qui pœnitentiam exequi permittat: quia præceptum de pœnitentia injuncta obligat ad illius executionem, stante potentia: non autem obligat ad quærendam potentiam, uti benè notavit Joan. Sanch. *in select. disp.*15. *n.*8. *& seqq.* Notanter dixi, te excusatum esse eo tempore, quo ex præcepto superioris impediris: nam, eo cessante, succedit pœnitentiæ obligatio, nisi determinato tempori, quod jam transivit, alligata fuerit: prohibitio superioris pœnitentiam suspendit, non tollit.

18. Quartò excusaris, si oblitus es pœnitentiæ injunctæ, tametsi ex negligentia id contigerit: quia es factus impotens ad illius executionem. Sic omnes Doctores referendi. At, si præsumas, Confessarium memorem esse pœnitentiæ injunctæ, teneris illum adire, & interrogare, uti benè docent Caietan. *in sum. verb. Confessio iteranda. §. Ex satisfactionis* Sotus *in* 4. *dist.*20. *q.*2. *artic* 2. *ad* 3. Med. *de pœnit. tr.*2. *q.*44. §. *Sequitur ex dictis.* Navarr. *c.*9. *n.*17. Coninch. *disp.*10. *de pœnit. dub.*9. *in fin. n.*86 Bon. *disp.*5. *de pœnit. q.*5. *sect.*3. *p.*3. *n* 10. Ratio est: quia teneris inquirere de lege, cùm scis legem latam esse. Item teneris removere impedimentum executionis præcepti, si facilè possis. Ergo teneris interrogare confessarium de lege pœnitentiæ, & media hac interrogatione ignorantiam illius purgare, ob quam impotens es illam exequendi.

19. Quòd si confessarius pœnitentiæ injunctæ non recordetur, vel ipse inveniri non possit, Censent Richar. *in* 4. *dist.*17. *art.*2. *quæst.*8. *ad* 2. S. Ant. 3. *p. tit.* 14. *cap.*19 §.19. Sylvest. *verbo Confessio*, 1. *quæst.*3. *vers. Secundò* Bon. *disp.*5. *de pœn. q* 5. *sect.*5. *p.*3. *n.*9. *&* 10. te obligatum esse, iterum ea peccata fateri: tum (ut inquit Bon.) ut integritati Sacramenti satisfacias, cui satisfacere nequaquam potes, nisi per pœnitentiæ prioris executionem, vel novæ pœnitentiæ in Sacramento susceptionem: tum ut obligationem à confessario injunctam exequaris: quippe ea lege confessarius pœnitentiam injungere videtur, ut si ob aliquam causam impotens sis illius exequendæ, subrogationem procures. Sed contrarium dicendum est cum Vasq. *quæst.*94. *art.*2. *dub* 4. Suar. *disp.*22. *sect*17. *num.*5. Coninch. *disp.*10. *dub.*9. *in fin. num.*86. Laym. *l.*5. *summ. tract.*6. *cap.*15. *quæst.*4. *in fin.* Joan. Sanch. *disp.*15. *select. n.*11. & aliis apud ipsos. Moventur: quia ex nullo humano præcepto obligari potes ad peccata iterum fatenda, neque id confessarius præcepit: sed præcepit opus aliquod determinatum exequi, quod jam est impossibile. Ex divino autem, vel naturali præcepto hæc obligatio in præsenti oritur: quippe hæc repetita confessio non est necessaria ad remissionem culpæ, cùm jam per primam confessionem obtenta sit, neque est necessaria ad remissionem pœnæ pro culpa debitæ, cùm aliis viis hæc remissio obtineri possit, neque ad integritatem prioris sacramenti, cùm pœnitentia denuò injuncta nequeat illius esse pars. Ergo ex nullo capite ad repetendam confes. teneris.

20. Quinimò existimo cum Coninch. *disput.*10. *dub.*12. *in fine.* Layman. *d. tract.*6. *c. ult. fin.* Joan. Sanch *disput.*15. *num.*11. Bon. *disp.*5. *de pœnit. quæst.*5. *sect.*3. *p.*5. *circa finem.* Filliuc. *tract.*7. *cap.*4. *n.*97. te non esse obligatum, etiam ex consilio sacerdotis, ea opera subrogare, quæ plerumque in pœnitentiam designantur illis peccatis, quorum pœnitentiæ injunctæ oblitus es: quia si ea opera sunt diversa ab injunctis, pars sacramentalis esse non possunt, ac proinde loco pœnitentiæ sacramentalis subrogari nequeunt.

21. Quartò excusaris obtentione Indulgentiæ plenariæ; hæc enim plenè peccata remittit: at obligatio exequendi pœnitentiam non tam est ob integritatem sacramenti, quàm ob debitam vindictam, & satisfactionem pro commissis peccatis. Si igitur nihil restat satisfaciendum ex defectu finis, cessat præceptum de pœnitentia exhibenda. Atque ita docent Vivald. *de satisfact. tit.*9. *n.*37. Valen. *tom.*4. *disp.*7. *quæst.*20. *p* 3. Bon. *disp.*5. *de Sacram. quæst.*5. *sect.*3. *p.*4. *num.*7. Ad hanc autem excusationem non est opus clara, & evidens notitia, te indulgentiam esse consecutum: sufficit, si probabiliter conjectari possis, ut bene notavit Bonac. *d. p.*4. *n.*10. *in fine.*

Idem, quod dictum est de indulgentiæ consecutione dicendum est, si aliorum operum exercitio plenam pœnæ pro peccatis debitæ remissionem obtinueris, sicuti advertit Bonac. *d. p.*4. *n.*8. quia est prorsus eadem ratio. Rarò tamen, vel nunquam absque revelatione id tibi constare potest. Quis enim agnoscit pœnam cuilibet peccato designatam? quia satisfactionem bonis operibus correspondentem, ut inde inferre probabiliter possit, plenam remissionem obtentam esse?

Supradicta intelligi debent de pœnitentia præcipuè in satisfactionem injuncta: at, cùm plerumque omnes pœnitentiæ à confessario designatæ, non tam in satisfactionem peccatorum præteritorum, quàm in futurorum medelam designentur, & ut pœnitens bonis operibus assuefiat, ideò rarò vel nunquam ob Indulgentiarum consecutionem à pœnitentiis injunctis excusari potes, ut bene addunt, pluribus relatis. Henriq. *l.*5. *sum. cap.*22. *n.*6. Suar. *disp.*38 *sect.* 10. *n.*10. Reginald. *l.*7. *n.*92. *&* 170. Bonac. *disput.*5. *de pœnit. q.*5. *sect.*3. *pun.*4. *n.*10.

TRACTAT.

TRACTATUS XXIII.

ET

DISPUTATIO UNICA,

DE SUFFRAGIIS, INDULGENTIIS, ET JUBILEO.

PUNCTUM I.

De ſuffragiis, quæ in fidelium vivorum, & defunctorum favorem præſtari poſſunt.

SUFFRAGIUM, ſpectato rigore linguæ Latinæ, eſt quædam authentica ſignificatio voluntatis, tum in creandis Magiſtratibus, tum in reo judicando, tum in lite decidenda, & ſimilibus, juxta illud Cicer. 3. de legib. *Suffragia in Magiſtratu mandando, aut etiam de reo judicando palam fieri melius eſſet.* At, quia hæc ſignificatio voluntatis plerumque utilis eſſe ſolet ei, pro quo fit. Theologi cum D. Thom *in* 4. *diſt.* 45. ſuffragium appellarunt auxilium, & favorem, quem aliis fidelibus noſtris bonis operibus impendimus Videndum igitur, qualiter, tum viventibus, tum defunctis, ſuffragari poſſimus, & quæ conditiones ad prædicta ſuffragia requirantur.

§. I.

Qualiter noſtris bonis operibus poſſimus fidelibus viventibus ſuffragari.

1. *Triplicem qualitatem ſatisfactionis, impetrationis, & meriti noſtra bona opera habent.*
2. *Impetratio nobis, & aliis prodeſt.*
3. *Meritum alteri applicari non poteſt.*
4. *An ſatisfactio aliis proſit, proponitur dubitandi ratio.*
5. *Aſſeritur, noſtras ſatisfactiones aliis prodeſſe.*
6. *Solvitur ratio dubitandi in* 4. *adducta.*
7. *An efficaciter & infallibiliter aliis poſſit noſtra ſatisfactio. Negant plures.*
8. *Rectius alii affirmant.*
9. *Oppoſitæ rationes diſſolvuntur.*

1. POnendum eſt, quod ſæpè eſt repetitum, noſtra bona opera triplicem qualitatem habere, impetrationis, ſatisfactionis, & meriti.

2. Qua parte impetrationem habent, non ſolùm nobis, ſed etiam aliis, ſaltem de congruo, proſunt ut manifeſtè colligitur ex illo ad Rom. 15 *Obſecro vos Fratres, ut adjuvetis me in orationibus pro me à Deo.* & Jacobi 5. *Orate pro invicem ut ſalvemini.* Quinimò ad hanc impetrationem non eſt neceſſarium, ut ſpeciali intentione velis alteri tuis bonis operibus beneficium impetrare: ſæpè enim benigniſſimus Dominus ob merita alicujus Sancti aliis dona non mediocria concedit. Cùm enim omnes fideles in charitate exiſtentes ſint unius corporis membra, Chriſto Capiti unita, communicationem inter ſe habere debent, & unius operationes aliis omnibus deſervire: ſicuti in humano corpore videre licet, ubi quodlibet membrum vivum, non ſolum ſibi, ſed etiam aliis operatur. Quod ita certum eſt, ut fide divina teneamur credere, hanc Sanctorum communionem, ſeu communicationem.

3. At, parte noſtra bona opera meritoria ſunt gratiæ, & gloriæ, ſolis ea operantibus prodeſſe poſſunt. Nemini enim datum eſt, ut ſua merita aliis applicare poſſit: eſſet enim alienum à charitate, alteri applicare, quo ipſe indiget. Præterquàm quòd jus ad gloriam concedi non poteſt abſque gratia, & ſatisfactione. Sanctitas autem non alienis operibus, ſed propriis comparari debet. Non igitur noſtra merita applicari alteri poſſunt, uti tradit S. Thom. ab omnibus receptus *in* 4. *diſtinct.* 45. *quæſt.* 2. *artic* 1. *quæſtionc.* 4.

4. Quapropter præſens contraverſia ſolùm eſt de noſtris bonis operibus, qua parte ſatisfactoria ſunt: an, inquam, aliis fidelibus applicata illis proſint ad pœnæ pro peccatis debitæ remiſſionem, ſicuti nobis indigentibus proſunt? Videri poteſt alicui hoc impoſſibile. Primò, quia obligatio ſatisfaciendi eſt debitum perſonale, utpote propria culpa, & non aliena contractum. Ergo aliena ſatisfactione remitititi non poteſt; ſicuti non poteſt remitti culpa, ex qua debitum illud naſcitur. Et fortè ob hanc cauſam dixit Paul. 2. ad Cor. 5. *Vnuſquiſque recipiet, prout geſſit in corpore* & ad Galat. 6. *Vnuſquique onus ſuum portabit.* Secundò, nemo poteſt alteri mereri gratiæ, & gloriæ augmentum: ergo neque pœnæ debitæ remiſſionem, qua ad gloriam proximè diſponitur, & præparatur. Tertiò, quia nullus eſt locus Scripturæ, aut Conciliorum, ex quo manifeſtè colligitur, ſatisfactionem noſtrorum operum aliis fidelibus applicari: omnia enim teſtimonia, quæ adducuntur, nihil aliud probant, quàm noſtra bona opera aliis fidelibus prodeſſe, quod ex merito de congruo, & per modum impetrationis ſufficienter intelligi, poteſt, ideóque non defuit, qui diceret, ob noſtra bona opera aliis applicata excitari Deum ad concedendam eis pœnarum remiſſionem liberalem, tametſi ſatisfactio bonis operibus inhærens illis applicata non fuerit, neque applicari poſſit.

5. Cæterùm pro certo tenendum eſt noſtras ſatisfactiones aliis applicari poſſe, tanquàm pretium ſufficiens, quo pœnæ debitæ remittuntur. Sic D. Thom. quem ferè omnes ſequuntur, *in* 4. *diſt.* 20. *qu.* 1. *art.* 2. *qq.* 3. & *d.* 45. *quæſt.* 2. *artic.* 1. Bonav. Duran. Palud. Richard. Alenſ. & alii, quos referunt, & ſequuntur Navar. *tract. Indulgent. notab.* 13. *per totum*, & *notab.* 22.

n.8. & 19. Covarr. *cap. Alma mater. 1.p.§.4.num.7.* Bellarm. *lib.1.de Indulgent. cap.2.* Suar. *tom.4.in 3.p. disp.48.de suffrag.sect.2.n.4.* Coninch. *disp.10.dub.7. n.55. & disp.11. dub.1. & 7.* Bonac. *disp.6 de suffrag. q.2. part.1. in princip.* Ratio ea est: quia negari non potest, potuisse Deum unius satisfactiones pro alio oblatas acceptare in remissionem pœnæ pro illius peccatis debitæ, sicuti acceptat propriam cujusque satisfactionem in remissionem propriorum peccatorum, quam nullatenus acceptare tenebatur: sed poterat Deus, non obstante qualibet satisfactione exhibita, nos punire, prout sibi placitum esset: quia peccati gravitas est infinita, nullaque humana satisfactione delebilis. At remissa culpa, & pœna æterna in temporalem commutata, contentúsque humana satisfactione pro illius remissione, eo ipso, quo satisfactio condigna exhibetur, debita est pœnæ remissio: quia fit solutio debiti, juxta Dei creditoris voluntatem. Quòd autem Deus unius pro alio satisfactiones acceptet, probat communis Ecclesiæ sensus: omnes enim credunt, unum pro alio satisfacere posse: quod verum non esset ob solam impetrationem liberalis remissionis, nisi adesset debiti condigna solutio. Præterquàm quòd ex lege ordinaria nemo potest remissionem gratuitam impetrare, si enim sibi impetrare non potest, à fortiori neque alteri, præcipuè cùm rationi dissonum sit, velle remissionem gratuitam debiti ex justitia, qui habet, unde solvat. Neque Christus Dominus eam remissionem obtinuit, sed satisfactiones superabundantes Deo obtulit, ex quibus, tanquàm ex pretio, solutioneque sufficienti, per Pontificem applicatis in Indulgentiarum concessione, tum in Sacramentorum ministratione, & Sacrificio nobis debitum pœnarum remitteretur. Deinde omnes Sancti inter se communicant, velut unius corporis membra: ergo habent omnem communicationem possibilem: ergo communicant in satisfactionibus, quippe hæc communicatio nullum habet inconveniens: sed potiùs maximè expedit, utpote quæ mutuum amorem, & charitatem auget: ergo asserenda est. Tandem Sanctorum satisfactiones superabundantes in Ecclesiæ thesauro repositæ per Pontificem applicantur fidelibus in suorum peccatorum remissionem. Ergo eadem poterunt Sancti fidelibus applicare, tempore quo præstabantur, & sub suo dominio erant: siquidem ob defectum hujus applicationis ex benignitate Dei in thesauro Ecclesiæ repositæ fuerunt, ne perirent.

6. Argumenta verò oppositæ sententiæ nullius sunt momenti. Ad primum fateor, debitum pœnæ personale esse; ideóque tolli non posse, nisi per condignam debitoris satisfactionem, vel creditoris remissionem. At benignissimus Deus, sicuti contentus est satisfactione debitoris aliàs debita, contentus enim est satisfactione aliena in favorem debitoris oblata, in quo Dei benignitas, & misericordia elucet. At remissionem culpæ concedere ob aliena opera, nec divinam bonitatem decebat, nec peccatori erat expediens. Cùm enim per propriam voluntatem se à Deo averterit; expediebat non aliena, sed propria voluntate converti. Testimonia verò Pauli *ad Corinth.* & *ad Galat.* de sententia Judicii extremi loquuntur, in quo unusquisque portabit, & solvet, prout in hac vita gessit. Quod diversum est à nostro instituto. Ad secundum respondeo, esse latum discrimen de remissione pœnæ temporalis ex peccatis relictæ, & de merito gratiæ, & gloriæ: hoc enim propriis operibus expediebat comparari, cùm sit intrinseca & supernaturalis hominis renovatio: at remissio pœnæ, cùm à solo Deo creditore facienda sit, neque reddat hominem sanctiorem mirum non est, quòd alienis operibus, tanquàm pretio, & solutione sufficienti comparetur. Ad tertium dico, esto, nullo textu Scripturæ, & Conciliorum manifestè probetur hæc Sanctorum communio in satisfactionibus: probatur tamen, communi fidelium consensu, sub communione Sanctorum contineri utpote possibilem, & fidelibus convenientem, divinæque bonitati, & misericordiæ conformem.

7. Superest tamen difficultas, an hæc applicatio efficax sit, & infallibiliter effectum habeat. Stat enim optimè, Deum nunquam remittere pœnam pro peccatis debitam, nisi ipse peccator condignè in Purgatorio satis patiatur, vel in hac vita sufficientem satisfactionem exhibeat, vel alius justus propriam satisfactionem illi donet, sub hac tamen differentia, quòd satisfactionem uniuscujusque pro se factam promittit acceptare semper: pro alio verò oblatam, quando sibi placitum fuerit. Quo supposito, esto, unus justus suas alteri satisfactiones applicet, non inde infertur, ei de facto applicari, quia non est certum, & infallibile à Deo acceptas haberi: cùm verò Deus illas acceptas habet, non gratis, & liberaliter pœnam remittit, sed ob condignam solutionem.

Quòd verò Deus se ita gerat, eámque legem statuerit in remissione pœnarum, & satisfactionum communicatione docuit Medin. *tr.3.de satisfact.q.2.& 3.* Cord. *l.4. de indulgent. q.5. ad 8.* Bonac. *disp.6.q.2. p.1. in fin.* inclinat Coninch. *disp.10. n.59. dub.7.* Et probari potest primò ex differentia quæ operatur in Scriptura sacra, inter propriam, & alienam satisfactionem: nam de propria satisfactione passim est facta promissio acceptationis, ut colligitur ex illo Tob.12. *Eleemosyna liberat à morte, & purgat peccata.* Dan.4. *Peccata tua eleemosynis redime.* 2.Paral.33. Manasses per pœnitentiam impetravit relaxationem à captivitate. Et clariùs Paul 1.*Cor.*11. dixit, non esse judicandos, qui se ipsos judicant, id est, puniendos non esse ob sua peccata, qui se in hac vita puniunt. Et 2.*ad Cor.*7. asserit, tristitiam secundùm Deum operari salutem, & vindictam: quia vindicat peccata, quæ commisimus. At de remissione pœnæ ob alienam satisfactionem, nulla ostendi potest acceptationis promissio: ergo referenda est divino beneplacito. Secundò, cùm nostras orationes pro aliis fundimus, non infallibiliter postulatum impetramus: quia nulla adest hujus concessionis promissio. Ergo idem dicendum est de satisfactione pro alio oblata. Tertiò, divinus honor læsus per peccatum humiliatione propria, & vindicta in proprio corpore sumpta quodammodo reparatur, sed non sic aliena humiliatione, & vindicta: ergo mirum non est, quòd propria satisfactio infallibiliter acceptatur: secùs verò aliena.

8. Cæterùm, alienam satisfactionem, sicut & propriam infallibiliter acceptari, rectiùs docuit D.Th. 3. *contra Gentes, c.158.* ibi: *Sicut per se ipsum, ita & per alium, potest aliquis satisfacere Deo.* Et paulò inferiùs: *Affectio charitatis in eo qui pro amico patitur, facit magis satisfactionem Deo acceptam, quam si ipse pateretur. Si autem oblatam pro amico satisfactionem repellere Deus potest, manifestum est, non esse Deo acceptam aque, ac si ipse pateretur.* Et Pius V. *in Catechismo*, ubi de pœnitentia *n.62.* inquit: *Qui divina gratia præditi sunt, alterius nomine possunt, quod Deo debetur persolvere quare fit, ut quodam pacto alterius onera portare videantur.* Et concludit: *Nec verò de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est, qui in Apostolorum Symbolo SS. Communionem profitemur.* At non possunt Deo persolvere, si ipse Deus solutionem acceptare non tenetur: ergo ex sententia D. Thom. & Pii V. obligatus est Deus satisfactionem alienam, æquè ac propriam, acceptare. Et ita latè probat Suar. *disp.48. sect.3. à num.3.* & nos breviter diximus *tract. de pœnitent. punct. ultim. de satisfact. §.1.* Ratio est: quia ex suppositione, quòd Sancti in satisfactionibus communicant, & unius satisfactiones aliis prosunt, ut omnes Catholici fatentur immeritò, & absque

funda

fundamento asseritur, hanc communicationem non esse firmam & continuam, sed solùm aliquando, & rarò pro divinæ voluntatis libero beneplacito: hæc enim restrictio nec charitatem fovet, sed diminuit; nec divinam liberalitatem, & misericordiam commendat, sed coarctat; & nullum in Scriptura, neque in aliquo Concilio, aut Sancto, illius apparet vestigium, quod ampliùs constabit ex oppositorum solutione. Ergo, &c.

9. Ad primum fateor, clariora esse in Scriptura testimonia pro acceptatione satisfactionis propriæ, quàm alienæ, ideóque certius esse, satisfactionem propriam acceptari. At non desunt testimonia Scripturæ, quæ alienam satisfactionem acceptati indicent, ut est Pauli 1. ad Cor. 2. *Adjuvantibus vobis in oratione pro nobis, ut ex multis personis ejus, quæ in nobis est, donationis per multos gratia agantur pro nobis.* Quæ verba, ut expendit Chrysost. non solùm de impetratione donorum, sed de venia, & remissione intelligi debent. Ad idem est 2. ad Cor. 2. *Cui aliquid donastis, & ego. Nam & ego, quod donavi, si quid donavi propter vos*, &c. Et quamvis nullus esset Scripturæ locus ex quo id convinci possit, sufficit communis fidelium consensus, satisfactiones unius aliis prodesse, & cùm non possit probari non prodesse, infallibiliter affirmandum est infallibiliter prodesse. Præterquam quòd testimonia adducta de propria satisfactione, nisi infallibilem acceptationem non ostendant, sed eo ipso, quo satisfactio ad remittenda peccata, & pœnas debitas consulitur, infertur infallibiliter ad prædictum effectum prodesse: at sæpè Ecclesia consulit fideles, ut se invicem in satisfactione peccatorum adjuvent, testatúrque alienas satisfactiones, ut proprias, prodesse. Ergo dicendum est, prodesse infallibiliter. Ad secundum neganda est consequentia ob discrimen impetrationis à satisfactione: impetratio enim non nititur operis dignitati, sed Dei liberalitati, & benignitati, & ab homine peccatore fieri potest: ideò mirum non est, quòd effectum habeat infallibilem: sicuti neque habet oratio, quam quisque pro se offert. At satisfactio ab homine justo, & Deo grato necessariò exhibetur estque debiti condigna solutio: admitti ergo infallibiliter debet. Tertium argumentum solùm probat, aptiùs propriam satisfactionem admitti, quàm alienam, sed cùm utraque admittatur ex divina misericordia utraque infallibiliter admittitur.

§. II.

Qualiter defunctis possimus nostris bonis operibus suffragari.

1. *Fide certum est, defunctos nostris bonis operibus juvari posse.*
2. *Debent tamen in Purgatorio existere: nam Beatis solùm ad extrinsecum honorem prodesse possunt.*
3. *Damnatis nullo modo.*
4. *Neque animabus in Limbo existentibus.*
5. *Sed solùm existentibus in Purgatorio.*
6. *Prosunt prædictis nostra suffragia quoad satisfactionem.*
7. *Negant plures infallibiliter.*
8. *Verius est oppositum.*
9. *Fit satis oppositæ rationi.*
10. *Probatur nostris orationibus impetrari posse defunctis liberalem pœnæ remissionem.*
11. *Verius est oppositum.*
12. *Argumenta in contrarium dissolvuntur.*

1. Fide tenendum est, nostris bonis operibus defunctos juvari posse. Etenim, cùm ipsi nobiscum communionem habeant, utpote membra unius corporis sub uno capite Christo existentia, eorum onera portare poterimus, juxta Ecclesiæ perpetuam traditionem, & praxim à Patribus, & Conciliis probatam, & manifestè declaratam. 2. Machab. 12. *Sancta, & salubris cogitatio est pro defunctis orare, ut à peccatis solvantur.* De qua re videri possunt Bellarm. *lib.* 1. *de Purgat. c.* 1. Canisius *in Catech. tit. de Euch. c.* 7. & *tit. de pœnit. c. de Purg.* Suar. *t.* 4. *in* 3. *p. disp.* 48. *sect.* 4 *& seq.*

2. Defuncti autem, quibus nostra suffragia prodesse possunt, solùm sunt, qui in Purgatorio existunt. Nam Beatis, neque ad remissionem, neque ad impetrationem nostra suffragia possunt deservire, uti dixit Augustinus, *variis in locis*, præcipuè *in Enchir. c.* 109. & *de cura pro mortuis agenda c.* 1. & *tr.* 84. *in Ioan.* & *ser.* 34. *de verbis Apost.* & Innoc. *in c. Cùm Martha, §. ult. de celebr. Missar.* Non enim illis suffragari possumus ad remissionem, cùm nihil remittendum habeant; neque etiam ad impetrationem, cùm nihil boni ipsis impetrare possimus: possident enim Deum, bonorum omnium cumulum. Neque his obstat, quòd in oblatione sacrificii postulemus, ut ipsis prosit ad honorem, & gloriam: quia non est intelligendum de honore, & gloria Sanctis intrinseca; sed de gloria, & honore à nobis exhibito, & qui in nobis est, & in nostram utilitatem cedit, tametsi inde aliquod gaudium, & lætitiam Sancti concipiant.

3. Deinde damnatis nullatenus prodesse possunt nostra suffragia, non solùm, ut à pœna liberentur, sed neque, ut in ea aliquam mitigationem, aut remissionem habeant. Tum, quia sunt in statu peccati, à quo nunquam recedent, ac proinde incapaces, & indigni, ut in pœna pro peccatis debita leventur. Tum, quia, si nostris bonis operibus possemus aliqualiter pœnas levare, cùm hæ finitæ sint, tot multiplicari suffragia poterunt, ut tandem finirentur: quod est contra legem à Deo statutam de pœnarum æternitate, quam passim Scriptura edocet: ita ut in ea nec minima remissio fiat, juxta illud Apocal. 10. *Fumus tormentorum ascendit in sæcula sæculorum, neque habet requiem die, ac nocte.* Ideóque diviti illi avaro, *Luc.* 16. petenti ab Abraham minimum refrigerium suæ linguæ, illud concessum non est. Et certè si possibile esset nostris orationibus illis refrigerium aliquod pœnarum impetrare, possemus ad hunc finem nostras orationes pro damnatis fundere: quod est contra præceptum Ecclesiæ prohibentis pro his orare, ut constat ex Concil. Trid. *c.* 31. & Bracar. relato *in c. Placuit*, 23. *q.* 5. & *ex c. Non æstimamus. c. Cùm gravia, c. Pro obeuntibus.* & aliis 13. *q.* 3. Neque his obstat Augustinus *in Enchir. c.* 110. dicens: *Quibus nostra suffragia prosunt, ad hoc prosunt, ut sit plena remissio; aut certè tolerabilior fiat ipsa damnatio.* Non enim de damnatis ad Infernum loquitur; sed de damnatis ad Purgatorium, quibus nostra suffragia aliquando plenam remissionem obtinent, aliquando verò solam diminutionem. Eodémque modus intelligendus est Innocent. III. *in c. Cùm Martha de celebr. Miss.* inquirens, esse aliquos mediocriter bonos, quibus nostra suffragia prosunt ad explicationem, aliquos mediocriter malos, quibus prosunt ad propitiationem: cùm enim in Purgatorio esse possint aliqui, qui minimo reatu pœnæ, & non culpæ, teneantur, hi tanquàm mediocriter bonis, nostra suffragia expiationes sunt. At, cùm alii esse possint, qui ultra debitum pœnarum ingens, cum aliqua culpa veniali ex hac vita decesserint, ii, & mediocriter mali dici possunt, illisque propitiationes erunt nostra suffragia. Damnatis ergo, qui valdè mali sunt, nunquam etiam in minimo nostra suffragia proderunt.

Cum hoc tamen stat, quòd potuerit Deus ex sua potentia absoluta in hac lege dispensare: quia id implicationem non involvit: an verò aliquando hæc dispensatio facta sit, incertum est. Probabilius appareret, & providentiæ, justitiæque divinæ convenientius, ut nunquam facta fuerit. Nam historia illa referens, precibus S. Gregorii Trajanum liberatum esse ab

Infer

Inferno, & Macarium pro damnatis oraſſe, commentitia eſt, ut benè notavit Bellarmin. *lib. de Scriptorib. Eccleſiaſt. in Damaſ.* Valen. *diſp.*11. *q.*1. *pur.*3. *in fine.* Coninch. *diſp.*11. *dub.*8. *in fin.* Suar. *diſp.*48. *ſect.*4. *num.*13.

4. Præterea animabus in Limbo exiſtentibus nullatenus ſuffragari poſſumus. Nam, vel deceſſerunt cum ſolo originali, & tunc non habent pœnam ſenſus, pro qua ſolvenda noſtras poſſimus ſatisfactiones offerre. Pœnam autem damni, quæ in privatione viſionis Dei conſiſtit, irremiſſibiliter pati debent. Si verò ultra originale peccato aliquo veniali tantùm affectæ ſint, quòd vix eſt poſſibile, ratione peccati originalis, quo à gratia Dei ſunt excluſi, redduntur incapaces cujuſvis remiſſionis, ac proinde reputandi ſunt valdè mali, quibus, ut dixit Innoc. ſuffragia non proſunt,

5. Reſtat ergo, ut ſolùm animabus in Purgatorio exiſtentibus noſtra proſint ſuffragia, uti definivit Trident. *ſeſſ.*25. *decreto* 1. ibi: *Animas in Purgatorio detentas, fidelium ſuffragiis, potiſſimum verò Altaris ſacrificio juvari.* Omnes tamen juvantur, ſi pro omnibus indifferenter ſuffragia offerantur, quia omnes indigent, & capaces ſunt, & donatio generalis eſt. Sed non æquæ omnibus proſunt, ac ſi pro ſingulis oblata eſſent; quia, cum habeant valorem limitatum, & finitum, quò pluribus communicantur, eò minùs ſingulis competit, ut notavit Suar. *diſp.*48. *ſect.*6. *n.*8. Coninch. *diſp.*11. *in fine.*

6. Supereſt dicendum, qualiter noſtra ſuffragia prædictis animabus proſint. Et quidem certum eſſe debet, prodeſſe quoad ſatisfactionem: nam cùm ipſa hæc ſatisfactione indigeant, nobiſque in charitate unitæ ſint, nobiſcúmque unum corpus componant; expedit, ut quoad fieri poſſit, noſtris bonis operibus juventur: ſi enim vivis, qui minùs indigent, poſſumus noſtras ſatisfactiones communicare, & virtute illarum pœnas, quas pro peccatis debent, exolvere? à fortiori hoc beneficium animabus Purgatorii præſtare poterimus, & ita eſt Eccleſiæ univerſalis cõſenſus.

7. Difficultas autem eſt, an infallibiliter proſint iis, pro quibus offeruntur? Negant Med. Cordub. Layman. Bonac. Coninch. *præced.* §. relati: æqualiter enim de vivis, & defunctis loquuntur, quibus annumerari poteſt Caietan. *t.*1. *Opuſc. tract.*16. *q*5. Sotus *in* 4. *diſt.*19. *quæſt.*2. *art.*4. *& l.*3. *de natura & gratia c.*6. Canus *l.*12. *de locis, c.*13. *ad* 9. & alii. Fundantur: quia ſine promiſſione divina nequeunt infallibilem effectum habere: at nullo firmo teſtimonio oſtendi poteſt hæc promiſſio. Quinimò ſatis indicatur, non adeſſe: ſiquidem Eccleſia orat Deum, ut prædictas ſatisfactiones acceptas habeat: quod fruſtra videretur factum, ſi ipſe Deus obligatus eſſet.

8. Nihilominus longè verius exiſtimo; noſtras ſatisfactiones, infallibiliter applicari iis, pro quibus offeruntur. Sic Divus Thom. *in diſt.*45 *q.*2. *art.*1. *qq.*1. *& 2.* Covarr. *c. Alma,* 1. *part.* §.4. *n.*7. Sotus ſententiam mutans *diſt.*21. *quæſt.*2. *art.*3. Navar. *de Iubilæo. notab.*18. *& lib. de orat. & hor. Canon. cap.*20. *num.*82. Suar. aliis relatis *diſp.*48. *ſect.*6. *n.*4. Etenim lex divinæ juſtitiæ, & miſericordiæ ita taxat remiſſa culpa pœnam in Purgatorio luendam, ut poſſit quis bonis operibus condignè, & ad æqualitatem in hac vita ſatisfacere, non ſolùm pro debito proprio; ſed etiam alieno, ſi in alieni ſatisfactionem ea opera exhibeat. At in ſatisfactionem proprii debiti infallibilem habent effectum: quod aliunde efficaciter obligari non poteſt, niſi quia ex lege divina ſic declarata per communem Eccleſiæ ſenſum in proprii debiti ſatisfactionem proſunt. Cùm ergo ex eadem lege Eccleſiæ ſenſu comprobata, noſtra opera aliis fidelibus, tam vivis, quam defunctis, quibus in charitate ſumus uniti, proſint; efficitur omnibus efficaciter, & infallibiliter prodeſſe. Deinde omnes Catholici fatentur, noſtras ſatisfactiones in defunctorum favorem oblatas defunctis prodeſſe. At, ſi Deus non teneretur illas acceptare, ſæpiſſimè nullius illis eſſent utilitatis. Præterea ſatisfactiones ſuperabundantes Sanctorum efficaciter Pontifex applicat, cùm Indulgentias concedit: ergo etiam quilibet particularis proprias ſatisfactiones illis applicare efficaciter poterit, antequam in theſauro Eccleſiæ reponantur: nam pro tunc efficacius ſub ejus ſunt diſpoſitione, quam theſaurus ſub diſpoſitione Pontificis. Item ex hac infallibili acceptatione nullum inconveniens ſequitur, ſed potiùs ad illam aſtruendam plurimæ congruentiæ adſunt: quippe fideles excitantur ad charitatis exercitium, ſcientes utiliter in favorem defunctorum laborare, defuncti ſubveniuntur in graviſſima neceſſitate: Deus ſuam liberalitatem & miſericordiam oſtendit abſque ulla rigoroſæ juſtitiæ diminutione, quandoquidem non gratis, ſed ſolutione condigna pœnam pro peccatis debitam remittit.

9. Neque obſtat ratio contraria: nam eſto, divina promiſſio de acceptanda ſatisfactione vivorum pro defunctis, aliquo ſcripto teſtimonio oſtendi expreſsè non poſſit, colligitur tamen efficaciter ex communi ſenſu fidelium credente, vivos cum defunctis communicationem poſſibilem habere, ſeque in neceſſitatibus ſuccurrere. Cui communicationi infallibili non obſtat, quod petamus à Deo, ut noſtra ſuffragia accepta habeat: quia optimè id petere poſſumus, dum incerti ſumus an omnem qualitatem habeant exquiſitam, ut infallibiliter à Deo acceptentur. Adde eſto nobis conſtaret, ſuffragia noſtra ſatisfactoria eſſe, Deumque ipſum infallibiliter acceptaturum; adhuc poſſemus ipſum rogare, ut acceptet, non ob neceſſitatem, ut acceptentur; ſed in recognitionem gratiæ, quæ adeſt in illorum acceptatione. Cùm enim illa opera ex ſe ſolvere non poſſent pœnam pro peccatis debitam, ſed neceſſariò indigerent libera Dei promiſſione, & acceptatione, petendo hanc acceptationem, ea gratia, & Dei liberalitas recognoſcitur. Et fortè in hoc ſenſu intelligi debent illæ Eccleſiæ orationes, quibus à Deo poſtulatur, ne animas Purgatorii abſorbeat Tartarus, ne cadant in obſcurum, &c. cùm tamen certum ſit, in Purgatorio exiſtentes à Tartaro abſorberi non poſſe: recognoſcitur enim hac petitione, id ex Dei liberalitate proceſſiſſe, & ſimul pia voluntas, & affectus in animas Purgatorii oſtenditur, ut bene notavit Suar. *diſp.*48. *ſect.*8. *n.*5.

10. Rurſus in alio modo, quàm ſolutione, & ſatisfactione exhibita, videntur animæ Purgatorii juvari poſſe, nempe, noſtris orationibus, & petitionibus, non quatenus ſatisfactoriæ ſunt, ſed quatenus ſunt impetratoriæ, ita ut vi illarum impetretur remiſſio pœnæ nulla ſatisfactione exhibita, atque adeò gratis, & liberaliter, non quidem ſemper, ſed quando divinæ providentiæ placitum fuerit: quod commune eſt omnibus orationibus, & petitionibus, præcipuè quæ in favorem aliorum fiunt: Sic docuit Durand. *in* 4. *diſt.* 41. *aliàs* 45. *q.*1. *n.*6. Caiet. 1. *Opuſc. tract.*16. *q.*5. Nav. *de Iubil. notab.*22. *n.*15. Bellarm. *l.*2. *de Purgat. c.*16. Ægid de Coninch. *diſp.*11. *dub.*7. *conc.*4. *n.*54. & alii. Moventur primò: quia in humanis plerumque rogatur Judex potens condignam pœnam à reo exigere, ut gratis remiſſionem faciat: neque alienum eſt à juſtitia vindicativa, quam ſervare tenetur, ut aliquando ob urgentem interceſſionem aliquid pœnæ gratis remittat. Ergo reſpectu Dei efficacius ea interceſſio fieri poteſt, cùm ipſe ſupremus Dominus ſit nemini ſubjectus. Secundò, Eccleſia excitat nos, ut nixi Chriſti, & Sanctorum ſatisfactionibus poſtulemus à Deo, ut defunctis remiſſionem pœnarum concedat, ut conſtat ex illis orationibus ab Eccleſia inſtitutis, *Fidelium Deus. Animabus famulorum*, &c. Neque ſatisfacis, ſi dicas, Eccleſiam excitare nos ad prædictam poſtulationem:

quia

quia ea postulatio satisfactoria est. Nam si ob solam satisfactionem, quæ in ea oratione imbibitur, vellet Ecclesia nos pro defunctis orare, efficaciùs eam satisfactionem obtineret applicata satisfactione orationis, quam unusquisque pro se ipso faceret, quæ fructu impetrationis non defraudaretur, sicuti defraudatur oratio pro defunctis. Ergo ad orandum pro defunctis nunquam Ecclesia aptè excitaret quod est absurdum. Tertiò, communis est Ecclesiæ sensus orationes publicas Ecclesiæ pro defunctis exhibitas, etiam à malo ministro, effectum habere. At nequeunt habere effectum satisfactionis, cùm Ecclesia secundum se non satisfaciat: quatenus verò per iniquum ministrum operatur, minùs satisfacere potest. Superest ergo, ut solum effectum impetrationis habeant, atque adeò obtineant pœnæ debitæ liberalem remissionem. Quartò, Beati pro animabus Purgatorii intercedunt, ut constat ex illa Ecclesiæ oratione: *Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris*, &c. at eorum orationes satisfactoriæ non sunt: ergo solùm sunt impetratoriæ: ergo impetrant pœnæ remissionem. Quòd si dicas, non impetrare immediatam remissionem, sed impetrare, ut viventes satisfaciant, vel Pontifex indulgentias applicet, qua satisfactione, vel indulgentiarum concessione posita remissio obtinetur; obstat, quia eam satisfactionem, & applicationem petere deberent, non remissionem, pro nobisque potiùs deberent rogare, ut ad satisfaciendum pro defunctis excitaremur, quàm rogare, ut defunctis pœnæ debitæ remitterétur, cùm id sit impossibile secluſa viventium satisfactione, vel indulgentiarum applicatione: & his positis infallibilis sit ea remissio. Verùm, si secundò respondeas, Sanctos orando pro defunctis applicare simul aliquam satisfactionem superabundantem ex suis operibus in hac vita gestis, & in thesauro Ecclesiæ repositam, obstat: quia distributio thesauri Ecclesiæ soli Petro, ejúsque successoribus concessa est: neque verisimile apparet, Christum Dominum eam potestatem alicui Sancto concessisse. Præterea ipsa Ecclesia eam remissionem expostulat; cum tamen illi datum non sit thesaurum Ecclesiæ dispensare. Quartò, hanc pœnarum remissionem petimus, tum per infinitam Dei misericordiam, tum per merita Christi Domini, quæ indicant, nos gratuitam remissionem postulare: nam facta condigna solutione pœnarum, remissio non est opus misericordiæ, sed justitiæ; neque ad eam faciendam necessarium esset Christi merita ante oculos æterni Patris proponere. Quintò, quia communiter Doctores distinguunt quatuor genera suffragiorum, juxta textum *in cap. Animæ 13. quæst. 2.* ibi: *Animæ defunctorum quatuor modis solvuntur, aut obligationibus Sacerdotum, aut precibus Sanctorum aut charorum eleemosynis, aut jejunio cognatorum: oblationes autem Sacerdotum effectum habent ex operato jejunio, & eleemosynæ effectus satisfactionis concedendus est; Sanctorum precibus impetratio. Si enim hunc effectum non haberent, ut quid ab aliis operibus satisfactionis distinguuntur?* Sextò, prædictis defunctis impetrant Sancti speciale gaudium, & consolationem in pœnis sustinendis: ergo etiam impetrare possunt illarum pœnarum liberalem diminutionem. Septimò, in concedenda hac impetratione liberalis remissionis nullum sequitur inconveniens: nam esto orationes Sanctorum ferventissimæ sint, non inde fit, Purgatorium evacuari, sicuti neque omnes peccatores converti: cùm enim non habeant effectum infallibiliter; sed solum quatenus Deo visum fuerit, Deus concessionis effectum legibus divinæ justitiæ simul cum misericordia temperat. Et licèt extrà hanc vitam non videatur esse locus gratiæ, sed rigidæ vindicativæ justitiæ, hoc intelligendum est, quatenus nullus jam pro se satisfacere, aut impetrare aliquam remissionem potest; secùs verò per amicos.

11. Nihilominus: etsi prædicta sententia sit satis probabilis, probabiliorem existimo, negantem concedi animabus Purgatorii aliquam pœnæ debitæ liberalem remissionem; sed remissionem pœnarum non aliter fieri, quàm solutione condigna exhibita. Sic docuit Suar. latè *disp* 48. *sect.* 5. *a n.* 5. Ducór: quia divinam providentiam maximè decet modum remittendi pœnas pro peccatis debitas firmum, & stabilem esse: at si ob intercessiones Sanctorum non semper; sed aliquando sit remissio harum pœnarum nulla solutione facta non est firmus, & stabilis modus de illarum remissione, quandoquidem pro beneplacito divinæ voluntatis variatur. Et confirmo. Vel Deus statuit nunquam hanc remissionem concedere, nisi condigna solutione exhibita per satispassionem rei, vel satisfactionem aliorum, vel statuit aliquando gratis concedere hanc remissionem ob Sanctorum intercessionem. Si hoc secundum dicas, uti opposita sententia affirmat, concedere necessariò debes, tibi impetrare posse hanc gratuitam remissionem pro pœnis debitis: siquidem oratio pro te facta efficacior de se est ad impetrandum, quam ad impetrandum pro alio. Deinde debes concedere non solùm ob Sanctorum intercessionem: sed etiam ob peccatorum, & iniquorum orationes concedi aliquando hanc pœnarum remissionem: nam, cum sit gratuita, & non fundata in condignitate operis, sed in Dei liberalitate, & misericordia, nullum est inconveniens, quòd ob intercessionem peccatoris fiat. Ne igitur hæc admittamus, asserendum est, nunquam Deum remittere pœnas pro peccatis debitas, nisi posita earum condigna solutione per satispassionem, vel satisfactionem, præcipuè cùm in hac remissione resplendeat, tum vindicativa justitia, exigendo solutionem condignam, tum misericordia, acceptando solutionem, quam secluso suo verbo acceptare non tenebatur.

12. Argumenta verò oppositæ sententiæ non adstant. Ad primum respondeo, petitionem gratuitæ remissionis obstare legi à Deo statutæ, in qua cum nobis non constet, decreviſſe aliquoties dispensare, temerè fieret. Ad secundum, & tertium dico, Ecclesias, & Sanctos remissionem pœnarum petere secundum leges divinæ justitiæ. Si autem secundùm leges divinæ justitiæ nulla est facienda remissio, nisi solutione facta, tacitè eam solutionem expostulant. Directè autem remissionem petunt, & non solutionem: tum, ut intelligatur; eam orationem in defunctorum favorem integrè fieri: tum præcipuè, quia remissio multis modis fieri potest, nempe satispassione breviori, licèt intensiori; satisfactione vivorum, sacrificio indulgentiarum applicatione, ideóque expediebat, ne Sancti, & Ecclesia modum solutionis directè peterent; sed divinæ providentiæ remitterent eligendum, ut ad quem maluerit, excitaret; ipsi verò contenti essent remissionis postulatione. Qua ratione sæpè pro aliis viventibus oramus, ut Deus eorum peccata remittat; tametsi modus remissionis Deo reservatus sit, & necessariò præstandus secundùm legem divinæ justitiæ, & misericordiæ statutam. Præterea, cùm sub opinionem positum sit, an exhibita satisfactione condigna teneatur Deus pœnas defunctorum, in quorum favorem facta est, remittere, optimè Ecclesia directè hanc remissionem postulare potest. Modus autem, quo Beati remissionem petunt, nobis ignotus est. Ad quartum: Optimè possumus per divinam misericordiam petere hanc remissionem, non, quia nulla condigna solutione facienda sit; sed quia est opus divinæ misericordiæ, ut ea solutio fiat, & acceptetur: & ob eandem causam petimus fieri per merita Christi, & Sanctorum: quia ob illorum merita competens solutio impetranda est. Quintum argumentum refert modos, quibus animæ solvuntur: refert autem orationem distinctè ab aliis, non, quia orationi sola impetratio gratuitæ remissionis concedenda sit: sed, quia sub oratione omnia opera religionis

religionis comprehenduntur, ſicuti ſub eleemoſyna omnia opera miſericordiæ, & ſub jejunio omnes corporis afflictiones, & caſtigationes. Ad ſextum concedo, gaudium, & conſolationem obtineri à Sanctis poſſe: quia non eſt materia juſtitiæ, ſed liberalitatis. Secùs eſt de remiſſione pœnæ, quæ per juſtitiam vindicativam taxata eſt, quá nque non expedit remitti, niſi juſtitiæ vindicativæ fiat ſatisfactio. Ad ſeptimum conſtat ex probatione noſtræ ſententiæ, ubi inconvenientia oppoſitæ ſententiæ intulimus.

§. III.

Quæ conditiones requirantur ex parte ejus, cui ſuffragium applicatur, ut illi proſit.

1. *Debet ſuffragio indigere.*
2. *Debet eſſe in gratia, ut ſuffragium ſatisfactionis illi applicetur: ſecùs ſuffragium impetrationis.*
3. *Remiſſum peccatum debet eſſe, pro quo ſuffragium ſatisfactionis offertur.*
4. *Catechumeno applicare noſtras ſatisfactiones poſſumus.*
5. *Tametſi potens ſit ad ſatisfaciendum, poſſumus pro illo ſatisfacere.*
6. *Neque indiget ſpeciali, & expreſſa acceptatione, ſed ſufficit virtualis, ut ei proſit aliena ſatisfactio.*
7. *Prodeſt noſtra ſatisfactio animabus Purgatorii: eſto, dum viverent, non habuiſſent ſpecialem in defunctos devotionem.*

1. PRima conditio eſt, ut ſuffragio indigeat: hac enim ratione Beatis noſtra ſuffragia non proſunt: quia illis non indigent, neque ad pœnarum remiſſionem, neque ad alicujus boni impetrationem. Præter beatos autem nullus eſt alius, cui hæc conditio abſolutè deficiat: nam, quantumcunque juſtus ſit, augeri in juſtitia poteſt, ac proinde ſuffragiis noſtris per modum impetrationis, & meriti de congruo, juvari, tum ad augendam juſtitiam, tum ad alia bona impetranda. Suffragio verò ſatisfactionis plures ſancti non indigent, utpote quibus omnis pœna ſimul cum culpa remiſſa eſt. His ergo applicata noſtra ſatisfactio effectum non habet: ne autem omnino pereat, theſauro Eccleſiæ reponitur. Affirmare autem, manere in acceptatione divina, ut iis applicetur, ſi fortè indigeant, eſt prorſus ſine fundamento, & contra debitum ordinem. Non enim decet parare pœnæ remiſſionem, antequam pœna contrahatur, præterquam quòd aliqualis eſſet occaſio committendi culpas; quibus ſublatis, nulla reſtat obligatio ſatisfaciendi. Sic Suar. *diſp.* 48. *ſect.* 7. *num.* 5. Valent. *t.* 4. *diſp.* 7. *quæſt.* 20. *punct.* 5. *in princ.* Bonac. *diſput.* 6. *q.* 2. *p.* 3. *in princ.*

2. Secunda: debet eſſe in gratia is, pro quo ſuffragium ſatisfactionis offertur. Qui enim in peccato mortali exiſtit, indignus eſt pœnæ alicujus remiſſione, utpote qui dignus eſt qualibet pœna æterna. Deinde hæc ſatisfactionum communicatio nititur charitati, & divinæ promiſſioni, quæ ſolùm in favorem amicorum cenſetur facta. Præterquam quòd noſtra opera, etiamſi excellentiſſima ſint, condignitatem non habeant, ut pro peccatore ſatisfaciant, bene tamen pro juſto. Suar. *diſp.* 48. *ſect.* 7. *num.* 3. Bonac. *diſt. diſp.* 6. *q.* 2. *de ſuffragio punct.* 3. *numer.* 5.

Prædicta ſatisfactio, ut *ſuperiùs* diximus, in theſauro Eccleſiæ reponitur, vel, ut aliis placet, ipſi ſatisfacienti, ſi indiget, applicatur: nunquam tamen cenſenda eſt reſervari in acceptatione divina, ut applicetur peccatori, cùm à peccato reſurget: quia hujus reſervationis nullum adeſt fundamentum, neque peccator ea gratia dignus exiſtit, ut bene advertit Suar. *d. ſect.* 7. *n.* 4.

Notanter dixi, *ſuffragium ſatisfactionis*: nam ſuffragium impetrationis optimè poteſt, & maximè decet peccatoribus applicari, ut à peccato media pœnitentia reſurgant.

3. Tertia: remiſſum eſſe debet peccatum, pro cujus pœnæ remiſſione ſuffragium ſatisfactionis offertur. Rationi enim diſſonum eſt pœnæ remiſſionem obtinere perſeverante culpa, quæ pœna dignum faciat. Neque ullus juſtus poteſt alteri remiſſionem culpæ venialis immediatè obtinere, ſed ſolùm mereri auxilium, quo ſe ad culpæ remiſſionem diſponat, ſicuti notavit Suar. *dicta ſect.* 7. *in princip.* Hæc conditio inter fideles viventes ſæpe deficit: quippe eſto, ſint in gratia conſtituti, nullumque reatum pœnæ pro peccatis mortalibus debitum habeant; attamen ſæpe pluribus venialibus afficiuntur, quorum reatus ſolvi non poteſt, niſi culpis prius remiſſis. Sed in animabus purgatorii hæc conditio ſemper obſervatur: quia nullo peccato, etiam veniali, afficiuntur. Nam, etſi aliquibus affecti deceſſerint, in puncto deceſſionis eorum illis remiſſio conceditur, ideoque ſuffragio ſatisfactionis ſemper capaces exiſtunt.

4. Præter ſupradictas conditiones, nulla alia requiritur: nam character baptiſmalis, quem aliqui poſtulant, neque ad ſuffragium orationis, ut eſt evidens, neque ad ſuffragium ſatisfactionis poteſt eſſe neceſſarius. Si enim catechumenus applicare valet ſuam ſatisfactionem baptizato juſto, cur non juſtus baptizatus catechumeno? Certè cùm hæc applicatio ſit quædam propriæ ſatisfactionis donatio, & catechumenus, ſive vivus, ſive defunctus in charitate baptizato unitus ſit, capax exiſtit illius ſatisfactionis, qua indiget recipiendæ. Neque obſtat, quòd ſacrificii fructus catechumeno non applicetur: quia, cùm ſit beneficium, quòd Chriſtus Dominus ſuæ Eccleſiæ reliquit; illi, qui ſunt extra Eccleſiam eo frui non poſſunt. Neque item obſtat, quòd Eccleſia regulariter non fundat orationes pro Catechumenis, uti decidit in Concilio Bracharenſi I. *canon* 15. ibi: *Placuit, ut Catechumenis ſine redemptione Baptiſmi defunctis, neque oblationis ſanctæ commemoratio, neque pſallendi impendatur officium.* quia id præſtat, ut ſignificet, eſſe unum corpus conſtans ex membris per Sacramentum Baptiſmi inter ſe unitis. Quo non obſtante, aliquando pro catechumenis, & iis, qui ſunt extra Eccleſiam, orat, ut in feria ſexta Paraſceve.

5. Secundò, non requiritur, ut is pro quo ſuffragium ſatisfactionis offers, impotens ſit ad ſatisfaciendum, (tametſi aliqui eam conditionem exigant:) quia hæc applicatio ſatisfactionis eſt quædam gratuita donatio, quæ ſolùm exigit voluntatem donantis, & capacitatem in eo, cui facienda eſt; aliàs ſi hæc impotentia neceſſaria foret, vix ulli viventi applicare ſatisfactionem poſſes, cùm rarus ſit, qui actibus, ſaltem internis, theologarum, atque moralium virtutum non poſſit, ſi velit, ſatisfacere. Item, eadem ratione neque animabus Purgatorii poſſes ſatisfactionem applicare: nam eſto, ſatisfacere non poſſint, poſſunt ſatispati, & per ſatispaſſionem debitum compenſare.

6. Tertiò, neque opus eſt ſpecialis acceptatio illius, pro quo ſacrificium offertur: quia eo ignorante applicari poteſt, aliàs incertum eſſet noſtras ſatisfactiones defunctis prodeſſe: ſiquidem incertum eſt, an illas cognoſcant, ſive viribus naturæ, ſive per revelationem, ſive per manifeſtationem Angeli cuſtodis. Solùm enim requiritur non repugnantia, ſeu habitualis voluntas, qua gratum quis habet, quidquid in propriam utilitatem ſibi factum fuerit.

7. Quartò, neceſſarium non eſt, ut ſuffragium animabus Purgatorii proſit, quòd ipſæ ſpecialem devotionem, dum viverent, circa defunctos habuerint, ſpecialiáque beneficia illis impenderint, uti

requiſivit

requisivit Cajet. *t.1. opusc. tract.16. q.5.* cui favet textus in c. *Non æstimamus*, 14. *q.2.* Quia satis decedendo in gratia prædicta suffragia meruerunt, uti probat Valent. *disp.11. quæst.1. circa finem.* Suar. *disp.48. sect.6. num.6.*

§. IV.

Expenduntur conditiones requisitæ in offerente suffragium, ut utile sit.

1. *Debet suffragium ex intentione formali, vel virtuali, favendi aliis fieri.*
2. *Opus, quo suffragium intendis, debet esse honestum.*
3. *Suffragium satisfactionis ab homine existente in gratia procedere debet, secus impetrationis.*
4. *Qualiter suffragium orationum impensum à ministro Ecclesiæ differat ab eo, quod impenditur à persona privata.*
5. *Quando censearis nomine Ecclesiæ orationes fundere.*
6. *Suffragium satisfactionis ab homine viatore præstandum est.*
7. *Plures censent, executionem legati in testamento relicti pœnam defuncto remittere.*
8. *Verius est oppositum.*
9. *Executione restitutionis in testamento mandatæ, non alio modo, quàm executione legati liberatur defunctus à Purgatorio.*

1. QUatuor conditiones enumerari possunt ex parte suffragantis, ut suffragium aliis utile sit. Prima, ut intentionem habeas formalem, vel virtualem pro aliis suffragium offerendi. Sic D. Thom. *in 4 dist.45. quæst.2 art.4. qq.1.* Palud. *quæst.2. art.2.* Suar. aliis relatis *disput.48. sect.8. n.22.* Eman. Sà *verbo, Indulgentia, in addit. in fine.* Bonac. *disp.6. q.1. de suffrag. part.2.* Nam secluſa hac intentione opus tuum est, ac proinde ut alteri proprium fiat, donatio intervenire debet, quæ fieri non potest absque voluntate. Illa verò posita, si suffragium satisfactionis multis æqua intentione applicas, omnibus prodest, minùs singulis, quàm si pro singulis offerres: quia finitum inter plures divisum minùs singulis competit. Si autem uni tantùm suffragium satisfactionis offeras, illi tantùm proderit, si capax existit, sin minùs thesauro Ecclesiæ reponitur. Quòd si de suffragio impetrationis directè loquamur eandem intentionem habere debes impetrandi postulatum iis, in quorum favorem preces fundis: illæ autem preces pro pluribus oblatæ, nisi pro singulis distinctè fiant, ex se non sunt ita impetratoriæ, sicuti cùm pro singulis offeruntur, tametsi ex benignitate Dei, in qua præcipuè impetratio fundatur, sæpè pro omnibus æquè prosint, ac si pro singulis essent oblatæ: in quo suffragium impetrationis maximè à suffragio satisfactionis differt. Notanter dixi, *impetrationis directæ*: nam indirecta impetratio, quæ consistit in executione boni operis, ratione cujus Deus movetur amicis, & cognatis operantis benefacere, tametsi ipse operans recordatus illorum non fuerit, neque pro ipsis aliquid postulaverit, specialem intentionem non requirit.

2. Secunda conditio est, ut opus, quo alteri suffragari velis, bonum sit, & honestum, aliàs si Deo displicet, nec satisfactorium esse potest, nec impetratorium, uti ex omnium sententia tradit Suarez *dicta disp.48. sect.8. num.10.* Solùm adverto, esse aliqua opera, quæ fieri possunt medio internuncio, tanquàm instrumento, ut eleemosyna concessa per famulum: hæc enim ex iniquitate instrumenti non vitiantur; sed eorum honestas, & valor ex voluntate domini imperantis eleemosynam fieri desumendus est: quia imperans verè, & propriè eleemosynam tribuit illiúsque est causa principalis.

3. Tertia, ut suffragium satisfactionis ab homine grato procedat: opera enim in peccato existentis nec meritum, nec satisfactionem habent, nec digna sunt, ut à Deo in remissionem pœnæ sive alienæ, sive propriæ acceptentur. Suffragium verò impetrationis, licèt ex se parum efficax in peccatore esse potest: sæpè enim Deus ob bona opera peccatoris, & ipsi, & aliis plura beneficia impendit; quia hæc impetratio, quæ solùm de congruo est, non dignitati operis, sed benignitati Dei nititur.

4. Hinc oritur difficultas, qualiter suffragium orationum, quæ in persona Ecclesiæ ab iniquo ministro offertur, differat, à prædicto: Et quidem si de suffragio satisfactionis loquamur, nulla est differentia, quippe nulla satisfactio inillis orationibus reperitur: quia, cùm illæ orationes non sint pœnales, & afflictivæ Ecclesiæ, quatenus talis est, satisfactoriæ esse non possunt. At benè esse possunt impetratoriæ: quia ad impetrationem nihil aliud exigitur, quàm significatio voluntatis, & desiderii: quod optimè fieri potest, tametsi is, per quem significatur, iniquus sit: differt tamen hæc impetratio ab ea, quam iniquus minister, ut privata persona præstat: quia nititur operi non solùm bono, & honesto; sed facto ab Ecclesia, quæ Deo maximè placet, & grata est: cujus placito non obest ministri iniquitas: at impetratio, quæ fit ab iniquo ministro, ut à singulari persona, hanc qualitatem non habet, ideóque ex se longè minus efficax est ad impetrandum. Differentia verò, quam Suar. *d sp.48 sect.8. n.8.* assignat, nempe, orationes Ecclesiæ ob ejus sanctitatem impetrare infallibiliter aliquam pœnæ remissionem vel applicando Christi satisfactionem, vel impetrando, ut ipse eam applicet; quam infallibilitatem non habent orationes privatæ personæ, mihi non probatur: quippe Ecclesia impetrare non potest à Deo gratuitam pœnæ remissionem, sed solutione facta, ut ex sententia ipsius Suar. *supra* firmatum reliquimus: neque etiam illi datum est, infallibiliter applicare Christi satisfactionem mediis orationibus, aliàs esset orationibus Ecclesiæ concessa indulgentia. Indulgentia verò à Christo, ut ipsam satisfactionem applicet, magis dubium est: nam esto id facere possit ex absoluta potentia; credendum est nunquam facere, postquàm Ecclesia thesaurum suæ satisfactionis dispensandum reliquit. Restat ergo, ut solùm differat impetratio Ecclesiæ, etiam per iniquum ministrum, ab impetratione cujusvis personæ singularis in excellentia, & dignitate, tum operis, tum operantis ob quæ longè efficacior est ad excitandum Deum, & movendum ut postulata concedat.

5. Quòd si roges, quando censearis nomine Ecclesiæ suffragium offerre, quando nomine tantùm proprio; Respondet Navarr. *tract. de orat. cap.20. n.20.* te, sive Clericum, sive laïcum nomine Ecclesiæ suffragium offerre, quoties orationibus ab Ecclesia institutis uteris ad orandum: Ecclesia enim has orationes videtur instituisse, ut nomine ipsius à Deo beneficia fideles impetrent. Quæ enim in hac institutione repugnantia adest? aut quod inconveniens fingi potest? Certè nullum. Ergo asserenda est, præcipuè cùm & singulis fidelibus, & Ecclesiæ conveniat: quippe hac via, faciliùs, & celeriùs Deus postulata concedet. Verùm, esto, hæc sententia pia, & probabilis sit, probabiliorem existimo, quæ asserit suffragium nomine Ecclesiæ desumendum esse, non ex oratione, & precibus, sed ex modo, quo funditur. Quia verisimile non est, Ecclesiam instituisse quamlibet orationem, ut nomine ipsius quilibet fidelis ea uteretur, cùm non omnes sint Clerici, vel Religiosi: atque adeò nec ministri Ecclesiæ: sed orationes instituisse, ut docerentur fideles à Deo postulare, sicuti Christus orationem Dominicam instituit, non ut nomine ipsius Patrem oremus, sed, ut nos doceret, quomodo

nomine proprio orandum nobis est. Quare ea oratio nomine Ecclesiæ fit, quæ fit ex præcepto ipsius Ecclesiæ, illiúsque ordinatione. Non enim intelligitur, te nomine alterius operari posse, quin alter tibi vices suas committat, specialitérque designet. Atque ita docent Suar. *disp.*48. *de Suffrag. sect.*8. *n.*9. Bonac. *disp.*6. *q.*2 *p.*2. *n.*7.

6. Quarta, debet præstari suffragium, si satisfactionis sit ab homine viatore: nam extra hanc vitam nec locus est satisfactionis, nec meriti, juxta illud Joan.9. *veniet nox, quando nemo potest operari.* Ideóque Paul. *ad Galat.*6. monet, ut dum tempus habemus, id est, dum sumus in hac vita operemur bonum: tempore enim suo metemus illud. *Dixi, si satisfactionis sit:* nam suffragio impetrationis dubium non est posse Beatos, imò & animas in Purgatorio existentes vivis fidelibus prodesse: etenim illorum precibus plura nobis beneficia piissimus Deus concedit.

7. Hinc decidenda est quæstio, qualiter executio pii legati in testamento relicti defuncto existenti in Purgatorio prodesse possit? Non enim desunt Doctores, qui sentiant, virtute illius pœnam illi remitti, eò quòd defunctus non per voluntatem, quam de præsenti habet, sed per voluntatem, quam in vita habuit, illius est causa: quod videtur sufficiens, ut opus illud satisfactorium noviter sit. Aliàs omnes fideles legata in testamento relinquentes graviter deciperentur, cùm credant, ea legata ad remissionem pœnarum illis fore profutura, & ex hac intentione ea relinquant: & executores testamentorum omittentes executionem, nullam defuncto injuriam irrogarent, si nullo fructu eum privant: quod dici non potest, cùm expressè Concil. Vasense eos necatores appellet, & excommunicatione feriendos decernat, in c. *Qui obligatione*, 2. 13. *q.*1. Ergo asserendum est, executionem legatorum defunctis prodesse, ut citiùs à Purgatorio liberentur: quod fieri non potest, nisi exhibendo satisfactionem, qua pœna remittatur. Atque ita docere videntur D. Thom. *in* 4. *dist.*45. *q.*2. *art.*1. *q.*3. Palud. *art.*1. *concl.*3. & 5. Bonac. *art.*2. *q.*2. Soto *q.*2. *art.*1. *concl.*4. Navarr. *de orat. cap.*19. *n.*59. expressiùs Supplement. Gab. *d. dist.*45. *q.*2. *artic.*2. & *leg.*56. *in can.*

8. Nihilominùs veriùs censeo cum Suar. *disp.*48. *sect.*8. *n.*18 executionem legati pii, quatenus est effectus voluntatis defuncti, nullatenus satisfactorium esse, neque ob illam aliquam pœnæ debitæ remissionem immediatè fieri, tametsi pluribus aliis modis defuncto prosit. Priorem partem mihi persuadet: quia ea executio non procedit à voluntate defuncti humano modo, siquidem eam eo tempore impedire non potest. Non igitur potest esse satisfactoria: hac enim ratione, si famulo imperes eleemosynam largiri, & tempore, quo famulus elargitur, sensibus destitutus sis, nullam ex illa satisfactionem obtines, præter eam, quam obtinuisti, imperando eleemosynam futuri: nam comparatione tui ea executio non est opus humanum, & voluntarium. At defunctus esto, voluntatem, & intellectum habeat, nullatenus in testamenti executionem influit; sed respectu executionis se habet, ac si dormiret: ergo executioni nullam satisfactionem concedere potest. Præterea defunctus est extra viam, hoc est, extra statum merendi, & satisfaciendi, sibi, & alteri. Si autem ea executio satisfactoria esset, ut ab ipso defuncto fuit impetrata, verum esset dicere, defunctum satisfacere posse: cur ergo non poterit denuò mereri; Non enim ad meritum plures conditiones, quàm ad satisfactionem expostulantur. Quapropter condentes testamentum summopere advertere debent, ut sint in gratia, cùm ea legata relinquunt: siquidem tota satisfactio, sicut & meritum, in legatione perficitur. Quòd si tempore legationis in peccato existant, debent sublato peccato voluntatem confirmare, aliàs nullam ex legatione satisfactionem, sicuti nec meritum obtinebunt. Secunda pars conclusionis, scilicet, multis aliis modis executionem testamenti defuncto prodesse, facilè probatur. Primò, poterat prodesse ad remissionem pœnæ, si ipse executor in gratia existens eam executionem, quod est opus pium, honestum, & de justitia debitum, ac proinde meritorium, & satisfactorium, defuncto vellet applicare. Secundò, ob illam executionem non solùm ut procedit ab exequente; sed ut est effectus voluntatis defuncti, moveri Deus potest? tum ad excitandos fideles, ut pro tali defuncto satisfactionem aliquam exhibeant; tum ad concessionem alicujus gaudii, & consolationis, tum ad minorandum pœnarum tempus, tametsi pœna intensior fiat. Tertiò, virtute illius executionis excitantur legata recipientes, ad orationes fundendas pro defunctis, novásque satisfactiones illis applicandas, ob quæ, & alia commoda meritò Concilium Vasense negligentes executores, pauperum necatores appellat. Neque ratio opposita aliquid ampliùs probat. Neque D. Thom. aliique plures Doctores nobis contrarii sunt, cùm ipsi tantum dicant, executionem testamenti defunctis prodesse, ut citius liberentur: quod optime intelligi potest de mediata remissione, non de immediata, quatenus effectus est voluntatis defuncti.

9. Secundò deciditur, an ob restitutionem in testamento relictam, & executioni mandatam citius defunctus liberetur à Purgatorio, vel ob ejus omissionem detineatur? Et breviter respondeo, ob executionem restitutionis non posse alio modo citius liberari, quam liberatur executione cujusvis legati pii: illis tamen modis manifestum est liberari posse, ideóque per accidens ob omissam restitutionem detineri in Purgatorio potest: quia non præstatur id, quo Deus moveri solet ad excitandos animos fidelium, ut in favorem defuncti restituentis novas satisfactiones exhibeant. Per se autem detineri in Purgatorio non potest ob omissam restitutionem: nam, cùm ipse defunctus in ea omissione culpabilis non existat, licèt tempore vitæ fuerit, ob eam puniri non potest. Quare, si reatum debitum tempore mortis habitum sufficienter solvit, ad cœlum evolabit, sicut advertit Suarez *disp.*48. *sect.*8. *n.*19.

Punctum II.

De nomine, & natura Indulgentiarum.

1. *Indulgentia unde dicatur.*
2. *Ejus definitio.*
3. *Remissa culpa plerumque restat aliqua pœna luenda.*
4. *Datur in Ecclesia thesaurus, seu cumulus satisfactionum Christi, & Sanctorum.*
5. *Hic thesaurus in acceptatione divina existit.*
6. *Reliquit Ecclesiæ Christus potestatem distribuendi prædictum thesaurum.*
7. *Explicatur definitio Indulgentiæ.*
8. *Usus concedendi indulgentias est antiquissimus.*
9. *Non est actus Ordinis, neque Ordinem requirit.*
10. *Est tamen jurisdictionis actus.*
11. *Negant plures, absolutionis actum in concessione indulgentiarum concedi.*
12. *Vera est supradicta sententia in comparatione defunctorum, secùs vivorum.*
13. *Actus jurisdictionis, qui indulgentiarum concessione exercetur, voluntarius est, non coactivus.*
14. *Concedens Indulgentias eas lucrari potest.*

1. TAmetsi Latini Interpretes sæpius nomen indulgentiæ pro molli permissione, & rationi non satis consentanea usurparint, ut constat ex illo.

Quin

Quintil. l.1. c.3. *Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis, & corporis frangit.* Attamen Concilia, & Patres Ecclesiæ Indulgentiam appellarent, justam, & liberalem debiti remissionem, juxta textum in c. *Quod autem, de pœnit. & remiss. & c. Indulgentiæ, eod. tit. in* 6. & cap. *Si quem, §. indulg.* 2. *q.*3. & leg. 1. *tit.* 33. *part.*7. & Extravag. *Unigenitus de pœnit. & remiss.*

2. Sumpta igitur indulgentia in hac acceptione, communiter à Doctoribus definitur, ut videre est in Cajet. *de indulgent. c.*7. Cordub, *eod. q.*1. Navar. *notab.* 10. *n.* 1. Henr. *l.*7. *c.*1. Valent. *tom.*4. *disp.*7 *q.*10. *p.*1. *statim in princ.* Suar. *tom.*4. *in* 3. *p. disp.*49. *sect.*4. *in princip.* Coninch. *disp.*12. *initio.* Laym. *l.*5. *sum. tr.*7. *c.*1. *n.*1. Bonac. *disp.*6. *q.*1. *punct.*1. Barbos. 3 *p. de potest. Episc. alleg.*88. *n.*1. ut sit pœnæ temporalis pro peccatis actualibus remissis debitæ relaxatio de thesauro communi Ecclesiæ ab eo, qui potestatem habet.

3. Pro cujus explicatione præmitto, etsi remissa culpa necessariò pœna æterna, quæ illi annexa est, remittatur, attamen sæpe aliqua pœna temporalis manet luenda, vel in hac vita, vel in Purgatorio, sicuti *tract. de pœnit. p. de satisfact.* latè diximus.

4. Secundò præmitto, in Ecclesia dari thesaurum, seu cumulum infinitum satisfactionum, præcipuè ex satisfactionibus Christi Domini, deinde ex satisfactionibus Beatissimæ Virginis Mariæ, aliorumque Sanctorum constantem, ut tradunt, tanquam de fide, Doctores catholici apud Bellarm. *t.*3. *de Indulg. ferè in princ.* Valent. *t.*4. *disp.*7. *q.*20. *p.*2 *in medio.* Suar. *disp.*49. *sect.*1. *& disp.* 51. *sect.*1. Coninch. *disp.*12. *dub.*1. Bonac. *disp.*6. *q.*1. *p.*1. *in fine.* Laym. *l.*5. *tract.*7. *c.*1. & probat textus in extravag. *Unigenitus de pœnit. & remiss.* & Trid. *sess.*21. *c.*9. *& sess.*25. *ad finem.* Etenim, cùm Christus Dominus infinitam satisfactionem mediis suis operibus Patri obtulerit pro nostris, & totius mundi peccatis, illamque suæ Ecclesiæ reliquerit, quia totus est nobis natus, & datus, ut dixit Isai *c.*9. *n.*6. Joan. *c.*4. *n.*26. Paud. *ad Galat.* 1. *n.*4. *ad Titum.*2. *n.*14. *ad Rom.*8. *n.*32. & Petrus *c.*2. *n.*21. manifestum est, penes Ecclesiam potestatem esse distribuendi illam satisfactionem; aliàs frustra nobis eam satisfactionem reliquisset, si ea Ecclesia uti non posset. Deinde, cùm omnia opera B. Virginis, & aliorum Sanctorum, non solùm habeant vim merendi, sed pro peccatis satisfaciendi, quorum satisfactione ipsi sæpe non indiguerunt, neque eam aliis de facto applicarunt; efficitur ex benignitate Dei eam satisfactionem in thesauro Ecclesiæ simul cum satisfactione Christi Domini reponi per Prælatos Ecclesiæ distribuendam, ne dicamus, eas satisfactiones omnino perire. Neque inde fit, satisfactioni infinitæ Christi Domini derogari: quia esto, satisfactiones B. Virginis, & Sanctorum, satisfactioni Christi Domini adjungantur; id tamen non ex necessitate: nam illis cessantibus satisfactio Christi ita infinita est, ut nequaquam exhauriri possit. Adjunguntur autem Christi Domini satisfactioni, tum in sanctorum honorem, tum in charitatis fidelium augmentum. Neque item ex hac satisfactionum conjunctione derogatur plenæ Christi redemptioni, quæ præcipuè in liberatione à peccato, & pœna æterna consistit: quia satisfactiones Sanctorum ad prædictam liberationem non concurrunt. Et licèt concurrant ad liberationem pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, quia tamen non ex se, sed ex virtute, & efficacia, quam à satisfactione, & merito Christi Domini acceperunt, concurrunt, ideo plenæ Christi satisfactioni, & redemptioni non derogatur: quinimo maximè extollitur, cùm non solùm per se, sed per virtutem, quam satisfactionibus sanctorum communicat, pœnas pro peccatis debitas remittere possit.

5. Quòd si roges, quo loco thesaurus satisfactionum Christi Domini, & sanctorum existat? Respondeo, non in loco aliquo materiali, sed in Dei acceptatione, quippe Deus Pater satisfactionem Christi Domini, & superfluentem satisfactionem B. Virginis, & sanctorum in sua voluntate observatam habet, & acceptam, ut inde per Prælatos Ecclesiæ distribui, & applicari possit.

6. Tertiò præmitto, Christum Dominum suæ Ecclesiæ reliquisse potestatem ex prædicto thesauro applicandi satisfactiones, quæ visæ fuerint convenientes fidelibus, ut pœnæ pro peccatis debitæ remissionem obtineant, atque adeò concedendi indulgentias, sicuti supponit Trident. *sess.*21. *cap.*9. *de reformat.* & apertiùs *sess.*25. *decreto de Indulgent.* Satisfactio enim Christi Domini, esto infinita sit, & sufficiens pro cujuslibet peccati, quoad culpam, & pœnam, remissione: attamen ob nostram utilitatem applicatione indiget. Hæc autem applicatio multipliciter fit, tum Sacramentis, tum sacrificio, tum indulgentiarum distributione, uti colligunt communiter Doctores ex illo Matth.16. *Tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque solveris super terram, erit solutum in cœlis.* Etenim, cùm hujusmodi verba latè interpretanda sint, utpote potestatem continentia nemini nocivam; & introitus regni cœlorum non solùm culpa, sed qualibet pœna debita impediatur, efficitur Petro illis verbis promissam esse facultatem solvendi ea pœna astrictos, ut sic soluti liberè possint in regnum cœleste introire. Concessa autem creditur hæc potestas, cùm Joan. *c.*21. dictum illi est, *Pasce oves meas.* Nam eo loco tradidit Christus Petro universalem potestatem regendi Ecclesiam: at sub ea potestate latè interpretata non solùm contineri debet potestas sacramenta ministrandi, leges ferendi, sed etiam solvendi subditos à pœnis pro peccatis debitis: quia hæc potestas, & fidelibus convenientissima est, & promissioni factæ de clavibus regni cœlorum maximè congruit: siquidem ea potestate regnum cœlorum, quod ob pœnarum debitum clausum est, aperitur.

7. Ex his definitio indulgentiæ apertissima est. Dixi, esse relaxationem pœnæ temporalis pro peccatis actualibus remissis debitæ. Neque enim esse poterat relaxatio culpæ, etiam venialis, cùm hæc non nisi per sacramentum, vel interiorem hominis renovationem fiant. Neque etiam pœnæ æternæ: quia hæc simul cum culpa remittitur. Neque etiam esse potest relaxatio pœnæ debitæ pro peccato originali, quia eo remisso, & pœna damni, quæ illi correspondet, integrè remittitur: præterquàm quòd indulgentiæ non in satisfactionem pœnæ damni, sed sensus applicantur. Nec denique esse potest relaxatio pœnæ, stante culpa: quia alienum est ab ordine divinæ providentiæ remissionem pœnæ concedere, culpa non remissa. Restat igitur, ut indulgentia remissio sit tantùm pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus remissis. Hæc autem remissio fit ex thesauro Ecclesiæ ab eo, qui potestatem habet thesaurum distribuendi: cui verò ea potestas concessa sit, *inferiùs* dicemus.

8. Usus verò concedendi indulgentias antiquissimus est, ut expressè testatur Trident. *sess.*25. *decreto de indulg.* & Bonifac. *in Extravag.* 1. *de pœnit. & rem.* & pluribus exornant Henriq. *lib.*7. *de indulgent. c.*3. Val. *disp.*7. *quæst. p.*2. Bellarm. *tract. de Indulgent. c.*3. Suar. *disputat.*46. *sect.*2. aliique scriptores adversùs Hæreticos nostri temporis. Quinimò plures existimant, ab Apostolorum tempore hunc usum incepisse, neque leviter colligitur ex illo Pauli 2. *ad Cor.*2. ubi incestuoso, quem priùs excommunicaverat, partem pœnæ, pro peccatis debitæ remisit; tum, ne abundantiori tristitia absorberetur, tum in gratiam Corinthiorum, qui pro ipso intercesserant. Hanc autem remissionem non solùm

fuisse de pœna judiciali, & exteriùs solvenda, sed de pœna debita quoad Deum probant ea verba, quæ Paulus dixit: *Nam & quod donavi, si quid donavi propter vos in persona Christi.* At, si Paulus solùm pœnam judicialem, & externam remitteret, cùm respectu illius Judex ordinarius esset constitutus, non affirmaret in persona Christi eam facere remissionem, cùm nomine proprio eam faciat. Infertur ergo remissionem ibi factam esse de pœna debita quoad Deum, quam Paulus præstare poterat tantùm in persona Christi, & quatenus illius minister erat.

9. Sed cujus potestatis actus sit indulgentiarum concessio, Ordinisne, an jurisdictionis; Et quidem non esse actum Ordinis, etiam sacerdotalis, vel Episcopalis, communis est sententia cum D. Thom. *in* 4. *dist.* 20. *q.* 1. *art* 4. *qq.* 2. Cajet. *Opusc. de Indulg. c.* 2. Sylv. *verb. indulg. n.* 15. Sot. *dist.* 21. *q.* 1. *art.* 4. Suar. *dist.* 49. *sect.* 3. *n.* 3. quia indulgentiarum concessio est quædam authentica ex thesauro Ecclesiæ distributio: at hæc non cuilibet sacerdoti, vel Episcopo concedi à Christo expediebat, sed illi tantùm, quem suum Vicarium reliquerat, cuique tota Ecclesia commissa erat. Præterea sæpè Pontifices augent, vel minuunt potestatem Episcopis in concessione indulgentiarum, ut probat text. in c. *Cùm ex eo de pœnit. & rem.* &c. *Romana, eodem tit. in* 6. At, si ex vi ordinationis hæc potestas sacerdotibus, vel Episcopis competeret, augeri, vel minui non posset.

Quinimò existimo, indulgentiarum concessionem non solùm non esse à potestate Ordinis, sed neque Ordinem requirere. Sed eo ipso, quo Pontifex est electus, & jurisdictionem in Ecclesiam obtinet, potestatem habet indulgentias concedendi: nam earum concessio ad rectam, & convenientem Ecclesiæ gubernationem pertinet, ut latius prosequitur Suar. *disp.* 49. *sect.* 3. *a n* 4. & *disp.* 55. *sect.* 3. *n.* 18 & tradit abbas *in c. Accedentibus de excessib. Prælat.* Cordub. *de Indulg. q.* 10. *propos.*... Navarr. *tract. de indulgent. notab.* 3.

10. Ex his fit, concessionem indulgentiarum à potestate jurisdictionis solvendi subditos, illisque benefaciendi provenire: quæ fuit sententia communis apud S. Th. *in* 4. *dist.* 20. Azor. *instit. mor.* 2. *p. lib.* 3. *c.* 54. *q.* 2. Ugolin. *de potest. Episc. c.* 41 *in princ.* Aloys. Riccium *resol.* 222. *n.* 1. & *resol.* 306. *n.* 4. Suar. *dist.* 49. *sect.* 3. *n.* 7. Val. *disp.* 7. *q.* 20. *punct.* 1. *post. med.* Barbos. *alleg.* 88. *n* 5. & *seqq.* Laym. *tract.* 7. *c.* 1. *n* 4. colligiturque apertè ex Alexand. III. *in c. Quod autem de pœnit. & rem.* ubi negat indulgentias posse non subditis concedi: quia earum concessio actus est judicialis, qui nequit in non subditum exerceri. Ratione verò probatur: quia per indulgentiarum concessionem thesaurus Ecclesiæ distribuitur, & fidelibus applicatur: at distributio bonorum communium reipublicæ ex potestate jurisdictionis, quam Magistratus habet in rempublicam nascitur: ergo ex jurisdictione, quam Pontifex habet in Ecclesiam nascitur potestas thesaurum Ecclesiæ distribuendi. Quæ ratio probat, concessionem indulgentiarum, tam pro vivis, quàm pro defunctis ex potestate clavium distribuendi thesaurum Ecclesiæ provenire, actúmque esse jurisdictionis.

11. Sed, an ultra distributionem thesauri, & bonorum Ecclesiæ exerceat Pontifex actum alium jurisdictionis, absolvendo fideles à pœnis pro peccatis debitis; non est constans sententia. Nam Durand. *in* 4. *dist.* 20. *q.* 3. *art.* 2. & *ibi* Palud. *q.* 4. Sylv. *verbo indulgentia, n.* 3. Anton. 1. *p. tit.* 10. *c.* 3. & alii negant. Quorum fundamentum est: quia pœnarum debitarum remissio in tantum per Indulgentias fit, quatenus ex satisfactionibus Christi, & sanctorum solvitur, quidquid debitor solvere debebat. Sed ad hanc solutionem nihil aliud requiritur, quàm quòd tantum pretium ex thesauro Ecclesiæ exhibeatur, quantum debitum est. Ergo nullum alium actum præter distributionem thesauri, & illius applicationem, Indulgentiarum concessio continet.

12. Nihilominùs distinguendum est inter Indulgentias pro vivis concessas, vel pro defunctis. Concessio igitur Indulgentiarum pro vivis non solùm continet veram thesauri distributionem & applicationem, sed etiam veram absolutionem, remissionem, & condonationem pœnæ media illa satisfactione ex thesauro Ecclesiæ Deo exhibita: at concessio Indulgentiarum pro defunctis nullam absolutionem, vel remissionem à Pontifice factam continet, sed sola pretii debiti exhibitione, & illius per Deum acceptatione fit pœnæ remissio. Sic expressè Bellar. *lib.* 1. *de Indulg. c.* 5. quem sequuntur Suar. *disp.* 49. *sect* 4. *à n.* 9. & 10. Con. *disp.* 12. *dub.* 2. *n.* 10. & 11. latè Valen. *t.* 4. *disputat.* 7. *quæst.* 20. *p.* 1. *circa med.* Ratio posterioris partis manifesta est. Nam Pontifex jurisdictionem exercere non potest in defunctos: non enim sunt oves, quas Pontifex pascere possit. Quapropter solùm potest ex thesauro Ecclesiæ, in quem jurisdictionem habet, eam satisfactionem accipere, quia ipsi defuncti indigent ad plenam suorum peccatorum satisfactionem, eámque viventibus tradere, ut summo Deo offerant, quam Deus pro sua benignitate acceptans, pœnas debitas immediatè remittit. Ratio verò prioris partis est: quia non implicat, sed potiùs maximè decet, cùm Pontifex pro fidelibus exhibet divinæ Majestati ex satisfactionibus Christi, & Sanctorum, quidquid necessarium est ad integram pœnarum debitarum solutionem, ut simul nomine Christi pœnas debitas remittat, illósque à debito pœnarum absolvat: quia in hac absolutione, & clavibus Ecclesiæ, potestatéque solvendi utitur, & jurisdictionem exercet, & suam potestatem commendat. Quòd verò sic fiat, colligitur ex pluribus Pontificiis decretis, ubi Indulgentiarum concessionem appellant relaxationem, condonationem, & absolutionem: & præcipuè probatur manifestè &c. *Quòd autem de pœnit. & rem.* ubi negat Pontifex consequi non subditos Indulgentias: quia comparatione illorum non est potestas ligandi, aut solvendi. Censet ergo Pontifex, concedentem Indulgentias propriè absolutionis actum exercere. Alias nulla esset ratio, ob quam non possit Episcopus sibi non subditis Indulgentias concedere contra prædictum c. *Quod autem.*

13. Rursus hic actus jurisdictionis, qui comparatione subditorum exercetur in concessione Indulgentiarum, non est actus jurisdictionis coactivæ, sed voluntariæ: quia non ligat, sed solvit, & non solvit, nisi volentem: ideóque nunquam conceditur, nisi sub onere alicujus operis voluntarii, sicuti notavit Suar. *disp.* 49. *sect.* 3. *n.* 9. Aloys. Riccius *resol.* 306. *n.* 5. Barbos. *alleg.* 88. *n.* 16. Laym. *lib.* 5. *sum tract.* 7. *c.* 1. *n.* 5. Coninch. *disp.* 12. *dub.* 2. *n.* 11.

14. Hinc fit, Pontificem, vel Episcopum concedentes Indulgentias, eas lucrari posse quia esto, nemo in se ipsum exercere jurisdictionem coactivam possit, benè tamen voluntariam. Præterquam quòd ipsi partes sunt Communitatis, cui Indulgentiæ conceduntur. Non igitur debent esse deterioris conditionis. Atque ita latè probat Suar. *disp.* 52. *sect.* 1. *à n.* 14. Azor. 3. *p. lib.* 3. *cap.* 55. *quæst. ult.* Layman. *tract.* 7. *cap.* 1. *circa finem.* Bonac. *disp.* 6. *de Indulgent. quæst.* 1. *par.* 3. *n.* 16. Barbos. 3. *part. de potest. Episc. alleg.* 88. *in fine.* Bellarmin. *lib.* 1. *cap.* 6. *in fine.* Eman. Saà, *Indulgentia, n.* 17. & alii plures apud ipsos.

PUNCTUM III.

Quotuplex sit Indulgentia, & quem effectum habeat.

1. *Indulgentia alia est totalis, alia partialis.*
2. *Partialis alia est determinata, alia indeterminata.*
3. *Proponitur quædam objectio, & solvitur.*
4. *Qualiter intelligatur clausula illa sæpè apposita in Indulgentiarum concessione*, de pœnitentiis injunctis.
5. *Pœnitentiæ injunctæ in Sacramento Pœnitentiæ non remittuntur directè.*
6. *Neque item publicæ, & judiciales.*
7. *Prædicta clausula non restringit concessionem, sed ampliat.*
8. *Explicatur sensus prædictæ clausulæ.*
9. *Qualiter intelligatur clausula*, de peccatis, de quibus contritus, & confessus es.
   Proponitur ratio dubitandi.
10. *Satis est probabile, ad omnia peccata extendi.*
11. *Qualiter Indulgentia plena, plenior, & plenissima intelligatur.*
12. *Proponitur quædam objectio, & solvitur.*
13. *De divisione Indulgentiæ in personalem, & realem, seu localem.*
14. *Qui possint lucrari Indulgentiam concessam hominibus alicujus civitatis.*
15. *Qualiter visitanda sit Ecclesia ad lucrandam Indulgentiam localem.*
16. *Quis sit Indulgentiæ effectus.*

1. PRimò, dividitur Indulgentia in totalem, & partialem: quam divisionem insinuat Clemens *in Extravaganti, Unigenitus de pœnit. & remiss.* dicens, thesauri Ecclesiastici dispensationem Petro esse commissam, nunc pro totali; nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitis applicandam. Totalis ergo indulgentia dicitur, quæ totam pœnam remittit ei, cui applicatur. Et licèt debita inæqualia sint: quia unius debitum gravius est debito alterius, abundantiorémque satisfactionem expostulat; nihilominus indulgentiæ totalis concessione omne debitum plenè remittitur, sicuti contingit in Baptismo, qui omnem pœnam pro peccatis debitam remittit, non solùm ei, qui levem tenebatur luere; sed etiam ei, qui gravissimam debebat sustinere. Partialis verò indulgentia est illa, quæ per se non integram pœnam, sed partem remittit.

2. Hæc partialis indulgentia alia est indeterminata, alia determinata. Indeterminata est, cum conceditur remissio tertiæ, vel quartæ partis pœnarum debitarum. Nam, cùm in diversis subjectis debita inæqualia sint, effectum remissionis indeterminatum habet, hoc est, majorem vel minorem pro qualitate suscipientium, ex se tamen efficax est ad remittendam tertiam, vel quartam partem, quæcunque sit, ut benè Suar. *disp. 50. sect. 1. in fine.* Determinata verò, quando conceditur remissio decem, vel centum annorum. Etenim antiquo tempore pro gravibus criminibus pœnitentiæ publicæ imponebantur: pro crimine adversarii septem anni pœnitentiæ erant assignati, juxta textum *in c. Hoc ipsum*, 33. *q.* 2. Pro aliis criminibus quadraginta dies jejunii in pane, & aqua designabantur, qui plerumque à principio Quadragesimæ usque ad diem Cœnæ Domini perdurabant, uti colligitur *ex can. In c.* 50. *dist.* Quod jejunium Carena vocabatur, à carendo cibo, & potu, hominúmque consortio. Si verò delictum extraordinarium esset, sicuti fuit illius, qui per falsam accusationem alteri mortem intulit, cujus meminit textus *in c. Accusatus.* 8. *de accusationib.* utraque pœnitentia, & quadragenarii jejunii, & septem annorum imponitur: si delicta multiplicarentur, pro illorum multiplicitate, & gravitate pœnitentiæ designabantur. Quando igitur indulgentia quadragena conceditur, intelligendum est, concedi eam pœnæ remissionem, quæ quadragena pœnitentia obtineretur. Si autem indulgentia septena conceditur, ea remissio conceditur, quæ per pœnitentiam septem annorum obtinenda foret. Atque ideò, quoties indulgentia alicujus anni conceditur credendum est, concedi eam remissionem, quæ pœnitentia communi, & juridica illius anni obtineretur, sicuti ex communi docent Suar. *disp.* 50. *sect.* 5. *à n.* 11. Valen. *t.* 4. *disp.* 7. *q.* 20. *p.* 3. *ad fin.* Con. *disp.* 12. *dub.* 5. Laym. *lib.* 5. *sum. tract.* 7. *c.* 3. *in princ.* Bonac. *disp.* 6. *q.* 1. *p.* 2. *n.* 2.

3. Sed adversùs hunc modum dicendi obstat, affectum indulgentiæ indeterminatum esse, eò quòd determinari non potest remissio, quæ per pœnitentiam esset obtinenda, quippe hæc crescere, & minui potest, tum ex fervore operantis, tum ex gratia habituali, tum ex fine, tum ex intensione, & duratione. Sed respondeo cum supradictis Doctoribus, in hac indulgentiarum concessione spectari tantùm remissionem, quæ per pœnitentiam quadragenam, vel septenam exteriùs liberè factam abstrahendo ab aliis circunstantiis obtineretur: quæ remissio determinata est, & Deo cognita: ac proinde effectus indulgentiæ determinatus esse potest. Vel dic cum Suar. *disp.* 50. *sect.* 5. *n.* 16. spectandum esse statum, quo te ad lucrandum indulgentiam disponis, & juxta illum, qualitatémque operis injuncti mensurandum esse indulgentiæ effectum; ita ut effectus indulgentiæ unius anni æquet remissioni, quam obtineres per prædictum opus, si per annum duraret, & sic indulgentiæ effectus determinatus erit, tametsi in uno abundantior, quàm in alio.

4. Porrò quadragena, vel septena, vel alia determinata indulgentia concedi solet, non absolutè, sed cum hoc addito *de pœnitentiis injunctis*, ut colligitur ex c. *Cum ex eo de pœnit. & remiss.* &c. *Romana, eodem tit. in 6. & Clement. un. de Reliquiis, & venerat. Sanctor.* Quæ verba non levem patiuntur difficultatem, qualiter intelligantur. Nam plures, gravésque Doctores, Palud. 4. *dist.* 20. *q.* 4. Cajetan. *opusc. de indulg. c.* 2. *&* 7. Navar. *eodem, not.* 11. *n.* 13. Cord. *q.* 9. Henriq. *lib.* 7. *c.* 6. *n.* 2. & alii existimant, ex vi illorum verborum concessionem restringi, ut solùm intelligatur remitti reatus pœnæ temporalis, pro quo solvendo pœnitentiæ injunctæ sunt. Moventur: quia illa verba aliquem effectum operari debent, ne frustra censeatur apposita, neque apparet alius effectus præter supradictum, quem operari possint.

5. Cæterum, ut quid sentiam, paucis exponam, dicendum primò est, ex forma hujus indulgentiæ pœnitentias in sacramentali foro injunctas nequaquam directè remitti posse. Quia obligatio eas exequendi orta fuit à Confessario, supremo Judice, & Dei vices tenente, Indulgentiarumque concessio non est directa præceptorum dispensatio, sed applicatio satisfactionis ex Christi thesauro pro pœnis debitis. At esto, per Indulgentias pœnitentiæ in sacramentali foro injunctæ, remitti directè non possint, benè tamen indirectè, tollendo materiam, & fundamentum illius obligationis. Etenim, cùm obligatio exequendi pœnitentiam injunctam supponat reatum pœnæ, pro quo solvendo imposita sit, sublato per Indulgentiam eo reatu cessat obligatio pœnitentiæ injunctæ. Atque ita docet Suar. aliis relatis *disp.* 50. *sect.* 2. *n.* 4. Coninch. ex parte *d. sp.* 12. *concl.* 1. *n.* 16. Hoc autem intelligendum est (ut benè advertit Suar. *n.* 7. & diximus *tract. de pœnit. punct. de satisf.*) modo pœnitentia in solam peccatorum vindictam injuncta sit, non in illorum medelam, sicuti censendæ sunt ferè omnes pœnitentiæ hoc tempore impositæ, quarum

obligatio ob Indulgentias ceſſare non poteſt, cùm Indulgentiæ appetitum non frænent, nec pravum habitum deſtruant, nec paſſiones remittant.

6. Secundò dico: Publicæ, & judiciales pœnitentiæ, quæque in ſatisfactionem Eccleſiæ ob peccata ſcandaloſa apponuntur, nequaquam ex vi prædictæ Indulgentiæ cenſeri poſſunt directè remiſſæ: quia Indulgentia non ad ſatisfaciendum Eccleſiæ, ſed ad ſatisfaciendum Deo pro pœna peccatis debita dirigitur, contingeréque poteſt, Deo plenè eſſe ſatisfactum & nihilominùs Eccleſiam peccatum punire velle, & debitam de illo ſatisfactionem ſumere. Regulariter autem, præcipuè jure antiquo ſpectato, conceſſa Indulgentia de pœnitentiis injunctis, ſimul illarum obligatio remiſſa eſſe cenſebatur, uti ſupponunt Navarr. Cordub. Cajet. Henriq. & alii *ſuperiùs* relati.

7. Tertiò dico, per prædictam Indulgentiam de pœnitentiis injunctis non reſtringi conceſſionem ad remittendum reatum pœnæ illorum peccatorum, pro quibus pœnitentiæ injunctæ ſunt, ut latè, & eruditè probat Suar. *diſp.* 50. *ſect.* 3. *à n.* 14. Coninc. *diſp.* 11. *dub.* 3. *concl.* 4. & 5. Conſentit Laym. ſpectata conſuetudine hodierna imponendi pœnitentias *l.* 5. *ſum. tr.* 7. *c.* 3. *verſ. At verò.* Quia nulla fingi poteſt congrua ratio, ob quam vellet Pontifex reatum illorum peccatorum remittere potiùs, quàm aliorum: quinimò gravis congruentia adeſt, non leviter perſuadens, Indulgentiam nullatenus ad prædictum reatum reſtringi: quippe ſæpè fruſtranea eſſet Indulgentia, ſi pœnitentias injunctas executus eſſes, & ob earum executionem reatus pœnæ illorum peccatorum ſublatus. At credendum non eſt, Pontificem velle exequentem pœnitentias injunctas, & pro peccatis ſatisfacientem privare Indulgentiis, quas negligenti prædictam ſatisfactionem concedit.

8. Quocirca, duplicem ſenſum exiſtimo prædictam conceſſionem habere poſſe. Primus eſt, ut ea remiſſio concedatur, quæ per pœnitentias injunctas, ſi executioni mandatæ eſſent, obtineretur: hæc autem Indulgentia, eſto directè deſerviat ad tollendum reatum peccatorum pro quibus pœnitentiæ injunctæ ſunt, indirectè tamen ad cujuſlibet pœnæ debitæ remiſſionem prodeſt. Secundus ſenſus probatus à Suar. Con. & Laym. *ſuprà*, eſt, ut illa verba non reſtrictionem, ſed potius ampliationem ſignificent: ac ſi diceret Pontifex: Quadrageſimam Indulgentiæ concedo, etiam de pœnitentiis injunctis. Nam reatus pœnæ, ob cujus ſolutionem pœnitentiæ injunctæ ſunt, difficiliùs remitti liberaliter debet, quàm quilibet alius reatus: ille enim ſub Judicis ſententia continetur, hic verò ſub nullum judicium cadit. Præterquàm quòd nimis odioſum eſt, & diſciplinam Eccleſiaſticam enervat, injunctas pœnitentias relaxare. Ergo Pontifex concedens Indulgentiam reatus difficilioris, cenſendus eſt facilioris reatus remiſſionem concedere, argum. text. in c. *Ex parte* 17. *de decimis.* ibi: *Ubi minus conceditur, & minus conceſſum eſſe videtur.* Præcipuè cum illud minus ſub majori contineatur, neque diverſæ rationis ſit, & verba privilegii abſque ulla violentia utrumque comprehendere poſſint, latámque admittant interpretationem: juxta text. in cap. *Olim. de verbor. ſignific.* &c. *Quia circa, de priv.* Addutcítque Suar. *dicta ſect* 3. *n.* 15. optimum ſimile ex facultate conceſſa alicui abſolvendi à reſervatis, quæ ſine dubio extenditur ad non reſervatorum abſolutionem, utpote minùs difficilem conceſſu.

9. Rurſus Indulgentia concedi ſolet de peccatis, de quibus contritus, & confeſſus es, ſicuti in Concilio Lateranenſi conceſſit Innocent. III. ſubſidium ferentibus pro expeditione terræ ſanctæ: de qua conceſſione dubitatur, an conſtituat totalem, an partialem Indulgentiam. Et ratio dubitandi eſt: quia pluribus aliis peccatis, tum mortalibus, tum venialibus gravari potes; quorum tamen contritionem directè non habueris, neque illa confeſſus ſis. Nam, ſi ſunt peccata venialia confeſſioni neceſſariò non ſubjicitur, neque omnia potes moraliter ſubjicere. Si mortalia ſunt, ſæpè ea inculpabiliter omittis confiteri, vel, quia memoriæ non occurrunt; vel, quia impotens es phyſicè, vel moraliter ad eorum confeſſionem faciendam. Si igitur Indulgentia conceſſa tantùm ſit, prout ſonat, de peccatis, inquam, de quibus es contritus, & confeſſus, non plena, ſed partialis Indulgentia eſt.

10. Cæterum, credo eſſe ſatis probabile, ex vi prædictorum verborum non reſtringi Indulgentiam ad peccata de quibus de facto, & in re contritus, & confeſſus ſis, ſed ad omnia peccata extendi, de quibus contritus, & confeſſus es, quatenus ad eorum remiſſionem contritio, & confeſſio opus fuerit. Etenim cum ad remiſſionem peccatorum contritio perfecta ſimul cum confeſſione neceſſaria non ſit, ſed virtute contritionis perfectæ confeſſionem voti includentis, & virtute attritionis ſimul cum confeſſione peccata remittantur, credendum non eſt, Pontificem Indulgentiam reſtrinxiſſe ad ea ſola peccata, quorum contritionem habuiſti, & confeſſionem ſubjeciſti, ſed potius confeſſionem extendere ad omnia peccata quæ tibi remiſſa ſunt, cum neceſſariò omnia illa, ſi mortalia ſint, debeant remitti contritione, & confeſſione in re, vel in voto. Si verò venialia, ſaltem contritione imperfecta. Moveor ad hanc explicationem, tum ob rationem dubitandi: tum quia peccata, de quibus expreſsè contritus non es, neque confeſſioni ſubjeciſti, efficaciùs exigunt Indulgentiam, quàm peccata, quæ contritione, & confeſſione remiſſa ſunt, cùm horum reatus ex opere operato, & virtute Sacramenti ſolum ex parte remittatur: tum præcipuè ex Jubileo conceſſo ab Innocent. III. ſubſidium ferentibus pro expeditione terræ ſanctæ: concedit namque Innocent. his, qui ſuis ſumptibus alios ad bellum miſerint, plenam ſuorum peccatorum veniam: illis verò, qui propriis viribus bello inſervierint, concedit plenam Indulgentiam ſuorum peccatorum, de quibus liberaliter fuerint corde contriti, & confeſſi. At non eſt veriſimile, voluiſſe Pontificem abundantiorem gratiam conferre iis, qui alios ad bellum deſtinaverunt, quam iis, qui propriis viribus bello inſervierint. Ergo illa verba, *corde contriti, & confeſſi*, non ſunt Indulgentiæ totalis reſtrictiva, ſed ſolùm appoſita majoris explicationis gratia. Tum denique, quia graves Doctores hanc explicationem firmant, ut videre eſt in Gloſſa *Clement. unic. de Reliquiis, & venerat. Sanctor. verbo. Confeſſis.* Abbate, & Joann. Andr. & aliis apud Sylveſt. *verbo, Indulgentia, q.* 7. *diſt.* 2. Angel. *n.* 18. Palud. *diſt.* 20. *q.* 4. *art.* 3. Et probabile reputat Suar. *diſp.* 50. *ſect.* 5. *n.* 30.

11. Denique ſolent Pontifices in indulgentia concedenda aliquando uti verbo, *plena*, aliquando, *pleniori*, aliquando, *pleniſſima*: quorum mentio fit in Extrav. *Antiquorum de pœnit. & remiſſ.* ibi: *Non ſolùm plenam, largiorem, imò pleniſſimam omnium ſuorum concedimus veniam peccatorum.* Ob quæ verba non deſunt Doctores, qui ſentiant, ſolam indulgentiam pleniſſimam eſſe totalem, plenam, & pleniorem eſſe partialem. Sic D. Antonin. 1. *p. tit.* 10. *c.* 3. Supplem. Gabr. *in* 4. *diſt.* 45. *q.* 3. Major. *eodem, diſt.* 20. *q.* 2. *col* 8. Navarr. *de Indulg. notab.* 9. Nam indulgentiam affirmant extendi ad ſola mortalia, de quibus confeſſio facta eſt, vel ad pœnitentias injunctas pro peccatis confeſſis. Pleniorem extendi ad pœnitentias, quæ pro peccatis confeſſis injungendæ eſſent, & ad peccata venialia. Pleniſſimam verò dicunt eſſe totalem: quia ad omnem pœnam cujuſlibet peccati, ſive mortalis, ſive venialis, ſive confeſſi, ſive non confeſſi, modò remiſſum ſit, quoad culpam ſe extendit.

Et

Et quidem posse Pontifices hoc modo Indulgentias concedere, dubium non est. At spectato præsentis Ecclesiæ usu verius existimo, quolibet ex prædictis verbis, totalem, & integram pœnæ debitæ remissionem significari, solumque ad majorem exaggerationem, & indulgentiæ commendationem apponi, sicut Glossa dixit *in dicta Extravag. Antiquorum verbo, Plenissimam.* Sic tradit Sotus *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 2. *art.* 1. Cordub. *de indulgent. q.* 11. Bolognin. *tit. de Indulgent. n.* 100. Henriq. *lib.* 7. *c.* 15. *n.* 7. *litt. X.* Suar. *disp.* 50. *sect.* 4. *n.* 7. Colligiturque apertè ex Extravag. *Quemadmodum de pœnit. & remissionib.* ubi Sixtus IV. volens revocare Indulgentias, quæ ad instar Jubilei concessæ sunt, solùm dixit, se revocare omnes, & singulas plenarias Indulgentias. Sentit ergo, plenariam Indulgentiam totalem esse. Idem constat ex Martino V. *in fine Concilii Lateranens.* probatique potest hæc expositio ex eleganti Papiniani responso *in leg. si cum dies* 26. §. *Penam. ff. de rec pt. arbitr.* ubi pleno compromisso nihil plenius esse judicat.

12. Sed objici potest: Aliquando ultra Indulgentiam plenariam, aliquot dies, vel anni Indulgentiæ conceduntur, ut videre est in indulgentiis, quæ communiter circunferuntur concessæ granis benedictis ab Adriano VI. Si autem Indulgentia plenaria totam pœnam remitteret, superfluè illorum annorum additio fieret. Huic objectioni aliqui respondent, ut refert Cordub. *de Indulgentus, quæst.* 11. *in fine.* ex stylo Curiæ antiquo eam formam esse introductam ob opinionum varietatem: quam solutionem reprobat ipse Cordub. & meritò reprobanda est: ea enim posita manifestè convincitur: concessione indulgentiæ plenariæ Pontificem Indulgentiam totalem non concedere; sed partialem, juxta opinionem eorum, qui partialem Indulgentiam esse sentiebant. Quòd verò Corduba inquit, id factum esse, ne indulgentia careret effectu ob insufficientiam causæ, minus probabile est, ut rectè inquit Suar. statim referendus. Nam, esto, causa insufficiens sit ad totalem Indulgentiam, si tamen ad aliquam partem sufficit, ea pars concedetur, tametsi sub forma indulgentiæ plenariæ concessio facta fuerit. Quapropter placet sententia Suar. *disp.* 50. *sect.* 4. *num.* 9. affirmans, primò nulla bulla, vel decreto authentico eam formam inveniri, ac proinde non esse credendum, ea aliquando Pontificem usum esse. Quod si de facto ea usus reperiatur, præsumi debet, si verba concessionis patiantur pro diversis temporibus concedi. Si tamen constet pro eodem tempore, & sub eadem actione concessionem esse factam, credendum est, indulgentiam plenariam operanti applicari: dies verò, vel annos superadditos animabus purgatorii per modum suffragii: quia nullus alius sensus excogitari potest, in quo illa additio effectum habere possit.

13. Secunda divisio indulgentiæ satis communis est, in personalem & localem, seu realem. Personalis est, quæ personæ conceditur, quamque secum defert quocumque proficiscatur. Localis est, quæ alicui pio loco annexa: non quia ipse locus capax sit alicujus indulgentiæ, seu remissionis, sed, quia in ejus favorem hominibus ibidem orantibus indulgentia conceditur. Qua ratione aliquibus agnis benedictis, imaginibus, &c. Indulgentia concedi solet, non quidem ipsis; sed hominibus illa deferentibus vel coram ipsis orantibus.

14. Circa quam divisionem aliquot difficultates enodandæ occurrunt. Prima, circa indulgentiam personalem, quæ inquam personæ lucrari possint indulgentiam concessam hominibus alicujus civitatis aliquod pium opus præstantibus: v. g. visitantibus aliquam Ecclesiam, aut aliquam eleemosynam elargientibus. Et dubium esse potest, tum de Clericis, tum religiosis exemptis, tum de advenis.

Et quidem clericos illius civitatis lucrari illam indulgentiam posse, est omnino certum: quia est in odiosis sub populo non comprehendantur clerici, ut probat text. in cap. *Ei sententia, de sentent. excommunic. in* 6. at in favorabilibus, ut sunt indulgentiæ, non est dubium comprehendi: quia sunt præcipua pars populi Christiani. *cap. Duo sunt.* 12. *q.* 1. Quinimò non solum clericis illius civitatis; sed etiam illius Ecclesiæ, in qua sita est indulgentia, lucrari possunt, quia non debent esse deterioris conditionis, præcipuè cùm ipsi, sicut & cæteri, opus injunctum pro obtentione indulgentiæ præstare possint, ut rectè ex Cord. tradit Suar. *disp.* 52. *sect.* 1. *n.* 13. *infine.* tametsi contrà sentiat Felin. *tract. de indulgent. plenar. n.* 35.

Religiosi verò eam indulgentiam lucrari possunt, esto, sit indulgentia ab Episcopo concessa. Nam esto, ab ejus jurisdictione exempti sint, cùm eorum exemptio, non in detrimentum, sed in favorem facta fuerit, à privilegiis, & favoribus non excludantur, sed pro illis obtinendis episcopali jurisdictioni se subjicere possunt, nisi specialiter sint prohibiti, se subjicere in peccatorum absolutione & juramentorum & votorum dispensatione. Atque ita docuit Suar. *disp.* 52. *sect.* 1. *n.* 15. Laym. *l.* 5. *sum. tr.* 7. *c.* 1. *n.* 5. Eman. Saà *indulgentia, n.* 15. Barbos. aliis relatis 3. *p. de potest. Episc. alleg.* 88. *n.* 27.

Advenæ verò, & peregrini optimè possunt lucrari indulgentiam ab Episcopo concessam visitantibus aliquam Ecclesiam: ratione enim transeuntis habitationis ei subduntur, uti docuit Barbosa *de potest. Episc.* 3. *part. alleg.* 88. *n.* 28 Laym. & Saà *loc. alleg.* Illud verò communius, si Episcopus proprius peregrinantibus facultatem concedat lucrandi indulgentias ab aliis Episcopis concessas, eas lucrari posse. Tum quia ita colligitur ex textu in *cap. Quod autem. de pœnitentia & remission.* tum, quia vi illius licentiæ alienis Episcopis subduntur. Atque tradit Abbas *in d. cap. Quod autem n.* 7. *vers. Ultim. notq.* Ludovic. Bolognin. *tract. de indulg. num.* 60. Barbos. *dicta alleg.* 88. *num.* 25. Eman. Saà *verbo. Indulgentia. num.* 16. Laym. *tract.* 7. *cap.* 1. *num.* 5.

15. Circa localem indulgentiam difficultas esse potest, qualiter visitare Ecclesiam debeas, ut Indulgentiam obtineas? Qua in re certum est, te obligatum esse ex fine, saltem virtuali, colendi Deum in se, vel in aliquo sancto qui ibi specialiter honoratur, visitationem præstare: quia visitatio injuncta ad indulgentiam & remissionem pœnæ pro peccatis debitæ obtinendam honesta & religiosa esse debet: sicuti probat textus in Extravag. *Unigenitus*, ibi: *Devotionis*, & in Extravag. *Quemadmodum.* ibi: *Reverenter*, & tradit Navar. *in cap. Si quando. de consecr. dist.* 1. *c.* 6. §. 14. Cordub. *de indulg. q.* 25. Eman. Rodrig. *in sum. cap.* 265. *n.* 7 Suar. *disp.* 52. *sect.* 1. *n.* 4.

Sed an opus sit ad hanc visitationem Ecclesiam ingredi, an satis sit ante fores Ecclesiæ orationem fundere, præcipuè cùm præ multitudine peregrinorum ab ingressu impediris? Dicendum videtur, satis esse, si ad fores adsistas: quia est moralis Ecclesiæ visitatio, præcipuè cùm nomine Ecclesiæ cœmeterium congruum comprehendatur. Atque ita tradunt Eman. Rodrig. *suprà n.* 6. Suar. *dist. sect.* 1. *n.* 7.

16. Ex supractis omnibus constat, quisnam sit effectus Indulgentiæ? Nam cùm indulgentia non ad remissionem culpæ, sed pœnæ temporalis referatur, indulgentia plenaria, seu totalis, omnem pœnam debitam remittit, partialis verò partem secundùm formam concessionis. Quòd si per aliquam indulgentiam, seu jubilæum remissio à culpa, & à pœna concedatur; intelligi debet simul cum indulgentiæ concessione facultatem absolvendi à culpis concedi, sicuti notarunt Rodriq. *in explicat. Cruciat. in princ. num.* 3. Cordub. *de Indulgent. quæst.* 8.

PUNCTUM IV.

De forma ſervanda in Indulgentiæ conceſſione, & de ejus interpretatione.

1. *Nulla eſt determinata forma, ſed ſolùm requiritur, ut voluntas concedentis ſatis exprimatur.*
2. *Affirmant plures verba dubia indulgentiarum conceſſione ſtrictè interpretanda eſſe.*
3. *Alii negant.*
4. *Solvuntur fundamenta oppoſita.*
5. *Approbatur hæc poſterior ſententia, reprobatis quibuſdam diſtinctionibus.*
6. *Explicatur qualiter verum ſit, Indulgentiam valere tantùm, quantùm ſonat.*
7. *Et facultate conceſſa ad remittenda peccata, non infertur conceſſam eſſe poteſtatem Indulgentias concedendi.*
8. *Qualiter poteſtas abſolutè conceſſa concedendi Indulgentias limitari debeat.*
9. *Aliqui cenſent ſub verbis communibus, Indulgentiam concedi poſſe.*
10. *Verius eſt oppoſitum.*
11. *Neceſſarium eſt, ſaltem in genere, quantitatem Indulgentiæ declarare.*
12. *Indulgentia conceſſa pro mortis articulo regulariter præſumpto intelligitur.*
13. *Qualiter intelligitur ea conditio:* Dummodo in Eccleſia alia ſimilis Indulgentia conceſſa non ſit.

1. NEque ad communicandam poteſtatem concedendi Indulgentias, neque ad illarum conceſſionem alia forma requiritur; præter eam, quæ ſufficienter conceſſionem exprimat. Nam, cùm jure ipſo nulla verba determinata ſint pro communicatione poteſtatis concedendi Indulgentias, vel pro illarum confeſſione, abſque fundamento determinata aliqua forma poſtularetur. Quòd verò neceſſarium, ſit utrumque conceſſionem ſufficienter exprimere, eſt omnium ſententia, teſte Suar. *di. p. 56. ſect. 1. n. 4.* quia eſt actus juriſdictionis Eccleſiaſticæ in Eccleſia viſibili, & in favorem hominum: debet ergo ſufficienter exprimi, & declarari. Atque ita docet Coninch. *diſput. 12. dub. 4. num. 22.*

2. Sed, quia ſunt aliqua verba, vel ſigna, quæ conceſſionem, tum poteſtatis, tum Indulgentiæ limitare, vel extendere poſſunt, juxta varias Doctorum interpretationes, examinandum eſt, an latè, vel ſtrictè interpretanda ſint? Prima ſententia defendit, ſtrictè interpretandam eſſe. Ita Innocent. & Hoſtienſ. *in c. Licet. de tranſl. Epiſc.* Bald. *in ſua Margarita, verbo Indulgentia. & leg. Humanitat. Cod. de impub. & aliis ſubſtitut.* Palud. *in 4. diſt. 20. quæſt. 4. art. 3.* Navarr. *de Indulg. notab. 9. n. 8. & 9.* Probatque Navar. primò *ex reg. Cancellar. 27.* ubi Indulgentia conceſſa alicui Eccleſiæ pro aliquo feſto, tametſi in ſingulos annos concedatur, reſtringitur ad viginti annos. Deinde conceſſa alicui loco, qui aliam Indulgentiam ſimilem habeat, nulla eſt, ſi in conceſſione poſterioris non fuerit mentio prioris facta, *juxta reg. 58.* Et regulariter non abſolutè, ſed tempore limitato, per quatuor inquam, vel quinque annos ſolent Pontifices Indulgentias concedere, *juxta reg. Cancel. 59.* Quæ omnia videntur probare, Indulgentiarum conceſſionem ſtricti juris eſſe. Secundò, conceſſio Indulgentiarum continet diſpenſationem in jure divino, & diſtributionem æris alieni: at hæc ſtrictè interpretantur. Ergo. Tertiò, eſto, Indulgentia ſit favor ei, cui fit: at reſpectu Communitatis non videtur eſſe: quippe diſciplinam Eccleſiaſticam, & pœnitentialem ſatisfactionem enervat, ut conſtat ex *c. Cum ex eo de pœnit. & remiſſ.* & ex Trident. decreto *de Indulg. in fin.* ibi: *In Indulgentiis concedendis moderationem, juxta veterem probatam Eccleſiæ conſuetudinem adhiberi, ne minima facilitate eccleſiaſtica diſciplina enervetur.*

3. Secunda ſententia præcedenti contraria docet, non ſolùm poteſtatem, ſed ipſam Indulgentiam conceſſionem favorabilem eſſe, & latè interpretandam, Sic ſentit Gloſſa *in Clem. unic. de Reliq. & venerat. Sanctor. verbo, Conf ſſio*, Sylv. *verbo, Confeſſio, num. 8.* & *num. 20. & 22.* Angel. *num. 2.* Henriq. *lib. 7. c. 30.* Bonac. *diſp. 6. de Indulg. q. 1. p. 7. a n.* . Moventur primò: quia Principis Beneficium latè eſt interpretandum, quatenus abſque tertii præjudicio fieri poteſt, *c. Olim. de verb. ſignific. leg. ult. ff. de conſtit. Princ. p.* Sed tam poteſtas concedendi Indulgentias, quam ipſa conceſſio, eſt beneficium Principis, ut de ſe conſtat. Ergo Secundò, hæc conceſſio eſt opus charitatis, & miſericordiæ, utilis ei, cui conceditur; & nemini nocens: quippe Deo fit integra ſolutio; & licèt fiat ſatisfactionibus Chriſti: at non abſque illius commiſſione, & voluntate, præterquam quòd prædictæ ſatisfactiones eſto, in gravi quantitate applicentur, nullam patiuntur diminutionem, ſed integræ, & infinitæ perſiſtunt. Eccleſia autem ex hac conceſſione non leve commodum reportat: nam purior, & quodammodo Deo gratior in ſuis membris efficitur: ergo in quolibet caſu dubio lata fieri debet interpretatio.

4. Neque contrariæ ſententiæ fundamenta urgent. Nam primum de limitatione per regulas Cancellariæ, potiùs oppoſitum probat: ſiquidem ea reſtrictio viſa fuit neceſſaria, ne Indulgentia abſolutè conceſſa, cenſeretur perpetua. Secundum verò probat ad ſummum, diſpenſationem abſolutam in jure divino ſtrictè eſſe interpretandam: at Indulgentiarum conceſſio non eſt in jure divino abſoluta diſpenſatio, ſed cum addito per integram; ſcilicet, ſolutionem. Verum enim eſt, jure divino obligatum eſſe peccatorem integram ſatisfactionem exhibere, vel ſatiſpaſſionem ſubire pro peccatis commiſſis. At, ſi Pontifex ſatisfactionibus Chriſti Domini, & Sanctorum applicatis hanc obligationem remittit, non diſpenſatio utcunque, ſed pretio ſoluto remiſſio appellanda eſt, ac proinde non ſtricta, ſed lata debet eſſe interpretatio. Tertium argumentum ſolùm probat, exceſſum concedendis Indulgentiis eſſe vitandum: quia hic exceſſus diſciplinam eccleſiaſticam enervat, non verò illarum moderatus uſus: nam eſto, ſatisfactionem pœnitentialem remittas, ſolutione integrè facta, inde non labefactatur eccleſiaſtica diſciplina; ſed charitas Chriſti Domini maximè commendatur, qui ſuæ Eccleſiæ theſaurum reliquit, ex quo noſtram poſſimus paupertatem ſupplere.

5. Hæc ſententia mihi maximè probatur, tametſi Suarez *diſp. 56. ſect. 2. à n. 4.* quem Layman. ſequitur *lib. 5. ſum. tract. 7. cap. 1. in fine.* diſtinctione adhibita utramque opinionem conciliare conatus ſit: diſtinguit enim inter poteſtatem delegatam ad concedendas Indulgentias, & inter ipſam indulgentiarum conceſſionem; affirmátque, poteſtatem delegatam ſtrictè interpretandam eſſe: ſecùs vero conceſſionem cognita poteſtate. Et priorem partem probat: quia etiam Pontifex non poteſt concedere indulgentias abſque cauſa: ſed ejus poteſtas, eſto, in illo genere ampliſſima ſit, reſtringenda eſt intra terminos juſtitiæ commutativæ, & legalis: à fortiori poteſtas Epiſcopis delegata, quæ terminos juris communis excedere non poteſt. Deinde, amplitudo poteſtatis delegatæ eſt aliquo modo odioſa, & oneroſa Principi. Tandem ex illa ſubeſt periculum derogandi juri divino, & Eccleſiaſticam diſciplinam laxandi. Reſtringenda igitur eſt. Secundam partem, ſcilicet, indulgentiarum conceſſionem ſuppoſita poteſtate latè interpretandam eſſe, probat Suarez tum fundamentis ſecundæ ſententiæ

tentiæ : tum quia suppositâ potestate solum de voluntate dubium esse potest : at voluntati latam adhibere interpretationem quatenus prudentia, & ratio recta permittit, cedit in concedentis liberalitatem, & benignitatem. Ergo sic adhibenda est.

Cæterùm, hanc distinctionem nullo modo probare possum. Si enim indulgentia latam interpretationem admittit, quando solùm à voluntate concedentis pendet, eandem interpretationem debemus concedere potestati delegatæ, quando solùm à potestate delegantis ejus valor dependet. Quinimò existimo, potius potestati delegatæ latam interpretationem adhibendam esse, quam indulgentiarum concessioni : nam concessio indulgentiarum absque causa formali proportionata nulla est : at potestatis delegatæ concessio, etiam absque causa valet. Quòd verò nec Pontifex, nec delegatus absque legitima causa indulgentias concedere possint non probat potestatem strictè esse interpretandam : hæc enim ut sit, nullam aliam causam, præter voluntatem concedentis, requirit, sed potiùs probat, indulgentiarum concessionem ea causa restringendam esse : quod nostræ doctrinæ nullatenus adversatur. Item si aliquid concedendum est deleganti onerosum, non potestatis concessio ; sed usus illius censendus est : Denique ex usu, & non ex potestate periculum insurgit jus divinum derogandi, & Ecclesiasticam disciplinam laxandi. Si igitur concedit Suar. usum potestatis concedendi indulgentias latè esse interpretandum, à fortiori de potestate concedere debet.

Vero similiùs Ægid. de Coninch. *disp. 12. dub. 4. in fine.* distinxit inter indulgentias viventibus concessas, & inter concessas animabus Purgatorii per modum suffragii, has, inquam, admittit latè esse interpretandas ; quia nullum est inconveniens : secùs verò indulgentias viventibus concessas : quia ex earum concessione periculum adest enervandi ecclesiasticam disciplinam & justum rigorem. Sed neque hæc distinctio probanda est : quia ut superiùs diximus, non ex indulgentiarum moderata concessione hoc periculum nascitur, sed ex nimia, & immoderata, quæ omnino vitanda est.

6. Ex his ferè infertur decisio illius quæstionis, an indulgentia tantùm valeat, quantum sonat. Et quidem si causa legitima subsit, affirmandum est, tantum valere, quantum verba sonant, secundùm eorum proprietatem, & communem usum stylumque receptum. Contingere autem potest, Pontificem existimare, causam sufficientem adesse ad plenariam indulgentiam concedendum, cùm tamen in re non adsit, nisi ad tertiæ partis concessionem : quo casu indulgentia non valet, quantum sonat ; sed causæ commensuratur. Neque hæc deceptio est contra authoritatem Pontificis, cùm non pertineat ad res fidei, morumque doctrinam, in quibus ab Spiritu Sancto infallibiliter regitur, sed potius ad humanam prudentiam, & existimationem. Verùm esto, speculativè sic possit contingere, practicè autem, & moraliter loquendo, vix contingere potest. Nam cùm ad validam indulgentiæ concessionem solùm videatur expostulatum, quod concedens indulgentiam prudenter existimet, causam ad illius concessionem sufficientem adesse, credendum non est, Pontificem, neque Episcopum, indulgentias concedentes absque prudentis existimatione causæ procedere : maximè cùm semper præsumendum sit, superioris factum justum esse, nisi contrarium evidenti ratione probetur, juxta leg. 2. §. *Meritò*, & §. *Si quis à principe. ff. ne quid in loco publico*, & tradit Cravet *cons.* 188. *num.* 8. Neque illi inferiori datum est de justificatione causæ judicare, argum. text. in *cap. Cùm inferior. de majoritate & obedient.* Quòd si concedens indulgentiam expresserit causam concessionis, nemini permittitur illius insufficientiam probare ; sed illi standum est ut rectè Bald. *Cons.* 327. *n.* 10. *l.* 2.

7. Difficultas autem superest in applicanda prædicta doctrina casibus singularibus, communiores percurremus, ut inde alii inferri possint. Et in primis quoad facultatem concedendi indulgentias, dubitari potest an ex eo, quòd Pontifex alicui concedat facultatem ad remittenda peccata, censeatur concessa facultas ad indulgentias concedendas. Et ratio dubii est : quia indulgentiarum concessione peccata saltem quoad pœnas debitas, remittuntur. Ergo concessa facultate remittendi peccata, concedi censetur facultas præstandi ea, per quæ peccata integrè remittuntur. Ergo concedi censetur facultas indulgentias concedendi. Sed oppositum tenendum est cum Suar. *disp. 56. sect. 1. n. 9.* ex eo, quod sub illis verbis solùm potestas remittendi peccata in sacramentali foro contineatur, juxta illud Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Quibus verbis non potestatem concedendi indulgentias, sed absolvendi à culpis Christus concessit. Adde quòd spectato usu, styloque communi sub remissione peccati absolutè sumpta, sola remissio à culpa, & pœna illi annexa intelligitur.

8. Secundò dubitabis, si Pontifex tibi concedat potestatem largiendi indulgentias, vel quascunque indulgentias, an concedat tibi facultatem largiendi omnes indulgentias, quas ipse Pontifex largiri potest, tam quoad quantitatem, quàm quoad qualitatem, & numerum. Idemque dubitari potest de Episcopo concedente suo Vicario, vel alteri potestatem concedendi indulgentias. Non enim videtur qualiter hæc concessio indefinita limitem habere possit, cùm nulla sit specialis ratio de una indulgentia potius, quàm de alia, præcipuè cùm dictum sit, potestatem concedendi indulgentias latè interpretandam esse, quantum verborum proprietas permiserit. Cæterùm dicendum est, esto, ex verbis per se spectatis, nulla sit restrictionis occasio : at spectato stylo communi, & consuetudine recepta, maximam esse. Etenim cùm Pontifex concedit alicui potestatem largiendi indulgentias, nullatenus concedere censetur potestatem largiendi indulgentias per modum suffragii, neque indulgentias plenarias : quia hæ supremæ potestati sunt reservatæ ; sed solùm censendus est concedere eas indulgentias, quas spectato communi jure similibus personis concedere solet. Episcopus verò cùm limitata potestate gaudeat indulgentiarum concessione, non videtur inconveniens, si affirmemus, omnem suam potestatem ex vi illorum verborum communicare, nisi fortè ex circunstantiis tum loci, tum personæ, tum occasionis facultatis concedendæ restrictio aliqua colligatur, ut benè expendit Suar. *d. sp. 56. sect. 1. à num. 10.*

9. Quoad indulgentiarum verò concessionem, cùm dixerimus, eam formam servandam esse, quæ sufficienter concessionem exprimat, inquiri potest, an necessariam sit exprimere qualitatem, seu quantitatem Indulgentiæ, v. gr. quadragenæ, septenæ, vel plenariæ, vel an sufficiat, eam concessionem sub verbis communibus exprimere. Hac in re Suar. *disp. 56. sect. 1. à n. 6.* affirmat, opus non esse, ut quantitatem, vel qualitatem indulgentiæ exprimas, sed eo ipso, quo pœnitentem absolvis, intentione absolvendi non solùm à peccatis, sed à pœnis, tametsi expresè non declares, indulgentiam communicari. Quod probat Suar. quia verbum *absolutio*, absolutè prolatum extendi potest, tum ad peccata, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam, tum ad censuras. Ex alia etiam parte pœnitens intentionem saltem virtualem habet, ut ab omni vinculo ab solvatur, in quantum fieri potest. Ergo ex vi illorum verborum manet absolutus quoad pœnam, atque adeò & indulgentia concessa.

10. Cæterum

10. Cæterùm verius exiſtimo, ex ſupradictis verbis indulgentiam nullatenus communicari. Non enim communicari poteſt indulgentia, quin ſufficienter exprimatur: aliàs ſola intentione communicare eam poſſes, quod nec Suar. admittit. At ex prædictis verbis non ſatis conceſſio exprimitur. Tùm quia verbum, *abſolvo*, abſolutè prolatum ſtat pro famoſiori ſignificato, ſcilicet, peccatorum abſolutione, ita ut neque ad cenſuras, neque ad pœnas extendatur, niſi circunſtantiæ eam extenſionem inducant, ut, quia pœnitens abſolutionem à cenſuris, & pœnis expoſtulavit. Ex ſola autem petitione virtuali talis extenſio induci non poteſt: nequit enim petitio virtualis, utpote ſolùm præſumpta, & non declarata formam, alioqui indifferentem determinare; determinatione, inquam, viſibili, & manifeſta. Tum, & præcipuè, quia indulgentiarum conceſſio non eſt ſola abſolutio à pœnis debitis, ſed diſtributio, & applicatio ſatisfactionum Chriſti, quibus pœnæ debitæ ſolvuntur: at ſub verbo, *abſolvo*, non exprimitur hæc ſolutio. Non igitur ea verba ſufficiunt ad indulgentiarum conceſſionem.

11. Quinimò exiſtimo, neceſſarium eſſe, ſaltem in genere, quantitatem, & qualitatem indulgentiæ declarare. Nam, cùm verba quaſi practica ſint, & moraliter efficiant, quod ſignificant, commune auterminatum effici non poſſit, neceſſariò aliquam determinationem habere debent. Quod verum eſt in qualibet alia humana donatione. Quocirca, ut conceſſio indulgentiæ effectum habeat, debes exprimere indulgentiæ quantitatem, ſeu qualitatem, ſaltem generaliter, dicens: Concedo tibi indulgentiam, quam poſſum: vel quam lucrari potes, vel juxta indultum mihi conceſſum. Illud verò eſt certum, opus tibi non eſſe exprimere, qua authoritate indulgentiam concedas: id enim potiùs ſupponi debet quam declarari, ut benè notavit Suarez *d. ſectio. 1. numero 5.*

12. Inſuper ſæpè ſolet concedi indulgentia plenaria pro mortis articulo. Dubitari autem poteſt, an concedatur hæc indulgentia exiſtenti in periculo mortis, tametſi de facto non moriatur; an verò ſit neceſſarium mortem ſubſequi? Qua in re dicendum eſt, regulariter concedi exiſtenti in mortis periculo, eſto, mors non ſubſequatur: ſicuti conceditur à reſervatis abſolutio: quod maximè verum eſt, ſi addatur particula, *ſemel*, vel, *ſæpius*: ſuperflua enim eſſet, ſi ſolùm pro vero mortis articulo indulgentia concederetur. Atque ita ex Felino *tract. Indulgent. num. 16.* Antonin. *1. p. tit. 10. cap. 3.* notavit Suar. *diſp. 56. ſect. 1. n. 3.*

13. Denique concedi ſolet alicui Eccleſiæ in Feſtivitate ſui Patroni ſinguis annis plenaria indulgentia: ſub hac tamen clauſula, & conditione: *dummodo alia ſimilis Indulgentia conceſſa non fuerit*, nam ea conceſſione ſtante, inquit Pontifex, *præſens conceſſio nulla ſit.* Dubium ergo eſt, an ea conditio intelligenda ſit de conceſſione facta ab eodem Pontifice, an etiam à prædeceſſore? Et quidem ſi conditionem ſub his verbis appoſuerit: *Dummodo aliam ſimilem Indulgentiam non conceſſerimus*, verius exiſtimo cum Bonac. *diſp. 6. de Indulg. q. 1. part. 7. circa fin.* de conceſſione facta ab eodem Pontifice intelligi debere; quia ibi nomen perſonæ exprimit, non dignitatis: ac proinde non conceſſionem à dignitate factam, ſed à ſeipſo reſtringere velle. Si verò non ſub expreſſione perſonæ, ſed potius, Sedis conditio apponatur, ut ſi dixerit Pontifex: *Dummodo alia ſimilis indulgentia ab hac Sede conceſſa non ſit*, certum videtur ea conceſſione perſeverante, præſentem conceſſionem nullam eſſe. At, ſi ſolùm dixerit: *Dummodo alia conceſſa non ſit*, probabile exiſtimo de ſolo ipſo Pontifice intelligi poſſe: nam ea verba, cùm ſint reſtrictiva, & odioſa, ſtrictè interpretari debent præcipuè cum ex hac ſtricta interpretatione valor præſentis conceſſionis pendeat, & indulgentiæ conceſſio.

PUNCTUM V.

Qui poſſint indulgentias concedere.

1. *Petrus, ejúſque ſucceſſores à Chriſto poteſtatem acceperunt concedendi Indulgentias.*
2. *Concilium generale unitum Capiti, poteſtatem habet indulgentias concedendi.*
3. *Secus in ſe ſpectatum.*
4. *Fit ſatis oppoſitis rationibus.*
5. *Aliqui firmant, Epiſcopos jure divino poteſtatem habere Indulgentias concedendi.*
6. *Verius ſoli Pontifici hanc facultatem eſſe conceſſam.*
7. *Solvitur oppoſitum fundamentum.*
8. *Epiſcopis eſt conceſſa à Pontifice facultas largiendi aliquas Indulgentias.*
9. *Non extenditur prædicta poteſtas ad defunctos.*
10. *Hæc poteſtas Epiſcoporum eſt ordinaria.*
11. *Non habent Epiſcopi poteſtatem ullam, præter conceſſam in cap.* Noſtri *& cap.* Cùm ex eo pœnit.
12. *Si excedat Epiſcopus poteſtatem, non ſolùm exceſſum, ſed omnem conceſſionem eſſe nullam firmant plures.*
13. *Verius eſt, ſolùm in exceſſu adeſſe nullitatem.*
14. *Satisfit rationi contrariæ.*
15. *Plures cenſent, reſtrictionem factam Epiſcopis in c.* Cùm ex eo *de ſola publica conceſſione eſſe intelligendam.*
16. *Contrarium dicendum eſt.*
17. *Epiſcopus, eſto, conſecratus non ſit, & extra territorium, concedere ſibi ſubditis indulgentias poteſt.*
18. *Non debet concedens Indulgentias eſſe excommunicatus.*

1. COnſtat apud omnes Orthodoxos, Petrum, ejuſque ſucceſſores à Chriſto Domino poteſtatem accepiſſe concedendi Indulgentias, eámque, utpote juriſdictionis, aliis communicare poſſe, ſicuti colligitur ex Extravag. *Unigenitus de pœnit. & remiſſion.* cap. Cùm ex eo. cap. *Quod autem eodem tit.*

2. Concilium generale, ſi unitum ſit ſuo Capiti, ſaltem ratione illius, non eſt dubium Indulgentias concedere poſſe: at ab ipſo Capite diſtinctum, ut contingit Sede vacante, exiſtimat Cordub. *quæſt. 12. de Indulg.* Henriq. *cap. 31. n. 1.* Navarr. *de Indulgent. notab. 31. n. 2.* poteſtatem habere Indulgentias concedendi. Tum, quia diſpenſatio bonorum communium Eccleſiæ ad Eccleſiam pertinere videtur: at Concilium generale, maximè Sede vacante, Eccleſiam repræſentat, tum, quia plures Doctores exiſtimant, omnibus Eccleſiæ Prælatis jure divino conceſſa eſſe poteſtatem concedendi Indulgentias: tum denique, quia hæc conceſſio eſt actus juriſdictionis, quæ Concilio generali competit.

3. Cæterum dicendum eſt, Concilium generale, ſive Pontifice vivente, & ex ejus facultate congregatum, ſive eo mortuo, ex ſe nullam à Chriſto accepiſſe poteſtatem concedendi indulgentias, ac proinde ſolùm ex facultate Pontificis eas concedere poſſe. Sic Suar. *de Indulg. diſp. 5 1. ſect. 1. num. 7.* Layman. *lib. 5. ſum. tract. 7. cap. 4. n. 1.* Bellarm. *lib. 1. cap. 11. col. 2.* & ſignificarunt D. Thom. *in 4. diſt. 20. quæſt. 1. art. 4.* Durand. *quæſt. 5. ad 2. alias 4. p. quæſt. 33. aliàs 83. membr. 3.* Richard. *art. 5. quæſt. 3.* quatenus ſoli Pontifici hanc poteſtatem tribuunt, nulla facta mentione Concilii generalis. Ratio eſt: quia Chriſtus Dominus ſoli Petro dixit: *Paſce oves meas*, ſolíque Petro, ejúſque ſucceſſoribus Eccleſiam commiſit. Non igitur Concilio generali, ut à Pontifice diſtincto: aliàs

duæ

duæ essent universales potestates, & independentes, duóque capita. Item, negari non potest, posse Pontificem Concilio generali prohibere, ne indulgentias concedat. Signum ergo est à Christo Domino hanc potestatem non accepisse. Quod verò Sede vacante, eam potestatem non habeat, probatur, tum rationibus supradictis: tum quia Concilio generali sic congregato solùm datum est ea exercere, quæ ad regimen Ecclesiæ necessaria fuerint, donec electio Pontificis fiat. At Indulgentiarum concessio nullatenus necessaria apparet.

4. Neque rationes contrariæ urgent. Ad primam concedo, dispensationem bonorum communium, quæ sub dominio Ecclesiæ sant, ad Ecclesiam pertinere, sicuti dispensatio bonorum alicujus reipublicæ ad ipsam rempublicam, deficiente Principe, pertinet. At dominium thesauri satisfactionem Christi, & Sanctorum, non commisit Christus Ecclesiæ, sed soli Petro, ejúsque successoribus. Quare, deficiente Petri successore, sibi Christus illius thesauri dominium reservat, donec successor Petri eligatur. Ad secundam negamus, prælatis Ecclesiæ concessam esse à Christo hanc potestatem. Ad tertiam dico, Indulgentiarum concessionem jurisdictionis actum esse; at nego ad hunc actum jurisdictionem habere Concilium, nisi à Pontifice communicatam.

5. De Episcopis, aliisque Ecclesiæ Prælatis plures firmant jure divino potestatem esse concessam concedendi indulgentias; dependentem tamen à Pontifice. Sic Sotus *in* 4. *dist.* 21. *q.* 1. *art.* 4. Petr. de Soto *de Indulgent. q.* 3. Cordub. *q.* 10. Rutilius Benzonius *de Jubileo, quæst.* 30. Valen. *disp.* 7. *qu.* 10. *p.* 3. *post princ.* Moventur: quia Episcopi ex officio eandem jurisdictionem habent in sua diœcesi, quam habet Pontifex in universali Ecclesia, dum à Pontifice non restringitur. Ergo habent potestatem disponendi de thesauro Ecclesiæ in suæ diœcesis favorem, præcipuè cùm hæc dispositio maximè convenire videatur ad rectum suæ Ecclesiæ regimen.

6. Nihilominus tenenda est communior sententia, potestatem concedendi indulgentias nemini à Pontifice Christum concessisse: sed omnem hanc potestatem à Pontifice dimanare debere. Sic Pluribus relatis firmat Suar. *disp* 55. *sect.* 2. *num.* 3. *usque in finem.* Coninch. *disp.* 2. *dub.* 1. *in fine.* Layman. *lib.* 5. *sum. tract* 7. *cap* 4. *num.* 2. Bonac. *disp.* 6. *quæst.* 1. *p.* 3. *num.* 2. Barbosa 3. *p. de potest. Episc. alleg.* 8. *num.* 5. nec leviter colligitur ex Extravag. *Unigenitus. de pœnit. & remissionib.* quatenus soli Petro ejúsque successoribus affirmatur, dispensationem thesauri Ecclesiæ ex satisfactionibus Christi, & Sanctorum commissam esse. Et probari potest primò: quia esto, episcopalis dignitas, ejusque jurisdictio, ut ordinaria, sit instituta à Christo quoad effectum, ut mediis Episcopis Pontifex Ecclesiam gubernaret, juxta Paul. *ad Ephes.* 4. & 1. *Corint.* 12. ibi: *Posuit Episcop. regere Ecclesiam Dei.* Pontificique sit præceptum, ut Episcopo constituto eam jurisdictionem tribuat, quæ ad rectum suæ diœcesis regimen visa fuerit; non inde infertur Episcopis concessam à Christo esse potestatem indulgentias concedendi, quinimò nec obligationem esse in Pontifice communicandi Episcopis hanc potestatem. Quia potestas necessaria non est ad gubernationem diœcesis, sed ea potestate sublata optimè fidelium utilitati, & necessitati consulere possunt. Secundò, concessio indulgentiæ fit per dispensationem thesauri satisfactionum Christi, & Sanctorum; at hic thesaurus, utpotè bonum universalis Ecclesiæ à solo gubernatore illius dispensandus est, sicuti thesaurus alicujus Communitatis ab eo tantùm, qui toti communitati præest, dispensatur. Tertiò si Christus Dominus potestatem concedendi indulgentias Episcopis concessisset æquè ac Pontifici, non posset Pontifex absque evidenti, & publica causa, eam potestatem restringere majori ex parte, sicuti Episcopis restricta est, & ferè in totum sublata. At hæc evidens, & publica causa difficile ostendi potest. Ergo affirmandum est, jure divino nullum alium præter Pontificem, potestatem habere Indulgentias concedendi.

7. Fundamentum oppositum facilè solves, si dicas, quemlibet Episcopum eam potestatem habere, quæ necessaria est ad gubernationem suæ diœcesis, quam habet Pontifex comparatione Ecclesiæ universalis, dum non restringitur, diverso tamen modo: Nam Pontifex eam habet à Christo, Episcopus verò à Pontifice eo ipso, quo est Episcopus constitutus. At potestas concedendi Indulgentias, cùm necessaria non sit ad diœcesis regimen, non censetur sola ex constitutione Episcopi concessa.

8. Cæterùm esto, Episcopi non habeant à Christo hanc potestatem concedendi indulgentias, neque Pontifex sit à Christo obligatus eam illis communicare; decuit tamen maximè Episcopalem: ut ea potestate gauderet, non quidem absolutè, ne per indiscretas, & superfluas indulgentias, quas plures Prælati concederent, si absolutam potestatem haberent: claves Ecclesiæ contemnerentur, & pœnitentialis satisfactio enervaretur, sicuti dicitur in *cap. Cùm ex eo. de pœniten. & remissionib.* Sed cum limitatione, quam prædictus textus, *Cùm ex eo.* subjungit. Etenim ibi statuitur in dedicatione Ecclesiæ, sive ab uno, sive à pluribus Episcopis facta solùm unum indulgentiæ annum concedi posse. In anniversario verò dedicationis, vel aliàs, quando Episcopo placuerit, solùm quadraginta dies permittuntur concedi. Quam ultimam indulgentiam potest Archiepiscopus concedere per totam suam provinciam, & Suffraganeorum diœceses, tametsi non sit in actu visitationis, ut colligitur ex *cap. Nostro de pœnit & remissionib.* quia indulgentiarum concessio non est actus jurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ, ut *superius* diximus: & præcipuè quia quoad illum actum omnes fideles illius provinciæ subditi censentur Archiepiscopis. Sic tradit in præsenris Cordub. *q.* 14. Henriq. *cap.* 32. *n.* 1. Quaranta *verbo Archiepiscopi authoritas. numer.* 31. Bonac. *disp.* 6. *q.* 1. *p.* 3. *num.* 2. Barbos. 3. *de potest. Episcop. all.* 8. *n.* 15. Suar. *disp.* 55. *sect.* 3. *num.* 7. Ex quo fit, concessa per Episcopum quadragena visitantibus aliquam Ecclesiam, posse aliam quadragenam ab Archiepiscopo concedi, fideleque visitantes illam Ecclesiam duplicem quadragenam simul lucrari, uti notarunt Henriq. Suar. & Barbos. *suprà.* Quòd verò inquit Paludan. *in* 4. *dist.* 20. *q.* 4. *art.* 2. *concluf.* 4. quem sequitur Layman. *l.* 5. *tract.* 7. *cap.* 4. *n.* 2. posse plures Episcopos extraneos singulas quadragenas concedere sibi subditis visitantibus aliquem locum pium à sua jurisdictione alienum, Episcopúmque proprium omnes illas indulgentias ratas habere posse pro suis subditis, ac proinde illos subditos posse simul plures quadragenas lucrari, mihi displicet, sicut & Suar. *disp.* 55. *sect.* 3. *n.* 6. *& seq.* Nam esto verum sit, extraneos Episcopos posse loco à sua jurisdictione alieno annectere aliquam Indulgentiam pro suis subditis; quia ea concessio non est facta loco, sed subditis in loci illius specialem commendationem. At nequaquam eas indulgentias ratas habere potest Episcopus proprius illius loci pro suis subditis, quia cùm ipse per se suis subditis non possit ampliorem indulgentiam, quàm quadragenam concedere, nequit eam concedere mediis extraneis Episcopis, qui ad hunc effectum sibi sunt delegati.

9. Hæc potestas Episcopi, & Archiepiscopi ad concedendas indulgentias, nequaquam extenditur ad defunctos: quia ut colligitur ex dicto *cap. Cùm ex eo.* juncto *cap. quod autem, de pœnitent. & remissionib.* solùm

ſolùm comparatione ſubditorum hanc poteſtatem exercere poſſunt, uti ex communi ſententia tradunt Cardinal. Navar. Cordub. Medin. quos refert, & ſequitur Suarez, *diſp.55. ſect.3. à num.9.* Bellarm. *lib.1. c.11.* Eman. Saà *verb. indulgentia, n.18.* Barboſ. *de poteſt. Epiſc.3. p. alleg 88. n.24.* Layman. *tract.7. c.4. n.2.* Bonac. *diſp.6. q.1. p.3. n.5.*

20. Porrò hæc poteſtas competens Epiſcopo, & Archiepiſcopo, ordinaria eſt non delegata: quippe eſt jure communi annexa in perpetuum epiſcopali dignitati, ac proinde eam poteſt Epiſcopus delegare. Hæc verò delegatio neceſſariò Clerico non laïco facienda eſt. Nam, eſto, laïcus jure divino non ſit incapax concedendi indulgentias ex delegatione, ideóque Pontifex ex plenitudine ſuæ poteſtatis poſſet laico id privilegium communicare, ut docuit Suarez *diſp.55. ſect.6. n.3.* Attamen Epiſcopus nequaquam poteſt, quippe laicus jure, & conſuetudine à functionibus eccleſiaſticis alienus eſt: Clerico verò poterit, tametſi in ſacris non ſit: quia nullo jure id cavetur, uti ex communi ſententia tradit Suar. *loco allegato. n.6.* Valen. *t.4. diſp.7. q.20. p.3. poſt initium.* Azor. *2. p. lib.3. cap.55. quæſt.5.* Bellarm. *lib.1. cap.11.* Eman. Saà *n.16.* Bonac. *p.3. n.11* Barboſ. *alleg.88. n.10.* & alii apud ipſos.

11. Circa hanc poteſtatem Epiſcoporum ſuperſunt enodandæ aliquot difficultates, quas Suarez *dicta diſput.55. ſect.3. à num 11.* optimè expendit. Prima, an reſtrictio facta Epiſcopis in dicto *cap. Noſtro. & cap. Cùm ex eo de pœnitent.* tollat ab ipſis poteſtatem concedendi ampliorem indulgentiam, vel ſolum uſum, & conceſſionem prohibeat. Cui difficultati reſpondet Suarez ex vi prædictorum textuum ſublatam eſſe ab Epiſcopis poteſtatem ampliorem indulgentiam concedendi, uti indicant illa verba, indulgentias non ampliùs extendi, expreſséque declaravit Bonifac. VIII. *in cap. ult. de pœnitent & remiſſionib. in 6.* ac proinde jam non eſt locus dubitationi.

12. Quapropter eſt ſecunda dubitatio, an, ſi de facto Epiſcopus ampliorem indulgentiam concederet, quam ſibi permiſſum eſt, nulla ſit ea conceſſio, non ſolùm quoad exceſſum, ſed etiam quoad illam partem, quam concedere poteſt: Non deſunt graves Doctores, quos refert Suarez *dicta ſect.3. num.12.* qui id affirment. Quia illa conceſſio unica eſt, & non multiplex. Non igitur poteſt ex parte eſſe irrita, & ex parte valida: quod exemplo optimo Suarez confirmat: Iudex namque potens condemnare tantum in quantitate ut decem, ſi condemnet ut viginti, nulla eſt condemnatio, etiam quoad decem, ut docuit Gloſſa, Bart. & alii *in leg. ult. ff. de juriſd. omnium Judici.* Ergo Epiſcopus potens remittere tantùm quadragenam, ſi centenam remittat, nulla erit remiſſio. Confirmarique poteſt ex *cap. Noſtro de pœnit. & remiſſ.* ubi Archiepiſcopo permittitur, indulgentias in ſua provincia concedere, ita tamen ut ſtatum Concilii generalis in dicto *cap. Cùm ex eo* non excedat. Ergo facto exceſſu ruit permiſſio, & facultas, quæ ſub ea conditione videtur facta. Deinde in *cap. ult. de pœnit. & rem in 6.* abſolutè declarantur irritæ indulgentiæ excedentes, & cùm non fuerit facta reſtrictio ad exceſſum, tota conceſſio irrita eſſe debet.

13. Nihilominus verius eſt, ſolùm quoad exceſſum irritam eſſe conceſſionem; validam tamen quoad terminum conceſſum. Sic docuit Gloſſa *in cap. ult. de pœnitent. & rem ſſionib. in 6. & cap. Cùm ex eo. eodem tit.* & *ibi* Abbas Suarez *diſp.55. ſect.3. num.14.* Henriq. *lib.7. cap.33. num.4.* Riccius *in praxi fori eccleſiaſt. deciſ.117. num.5. in 1. edit. & reſol.102. num.5. in 2. edit.* Navar. *de indulg. notab.31. num.16.* Azor. *2. p. cap.55. quæſt.6.* Barboſa *3. p. de poteſt. Epiſcop. alleg.88. n.22.* Layman. *lib.5 ſum. tract 7. cap.4. n.2. in fine.* Bonac. *diſp.6. de indulgent. quæſt.1. p.3. num.4.* Fundamentum ſumitur ex reg. juris 37. in *6. Utile non debet per inutile vitiari*, quæ regula, ut inquit Gloſſ. *in d. c. ult.* ſpecialiter locum habet in confeſſione libera, & favorabili, qualis eſt indulgentia. Quod intelligendum eſt, quando utile ab inutili ſeparari poteſt, juxta leg.1. §. *Trebatius ff. de aqua quotid. & æſtiva.* At in præſenti ſeparari poteſt utile ab inutili. Etenim Epiſcopus concedens centum dies indulgentiæ; & quadraginta concedit: poteſt ergo conceſſio quadragenæ firma perſiſtere, tametſi quoad reliquos dies ruat: quia, eſto, illa conceſſio phyſicè indiviſibilis ſit: moraliter tamen dividi poteſt, juxta diviſionem objecti. Et confirmari poteſt exemplo communiter recepto. Nemo concedere poteſt indulgentiam, niſi ſecundùm cauſam proportionatam. Si autem contingat, cauſam inſufficientem eſſe adæquatæ conceſſioni, eſſe tamen ſufficientem parti, communiter Doctores cenſent, eam partem validam perſiſtere; tametſi exceſſus corruat. Ergo idem eſt dicendum in præſenti caſu. Item; donatio excedens quantitatem in lege taxatam valida eſt quoad quantitatem à lege permiſſam: quia eſt actus liberalitatis, uti probat textus in leg. *Sancimus. Cod. de donation.* & *cap. Si quos de ſervitute. 12. quæſt.2.* At indulgentiarum conceſſio eſt quædam donatio liberalis. Ergo. &c.

14. Neque fundamentum contrarium urget: nam ex dictis eſt ſolutum. Exemplum verò, quod ſubjungitur de ſententia condemnatoria, eſt longè diverſum: quippe eſt odioſum: cùm tamen indulgentia ſit favorabilis: illúdque eſt in foro contentioſo, in quo ob ejus rigoroſam ſolemnitatem levis defectus ſolet ſententiam vitiare, ſecùs verò in foro voluntario. Præterquàm quòd ibi eſt conſuetudine introductum, ſententiam reſpicientem cauſam, quæ excedit limites, & terminos judicantis, irritam eſſe omni ex parte; quod tamen in indulgentiis introductum non invenitur. Ad textum in *cap. Noſtro* facilis eſt ſolutio, ſi dicat, ibi non concedi Archiepiſcopo poteſtatem concedendi quadragenam Indulgentiam ſub ea conditione, ne excedat illum terminum, ſed ſub advertentia, & monitione, ne illum terminum excedat, ſicuti conſtat ex *cap. de pœnitent. & remiſſ. in 6.* Ad textum in dicto cap. ult. reſpondeo, eſto, ibi non declaretur indulgentias excedentes irritas eſſe ſolùm quoad exceſſum: at ex benignitate ſic interpretamur, tum ob dicta; tum ut valor actus, & ſententiæ, quoad fieri poteſt ſuſtineatur.

15. Tertia, & gravior dubitatio eſt, an hæc reſtrictio facta in *cap. Cùm ex eo.* ſolùm de conceſſione publica, communi, & ſolemni intelligenda ſit; non verò de ſecreta, & maximè in foro ſacramentali? Non deſunt graves Doctores, ſentientes, de conceſſione publica eſſe reſtrictionem intelligendam, ac proinde Epiſcopum poſſe ſecretò concedere omnes eas indulgentias, quas jure antiquo ante reſtrictionem factam concedere poterat. Sic docuit Sylveſt. aliis relatis, *verbo Indulgentia, n.1.* Inclinat Eman. Saà *n.15.* nec reputat improbabile Valen. *t.4. diſp.7. quæſt.20. p.3. verſ. Innocentius.* Fundamentum eſt: quia poteſtas, quam Epiſcopi habent, fortè ex jure divino, non fuit limitata in Concilio Lateranen. niſi in eo genere conceſſionis, in quo ea abutebantur, ut colligi videtur ex dicto *cap. Cùm ex eo.* At abuſus ſolum erat in conceſſione publica, & generali. Ergo pro conceſſione ſecreta poteſtas integra, & illimitata perſiſtit.

16. Cæterùm omninò dicendum eſt cum Suarez *diſp.55. ſect.3. numer.15.* limitationem pro qualibet conceſſione factam eſſe: quia textu in dicto *cap. Cùm ex eo.* utitur particula negativa: *Non excedat. Non extendatur.* & cùm nulla fuerit appoſita limitatio, de qualibet conceſſione intelligi debet. Præterea ratio, & finis limitationis in qualibet ſecreta conceſſione procedit:

procedit; siquidem ex nimia Indulgentiarum concessione etiam secreta, enervari potest satisfactio pœnitentialis. Et licet non ita frequenter hæ secretæ concessiones contingant, sufficit, quòd aliquando succedant; quod periculum voluit Concilium præcavere. Præterquam quòd Episcopi scientes in secreta concessione non esse sibi facultatem restrictam, sæpissimè illa uterentur, tum per seipsos, tum mediis Sacerdotibus, quibus hanc potestatem delegare poterant.

17. Supererat dicendum, an Episcopus extra suum territorium concedere indulgentias possint, & an debeat esse consecratus. Sed hæc quæstio nullam habet difficultatem, & partim soluta est *punct.* 1. Etenim, cum concessio Indulgentiarum non sit actus jurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ, neque strepitum judicii contineat, ut omnes Doctores fatentur, teste Suar. *disp.* 49. *sect.* 3. *n.* 9. *disp.* 55 *sect.* 3. *n.* 17. Riccio *resol.* 36. *n.* 5. manifestum est, extra territorium sibi subditis, ubicunque existant, concedere posse sicuti tradit Glossa *in dicto cap. Nostra. de pœnit. & remiss.* Nam, cùm non sit actus Ordinis, sed jurisdictionis, ad bonum Ecclesiæ pertinens, non indiget Episcopus ad eum exercendum consecratione.

18. Monent tamen communiter Doctores, & benè Valent. *t* 4. *disput.* 7. *quæst.* 20. *punct.* 3. Suarez *disput.* 55. *sect.* 3. *num.* 18. & 19. Barbos. 3. *de potest. Episc. alleg.* 88. *numer.* 12. Bonac. *disp.* 6. *quæst.* 1. *p.* 3. *num.* 8. Episcopum, & quemlibet alium indulgentias concedentem, non debere esse excommunicatum; quia exercitio jurisdictionis, saltem licito, privatus est: si verò sit excommunicatus denunciatus, etiam potestate ipsa privatus existit. Quinimò neque suis subditis concedere valet potestatem, ut ab alieno Episcopo indulgentias obtineant: quia illa concessio est quædam jurisdictionis delegatio alieno Episcopo facta: qua tamen excommunicatus vitandus privatus est.

Punctum VI.

Expenduntur alii, de quibus est aliqua dubitatio, an possint Indulgentias concedere.

1. *Primas, seu Patriarcha in solo suo Archiepiscopatu indulgentias concedit.*
2. *Capitulum, Sede vacante, esto, aliqui censeant indulgentias concedere posse, verius est oppositum.*
3. *Neque Vicarius generalis Episcopi ex vi Vicariatus indulgentias concedit.*
4. *Prælati Episcopis inferiores potestate non gaudent concedendi indulgentias.*
5. *Consuetudine acquiri non posse potestatem concedendi indulgentias plures censent.*
6. *Verius est oppositum.*
7. *Solvitur oppositum fundamentum.*
8. *Prælati Religionum qualiter benefactores participes efficiunt bonorum operum suorum Religiosorum.*
9. *Ea vi hujus moralis unionis plures indulgentiæ dictis benefactoribus communicantur à Sede apostolica.*
10. *Ob bona opera Religiosorum sic conjunctis Deus benefacit.*
11. *Petitiones benefactorum ob hanc conjunctionem efficaciorem vim habent impetrandi.*
12. *Orationes communes illis applicantur.*
13. *Orationes Religiosorum, quæ illis directè applicantur, efficaciores sunt.*
14. *An prælati possint subditis præcipere, opera satisfactoria in favorem alicujus determinatè applicare.*
15. *Posse prælatum satisfactiones subditorum immediatè applicare plures censent.*
16. *Verius est non posse indopendenter ab operante.*
17. *Satisfit opposito fundamento.*

1. PRæter Episcopos sunt alii aliqua ex parte Superiores, ut sunt Primas, Patriarcha, Cardinalis, Legatus à latere, Summus Pœnitentiarius, de quibus dubitant Doctores, an potestatem habeant indulgentias concedendi?

Et breviter respondeo, Primatem, seu Patriarcham in solo suo Archiepiscopatu, sicuti Archiepiscopus (quippe in solo illo habet jurisdictionem) indulgentiam concedere posse, non verò in tota sua provincia, seu regno, in quo jurisdictionem non exercet. Neque est ullus textus, ex quo hæc extensio colligi possit. Quinimò ex *cap. de Nostro. de pœnit. & remissionib.* restrictio colligitur, cum pro solo Archiepiscopatu sit facta concessio. Cardinalis verò, seu Legatus à latere nullam ex vi juris communis potestatem habent, argum. text. in *cap. Accedentib. de exc Sslib. Prælat.* ubi Indulgentiarum concessio episcopali dignitati tribuitur, ut propria. At ex speciali, imò generali per consuetudinem approbata commissione, non solùm potestatem habent Episcopis æqualem; sed ampliorem, uti docent Palud. *in* 4. *dist.* 20. *artic.* 2. *concl.* Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 7. *cap.* 4 *num.* 5. Azor. 2. *p. inst. moral. lib.* 3. *cap.* 55. *quæst.* 6. Valen. *t.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 20. *part.* 3. *vers. Porrò.* Barbos. *alleg.* 88 *num.* 16. Quapropter, ut benè inquit Suar. *disp.* 55. *section.* 3. *numer.* 22. spectanda est consuetudo, seu specialis commissi, sicuti de summo Pœnitentiario tenantur Paludan. Azor. Barbos. habere potestatem muneri proprio annexam concedendi centum dies indulgentiæ.

2. Secundò, de Capitulo, Sede vacante, plures censent, Indulgentias concedere posse. Sylvest. *verbo Capitulum, n.* 10. Riccius. *in praxi aurea. resolut.* 222. Azor. 2. *p. instit. mor. l.* 3. *c.* 37. *q.* 9. & *cap.* 55. *quæst.* 4. Lazarius *verbo indulgentia, n.* 47 Praxis Episcopi. 1. *p. verbo, indulgentia, num.* 2. Barbos. *alleg.* 88. *num.* 21. & alii plures relati ab Azor. *dicta quæst.* 9. Moventur: quia Capitulum succedit Episcopo in his, quæ sunt jurisdictionis episcopalis; nisi in casibus jure exceptis; juxta textum in *cap. Si Episcop. cap. Eccles. de supplenda negligent. Prælat. in* 6. *c. Is, cui. de elect. eodem. lib.* & tradit Feder. *cons.* 30. Joan. Andr. *in cap. cùm olim. de major. & obedient.* Rebuff. *prax. benefic. 1. p. tit. de devolution. numer.* 58. Pavin. *tract. de capitulo, Sede vacante,* 1. *p. q.* 1. At nullibi invenitur excepta indulgentiarum concessio. Ergo competit Capitulo, Sede vacante.

Verius tamen censeo oppositum: nam esto Capitulum succedat Episcopo in jurisdictione episcopali ad regimen diœcesis necessaria: secùs verò in jurisdictione, quæ necessaria non est, sed solùm conveniens, quæque competit Episcopo ob specialem ejus dignitatem. At indulgentiarum concessio est hujusmodi, ut colligitur ex *cap. Nostro. de pœnitent. & remissionib.* Ergo. Atque ita tradunt Archidiacon. *cap.* 1. *de pœnit. & remiss. in* 6. Cardin. *cap. Accedentib. de excessib. Prælat. Clem.* 1. *de Hæretic.* Gasp. Calderin. *repeti super text. cap. Nostro. de pœnit.* Sotus 4. *dist.* 21. *q.* 1. *art.* 4. *vers. Hinc fit.* Cordub. *de indulg. art.* 2. *q.* 12. *propos.* 9. Henriq. *cap.* 31. *n.* 4. Graffis *in append. lib.* 2. *c.* 2. *num* 9. Bonac. *disp.* 6. *q.* 1. *p.* 3. *n.* 23. Suar. *disp.* 55. *sect.* 4. *n.* 5.

3. Tertiò, neque Vicarius generalis Episcopi, esto, cum Episcopo eandem constituat personam, jurisdictionem habet ex vi Vicariatus, concedendi indulgentias, nisi ei fuerit expressè ab Episcopo commissa: quia indulgentiarum concessio, episcopali dignitati reservatur, actúsque gubernationis est non

neceſſarius, ſed voluntarius. Azor. *2.inſt. moral. lib.3. c.45.q.13. & c.55.q.5.* Suar.*diſp.55.ſect.4.n.5.* Bonac. *diſp.6. q.1. p.3 n.10.*

4. Quartò, Prælati Epiſcopo inferiores, ut ſunt Abbates, Priores Religionum, Provinciales, & Generales, eſto, dignitatem quaſi epiſcopalem habeant: juriſdictione tamen concedendi indulgentiam jure communi ſpectato nullatenus gaudent, ut probat text. in *cap Accedentib. de exceſſ. Prælat.* & tradit Suar. *diſp.55.ſect.4. n.4.* Filliuc. *tr.8.c.4.q.6. n.90.* Bonac. *diſp.6. de Indulg. q.1. pun.3 in fine.* Attamen ex privilegio plures ſolent habere poteſtatem aliquas indulgentias concedendi: quòd cùm ex facto pendeat, attentè inveſtigandum eſt. Ex longæva autem conſuetudine optimè præſumitur, ut tradunt Sotus *in 4. diſt.21. q.1. art.4.* Cordub. *de Indulg. q.10. ſub finem.* Valen. *diſp.7. q.20. pun.3.verſ. Porrò.* Monent tamen Doctores maximè Navar. *de indulg. notab.30. n.14.* ſpectandum eſſe privilegium indulgentiarum Religionibus conceſſum; an inquam, conceſſum ſit ipſis prælatis, ut indulgentiam ſubditis, aliiſve perſonis communicare poſſint; an verò immediatè à Sede Apoſtolica ipſis religioſis, aliiſque religionis benefactoribus, vel religionis Eccleſiam viſitantibus concedatur; plerumque enim hoc modo conceditur: quo caſu Prælatus religionis, aliiſque religioſi indulgentiam denunciare debent, non à ſe, ſed à Sede apoſtolica conceſſam.

5. Duplex autem quæſtio ſupereſt examinanda. Prima, an ex conſuetudine prædicti Prælati poſſint obtinere facultatem indulgentias concedendi, & an Epiſcopi valeant conſequi poteſtatem ampliorem, quàm illis eſt jure conceſſa? Negant Turrecrem. §. *Item. in Levitico. de pœnitent. diſt 1. n.43.* Navarr. *de indulgent. notab.31. num.7.* Sotus *in 4. diſt. 22.q.1. art.4.* Cordub. *de indulg.q.10.propoſit.11 dub.1.* Suar. *diſp.55. ſect.3. n.3.* Valen. *t 4. diſp.7. q.20. pun.3.verſ. Porrò.* Moventur: quia abſque voluntate Pontificis nequit aliquis poteſtatem habere indulgentias concedendi: at conſuetudo à Pontifice ignorata efficere non poteſt, quòd Pontifex eam habeat voluntatem. Ergo ex vi conſuetudinis nequit aliquis hanc poteſtatem obtinere. Similis diſcurſus efformari poteſt in poteſtate abſolvendi à peccatis non poſſe, inquam, conſuetudine acquiri, cui favet textus in *c.ap 2. de pœnit. & remiſſ. in 6.* ubi dicitur, nulla conſuetudine introduci poſſe, ut aliquis, præter ſui Superioris licentiam, Confeſſorem ſibi eligere valeat.

6. Cæterùm *tract.de pœnitent* probatum reliquimus, conſuetudine acquiri juriſdictionem poſſe pro peccatorum abſolutione, ideóque à fortiori dicendum exiſtimo, acquiri poſſe pro conceſſione Indulgentiarum, ſicuti docet Gloſſ. *in c. Accedentib. de exceſſib. Prælator.* & *ibi:* Hoſt. & Panorm.*n.2.* Et colligitur ex prædicto textu quatenus Prælatis Epiſcopo inferioribus negat poteſtatem concedendi indulgentias, niſi ex ſpeciali commiſſione, vel alia legitima cauſa obtinuerint. At nulla alia legitima cauſa eſſe poteſt, præter conſuetudinem, quæ illis juriſdictionem concedat, juxta *cap. Cum contingat. de foro compet.* Ergo, &c. Deinde ea ratione probatur: quia conſuetudinem introducentes non ſibi arrogant juriſdictionem, ſed ea conſuetudine legitimè præſcripta, Pontifex ſua lege publica lata *in cap. fin. de conſuet.* eam juriſdictionem concedit. Quapropter opùs non eſt, quòd Pontifex conſuetudinem agnoſcat: ſufficit eam ſua lege approbaſſe, & efficaciam conceſſiſſe.

7. Ex quo ſolutum manet fundamentum oppoſitum: nam conſuetudo legitimè præſcripta non ponit de novo in Pontifice voluntatem de hac poteſtate communicandi: ſed eam ſupponit firma lege ſtabilitatem. Ad textum in *cap 2. de pœnitent. & remiſſion.* ſatisfecimus: & enim conſuetudo introducta à ſubdito eligendi confeſſorem præter ſui ſuperioris licentiam, nequaquam poteſt eſſe legitimè præſcripta, utpote mala fide introducta, & continuata. Et eſto, aliquo ex errore, & ignorantia ea electio procederet, nequaquam efficax eſſe poteſt ad eligendum alienum Sacerdotem: quia electio ſubditi non concedit juriſdictionem, ſed ſupponit. Si tamen ſacerdos bona fide procederet, credens probabiliter ſibi traditam eſſe juriſdictionem miniſtrandi Sacramentum alienis ſubditis, & ex hac probabilitate miniſtraret tempore requiſito ad conſuetudinem introducendam, credit Navar. *in cap. placuit. diſt.6. de pœnit. num.40. & 42.* quem refert, & ſequitur Layman. *lib.5. ſum. tract.7. cap.4. num.4* juriſdictionem obtinere.

8. Secunda quæſtio eſt, qualiter Prælati religionum perſonas de religione bene meritas participes efficere poſſint bonorum operum, quæ à religioſis præſtantur. Mos enim eſt non ſolùm præſens, ſed antiquus, ut Prælati cooptent aliquos inſignes benefactores in fratres religionis, eoſque quaſi illius membra conſtituant, ſibique uniant, & omnium gratiarum, & bonorum operum, quæ in religione præſtantur, efficiant participes. Nam teſte Thoma Valenſ. *2.p. in lib. de Sacrament. tit. 10. c.95. contra Vvicleph.* Yvo Carnotenſis participem fecit ſuffragiorum Ordinis regularis B. Joan. Baptiſtæ à ſe inſtituti Adelidam, ſeu Adellam Comitiſſam, prout ipſe refert *in Epiſtol. ad eandem.* & D. Anſelm. *epiſt.98.* eidem Comitiſſæ ſimile privilegium pro ſuo ordine conceſſit. Quod etiam conceſſit Regi Galliæ Stephanus quidam Abbas Ciſtercienſis, ſicuti colligitur ex D. Bernardo *epiſt.45.* Ex hac autem conceſſione, ac beneficio, quem fructum prædicti fratres aſſequuntur, non eſt facile explicatu. Et ut certa ab incertis ſeparemus.

9. Primò dicendum eſt, ex vi hujus unionis plures gratias & indulgentias à Sede Apoſtolica ipſis concedi aliàs non concedendas, ut conſtat ex privilegiis Ordinum mendicantium, *verb. Fratres*, & notavit Henriq. *l.7. c.19. num ult.* Suar *diſp.55. ſect.5. in fin.* Layman. *lib.5. ſum. tract.7. c.4. in fine.*

10. Secundò, ob bona opera præſtita in religione, Deus religioni conjunctis benefacit, ſaltem ex quadam congruitate & honeſtate. Negari enim non poteſt, obſequia à juſtis præſtita movere aliquo modo Deum, qui piiſſimus eſt, ut non ſolùm ipſis, qui ea præſtant, ſed & ſibi amicis, & conjunctis benefaciant; tametſi ea opera in eum finem non referant, hoc enim lex amicitiæ poſtulat, quam Deus optimè ſervat. Atque ita tradit Adrian. *quodlib.8.* Cord. *de indulg. q.42.* Suar. *diſp.55. ſect.5. num.11.* Layman. *lib.5. ſum. tract.7. cap.4. circa finem.* Rodrig. *t.1. q. regul.q 33. art.2 & 4.*

11. Tertiò, petitiones ipſorum benefactorum efficaciorem vim impetrandi habent, ſi ob bona opera in religione facta à Deo aliquid poſtulent: quia poſtulant ob bona opera amicorum, quibus ipſi ſpecialiter ſunt uniti, ut bene notarunt prædicti Doctores *ſuprà.*

12. Quartò, ſæpe orationes & ſacrificia communia fiunt nomine totius Religionis pro ipſa religione, ejuſque membris: quo caſu non eſt dubium ſic unitis prædicta ſuffragia prodeſſe, ſaltem ut Deus illis beneficia plura largiatur: ſiquidem pro eis impetrandis Religio ea ſuffragia fundit ex directa intentione. Quod maximè verum habet, ſi ipſimet religioſi, qui orationes fundunt, eam habeant intentionem; tametſi, ut inquit Suar. *dict. ſect 5. num.12.* veriſimile eſt; Prælati intentionem ſufficere, utpote qui religionem gubernat, & nomine religionis ea ſuffragia funduntur, credique debet, ſingulorum intentionem Prælati intentioni conformari.

13. Quintò, orationes religioſorum, quæ ex directa intentione in bonum ſic conjunctorum Deo

offerun

offeruntur, efficaciorem vim habent impetrandi, quàm si pro extraneis essent oblatæ : quia digniores sunt, & perfectioni charitatis, quæ primò respicit conjunctos, quàm extraneos, magis conformes, sicuti notarunt Suar. & Laym. *loc. alleg.* Et licet Laym. *dicto tr.7. cap.4 in fine.* sentiat prædictas orationes pro pluribus applicatas vim impetrandi diminuere ; attamen si applicatio æquè directè, & distinctè pro pluribus fiat, ac si pro singulis fieret, verius existimo oppositum cum Cordub. *de indulg. q.39. dicto 6.* Rodriq. *t.1. qq. regul. quæst.33. art.2.* Valent. *t.4. disp.7. q.20. p.3. vers. Orationes*, quia efficacia impetrationis non tam nititur operis dignitati, quàm divinæ liberalitati, quæ infinita est, ac proinde ex operis limitatione restringitur.

14. Controversia igitur est, an Prælati bona opera suorum religiosorum subditorum, quatenus satisfactoria sunt possint applicare, & de facto applicent personis sic religioni unitis, sive ipsi religiosi illorum satisfactione indigeant, sive non.

Et imprimis plures censent, posse prælatum mediatè iis fratribus ea satisfactoria opera applicare, præcipiendo, inquam sub lito, ut ea pro iis fratribus applicet : quo præcepto posito tenetur subditus eam facere applicationem. Sic docuit Sotus *in 4. dist.21. q.1. art.4. circa finem.* Cord. *d. q.42. p.3. dub.5* Rodrig. *t.1. qq. reg. quæst.33 art.3.* Suar. *disp.55. sect.5. n.8.* Valen. *disp.7. quæst.20. p.3. circa med.* Laym. *lib.5. sum. tr.7. cap.4. vers. Accedit, circa finem.* Bonac. *de indulg. disp.6. q.1. p.3. n.19.* Ratio est : quia non videtur hoc præceptum alienum à superioris jurisdictione. Nam esto applicatio sit actus internus, est tamen operis externi circumstantia, proceditque à voluntate, quæ superiori per votum obedientiæ perfectè subjecta est.

Cæterum hæc doctrina mihi difficilis est. Primò quia religiosi voto obedientiæ solùm astringuntur obedire Prælatis in iis, ad quæ à Pontifice accipiunt jurisdictionem. At à Pontifice non accipiunt jurisdictionem ad præcipiendos actus merè internos, nisi ad summum, quatenus sunt necessarii ad alicujus actus externi præcepti constitutionem : siquidem neque ipse Pontifex eam jurisdictionem habet. Ergo non possunt præcipere subditis, ut satisfactionem suorum operum alicui applicent : quia hæc applicatio est actus merè externus, & omnino extrinsecus operi satisfactorio, ac proinde neque in se, neque in opere externo judicari à prælatis potest : ergo nec præcipi. Adde si prælatus potest præcipere subdito satisfactionis applicationem in favorem alicujus determinati, hoc præceptum non solùm obligat subditum ad executionem operis externi de se satisfactorii, sed etiam ut de facto satisfactorium sit : aliàs solùm applicatio satisfactionis dubiæ, & incertæ præcepta erit. At præceptum prælati extendi posse ad certam satisfactionem applicandam impossibile videtur, cùm hæc dependeat ex gratia, aliisque circumstantiis homini incognitis. Quòd si dicas, præcipi posse subditis, ut quantum ex se est, satisfactorium opus exequantur ; durum, & difficile præceptum videtur, & non levibus scrupulis expositum. Non igitur hoc præceptum imponere possunt. Atque ita docuit Sotus *quodlib.20.* Neque inde fit, non obligari religiosos ad applicationem sacrificiorum, & orationum pro fundatoribus, aliisque, à quibus religio stipendia accepit : quia eo casu non obligantur ex superiorum præcepto, sed ex contractu ab ipsis, vel à religionis prælatis facto, cui ipsi tacitè consenserunt. Quod verò subjungunt Sotus, Valent. Rodrig. Suar. *loc. alleg.* urgente causa gravi, præcipuè publica, & communi, posse prælatum præcipere subditis, non solùm ut satisfactiones superabundantes applicent, sed etiam eas, quibus alioquin indigent ; mihi probatur admisso posse prælatum applicationem absolutè præcipere : quia detrimentum, quod inde subditis provenire potest, levis momenti est, contemnendumque videtur ob publicam necessitatem ; præcipuè cùm aliunde facile compensari possit, & sufficienter videatur compensatum meritò illius applicationis provenientis à charitate, pietate, & obedientia : tametsi contrarium sentiat Didac. Nunez *in addit. ad 3. p.q.25. art.3. diff.1. & q.26. art.1. conc.6.* Bonac. *dist.3. q.1. p.3. n.21.*

15. Porrò non solùm mediatè, sed etiam immediatè censent gravissimi Doctores, posse Prælatum satisfactionem operis religiosi à suis subditis præstiti, verbi gratiâ, jejunii, orationis, corporis castigationis, pro benefactoribus applicare, sicuti possunt ipsi subditi. Sic docuit Navarr. *de indulgent. notab.31. n.18.* Cordub. *dicta quæst.39. dicto 3. & seqq.* Rodrig. *q.33. art.2. & 4.* Henriq. *l.7. cap.31. num.6.* Man. Prælat. *tom.2. quæst.50. art.2. & 3.* Valent. *disp.7. quæst.20. punct.3. ante medium.* Moventur : quia subditorum voluntates, maximè religiosorum, superiori subjiciuntur, ita ut contra voluntatem superioris nec velle, nec nolle habeant. At nequaquam censerentur subjectæ, si superior non æquè posset, ac subditi, de rebus quæ subditorum voluntati subsunt, disponere. Ergo æquè, & efficaciùs quàm subditi, applicare satisfactiones potest.

16. Contrarium nihilominus verius existimo, scilicet, Prælatum non posse independenter à subditi intentione opus illius satisfactorium applicare. Sic docuit Suar. *disp.55. sect.5. à n.10.* Laym. *lib.5. sum. tr.7. c.4. n.5. conc.1. & 2.* Ratio ea est : quia satisfactiones præteritas nemini applicatas, vel applicatas habenti obicem, nec Prælatus, nec subditus, quia ea opera satisfactoria præstitit, alicui applicare potest, ut docet communis sententia cum Durand. *in 4. dist. 20. q. ult. n.6.* Nav. *de indulg. not.31. n.18.* Soto *dist. 21. q.2. art.1.* Cordub. *q.39. dict.4.* Rodrig. *tom.1. qq. regul. q.32. art. ult.* Suar. *disp.55. sect.5. n.6.* Valent. *t.4. disp.7. q.20. p.3. ante med.* Laym. *tr.7 c.4. n.5. conc.1.* Bon. *d sp.6. de indul. q.1 p.3. n.19.* Etenim operi, dum fit satisfactio, conceditur, quæ sub dominio operantis est, sicut & opus : at, opere præterito, illius dominium cessat in operante, & consequenter satisfactionis dispositio, cui non obstat, quòd pereunte opere satisfactorio, non pereat illius satisfactio, sed moraliter ex Dei benignitate persistat in divina acceptatione : quia sic ibi persistit, ut in thesauro Ecclesiæ aggregetur, neminique alteri à Pontifice concedatur de ea disponere : quia nullus alius, præter Pontificem, ut dictum est, potestatem habet thesaurum Ecclesiæ distribuendi : aliàs verè, & propriè indulgentias prælati concederent.

Satisfactiones verò futuras non videtur posse Prælatus sua intentione efficaciter applicare : quia non subduntur ejus dominio, & dispositioni, sed dispositioni subditorum. Nam votum obedientiæ non privavit subditum libera, & licita facultate quam habebat disponendi de suis actionibus Superiore inconsultò ; absoluta tamen, & valida dispositione nequaquam privare potuit. Quod si penes subditum est dominium suarum satisfactionum & nullo modo penes prælatum : nequit prælatus independenter à subdito valide eas satisfactiones applicare : quia applicaret rem non suam, seu sub ejus dominio non existentem. Et confirmari potest : quia plures doctores censent uti defendit Bonac. *suprà n.20.* Si Prælatus uni applicet satisfactionem subditi ; ipse verò alteri, applicationem subditi subsistere, corruere tamen Prælati applicationem. At ex hac doctrina manifestè infertur, voto obedientiæ dominium suarum actionum non abdicasse, nec in Prælatum transtulisse. Ergo Prælatus de satisfactionibus subditorum non potest immediatè disponere,

17. Fundamentum oppositæ sententiæ ex dictis solutum est : subjiciuntur enim subditi suo Prælato, ut juxta ejus voluntatem dispositionem suarum actionum præstent : at subjectio non præstat Prælato potestatem de subditorum actionibus per se, & immediatè disponendi, præcipuè de actionibus merè internis, & quæ jurisdictioni Prælati subjiciuntur. Eodem modo explicandum est illud axioma, quòd religiosus non habeat velle, nec nolle, liberum, inquam, & licitum independenter à voluntate Prælati in iis, quæ Prælati jurisdictioni subsunt.

PUNCTUM VII.

De causa ad indulgentiam requisita.

1. *Requiritur causa pia & honesta.*
2. *Ad licitam concessionem debet esse causa concessioni proportionata.*
3. *Item, ad validam concessionem ex communiori sententia.*
4. *Solvitur fundamentum oppositum.*
5. *Semper præsumendum est, causam sufficientem adesse.*
6. *Esto, indulgentiæ concessio ob defectum causæ non teneat, aliæ tamen concessiones absolvendi, & dispensandi firmæ persistunt.*
7. *Quamvis causa insufficiens sit ad integram indulgentiæ concessionem, si sufficiat ad partem, comparatione illius partis valet concessio.*
8. *Sufficientia causæ præcipuè ex fine desumitur. Item ex opere injuncto, aliisque circumstantiis.*

1. CAusam piam, & honestam necessariam esse, non solùm ut licitè, sed etiam ut validè indulgentia concedatur, firmant contra Paludan. *in* 4. *dist.* 21. *q.* 4. *art.* 1. ferè omnes Doctores, D. Thom. *in Supplem. q.* 23. *art.* 2. Bonav. *in* 4. *dist.* 20. *p.* 2. *art.* 1. *q.* 6. Sotus *dist.* 21. *q.* 2. *art.* 2. Caiet. *de indulg. tr.* 9. *q.* 1. & *tr.* 15. *c.* 4. *q.* 1. Navarr. *de indulgent. nit.* 15. *n.* 17. Cordub. *q.* 17. Henr. *l.* 7. *c.* 14. Valen. *t.* 4. *disp.* 7. *q.* 20. *p.* 4. *in pr.* Suar. *disp.* 54. *sect.* 1. & 2. Coninch. *disp.* 12. *dub.* 6. Laym. *l.* 5. *tr.* 7. *c.* 5. *n.* 1. Emm. Sà *indulg. n.* 1. Bonac. *disp.* 6. *de indulg. q.* 1. *p.* 4. *n.* 1. & alii communiter. Sumiturque ex Innoc. III. *in c. Cùm eo de pœn. & remiss.* ibi enim reprobantur indulgentiæ indiscretæ, quæ aliæ esse non possunt, quàm concessæ absque causa. Expressiùs ex Clem. *in Extravag. Vngenitus, de pœnit. & remiss.* ibi : *thesaurum Ecclesiæ dispensandum esse propriis, & rationabilibus de causis,* & ex Leone X. *in epist. ad Caietan. seu Bulla condemnationis Lutheri.* & Martino V. *in fin. Concil. Constantiens.* asserente, suspectos de hæresi interrogandos esse, an credant, habere Pontificem potestatem concedendi indulgentias ex causa rationabili. Ratio est : quia Pontifex in concessione indulgentiarum non procedit, ut dominus, sed ut dispensator. Quippe satisfactiones Christi, & Sanctorum sub dominio Christi sunt, & earum distributio Pontifici conceditur, juxta illud Pauli 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* At dispensator non solùm illicitè, sed etiam invalidè dispensat, si dispensationem faciat contra sui domini voluntatem. Ergo Pontifex satisfactiones Christi, & Sanctorum absque causa dispensans, non solùm illicitè sed invalidè dispensat : quippe dispensat contra voluntatem Christi, quæ cùm semper fuerit de gloria Patris, eam per suos ministros in dispensatione proprii thesauri exequi, & adimpleri intendit.

Quod si dicas, eam gloriam sufficienter obtineri ex eo, quod reus pœnæ solvendæ à vinculo, & obligatione solvatur : est enim actus spiritualis misericordiæ divinam liberalitatem, & benignitatem commendans. Non igitur est alia causa extrinseca acquirenda, præter eam, quam secum trahit indulgentiæ concessio, ut licita, & valida sit. Obstat, quia legalis justitia, cui misericordia repugnare non potest, exigit ne condemnatus ad subeundam pœnam ab ea solvatur gratis, & absque ulla alia causa, præter bonum ipsius damnati. At peccator jure divino condemnatus est subire pœnam pro peccatis debitam, ergo ob benefaciendum illi tantum nequit Pontifex solutionem concedere. Præterea potestas, quam Christus Pontifici reliquit, non fuit in damnum fidelium, sed in eorum commodum : neque in Ecclesiæ distinctionem, sed in illius ædificationem : at si posset Pontifex pro libito validè saltem, indulgentias concedere, ea potestas cederet in damnum fidelium, & in Ecclesiæ destructionem. Quippe fideles absque ullo timore pœnæ, peccarent scientes, sibi pœnam gratis condonari posse, sacramentales pœnitentias sibi injunctas contemnerent, & ecclesiastica disciplina prorsus enervaretur. Ergo non est credendum, hanc à Christo fuisse potestatem concessam.

2. Sed, an requiratur ad concessionem indulgentiæ non solùm causa pia, & honesta sed concessioni proportionata, non est ita certum. Et quidem ad licitam concessionem affirmant ferè omnes Doctores, causam proportionatam concessioni requiri. Prudens enim & fidelis dispensatio expostulat, ne abundantior remissio absque graviori causa fiat. Colligiturque manifestè ex cap. *Cùm ex eo. de pœnitent. & remissionib.* ubi indulgentiæ indiscretæ reputantur ob defectum causæ proportionatæ. At plures negant causam proportionatam requiri pro valida concessione, quos plena manu refert Bellarm. *l.* 1. *de indulgent. cap.* 12. & sequuntur Valent. *disp.* 7. *quæst.* 20. *part.* 4 *circa finem, vers. Est igitur quarta* Reginal. *in praxi, tom.* 1. *l.* 7. *n.* 132. Emman. Sà *verbo indulgentia, num.* 1. Bonac. *disp.* 6. *de Indulgent. quæst.* 1. *punct.* 4. *num.* 5. Moventur : quia concessio indulgentiæ ex qualibet causa pia, quamvis minima, est juxta intentionem Christi, saltem quoad ejus valorem : tum quia fit ex causa cedente in honorem Dei, quam pluris Christus, & Sancti æstimant, quàm proprias satisfactiones : tum ne Pontifex decipiatur in indulgentiis concedendis in non leve Ecclesiæ detrimentum ; tum quia moraliter est impossibile, æqualitatem causæ cum indulgentiæ concessione invenire.

3. Communior tamen sententia, & tenenda affirmat, ad valorem indulgentiæ requisitam esse causam convenientem, & proportionatam, juxta prudens concedentis arbitrium. Sic Cajetan. *in Opusc. de indulgentiis, q.* 1. & 2. Cordub. *q.* 20. Bellarm. *dicto l.* 1. *c.* 12. Henr. *c* 14. *n.* 3. Suar. *disp.* 54. *sect.* 3. *n.* 5. Coninch. *disp.* 12. *dub.* 6. *concl.* 2. *n.* 31. Laym. *l.* 5. *tract.* 7. *c.* 5. *n.* 1. & alii apud ipsos. Ratio est ; quia ea ex parte, qua indulgentia causam excedit, concessio censetur facta absque causa pia, justa, rationabili, & honesta : quinimò absque causa, cùm causa, quæ adest, secundùm rationem, & justitiam minorem concessionem exigat. Notanter dixi, *juxta prudent concedentis arbitrium.* Non enim credendum est. Christum Dominum potestatem Pontificis in concedendis Indulgentiis restrinxisse ad æqualitatem, & proportionem causæ in se spectatæ, ob ea incommoda, quæ opposita sententia inferebat : sed credendum est, solùm expostulasse causam prudenti arbitrio æqualem; quia hac ratione est fidelis, & prudens dispensator. Neque his obstat, quòd Sacramenta, etiamsi prudentissimè concedantur, vel recipiantur, non operari suos effectus ex dispositione existimata, nisi dispositio requisita de facto, & in re existat; neque sacrificium, aut indulgentia applicata habenti obicem, pœnam remittit; tametsi prudenter credatur effectum habitura; quia est latum discrimen à concessione Indulgentiæ, hæc enim provenit à concedente ex potestate, quam habet

regendi

regendi Ecclesiam, ac proinde expediebat valorem illius pendere ex sola prudenti gubernatione; at gratia, reliquique sacramentorum effectus, pœnæque pro peccatis debitæ remissio, sive per sacrificium, sive per indulgentiæ applicationem fiat, ab ipso Deo immediatè conceduntur. Mirum igitur non est, quòd non sit contentus dispositionis existimatione, sed dispositionem realem, & jure existentem requirat.

4. Ex his solutum relinquitur fundamentum oppositum: qua ratione, inquam, Pontifex vix decipi possit in indulgentiis concedendis, nisi ex malitia procedat; quod nullatenus præsumendum est: possitque absque difficultate æqualitatem causæ attingere. Deinde negandum est, concessionem indulgentiæ ex causa pia improportionata esse ex voluntate Christi: quia cedit in Dei honorem, aliàs probaret esse concessionem discretam, nullúmque peccatum in ea committi: honor enim divinus est, ut vindicativa justitia servetur, & debita pœna exolvatur, dum non adest causa justa, & rationi consona ad ejus remissionem.

5. Monent tamen, & bene communiter Doctores, Coninch. *disp.* 12. *dub.* 6. *n.* 36. Tolet. *l.* 6. *c.* 28. *n.* 6. Bonac. plures referens *disp.* 6. *q.* 1. *punct.* 4. *in fine*, semper præsumendum esse, causam sufficientem adesse ad indulgentias plenarias concedendas, tametsi opus injunctum levissimum sit. Quia pro facto Principis, ejúsque valore stat præsumptio: neque in concessione Indulgentiæ spectatur præcipuè opus injunctum; sed finis, ob quem conceditur, ideóque communiter Doctores testantur, indulgentiam valere, quantùm sonat.

6. Secundò monet Suar. *disp.* 54. *sect.* 2. *n.* 17. quem sequitur Laym. *l.* 5. *sum tr.* 7. *c.* 5. *in fine*, si simul cum indulgentiæ concessione concedatur facultas absolvendi à reservatis, commutandi vota, & juramenta; tametsi indulgentia deficiat ob defectum causæ, prædicta tamen facultas firma persistit, utpote quæ ex libera voluntate Pontificis pendet, qui eam pro suo arbitrio, cui placuerit, communicare potest.

7. Verùm, esto causa inæqualis sit ad integram Indulgentiæ concessionem, non obinde concessio ex toto periit; sed ea ex parte, qua causam sufficientem habet, subsistit: nam concedens indulgentiam ampliorem, eo ipso minorem concedere intendit, & cùm ad eam concessionem habeat potestatem, adsitque causa justa, & rationabilis; affirmandum est, eam concessionem valere: divisibilis enim est illa concessio, ac proinde ex parte potest esse valida, & ex parte invalida, Atque ita ut certum defendit Suar. *disp.* 54. *sect.* 3. *n.* 9. Ægid. de Coninch. *disp.* 12. *dub.* 6. *concl.* 2.

8. Superest difficultas, unde sumatur sufficientia causæ ad indulgentiarum concessionem? Respondeo, præcipuè desumi ex fine, quo movetur Pontifex, qui semper debet esse fidei exaltatio, hostium Ecclesiæ destructio, vel conversio, Ecclesiæ apostolicæ specialis reverentia, obsequiorum ei factorum gratificatio, cultus Dei, vel Sanctorum promotio & quilibet alius, qui specialiter cedat in honorem Dei. Neque opus est: quòd hic finis semper sit communis, & publicus: sed solùm quando indulgentia communis est: pro privata enim indulgentia, & uni tantùm concessa, privatus sufficit: quia sic habet æqualitatem, & proportionem indulgentia cum causa, ut latè expendit Suar. *disp.* 54. *sect.* 4. *per totam.* Deinde sumitur sufficientia causæ ex proportione, quam habet opus injunctum & ipsamet indulgentiæ concessio ad prædictum finem consequendum: semper enim ex se apta esse debent ad consecutionem finis intenti. Quando enim indulgentia communis est, atque adeò finis intentus communis etsi per quemlibet in particulari leviter videatur obtineri, sufficit, si per omnes obtineatur, ut notavit Coninch. *disp.* 12. *dub.* 6. *n.* 33. Fateor tamen, sæpè indulgentiam concedi absque conditione alicujus operis injuncti, ut conceditur morituro, vel alicui de Ecclesia non leviter benè meritò, vel nimis tristi, & quasi desperato, ut tristitiam excutiat, & spem divinæ misericordiæ concipiat: vel ex quadam liberali donatione ob causam aliquam justam, & honestam sicuti solet Pontifex in die suæ coronationis, & in solemnioribus festivitatibus, & præcipuè feria 5. in Cœna Domini plenariam præsentibus indulgentiam concedere: & sic Episcopus sua benedictione præsentibus quadragenam impertitur, sicuti benè advertit Suar. *disp.* 32. *sect.* 4. *n.* 3. Coninch. *dict. dub.* 6. *n.* 34. Bonac. *disp.* 6. *q.* 1. *part.* 4. *n.* 6. Valen. *disput.* 7. *q.* 20. *part.* 4. & alii. Semper tamen necessarium est, ut concessio indulgentiæ credatur in majorem Dei honorem credere, quam crederet stricta, & rigorosa satisfactio, vel satispassio.

Punctum VIII.

De conditionibus requisitis in eo, qui lucraturus est indulgentias.

1. *Debet esse baptizatus.*
2. *Neque per modum suffragii concedi catechumeno potest, esto alii contra sentiant.*
3. *Debet esse in gratia eo tempore, quo ei Indulgentia applicatur.*
4. *Recedente peccato, aliqui existimant indulgentiam applicari. Sed oppositum est verius.*
5. *Carere debet excommunicatione.*
6. *Tempore, quo applicantur Indulgentia, debet illa indigere.*
7. *Exequendum est opus injunctum.*
8. *Sollicitudo exequendi opera pœnalia non requiritur, tametsi Cajet. oppositum sentiat.*
9. *Satisfit fundamento Cajet.*

1. PRima conditio requisita in eo, qui lucraturus est indulgentiam, est, esse baptizatum. Sic ex communi sententia docet Suar. *disp.* 52. *sect.* 2. *in pr.* Val. *disp.* 7. *q.* 20. *p. ult.* Coninch. *disp.* 12. *dub.* 7. *initio.* Laym. *lib.* 5. *tr.* 7. *c.* 6 Bon. *disp.* 6. *q.* 1 *p.* 5. *n.* 1. & 2. & alii: quia thesaurus satisfactionis Christi, & Sanctorum Ecclesiæ relictus est, ut per illius Pastores in ejus membra distribuatur: at qui baptizatus non est, non est Ecclesiæ membrum. Non igitur illi fieri distributio potest. Item, confessio indulgentiarum, si per modum absolutionis concedatur, est actus jurisdictionis: qui tamen exerceri nequit in non subditum, qualis est non baptizatus.

2. An autem per modum suffragii concedi Indulgentia possit catechumeno in gratia existenti, res est incerta. Affirmat Nav. *de Indul. nor.* 31. *in fin.* Henriq. aliis relatis *lib.* 7. *c.* 18. *n.* 3. Benzon. *l.* 5. *de Jubileo. cap.* 15. *dub.* 28. *assert.* 6. indicat Eman. Sà *verbo, Indulgent. n.* 2 & probabile reputat Laym. *l.* 5. *art.* 7. *c.* 6. *n.* 1. Et moventur: quia applicatio jurisdictionem non expostulat: ideóque prodest defunctis in Purgatorio existentibus. Et præterea satisfactiones propriæ possunt catechumeno applicari: ergo communes applicari poterunt ab Ecclesiæ Pastoribus. Cæterùm oppositum verius existimo Suar. *disp.* 52. *sect* 4. *n.* 8. Coninch. *disp.* 12. *dub* 10. *ad fin.* Filliuc. *tr.* 8. *c.* 8. *q.* 10. *n.* 214. Bon. *disp.* 6. *de Indul. q.* 1. *p.* 5. *n.* 2. eò quòd Ecclesia nunquam fuerit usa hoc applicationis modo: quod est indicium non habere ad id potestatem. Congruentia ea est: quia thesaurus Ecclesiæ solùm Ecclesiæ membris expedit distribui. Item, hæc applicatio operatur suum effectum ex opere operato, sicut & sacramenta. At nullum Sacramentum, præter Baptismum, applicari potest catechumeno, quantúvis per gratiã sit Christo unitũ: ergo neque indulgentia. Neque obstat, hanc applicationem non expostulare jurisdictionem in eo, cui facienda est: quia satis est, quòd expostules

jurisdictionem in distributione bonorum facienda, quam non habent Prælati Ecclesiæ comparatione illorum, qui extra Ecclesiam existunt. Neque ex eo quòd satisfactiones proprias possis catechumeno justo applicare, infertur, quòd Prælatus Ecclesiæ satisfactiones communes applicare possit: quia propriarum satisfactionum unusquisque est dominus, quas mirum non est, quòd possit, cui maluerit, applicare: at satisfactionum Ecclesiæ solus est Prælatus dispensator ex voluntate Christi, quæ non præsumitur respectu eorum, qui suæ Ecclesiæ visibili uniti non sunt.

3. Secunda conditio. Debes in gratia existere eo tempore, quo Indulgentiam consecuturus es: quia astrictus pœnæ æternæ incapax est temporalis pœnæ remissionem consequi. Quæ ratio probat, nullius peccati, etiam remissi, consequi indulgentiam posse. Nam de peccato, sive mortali, sive veniali, quod remissum non est, certum existimo, indulgentiam consequi non posse quia alienum est à divina providentia, & prudenti gubernatione perseverante culpa, reatum pœnæ remitti, uti ex communi docet S. Th. *in addit. 3. p. q. 27. art. 2.* Navarr. *de indulg. not. 17. n. 1.* Eman. Sà. *verb. Indulgentia, n. 2.* Suar. *disp. 52. sect. 2. num. 3.* Laym. *l. 5. sum. tr. 7. c. 6. n. 3.* Ægid. *disp. 12. dub. 7. in princ.* Bonac. *disp. Indulg. q. 1. p. 5. n. 4.*

Notanter dixi, *tempore, quo consecuturus es indulgentiam*: Non enim videtur necessarium, ut omnia opera ad indulgentiam requisita in gratia præstentur. Nam, cùm ex natura rei hæc circunstantia in operibus injunctis non requiratur, quippe Deus ob peccatoris opera moveri potest ad finem à Pontifice intentum concedendum: Pontifex autem eam circustantiam expressè non expostulet, non est, cur à nobis expostuletur. Gratiam enim non ob opus injunctum, sed ob effectum Indulgentiæ Doctores exigunt, ut videre est in Nav. & *de indulg. not. 19. n. 17.* & *not 32. n. 47.* Suar. *disp. 52. sect. 2. n. 7.* Val. *q. 20. pun. 5. ad fin.* Ægidius *disp. 12. dub. 7. n. 39.* Bon. *q. 1. p. 5. n. 10.* Laym. *cap. 6. n. 3.* Henriq. *c. 9.* Tolet. *libr. 6. cap. 29.* & alii apud ipsos.

4. Solùm supereſt dubium, an si tempore, quo consecuturus es indulgentiam, in peccato existas, & ob id impediaris ab illius consecutione, remoto postmodum peccato indulgentiam obtineas: sicuti contingit in Sacramentis, quæ remoto obice suum effectum operantur, eò quòd illorum effectus non ex suscipientis dispositione, sed ex liberalitate Dei sacramento annectatur. At effectus indulgentiæ non ex dispositione illius, cui applicatur; sed ex Christi liberalitate nascitur: ergo remoto obice communicatur. Et explicatur ampliùs. Pontifex concedens indulgentiam eam intentionem habere potest, ut si pro eo rempore, quo concedit, incapax sit illius, reservetur in acceptatione divina tibi commodo tempore communicanda. Quæ enim repugnantia in hac intentione ostendi potest. Et ex alia parte hic modus confessionis, & Pontificis liberalitatem denotat, & nobis est utilior: ergo asserendus est, sicuti asseruit Palud. *in 4. dist. 20. q. 4. ar. 3. circ. 1. conc.* Sylv. *verbo Indul. num. 7.* Henr. *l. 7. c. 9. n. 13.*

At longè verius est, indulgentiam concessam peccatum mortale habenti, nunquam effectum operaris Etenim operari non potest effectum indulgentiæ, quæ nunquam in suo esse constituta fuit, sicuti neque sacramentum, quod verum sacramentum non fuit. At indulgentia peccatori applicata nunquam in suo esse constitui potest: quippe nunquam remittere potest pœnam pro peccatis debitam media thesauri Ecclesiæ satisfactione, quæ est ejus essentia. Ergo nunquam habere potest effectum, recedente fictione. Et in hoc est latum discrimen inter indulgentiam, & sacramenta: nam sacramenta, quæ, recedente fictione, effectum habent, peccatori applicata in suo esse fuerunt perfectè constituta: secùs verò indulgentia. Præterquam quòd non omnia sacramenta, recedente fictione, suum effectum operantur; sed, quæ aliquo modo iterari non possunt; quorúmque effectus non potest alia via obtineri. At indulgentia plerumque est iterabilis, ejúsque effectus, qui est pœnæ debitæ remissio, aliis viis obtineri potest. Ergo, &c. Deinde indulgentia effectum non habet, nisi ex intentione concedentis: at concedens indulgentiam tibi aliquod opus facienti, finito opere intendit pœnam remittere. Ergo, si eo tempore incapax es remissionis, indulgentia cessat. Neque verum est, concedentem velle, ut tibi commodo tempore reservetur: quia neque id explicat in concessione, neque eam intentionem habere potest si cùm sit opus, indulgentiam absolutè concedit. Secùs verò posset dici, si divisim concederet, sub hac, inquam forma. Concedo tibi indulgentiam hoc opus facienti; si capax es: sin minùs, cùm capax extiteris. At hæc concessio duplex est, & à modo visitato concedendi indulgentias aliena. Et ex his solutum est oppositæ sententiæ fundamentum. Atque ita latè docet Suar. *disp. 52. sect. 2. n. 13.* Conin. *disp. 12. dub. 7. post princ. n. 37.* Nav. *notab. 17. n. 2. & notab. 19. sub. finem* Sà *n. 2.* Reginald. *l. 7. n. 169.* Filliuc. *tr. 8. n. 141.* Bonac. *disp. 6. q. p. 5. n. 13.*

5. Tertia conditio: Ne sis majori excommunicatione ligatus; hæc enim excommunicatum privat communibus Ecclesiæ suffragiis, & bonis inter membra Ecclesiæ unita dividentis uti ex communiori sententia tradit Suar. *disput. 12. sect. 2. n. 3.* & *de censur. disp. 12. sect. 3. n. 7.* Ugolin. *de censur. tab. 2. c. 9. in princ.* Bonac. *dicta p. 5. n. 3.* Laym. *tr. 7. c. 6. n. 2.* adversùs Henriq. *l. 7. c. 18. n. 12.* Eman. Sà. *Indulgentia, n. 2.*

6. Quarta. Debes Indulgentia indigere ad pœnæ remissionem, tempore, quo conceditur neque enim tibi reservanda est in tempus futurum si fortè illa indigeas: quia hæc reservatio Ecclesiæ damnosa esset, utpote quæ justis ansam peccandi præberet, scientibus obligationem habituros non esse exolvendi pœnam pro peccatis debitam. Atque ita notavit Coninc. *disp. dub. 7. n. 37.*

7. Quinta: Mandari debet executioni opus injunctum, aliàs Indulgentiam non obtinebis. De qua conditione, quia varias continet difficultates, *in seq. punct. agendum est.*

8. Præter supradictas conditiones, aliam Cajet. *1. t. Opusc. tr. 10. q. 1.* excogitavit, quem sequutus est Nav. *notab. 20.* nempe sollicitudinem exercendi opera pœnalia in peccatorum satisfactionem. Nam, qui negligens est debitam propeccatis satisfactionem exhibere, indignus est alieno subsidio & thesauri Ecclesiæ participatione sicuti esset indignus communicatione thesauri temporalis, reipublicæ ad debita propria solvenda, qui ex suo potestatem haberet solvendi illa, & solùm ob negligentiam, vel avaritiam omitteret.

Sed hanc conditionem cæteri omnes Doctores cum D. Th. *in 4. dist. 20.* & *quodlib. 2. art. 2.* rejiciunt, & meritò, ut videre est in Suar. *disp. 52. sect. 11. à n. 2.* Valen. *disp. 7. q. 20. p. 5. in fine.* Henriq. *lib. 7. cap. 16. n. 2.* Laym. *tr. 7. c. 6. in fine*, eo quod ad validam thesauri Ecclesiæ dispensationem, sola causa rationabilis expostulatur: ad validam verò illius applicationem solùm requiritur gratia in eo, qui consecututus est Indulgentiam, & operis injuncti executio. Ad hæc omnia stare possunt, tametsi negligens fueris in satisfactione debita exhibenda: quippe potest adesse causa publica boni communis, quæ dispensationem thesauri honestet, & insuper in statu gratiæ esse potes. Nam illa negligentia peccatum mortale non est, ut suppono: ergo possunt esse omnia requisita ad indulgentiam.

9. Neque fundamentum Cajet. est alicujus momenti. Nam, esto, ob negligentiam dignus non sis,

ut thesaurus Ecclesiæ tibi applicetur: & positivè non es indignus, & incapax illius ideóque ex benignitate Ecclesiæ juvari potes Neque obinde censenda est Ecclesia tuam negligentiam foveri, sed illam permittere, illique condescendere. Neque est simile de dispensatione thesauri temporalis reipublicæ, qui ex voluntate reipublicæ solùm iis, qui alia via suam indulgentiam supplere non possunt, communicatur; & meritò: quia si aliis communicaretur; cùm finitus sit, iis indigentibus deficeret. At thesaurus satisfactionis Christi, & sanctorum infinitus est, qui exhauriri non potest, quantumvis communicetur: idcóque quibuslibet indigentibus, etiam si alia via supplere suam indigentiam possint prudenter, & rationabiliter communicatur.

Punctum IX.

Expenditur conditio requisita ad Indulgentiæ consecutionem, quæ est opere injuncto.

1. *Operis injuncti executio ita necessaria est, ut ex illius defectu nequeat indulgentia obtineri.*
2. *Excipe. nisi contrarium in ipsa concessione caveatur.*
3. *Opus præstandum est sicuti est injunctum.*
4. *Debet opus injungi honestum, & utile ad finis Indulgentiarum consecutionem.*
5. *Nulla ex circunstantia debere vitiari affirmant aliqui, alii negant.*
6. *Qua distinctione utatur Layman.*
7. *Quid sit sentiendum.*
8. *Opus exequi debet ex intentione, non formali, sed virtuali saltem obtinendi indulgentias.*
9. *Opus injunctum personalem actionem exigens, à lucrante indulgentiam exequendum est.*
10. *Excipe, nisi concedens indulgentiam aliud præscripserit.*
11. *Plures Indulgentias diversis viis concessas unius operis executione te obtinere posse affirmant aliqui.*
12. *Verius est oppositum.*
13. *Apponitur quædam limitatio, sed non probatur.*
14. *Eodem tempore diversis actibus plures Indulgentias obtinere potes.*
15. *Qualiter ejusdem operis repetitione pluries eandem possis indulgentiam obtinere.*
15. *Satisfit quæstioni sub distinctione de concessione Indulgentiæ sed tempore indeterminato, vel cum determinatione brevis temporis.*
17. *Satisfit objectioni.*
18. *Affirmant aliqui, ob diversum modum exequendi opus injunctum alios plus, alios minus de Indulgentia obtinere.*
19. *Sub distinctione quæstio dissolvitur.*
20. *Indulgentia concessa contritis, & confessis, non exigit confessionem actualem in eo, qui nullo morali gravatur.*
21. *Si gravetur mortali, consultius est, confessionem esse præmittendam.*
22. *Probabile est, necessariam non esse confessione actualem.*
23. *Quòd si Pontifex confessionem expressè expostulet, & illa præmissa ante elapsum terminum confessionis in novum peccatum mortale incidisti: negant plures te debere iterum confiteri.*
24. *Contrarium consulendum est.*
25. *Peccatum oblitum non videris teneri confiteri.*
26. *An petita communione censeatur Pontifex confessionem expostulare.*
27. *Satisfit quæstioni.*

1. PRæcipua conditio requisita ad indulgentiam, est executio operis injuncti. Est igitur hæc conditio ita necessaria ut si opus injunctum ob impotentiam, vel alia de causa exequi omiseris, Indulgentiam non consequeris: quia concessio sub aliqua forma, & conditione, ea non servata corruit, arg. leg. *Qui hæredit.* 54. leg. *Mævius*, 55. *ff. de condit. & demonst.* Quod adeò verum est, ut neque partem indulgentiæ obtinebis, tametsi partem operis exequaris, quia non pars indulgentiæ ob dimidiatum opus, sed indulgentia ob opus perfectum tibi promissa est. Atque ita docent Navar. *de Indulgent. not.* 9. *num.* 4. & *not.* 19. *n.* 17. Coninch. *disp.* 12. *dub.* 7. *num.* 38. Suar. *disp.* 52. *sect.* 3. *n.* 3. Laym. *tract.* 7. *cap.* 6. *num.* 3. Bonac. *disp.* 6. *q.* 1. *p.* 3. *n.* 20.

2. Excipe tamen, nisi in concessione caveatur indulgentiam concedi impeditis opus injunctum exequi, uti factum est in Extrav. *Unigenitus de pœn. & remiss.* ubi conceditur Jubileum Romanum omnibus illis, qui eo animo iter arripientes impediti fuerunt Romam pervenire, vel Apostolorum limina visitare. Secundò excipe, nisi ita levis sit omissio partis operis injuncti, ut non impediat, quin moraliter censeatur opus injunctum exequi. sicuti si in oratione injuncta omitteres unum *Ave*. Secùs si opus injunctum esset trina recitatio Dominicæ orationis, & angelicæ, & binam tantùm præstares: nam esto, omissio illa in se levis sit; non tamen comparatione operis injuncti, sicuti notarunt Suar. *disp.* 52. *sect.* 5. *n.* 3. Laym. & Bonac. *suprà.*

3. Sed quale opus, qualiterque præstandum est ad indulgentiam obtinendam? respondeo, præstandum esse opus, sicuti est injunctum: nam cum Indulgentiarum concessio sit libera concedentis donatio, potest nolle eam facere, nisi sub conditione operis taliter præstiti. Atque hinc fit, posse Pontificem sub conditione operis interni indulgentiam concedere: nam esto plerumque expediat opus injunctum externum esse, aliquando tamen expedit internum injungi, uti docent Suar. *disp.* 52. *sect.* 5. *num.* 5. & 6. Val. *disput.* 7. *q.* 10. *p. ult. in fin.* Secundò fit, posse exigere, ut omne opus injunctum in statu gratiæ exequaris ob eandem rationem. At nisi id Pontifex exprimat, non præsumitur: quia est dura conditio, nec necessaria ad indulgentiam. Non enim conceditur indulgentia ob satisfactionem, aut meritum operis injuncti, sed ob illius honestatem, ad quam exercendam procurat Pontifex media indulgentiæ concessione homines allicere, sicuti latiùs tradit Suar. *d. sect.* 5. *num.* 6. & *seq.* Navar. *notab.* 19. *n.* 17. Graffis *de indulg. c.* 5. *n.* 48. pluribus relatis Bonac. *q.* 1. *p.* 5. *n.* 10.

4. Illud verò est certum, non posse opus injungi, quod honestum non sit, & utile ad consecutionem finis in Indulgentiarum concessione intenti, aliàs non cederet in Dei honorem.

5. Sed an taliter honestum debeat esse, ut nulla ex circunstantia vitietur? non constat inter Doctores. Affirmant Navar. *de indulg. notab.* 19. *num.* 6. & *not.* 32. *num.* 46. Rodrig. *t.* 2. *qq. regul. q.* 99. *art.* 6. Coninch. *disp.* 12. *dub.* 8. Et moventur: quia opus ob pravum finem, vel circunstantiam vitiatum displicet Deo. Non igitur in illius honorem, & gloriam cedere potest: ergo non est aptum, ut ratione illius satisfactio Christi applicetur, & peccatorum remissio concedatur. Contrarium docuit Cordub. *de indulg. quæst.* 22. Suar. *disp.* 52. *sect.* 6 *à n.* 2. quia certum est, Pontificem posse concedere indulgentiam sub conditione operis de se boni, & honesti, tametsi in individuo honestum non sit: siquidem potest absque ullo opere indulgentiã concedere. At sic est præsumendus concedere, quoties opus exigit absolutè absque ulla limitatione, sicuti præsumeretur, si præceptum imponeret de illius executione: quia onus impositum in consecutione indul-

gentiæ reſtringi non debet, ſed potius ampliari, quatenus verba permittunt.

6. Sed inter has extremas ſententias diſtinctione utitur Laym. *lib.5. ſum tr.7. c.6. à n.3.* inquit enim: Cùm ſufficientia cauſæ finalis ad indulgentiarum conceſſionem plerumque compleatur ex opere injuncto, videndum eſt, an opus injunctum, eſto vitiatum ſit, ad finem præcipuè intentum conducat, an non: ſi conducit, uti contingit in diſtributione ad expeditionem bellicam contra Turcas, conſequeris indulgentiam: ſecùs ſi non conducit, ut ſi ex fine placendi Deo præſcribantur jejunia, tu verò te inebriaſti, vel majorem partem operis injuncti malè perfeciſti.

7. Fateor, hanc doctrinam veriſſimam eſſe: nego tamen opus injunctum abſolutè requiſitum fini à Pontifice intento non conducere, tametſi pravè fiat. Jejunium namque, in quo te inebriaſti, etſi ratione ebrietatis Deo placere non poſſit, at ob rationem jejunii, quam retinet, Deo placere poteſt: ſiquidem potes præceptum Eccleſiaſticum implere, & ſub ea ratione Deum iratum placare. Deinde, etſi jejunium in ſe ob pravum finem aſſumptum non conducat ad placandum Deum, impetrandumque ab eo aliquod beneficium: at quatenus excitat alios fideles ad pœnitentiam, & corporis caſtigationem, religionum fovet, & Deum placare poteſt. Item, vitiatum jejunium æquè efficax eſt ad placandum Deum, ſicuti eleemoſyna vitiata ad finem præcipuum, ob quem expoſtulatur. Non enim expoſtulatur eleemoſyna ob materialem belli expeditionem, ſed ob fructum, qui ſperatur ſuperatis hoſtibus: at hic fructus, ſcilicet propagatio fidei, & pax Chriſtianæ reipublicæ, cùm à Deo concedendus ſit, neceſſariò bonum opus prærequirit. Ergo dicendum eſt, ſufficere bonum opus ex genere, eſto, in individuo pravè ſit factum.

8. Præterea non eſt neceſſe, quod opus injunctum exequaris animo, & intentione formali lucrandi Indulgentiam, bene tamen ex intentione habituali, & interpretativa, quam cenſetur quilibet Chriſtianus habere de ſuæ ſalutis remediis. Priorem partem probat conſuetudo Eccleſiæ, concedendi indulgentiam ſenſibus deſtituto, & jam animam agenti. Si enim huic miniſtrari extrema Vnctio poteſt, quia ob Chriſtianam vitam, quam degit, cenſetur voluntatem ſufficientem habere omnium, quæ ſuæ ſpirituali ſaluti conveniunt, à fortiori indulgentia concedi poterit. Poſteriorem partem ſic probo: quia conceſſio indulgentiæ actus eſt juriſdictionis non coactivæ, ſed voluntariæ, ac proinde exerceri non poteſt, niſi in volentes. Item eſt quædam donatio, quæ ad ſui valorem acceptatione ſaltem virtuali, indiget. Atque ita docent Suar. *diſp.56. ſect.1. n.7.* Laym. *l.5. ſum. tr.7. c.6. ante med. dub.2.*

9. Deinde, ſi opus injunctum actionem perſonalem ſpectet, uti eſt jejunium, oratio, Sacramentorum ſuſceptio, Eccleſiæ viſitatio, à te neceſſariò exequendum eſt: nequis enim denominari jejunans, aut orans, tametſi famulus ad tuum mandatum oret, aut jejunet. Secùs verò eſt, ſi opus injunctum non perſonalem actionem, ſed rem familiarem, aliaque bona extrinſeca reſpiciat, ſicuti eſt eleemoſynæ diſtributio: hæc enim ſi per famulum facias, tanquam per inſtrumentum, cenſeris per te ipſum facere, atque adeò opus injunctum exequi, & indulgentiam obtinere. Suar. *diſp.52. ſect.7.* Laym. *l.5. ſum. tr.7. c.6. dub.3. n.5.*

10. Ab hac tamen doctrina excipit optimè Suar. niſi aliter concedens indulgentiam præſcripſerit. Poteſt autem concedens indulgentiam exigere diſtributionem eleemoſynæ fieri ab eomet, qui indulgentiam conſecuturus eſt, ut ſic pietatem foveat, & forte meritum, & ſatisfactionem augeat. Quo caſu, ſi per famulum eleemoſynam concedat, indulgentiam non obtinebit: quia non eſt executus opus injunctum. Item, præſcribens jejunium, orationem, Eccleſiæ viſitationem, contentus eſſe poteſt, ſi per alium hæc ipſa præſtentur, ut ſi in forma indulgentiæ dixerit. Qui per ſe, vel per alium Eccleſiam viſitaverit, indulgentiam conſequatur, & tunc facta viſitatione per alium, non ipſi, ſed ei, in cujus nomine fuit facta viſitatio, indulgentia conceditur.

Ex quo fit, viſitantem Eccleſiam nomine alieno, ſicut & famulum eleemoſynam domini diſtribuentem, non oportere in gratia eſſe conſtitutum: quia hæc neceſſaria non eſt ad opus prout à concedente indulgentiam exigitur: non enim poſtulatur opus meritorium, nec ſatisfactorium, ſed opus de ſe honeſtum, quod abſque gratia fieri poteſt. Neque etiam gratia in eo neceſſaria eſt, ut adſit diſpoſitio ad indulgentiæ conſecutionem: ſiquidem non ipſi viſitanti Eccleſiam, neque famulo eleemoſynam diſtribuenti indulgentia conceditur, ſed illi, in cujus nomine famulus Eccleſiam viſitat, vel eleemoſynam diſtribuit.

11. Superſunt tamen aliquot difficultates. Prima, an eodem opere plures indulgentias diverſis viis conceſſas lucrari poſſis? v. g. habes plura grana benedicta, plures imagines, quarum ſingulis conceſſus eſt annus indulgentiæ, orarium Virginis recitantibus, recitas ſemel orarium, an tot annos indulgentiæ conſequaris, quot habes grana. Videris obtinere: quia opus injunctum exequeris omnibus indulgentiis correſpondens, & cùm non ſit major ratio, quare unam potiùs, quàm aliam conſequaris, omnes conſequi debes, ſicuti diverſis præceptis unico actu ſatisfacere potes. Atque ita ſentit Cordub. *q 35. de indulg. pag.439.* Graffis *de indulg. c.5. n.55.* Henriq. *l.7. c.17. num.55.* Eman. Sà. *verbo indulgentia, n.18.*

12. Sed verius oppoſitum cenſeo cum Suarez *diſp.52. ſect.8. n.10.* Filliuc. *tr.8. c.6. q 14. num.168.* Bonac. *diſp.6. q.1. part.5. n.29.* Conin *diſp.12. dub.9.* Laym. *l.5. tr.7. c.6.* Ratio ea eſt, quia plerumque opus injungitur ad complendam cauſam pro indulgentiæ conceſſione neceſſarium: at opus pluribus cauſis applicatum, & in plura diviſum, minorem ſingulis virtutem concedit. Ergo non poterit omnium indulgentiarum cauſas complere, ac proinde ex defectu cauſæ non omnes indulgentiæ obtinebuntur ſed illa tantùm indulgentia, ad quam operans ſuam intentionem determinaverit: nam cùm in illius favorem omnes concedantur, expedit ejus voluntati electionem remitti. Quòd ſi ad nullam ſpecialiter intentionem determinaverit, ratione omnium eandem indulgentiam conſequetur, ut benè notarunt Suar. & Bonac. *locis allegatis.*

13. Hanc tamen doctrinam limitant Laym. Conine. & Suar. ne procedat, cum opus injunctum iterabile non eſt: v. g ſi communicanti in feſto Conceptionis, vel in ejus vigilia jejunanti concedatur diverſis viis annus indulgentiæ, credendum eſt, jejunantem vel communicantem plures annos conſequi. Sed hæc limitatio mihi non probatur: nam eſſe opus injunctum iterabile, vel non iterabile, impertinens eſt ad complendam cauſæ ſufficientiam, ſi alioquin ex ſe non complet. Quapropter ſi ponamus jejunium complere ſufficientiam cauſæ, quæ requiſita eſt pro conceſſione unius anni indulgentiæ, nequit certè juvare ſufficientiam cauſæ pro alterius indulgentiæ conceſſione.

14. Secunda, an uno eodemque tempore diverſis actibus, quorum ſingulis diverſæ ſunt indulgentiæ conceſſæ, poſſis eas lucrari. Vt, ſi recitanti Horas canonicas, & audienti Miſſam variæ eſſent conceſſæ indulgentiæ, lucrari eas poſſis, ſimul audiendo ſacrum, & Horas recitando? Cui difficultati affirmativè eſt reſpondendum: quia unumquodque opus æquè eodem tempore ac in diverſis perfici poteſt, æqueque valet ſuæ conceſſionis cauſam finalem complere, ac ſi ſejunctum alio peractum eſſet, ut tradit Bonac. *diſp.6. q.1. p.5. n.31.*

15. Tertia, an poſſis ſæpius eandem indulgentiam

obtine

obtinere, repetito opere, cui est indulgentia absolutè concessa? v. g. concessit Pontifex annum indulgentiæ visitantibus Ecclesiam S. Petri, poterisne sæpius eam indulgentiam lucrari? Videris, non posse; sed semel tantùm, eò quod sermo absolutè prolatus de prima vice sit intelligendus ex text. *Boves*, §. *Hoc sermone ff. de verb. signific.* cui consonat lex, *Cùm Pater*, §. *Pater certam ff. de legatis* 1. ubi cautio de danda, vel restituenda dote filiæ nuptæ, solum de primis nuptiis intelligitur, neque ad secundas extenditur. Idemque est de promissione dotis, ut tradit Bart. *in leg. Dotis promissio, vers. ult. ff. de jure dotium*, & pluribus aliis ornat Tiraq. *in dicta leg. Boves*, 2. *Hoc sermone.*

16 Cæterùm distinguendum est, inter indulgentiam concessam absque ulla temporis determinatione, & inter indulgentiam cum limitatione temporis, maximè brevis concessam: Exemplum primi est, si concedatur indulgentia visitantibus Ecclesiam D. Petri. Secundi verò, si concedatur visitantibus Ecclesiam in Festo ipsius dedicationis, vel per illius octavam. Si absque temporis determinatione concedatur perennis est Indulgentia, & pluries obtineri potest, usu, & consuetudine sic intentionem Pontificis declarante, uti docuerunt Navarr. *de Indulgent. notab.* 19. *n.*19. & *notab.* 31. *num.*36. & 37. & *in explicat. Bulæ Gregor. XIII. n.*46. *vers. Circa hoc.* Cordub. *quæst.* 35. *libr.* 5. Suar. *disp.* 57. *sect.* 1. *n.*4. Henriq. *l.*7. *c.*11 *n.*1. & 17. *n.*6. Eman. Sà *verbo, Indulgentia, numer.*7. Bonac. *disp.*6. *quæst.* 1. *part.*5. *n.*32. & alii. Quod adeò verum existimant dicti Doctores, ut non solùm pluries in vita, sed in anno, mense, & hebdomada, si eo tempore opus injunctum perficiatur, obtineri possit: Quinimò Navar. *dicto notab.* 31. *n.*37. existimat, eo die toties obtineri posse indulgentiam, quoties opus injunctum prudenter, & devotè peragatur. Hanc doctrinam probabiliter extendit Emman. Sà ad indulgentiam per longum tempus concessam: v. g per annum, ut in anno Jubilei: quia hæc quasi perennis, & perpetua est reputanda, ac proinde poterit, non solùm semel, sed pluries obtineri opere injuncto præstito. Verùm, si indulgentia cum determinatione brevis intervalli concedatur, uti solet concedi in Festo alicujus Sancti, vel per ejus octavam: semel tantum obtineri poterit: quia illa temporis determinatio indicat, Pontificis intentionem unius tantùm indulgentiæ esse, non plurium, sicuti notavit S. Thom. *in addit. q.*25. *art.*2. *ad* 4. Tolet. *lib.*6. *c.*28. *ad finem.* Navar. Suarez Sà, Henriq. *loc. alleg.*

17. Prædictis non obstat textus in leg. *Boves*, cui varias exceptiones, & limitationes adhibet Tiraquel. *suprà* ex quibus ad nostrum propositum non leviter favet illa, quæ asserit prædictum textum non procedere in concessione pro causa aliqua certa, & determinata, quæ perseverat post primam concessionem: ea enim perseverante non finitur concessio, sed pluries repeti potest, uti docuit Bart. *in leg.* 1. *col. ult. ff. ad leg. Iuliam Majest.* argum. text. in leg. *Continuus*, §. *Qui insulam. ff. de verbor. oblig.* Durante enim causa, durare etiam debet id, quod ob eam causam introductum est, leg. *Semper.* §. *Negotiatores ff. de jure immunit.* leg *Si cui* §.1. *ff. Ex quibus causis major. leg.*2. §. *Omnes ff. de judic.* & alii. At in concessione indulgentiæ per longum tempus, vel sine limitatione temporis concessæ plerumque perseverat eadem causa concessionis, quæ solet esse Religionis augmentum, & devotionis, & fervoris, in aliquem Sanctum excitatio, efficitur & concessionem indulgentiæ perseverare. Neque etiam displicet ea exceptio, quam ex pluribus Doctoribus refert Tiraquel. quòd prædictus textus in leg. *Boves*, non sit intelligendus in materia favorabili, sed solùm in onerosa, juxta textum in leg. *Conditio filiæ, in fine, ff. de condit. & demonstrat.* & tradit Francisc. Aretin. *in leg. Servi electione, ff. de legat.* 1. leg. *Placet, cum seqq. de liberis, & posthum.* Denique inquit Tiraquel. *limitat.*27. prædictum textum in concessione lucrativa, seu gratuita, qualis est indulgentiarum concessio, non procedere argum. leg *Si servus ff. de servitutib. urbanor.*

18. Quarta difficultas est, an ob diversum modum exequendi opus injunctum, alii plùs alii minùs de indulgentia consequantur? Affirmant, Navar. *de Indulg. notab* 15. Coninch. *dub.*6 *n.*34. Laym. *lib.*5. *sum. tr.*7. *c.*5. *n.*2. Moventur ob rationem sæpè dictam: quia opus exigitur, ut suppleat insufficientiam causæ finalis. Qui igitur opus injunctum exequitur tepidè, & remissè, vel ex aliqua circunstantia vitiatum, minùs complebit causæ finalis sufficientiam, quàm qui opus injunctum honestè, & ferventer perficit. Favétque Bonifac. *in Extravag. Antiquorum de pœnitent. & remissionib.* ubi postquàm in anno Jubilei pleniss mam indulgentiam concessit visitantibus Apostolorum limina, subdit: *Unusquisque tamen plùs merebitur, & Indulgentiam efficaciùs consequetur, qui Basilicas ipsas amplius & devotiùs frequentaverit.* Si enim omnes visitantes peracta visitatione Indulgentiam consequuntur æqualem, falsò Pontifex asserit, efficaciùs consequi, qui amplius & devotiùs Basilicas frequentaverint.

19. Sed in hac re opus est distinctione. Vel enim opus injunctum, quomodocunque fiat, complet sufficientiam causæ finalis, vel non. Si non complet sufficientiam causæ finalis: quia requirebatur opus honestè, & ferventer factum, certum est, eo casu non consecuturum integram indulgentiam, qui tepidè, & remissè opus injunctum exequutus fuerit; sed partem juxta proportionem causæ. At hoc præsumi non debet, cùm Pontifex Indulgentiam concedit opera injuncto absolutè. Ex ea enim concessione credit Pontifex opus injunctum, quomodocunque fiat, sufficientiam causæ finalis complere: aliàs omnes Indulgentiæ infirmari facilè possent, nullæque essent moraliter certæ. Quòd si opus injunctum, etiam tepidè factum, finalem causam indulgentiæ complet, ut necessariò affirmandum est: ob majorem, vel minorem devotionem in executione operis injuncti non major, nec minor indulgentia obtinetur, sed æqualis: quia indulgentia non nititur devotione operis, sed ob legitimam causam liberali donationi: at hæc donatio, ut effectum habeat solùm ex voluntate donàtis expostulat qualemcunque executionem operis injuncti: ergo ferventior, vel remissior executio non refert ad indulgentiæ integræ consecutionem. Atque ita docet Suar. *disp.*52. *sect.*8. *à n.*3. Eman. Rodr. *in explicat. Cruciatæ.* §.7. *n.*4. Cordub. *l.*5. *q.*31. *propòsit.* Filliuc. *tr.*8. *c.*6. *q* 14. *n.*164. Graffis *de indulgent. c.*5. *n.*60. & *c.*7. *n.*3. Bonac. *disp.*6. *q.*1. *p.*5. *n.*19. Neque his obstat Bonifac. *in Extravag. Antiquorum*, dicens, visitantem devotiùs Basilicas, efficaciùs Indulgentiam lucrari; quia id intelligendum est, quantum est ex se ex opere injuncto, quod negari non potest, ex se efficacius esse ad indulgentiæ consecutionem: de facto tamen, & in re, seu quoad effectum, non efficacius indulgentiam obtinet.

20. Quinta difficultas est, an indulgentia concessa iis, qui contriti, & confessi Ecclesiam aliquam visitaverint expostulet confessionem actualem, vel sufficiat in voto: Dicendum primò est, si nullo peccato mortali, quod clavibus Ecclesiæ subjectum non sit, te gravatum sentias, necesse tibi non est, confessionem præmittere pro indulgentia consequenda: quia, cùm eo casu non habeas materiam confessioni necessariam, non est credendum, Pontificem onus, & obligationem subjiciendi materiam liberam tibi imposuisse verbis ita generalibus, & communibus: debebat enim apertiùs obligationem exprimere. Quinimò esto, Pontifex in concessione absolutè confessionem, & Communionem requisivit, sicuti si diceret: indulgentiam

tiam concedimus omnibus illis, qui intra tot dies sua peccata confessi fuerint, & sacram Eucharistiam receperint. si tamen nullo peccato mortali post ultimam confessionem commisso graveris, satis probabile est; te non esse obligatum confiteri: quia non de confessione libera, sed necessaria, credendum est Pontificem loqui. Quippe confessio absolutè prolata pro confessione necessaria supponere debet, sicuti peccatum pro mortali, & non pro veniali supponit. Neque obstat expostulari Communionem liberam: quia in Communione non est ea difficultas, ac in confessione: & præcipuè quia Communio propter se expostulatur: at confessio non propter se, sed ut certiùs, & efficaciùs tollatur obex indulgentiæ consequendæ, quem solum peccatum mortale apponit. Unde, etsi confessio absolutè expostulata sit, intelligi debet obice ad indulgentiam supposito. Præterquàm quòd Ecclesia nunquam solet confessionem venialium à fidelibus expostulare. Unde, si Pontifex pro concessione indulgentiæ eam requirit, apertissimis verbis voluntatem suam exprimere debet. Atque ita docent Suar. *disp.52. sect.3. n.5.* Bonac. plures referens *disp.6. de Indulg. q.1. p.5. n.7.* Laym. *l.5. sum. tr.7. c.6. dub.5. concl.1.*

21. Si autem peccato mortali gravatus existas, consultius est, & securius, tibi necessariam esse actualem confessionem, maximè si possibilis sit. Sic Durand. *in 4. dist.20. quæst.4.* Navarr. *de indulg. nt. not.18. n.2.* Cajet. *Opusc. de indulg. c.10.* Graffis *de indulg. capit.5. n.5.* Coninch. *disp.12. dub.7. num.38.* Sà *indulgentia, numer.3.* Bonac. *disput.6. quæst.1. part.5. num.5.* Laym. *lib.5. sum tract 7. cap.6. quæst.5.* Ratio ea est: quia Pontifex expostulat in eo, qui lucraturus est indulgentiam, ut contritus, & confessus visitet Ecclesiam. Ergo, qui absque contritione peccati, & illius confessione visitaret, conditionem non exequeretur, ac proinde indulgentiam non obtineret. Quòd si dicas cum D. Antonin. *1. part. tit.10. cap.3. §.5.* sufficere, quòd tempore debito contritus, & confessus fuerit, obstat: quia Pontifex non expostulat contritionem, & confessionem, ut præcepto divino, vel ecclesiastico fiat satis; sed ut indulgentia obtineatur, ac proinde expostulat contritionem, & confessionem, tempore, quo indulgentia obtinenda est. Sub nomine contritionis, tam contritio perfecta, quam imperfecta, scilicet, attritio intelligitur. Et licet sola contritio perfecta obicem peccati tollat, & subjectum perfectè disponat ad indulgentiæ consecutionem: quia tamen contritio difficilis est, & incerta, ideò Pontifex, ut effectus Indulgentiæ securior sit, & certior, confessionem expostulat, in eo, qui mortali gravatus est. Notanter dixi, *si confessio impossibilis sit*: quia stante impossibilitate confessionis, præsumi potest Pontifex nolle fidelem contritum indulgentia privare, uti notarunt Eman. Sà, & Laymann. *loc. alleg.*

22. Verùm esto, prædicta sententia consulenda sit, probabilissima tamen est negans, confessionem ex prædictis verbis requiri, quam aliis relatis docet Suar. *disp.50. sect.5. n.10.* & *disp.52. sect.3. n.13.* Filliuc. *tr.8. c.6. n.148.* Moventur: quia illis verbis non videtur Pontifex aliam diligentiam expostulare quamquæ necessaria est, ut thesaurum Ecclesiæ applicare fidelibus possit, juxta Extravag. *Unigenitus de pœnit. & remission. statim post princ.* ubi inquit Pontifex: *Thesaurum suæ Ecclesiæ commisit Christus Dominus per Beatum Petrum, ejusque successores fidelibus dispensandum, & verè pœnitentibus, & confessis misericorditer applicandum.* At certum est, hunc thesaurum applicari posse verè pœnitentibus, tametsi confessi non sint; sed solùm propositum habeant confitendi: ergo illis verbis non expostulatur pœnitentia perfecta, & confessio; sed ea pœnitentia, & confessio, quæ necessaria fuerit, ut thesaurus Ecclesiæ applicari possit. Et ex his solvitur fundamentum oppositum. Expostulat enim Pontifex contritionem, & confessionem non ut securius, & certiùs indulgentia obtineatur, aliàs contentus non esset contritione imperfecta simul cum confessione: siquidem contritione perfecta simul cum confessione securius obtineretur: sed ea expostulat, quatenus necessaria sunt, ut thesaurus Ecclesiæ applicari possit; ad quem effectum solùm requiritur peccati mortalis remotio, quæ tum per contritionem perfectam, tum per imperfectam cum confessione fieri potest.

23. Quòd si aliquando Pontifex expressè confessionem expostulet, ut expostularet, si diceret: Intra tot dies debeant à suis peccatis absolutionem sacramentalem obtinere, non est dubium, confessionem actualem confessariam esse. Solùm est dubium, si eam præmisisti, & postmodum ante impletum tempus obtinendæ indulgentiæ in aliud mortale incidisti, an debeas iterum confiteri. Negat Nunnez *in ad. ad.3. p. c.27. art.3. dub.4.* Bonac. *disp.6. q.1. p.5. numer.9.* eò quòd Pontifex non plures confessiones, sed unicam expostulavit, cui petitioni confessione facta perfectè satisfeciste videris.

24. Sed oppositum, tanquam securius, consulendum est, ut ipsemet Bonac. consulit, quinimò existimo probabilius: quia Pontifex expostulans expressè confessionem, præsumitur eo fine expostulare, ut securiùs, & certiùs consecuturus Indulgentiam, peccata, quæ illius consecutionem impedire possint, removeat: at hæc ratio urget, casu, quo te novo peccato mortali gravatum sentias, ut manifestum est. Ergo.

25. Quinimò addit Suar. *disp.52. sect.3. n.7. in fin.*, si facta confessione ante tempus, quo indulgentia applicanda est, recorderis alicujus peccati in prioris confessione obliti, te obligatum esse illud fateri; aliàs indulgentiam non obtinebis: quia expostulatur confessio omnium peccatorum ante indulgentiam commissorum quatenus humano, & morali modo fieri potest. Sed oppositum verius censeo, eò, quòd peccatum oblitum in confessione legitimè facta remissum sit virtute gratiæ per sacramentum communicatæ ac proinde securitatem indulgentiæ nullatenus impedire potest: confessio autem expostulatur omnium peccatorum, quæ fuerint ante indulgentiam commissa, quæque virtute sacramenti, saltem virtualiter, remissa non fuerint: secus de remissis directè, vel indirectè.

26. Sed, quid, si Pontifex, nulla mentione facta confessionis, communionem expostulet, censeturne confessionem expostulare ab eo, qui peccati mortalis conscius est? Non deerit, qui id affirmet, & satis probabiliter: quia peccato mortali gravatus, si Eucharistiam sumere debet, jure divino obligatur confessionem præmittere; ergo Pontifex postulans Eucharistiæ sumptionem, tacitè expostulat, quæ ad ipsam ritè factam necessariò requiruntur: quippe Pontifex sumptionem dignam, non indignam exigit. Contrarium defendit Suarez *disput.52. sect.3. n.6.* quem sequitur Laym. *lib.5. sum. tr.7. cap.6. q.5. concl.2.* ea ratione moti: quia privilegio Pontificis non est addendum onus, quod expressum non sit. At Pontifex ad consecutionem indulgentiæ non expressit confessionem; sed illius obligationem pro Eucharistia suscipienda, juri divino remisit: ergo ex petitione Eucharistiæ non infertur confessionem postulari.

27. Nihilominus media via tenenda est, & affirmandum, confessionem pro consequenda indulgentia expostulatam non esse per se: siquidem illius nulla fuit facta mentio, benè tamen, quatenus ad dignam Eucharistiæ sumptionem fuerit necessaria, ob rationem *superius* factam. Ex quo fit, si omissa confessione, quam præstare poteras, Eucharistiam sumas, indulgentiam non obtinebis non directè, & formaliter

liter, quia omisisti confessionem; sed quia omisisti Eucharistiæ sumptionem ritè factam, quæ expostulata fuit. Et contra verò, si impotens fuisti ad præmittendam confessionem, cùm eo casu ritè Eucharistiam sumas, confessione non præmissa indulgentiam consequeris.

Punctum X.

Qualiter indulgentiæ defunctis applicari possint.

1. *Defunctis indulgentiæ applicantur.*
2. *Hæc applicatio fit, non per modum absolutionis, sed suffragii: & in quo hæc differentia sita sit.*
3. *Negant plures, hanc applicationem esse infallibilem.*
4. *Verius est, infallibiliter effectum habere.*
5. *Solvitur oppositum fundamentum.*
6. *Solis existentibus in Purgatorio Indulgentiæ conceduntur.*
7. *Verius videtur solis defunctis baptizatis indulgentias concedi posse.*
8. *Ad hanc indulgentiam pro defunctis applicandam requiritur in concedente potestas, quæ solùm est in Pontifice; in aliis ex ejus delegatione.*
9. *Obtinens indulgentiam pro defuncto debet exequi opus, intentione saltem virtuali, obtinendi indulgentiam.*
10. *Non est necessarium, quod in gratia existat, etsi consultum sit.*
11. *Ex parte defuncti aliqui plures conditiones requirunt: sed rejiciuntur.*

1. CErtum est apud omnes Orthodoxos, defunctis in Purgatorio existentibus indulgentias applicari posse. Constat, tum ex Ecclesiæ praxi, adversùs quam disputare insolentissimæ insaniæ est, inquit Aug. *epist.* 118. *ad Ianuarium* tum ex consensu communi Summorum Pontificum, aliorúmque definitio præcipuè ex Leone X. *epist. ad Caiet. contra Luther.* & ex Sixto IV. Innoc. VIII. Pio II. Calixto, Paschalio & aliis relatis à Gabriel. *in addit. ad lect.* 57. *in canon.* Si enim quilibet particularis potest suas satisfactiones defunctis applicare cur non poterit Pontifex Christi, & Sanctorum satisfactiones; præcipuè cùm ipsi voluntatem habeant, ut non solum vivis, sed & defunctis sua opera prosint?

2. Hanc applicationem communiter Doctores censent fieri, non per modum absolutionis, sed per modum suffragii, cujus differentia in eo sita est, teste Suar. *disp.* 53. *sect.* 2. *num.* 4. & *sect.* 3. *num.* 15. Valent. *quæst.* 20. *pun. ult.* Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 7. *c.* 7. *in princ.* Coninch. *disp.* 12. *dub.* 10. & aliis quod indulgentiam concedens per modum absolutionis, tanquàm Judex, & Superior illius, qui absolvendus est, procedit, quémque à pœna debita pro peccatis absolvit, oblata Deo ex satisfactionibus Christi, & Sanctorum sufficiente satisfactione. At concedens indulgentiam per modum suffragii, nullam in personam absolvendam jurisdictionem exercet: quia non absolvit à pœna; sed Deo satisfactionem sufficientem offert, ut ipse eam acceptans pœnam debitam remittat.

Cùm autem Pontifex tibi concedit, ut possis defecto per modum suffragii indulgentiam applicare, ne intelligas, tibi fortè fœminæ, vel laico, concessam esse facultatem distribuendi thesaurum Ecclesiæ, & maximè in defunctorum favorem, quod semper est Pontifici reservatum; neque etiam intelligas, indulgentiam tibi concessam posse defuncto communicare: nam si tibi concessa est, pœnam tuorum peccatorum remisit: non igitur est locus applicationi. Sed intelligere debes, tibi remitti potestatem designandi defunctum: qua designatione facta Pontifex immediatè, & directè indulgentiam applicat: & quia hæc applicatio tuam designationem subsequitur, ideò diceris potestatem habere applicandi indulgentiam defunctis, sicuti colligitur ex his, quæ tradit Suarez *disp.* 53. *sect.* 3. *à numer.* 10. Coninch. *disp.* 12. *dub.* 10. Valen. *p. ult.*

3. Sed an hæc applicatio defunctis facta infallibiliter effectum habeat, sicuti haberet, si viventibus rite dispositis applicaretur: non conveniunt Doctores. Nam Richard. *in* 4. *dist.* 20. *art.* 3. *quæst.* 3. Duran. *q.* 4. *numer.* 12. Cajet. *tract.* 16. *de indulgent. quæst.* 5. & 6. Cordub. *quæst* 13. & 15. *opin.* 4. Canus *lib.* 12. *de loc. cap.* 13. *ad* 9. §. *Errant.* Petr. Sotus *lect.* 3. *de indulg.* Henriq. *lib.* 7. *cap.* 7. *numer* 4. Laym. *lib.* 5. *sum. tr.* 7. *cap.* 7. *numer.* 2. Bonac. *disput.* 6. *quæst.* 1. *punct.* 6. *circa finem*, asserunt, indulgentiam defunctis applicatam non habere infallibilem effectum, sed solum per modum cujusdam impetrationis ex libera Dei acceptatione, eò quòd supremus Judex non teneatur commutationem pœnæ sibi debitæ acceptare, nisi ad id sua se promissione obligaverit: at Deus non videtur obligatus ad acceptandam satisfactionem ex Christi, & Sanctorum meritis pro defunctis oblatam: quia Christus Dominus solùm promisit solvendum in cælis, quod Pontifex solverit super terram; non verò quod Pontifex solverit sub terra, ubi animæ detinentur, & pœnas luunt. Confirmant suam sententiam ex usu fidelium, qui postquam indulgentiam plenariam alicui defuncto applicarunt, medio, inquam, Sacrificio, vel alio pio opere, iterum repetunt eandem indulgentiam: quod superfluum esset, si infallibiliter haberet effectum. Sentiunt ergo fideles solùm habere effectum ex libera Dei acceptatione.

4. Cæterùm multò verius est stante legitima causa concessionis, æquè defunctis, ac vivis Indulgentiam infallibiliter applicari quæ est sententia D. Th. *in* 4. *dist.* 45. *quæst.* 2. *art.* 3. *qq.* 2. Soti *dist.* 21. *quæst.* 2. *art.* 3. & *dist.* 45. *quæst.* 2. *art.* 3. Navar. *notab.* 22. *n.* 18. Suarez *disput.* 53. *sect.* 3. *numer.* 3. Valen. *t.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 20. *pun. ult. in medio* Coninch. *disp.* 12. *dub.* 10. *conc.* 3. Benzon. *lib.* 2. *c.* 52. Et colligitur. *ex illa epist.* Leonis X. *ad Caietan.* ubi de distributione thesauri, & indulgentiarum concessione vivis, ac defunctis facta loquens, omnibus nulla distinctione facta affirmat prodesse; vivis per modum absolutionis; defunctis per modum suffragii, & utramque distributionem ex apostolica authoritate provenire. At vivis prodest Indulgentia infallibiliter ex potestate à Christo accepta. Ergo etiam prodesse debet defunctis, cùm ex eadem potestate applicatio proveniat. Et confirmo? Pontifex à Christo potestatem accipit ejus thesaurum dispensandi, & applicandi, non solùm vivis, sed etiam defunctis causa legitima intercedente: ergo facta defunctis applicatione effectum obtinebit, aliàs inutilis esset hæc potestas, neque differret ab ea, quam quilibet homo habet applicandi thesaurum Christi pro animabus Purgatorii: siquidem per utramque potestatem offertur Deo satisfactio sufficiens; exorando illum, ut acceptam, & ratam habeat, illiusque intuitu pœnas defunctis remittat. Deine Petro, ejúsque successoribus promissæ fuerunt claves, quibus regnum cœlorum non solùm vivis, sed & defunctis aperiretur indulgentiarum concessione. At, si indulgentiæ applicatæ defunctis infallibilem effectum non habent, clavis defectuosa est, & inutilis utpote quæ nequit cœlorum regnum defunctis aperire.

5. Ratio verò in contrarium ex probatione nostræ sententiæ soluta est: negamus namque Petro, ejúsque successoribus non esse à Christo promissum, quòd Deus Pater acceptaret satisfactionem oblatam ex thesauro Ecclesiæ im compensationem pœnæ à defunctis debitæ: fuit enim hoc promissum, cùm Petro dictum est: *Tibi dabo claves regni cœlorum. Quodcunque*

cunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Nam, ut rectè inquit Valen. *tom.4. diſput.7. quæſt.20.punct.5. in med.* verbum, *ſuper terram*, referri non debet ad perſonas ſolvendas, quaſi ſolùm exiſtentes ſuper terram ſolvi poſſint; ſed referendum eſt ad ſolutionis actum: quaſi diceret. Quancunque ſolutionem in terris præſtiteris, ſive viventium, ſive defunctorum, rata erit in cœlis. Sicut enim, *in cœlis*, non refertur ad aliquam perſonam in cœlis ſolvendam; ſed ad ſolutionis actum: ſic dicendum eſt de verbo, *ſuper terram.* Et fortè ob hanc cauſam non dixit Chriſtus: Quodcunque abſolveris ſuper terram, ſed, *Quodcunque ſolveris*, ut ex verbo, *ſolveris*, quod commune eſt ſolutioni juridicæ, & authoritativæ, & ſolutioni auxiliativæ, indicaretur, poteſtatem concedi ſolvendi vivos per modum abſolutionis, & defunctos per modum auxilii, & ſuffragii. Ad confirmationem nego, inutile eſſe iterum, atque iterum eandem indulgentiam pro defunctis lucrari: quia nunquam eſt certum, de facto integrè obtentam eſſe; tum ob defectum in cauſa, qui fortè adeſt; tum ob defectum operis injuncti, & diſpoſitionis requiſitæ in eo, qui opus injunctum exequitur, tum ex defectu acceptationis in animabus Purgatorii, ſi neceſſaria eſt.

6. Dixi in principio, hanc indulgentiam concedi animabus in Purgatorio exiſtentibus: nam exiſtentes in cœlo, ſeu beatæ, indulgentia non indigent; quippe nullum debitum habent: exiſtentes verò in Inferno, ſeu damnatæ, incapaces ſunt cujuſlibet liberalis remiſſionis, tum ob carentiam gratiæ, tum ob peccatum mortale, in quo perſeverant. Deinde in Limbo exiſtentes, quales ſunt decedentes cum ſolo originali, incapaces indulgentiæ ſunt; tum ob defectum gratiæ, tum quia debitum perſonale non habent per indulgentiam remittendum. Quòd ſi aliquo veniali affecti ſint, adhuc incapaces ſunt Indulgentiæ ſuſcipiendæ ob gratiæ defectum: & quia nunquam pœna peccato debita remittitur, quin prius culpa remiſſa ſit. Reſtat ergo, ut ſolùm animabus Purgatorii Indulgentiæ concedi poſſint.

7. Sed an omnibus in Purgatorio exiſtentibus, difficultate non caret: eò quòd indulgentiarum conceſſio defunctis facta non ſit actus juriſdictionis in defunctos, ſed ſolùm in Chriſti theſaurum diſpenſandum. Poteſt ergo Pontifex quibuſvis defunctis ſatisfactione indigentibus applicare, aut unde conſtat illius poteſtatem ad ſolos defunctos charactere baptiſmi inſignitos reſtringi? Quapropter Navarr. *Indulgent. notab.31. in fine.* Henriq. *lib.7. cap.18. num.3.* Benzon. *lib.7. de Iubil. c.15. dub.28. aſſert.6.* exiſtimant, omnibus defunctis in Purgatorio exiſtentibus, ſive fuerint baptizati, ſive non, poſſe Pontificem indulgentias applicare.

Cæterùm, etſi reſolutio hujus difficultatis incerta ſit, veroſimilius cenſeo ſolùm defunctis baptizatis indulgentiam concedi poſſe, eò quod theſaurus ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum relictus eſt Petro diſpenſandus in commodum fidelium, utpote bonum Eccleſiæ: ergo qui nunquam Eccleſiæ portas intrarunt, illius participes eſſe non debent. Neque veriſimile eſt, Pontificem eos defunctos à pœna ſolvere, quos vivos abſolvere non poterat. Præterea Communiter Doctores docent, ut vidimus *tract. de Sacrificio Miſſæ*, Miſſæ Sacrificium ex opere operato non habere effectum, niſi in his, qui Baptiſmi charactere fuerint inſigniti: ergo neque indulgentia illum habere debet, quippe ex opere operato ſuum effectum producit. Atque ita docent Suar. *diſp.53. ſect. ult. numer.8.* Coninch. *diſp.12. dub.10. concl.5.* Laym. *lib.5. ſumm. tract.7. capit.6. numer.1.* Bonac. *diſput.6. quæſt.1. p.5. num.2.* ubi catechumenis vivis negat indulgentias applicari poſſe, etiam per modum ſuffragii: & licèt promiſerit ſententiam ſuam circa defunctos exprimere, illius oblitus fuit *pun.6.*

8. Supereſt dicendum de conditionibus requiſitis, ut prædicta applicatio indulgentiarum pro defunctis effectum habeat. Et in primis ex parte concedentis manifeſtum eſt, requiri poteſtatem, quæ ſolùm in Pontifice reſidet; in aliis verò Prælatis ex illius tantùm delegatione, quæ rarò fieri ſolet. Præterea adeſſe debet cauſa legitima, & proportionata conceſſioni: quia theſaurum Eccleſiæ non applicat Pontifex animabus Purgatorii, ut Dominus, ſed ut diſpenſator, qui ut ſit fidelis, & prudens, conceſſionem proportionare debet cauſæ. Denique eſt neceſſarium, ut in forma conceſſionis defuncti exprimantur, alias non cenſebitur indulgentia pro defunctis conceſſa: valet enim tantum quantum ſonat, & illis ſolis, pro quibus Pontifex ſuam intentionem declarat, quam tamen non cenſetur declarare ex eo ſolum, quòd omnibus fidelibus indulgentiam conceſſerit. Sub nomine enim fidelium abſolutè prolato vivi tantùm intelliguntur. Quapropter ſi ad defunctos extendere indulgentiam velit, illos debet neceſſariò exprimere, uti ex communi ſententia docet Suar. *diſput.55. ſect. in fine num.7.* Bonac. *diſp.6. quæſt.1. p.6. num.7.*

9. Ex parte verò lucrantis indulgentiam, certum eſt requiri, ut opus injunctum exequatur: quia ſub ea conditione indulgentia conceditur: debet tamen illud exequi intentione ſaltem virtuali, ut indulgentia applicetur defuncto. Tum quia in illius favorem fit. Tum quia eſt quædam defuncto donatio, & ad illius indulgentiæ conſecutionem requiſita deſignatio. Applicare autem illud opus defuncto, quatenus ab operante ſatisfactorium eſt, regulariter non requiritur: quia indulgentia non conceditur in virtute ſatisfactionis operis injuncti, ſed in virtute ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum, ad quorum applicationem opus injunctum, ut quid pium, & inculcum Dei cedens exigitur. Ab hac doctrina excipit rectè Suar. *diſp.53. ſect.4 n.3.* Sacrificium Miſſæ, eò quod effectum habeat ex opere operato: hoc autem, cùm requiſitum eſt pro conceſſione indulgentiæ facienda defuncto, ipſi defuncto applicari debet, ſed non ſemper, ſed quando in conceſſione dicitur. *Qui pro defuncto Miſſam dixerit, aut obtulerit ejus animam à Purgatorio.* Secùs verò, ſi non additum fuerit illud verbum, *pro defuncto.*

10. Inſuper requirunt aliqui Doctores, obtinentem indulgentiam pro defunctis, debere eſſe in ſtatu gratiæ tempore, quo perficitur opus, & indulgentia defuncto communicatur. Sin Eman. Sà *verbo, indulgentia, num.2.* Excipit tamen, niſi opus fuerit nomine Eccleſiæ factum, ut Miſſæ ſacrificium. Sed immeritò hanc expoſtulat conditionem: gratia namque ut in ſuperioribus dictum eſt, non requiritur, ut principium operis injuncti: quia eſto, nec ſatisfactorium ſit, nec meritorium, aptum eſſe poteſt ad indulgentiæ conſecutionem, ſed requiritur, ut obicem tollat, & ſubjectum diſponat indulgentiæ ſuſcipiendæ: at vivus, qui indulgentiam pro defuncto obtinet, exequendo opus injunctum, indulgentiam non ſuſcipit, ſed conditionem pro conſecutione indulgentiæ exequitur: ergo ſtatus gratiæ non eſt in illo neceſſariò requiſitus. Atque ita docet Gabr. *in addit. ad lect.57. in canon.* Suar. *diſp.53. ſect.4. num.6.* Coninc. *diſp.12. dub 6. & 11.* Layman. *lib.5. ſum. tract.7. cap.6. n.1.* Rodrig. *t.2. qq. regular. quæſt.96. art.4.* Tolet. *lib.6. c.26.* & pluribus aliis relatis Bonacin. *diſp.6. quæſt.1. p.6. num.11.*

11. Ex parte defuncti aliqui plures conditiones inutiliter requirunt: quippe ſola gratia ipſis inhærens,

& ab eis inseparabilis sufficit ? ea enim redduntur apti, ut Deus satisfactionem in eorum favorem oblatam acceptet, & pœnam quam subire debeant remittat. Primò igitur Henriq. *quolib.11. qu.26.* Cajet. *tract.16. de indulgent. quæst.5. vers. Quoad tertium.* Navar. *de indulgent. notab.22.n.42.* existimant, defunctum qui in hac vita existens negligens fuit pro defunctis orare, & indulgentias lucrari, & pro suis peccatis satisfacere, indignum esse, cui indulgentiæ applicentur. Cui sententiæ non leviter favet Aug. relatus in cap. *non æstimemus, 13. qu.2.* ibi *Quamvis non pro quibus fiunt, omnibus prosint, sed his tantùm, quibus dum vivunt comparatur, ut prosint.* Et Gregor. *lib.4. Dial.39* dicens. *Hoc tamen sciendum est, quia illic saltem de minimis nihil purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actibus in hac adhuc vita positus, ut illic obtineat, promereatur. At certè, qui sic negligens fuit in obtinendis indulgentiis, satisfactione pro peccatis exhibenda, & ratione pro defunctis fundenda, nec comparavit, nec promeritus fuit, ut orationes fidelium, & indulgentiæ illi prosint.* Ergo Nihilominus alii Doctores, Henriq. *lib.7. c.8. n.3.* Suar. *disp.53. sect.4. n.9.* Valent. *disp.7. q.20. punct.5. in fine.* Coninch. *disp.12. dub.11.* Laym. *tract.7. cap.7. n.4. in fine*, prædictam conditionem omnino rejiciunt: & meritò, quippe ad indulgentiæ applicationem solùm requiritur ex parte ejus, cui est applicanda, ne ponat obicem: quia est quædam liberalis donatio, & pœnarum remissio, At eo ipso quo caret peccato, non ponit obicem. Ergo negligentia præcedens obstare non potest, quandoquidem peccatum mortale non constituit. Quòd si de facto mortale fuit, per pœnitentiam deletum est. Neque contrarium docuerunt Aug. & Gregor. sed affirmant non prodesse orationes, & sacrificia eis, qui in vita consequendo gratiam non comparatunt, ut prosint: de hac verò negligentia in satisfaciendo nec verbum locuti sunt.

Præterea alii expostulant, ut animæ defunctorum, quibus indulgentiæ applicantur, eas acceptent: quia est quædam donatio in eorum favorem facta. Sed hæc sententia, si de expressa acceptatione loquatur, falsa est: redderet enim indulgentias defunctorum omnino incertas, cùm incertum sit, an defuncti orationes vivorum, & indulgentiarum applicationes agnoscant. Si verò de acceptatione generali, & habituali loquatur, sustineri potest: quia omnes defuncti in Purgatorio existentes hanc habent voluntatem, ut sibi applicentur, quæ necessaria fuerint, ut à tam gravi pœna liberentur. Aliàs nec suffragia vivorum illis prodesse possent. Adde neque hæc generalis voluntas in rigore requiritur: quia satisfactio Christi, quæ per indulgentiam applicatur, non ipsis defunctis offertur, ut ipsi teneantur acceptare, sed offertur Deo, qui eam acceptans pœnam alioquin defunctis sustinendam remittit: ad quam remissionem opus non est, quod ipsi defuncti concurrant.

Punctum XI.

De cessatione Indulgentiæ.

1. *Indulgentia pro limitato tempore concessa, illo finito, cessat.*
2. *Per revocationem cessare potest, & qualiter facienda sit, ut habeat effectum.*
3. *Qualiter destructo loco indulgentia localis cesset.*
4. *Præter prædictos modos, nullus alius est, quo propriè indulgentia cesset.*

1. QUæ diximus *tractat.3. de legibus, disput.4. à punct.14.* de cessatione privilegii huic instituto deservire possunt, cum indulgentia quoddam privilegium sit à principe concessum.

Triplici tantùm modo invenio indulgentiam cessare posse. Primò, si temporalis sit, seu pro limitato tempore concessa; nam eo finito indulgentia cessat: quia extendi non potest ultra intentionem concedentis. Et idem est, si sub aliqua conditione esset indulgentia concessa, & illa conditio cessaret, arg. text. in cap. *Cùm Capella. de privileg.* cap. *Super literas, de rescript.* & tradit Cordub. *q.36. de indulg. propos.4.* Navar. *notab 31. n.25.* Suar. *disp.57. sect.2. n.2.* Coninch. *disp.12. dub. ult.* in hac parte est aliqua difficultas.

2. Secundò cessare potest per revocationem factam ab eo qui concessit, vel illius successore, vel superiore: quia indulgentia, sicut pendet in fieri à voluntate concedentis, ita in conservari, colligiturque manifestè tum ex Extravag. *Quemadmodum de pœn. & remiss.* & Clem. *Dudum. §. Nos autem, de sepultur.* tum ex usu frequenti Ecclesiæ passim indulgentias revocante. Neque ad hanc revocationem, ut valida sit, requiritur specialis causa: ut verò licitè fiat, præter honestatem finis, qui in omni actione intervenire debet, regulariter aliqua causa adesse debet, quæ specialem Dei cultum, vel Ecclesiæ bonum, vel majorem fidelium fructum respiciat, aliàs Pastor Ecclesiæ non videbitur satis prudenter se gerere, & juxta sui muneris obligationem, & secundùm quod exigit natura beneficii à se facti, quod decet esse mansurum, reg. *decet. de regul. juris, in 6.* levitateque, & inconstantiæ argui poterit. Revocaatio autem non habet effectum quousque in notitiam illorum perveniat, in quorum favorem indulgentia concessa est: quia sic præsumitur esse revocantis voluntas, ne requisita opera ad indulgentiam præstent, & illius fructu fraudentur, uti docet Sylvest. *Verbo, indulgentia, n.17.* Sà *n.9.* Suar. *disp.57. sect.2. n.8. & 9.* Bon. alios referens *disp 6. qu.1. p.ult. n.8.*

3. Tertiò, cessat indulgentia per destructionem loci, in cujus favorem concessa hominibus est: quia nequeunt eam lucrari, nisi eo in loco, estque loco accessoria. Si verò in eodem loco iterum reædificetur, maximè si post destructionem non longum tempus instaurationis intercessit, eadem indulgentia resurgit, quæ tempore destructionis suspensa erat: quia eadem Ecclesia moraliter censetur, quando sub spe ræedificationis destructa fuit, uti docet ex communi sententia Bonac. *disp.6. qu.1. p.ult. n.4.* Suar. *disput.52. sect.1. num.8. & 9.* Excipe tamen, nisi in pœnam delinquentium Ecclesia destruatur: quia eo casu non suspenditur privilegia, sed omnino pereunt, novaque concessione indigent, uti dixit Innocent. *in c.2. de novi operis nunciat.* quem refert Glos. *in reg. privilegium, de reg. juris, in 6.* & tradit Laym. *l.5. sum. tr.7. c.1 n.5.* At si Ecclesia, sive authoritate Superioris, sive de facto destructa in alium locum, sub eodem titulo, & Patrono transferatur ædificanda, communis sententia docet, teste Innocent. & Laym. *supra* & Ludovic. Bonon. *tract. de indulg. n.79.* omnia Privilegia, atque adeò indulgentias transferri. Quod verissimum credo, quando non ratione situs & loci, sed ratione oppidi, religionis, vel Patroni tali Ecclesiæ privilegia concessa sint ut benè notavit Suar. *dicta disp.52. de indul. sect.1. n.9. & lib 8. de legib. c.5. in fine.*

4. Præter hos modos, nullus alius est, quo indulgentiæ concessio propriè cesset, ut bene expendit Suar. *disp.52. sect 2.* Unde indulgentia absolutè concessa non perit morte concedentis quia est gratia, ex textu in cap. *Super gratia, de officio delegat. in 6.* Et quia est beneficium Principis, quod decet esse mansurum teste Bonifac. *in cap. Decet.15. de reg. juris in 6.* ubi Glos. *verbo, Decet,* & *c. fin. de officio delegat. in 6. verbo, Spirare,* & tradit Nav. *not.31.n.25 c. Placuit. de pœn. dist.6. n.161.* Cordub. *lib.5. de indulg. qu.36.*

propoſit. 1. Suar. *dicta ſect.* 2. *n.* 2. Et hæc locum habent non ſolùm in indulgentiis conceſſis à Pontifice; ſed etiam ab Epiſcopo, vel Archiepiſcopo, quinimò à Legato, ejus officio finito, argum cap. ult. *de officio Legati*, & tradit *ibi* Gloſſa. Horum enim poteſtas in indulgentiis concedendis non eſt quoad durationem, ſed ſolùm quoad quantitatem à jure reſtricta: & tradit Navarr. *dicto cap. Placuit*, *numer.* 164. Suarez *ſect.* 2. *numer.* 4. Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancel. Gloſſ.* 12. *n.* 38.

Neque etiam ceſſat Indulgentia, ex eo, quod eidem loco ſimilis conceſſa fuerit, nulla in impetratione mentione prioris facta: quia ob hunc defectum poſterior conceſſio nullius eſt valoris, *juxta reg.* 57. *Cancellariæ*. At prior conceſſio ſalva perſeverat, ut benè Suar. *n.* 12.

Neque item ceſſare poteſt renuntiatione; quia nemo renunciare poteſt: quod ſuum non eſt: Indulgentia enim, antequàm de facto obtineatur, non eſt lucrantis, ſed concedentis, à cujus voluntate pendet; ideóque poterit quilibet renunciare ejus conſecutionem, non tamen poteſtatem lucrandi.

Denique neque ex ceſſatione cauſæ ceſſat indulgentia, ſi cauſa à principio proportionata fuit conceſſioni: quia indulgentiæ duratio non pendet ex durationecauſæ; ſed propter cauſam temporalem indulgentia perpetua concedi poteſt, ſicuti indulgentias unius anni conceditur ob dedicationem Eccleſiæ, quæ uno die finitur: quæ omnia latè pertractata ſunt *dicto loco de privilegiis.*

Punctum XII.

De Jubileo Romano, Compoſtellano, & extraordinario.

§. I.

De natura, & origine Jubilei: & explicatur Romanus Jubileus.

1. *Expenditur nomen Jubilei.*
2. *Jubilei uſus eſt antiquiſſimus.*
3. *Quæ ſit differentia Jubilei ab indulgentia.*
4. *Qualiter Romanus Iubileus conceſſus ſit.*
5. *Quæ contineantur in prædicto iubileo.*
6. *Quod ſit opus injunctum ad hujus jubilei conſecutionem.*
7. *Indulgentiæ plenariæ ſuſpenduntur virtute hujus Iubilei.*
8. *Non ſuſpenduntur indulgentia plenaria, & Iubileus Compoſtellanus.*
9. *Item, omnes facultates, quæ ratione querendæ indulgentiæ conceduntur.*
10. *Indulgentiæ, & facultates Bullæ Cruciatæ non ſuſpenduntur, eſto, aliqui oppoſitum ſentiant.*
11. *Neque ſuſpenduntur facultates abſolvendi, & diſpenſandi Religioſis conceſſæ.*
12. *Aliqui cenſent, ſic ſuſpendi prædictas Indulgentias, facultates, ut indigeant nova conceſſione.*
13. *Verius eſt, ſolo durante anno jubilei ſuſpendi, & abſque nova conceſſione vim obtinere eo anno tranſacto.*
14. *Et ſatis rationi oppoſitæ.*

1. Jubileus, vel, ut aliis placet, Jobeleus, ſignificavit Hebræis annum quinquageſimum remiſſionis, juxta text. *Num. ult.* & *Levit.* 25 & 27. illo enim anno donabantur ſervi libertati, relaxabantur delicta, prædia divendita ad antiquos poſſeſſores reverrebantur, exules in patriam, & priſtinam libertatem redibant, ut habetur *Levit.* 15. Hinc ergo hæc vox Jubilei tranſlata eſt ad tempus gratiæ ſignificandum, ut conſtat ex Iſaiæ *cap.* 61. *n.* 2. juncto Lucæ 4. *num.* 18. Deinde derivata eſt ad ſignificandam remiſſionem, quæ primùm anno centeſimo poſtmodum quinquageſimo: tandem vigeſimo quinto conceſſa eſt viſitantibus Romæ Limina Apoſtolorum Petri, & Pauli: & ex hac ſignificatione omnibus aliis plenariis remiſſionibus Jubilei vox applicatur.

2. Uſus Jubilei ita eſt antiquus, ut initium illius non agnoſcatur: quapropter non improbabiliter Henriq. *lib. de Indulgent. cap.* 15. *numer.* 6. Navar. *notab.* 26. *num.* 1. exiſtimant à tempore Apoſtolorum Petri, & Pauli incepiſſe. Qui autem fuerit Pontifex primus, qui authenticè, & ſcripris conceſſerit Jubileum, incertum eſt. Bonifac. namque VIII.) qui floruit anno 1294. Jubileum centeſimum renovavit, ut colligitur ſatis ex Extravag. *Antiquorum de pœnit. & remiſſionib* ut tradit Navar. *notab.* 7. *num.* 4. Cajetan. *tract.* 15. *cap.* 1. pluribus relatis Henriq. *lib.* 7. *cap.* 4. *litt. H.* Ideóque ante Bonifac. conceſſus erat. Et licèt Navarr. *notab.* 4 *num.* 1. & *notab.* 7. *num.* 4. quem aliqui recentiores ſequuntur, affirmet, eſto, Bonifac. VIII. non fuerit primus, qui Jubileum conceſſerit, fuiſſe tamen primum, qui Jubileum ſcriptis mandavit, verum non eſt: quia Alexand. III. qui floruit anno 1162. ferè centum, & viginti annos ante Bonifac. Bullam expedivit, in qua Eccleſiæ Compoſtellanæ concedit jubileum inſtar Romani, refertque Calixtum II. Eugenium, & Anaſtaſium Pontifices idem conceſſiſſe.

3. Differentia autem inter jubileum & indulgentiam ea eſt, teſte communi ſententia, ut jubileus, ultra indulgentiam plenariam, aliquas facultates contineat; tum abſolvendi à reſervatis, tum diſpenſandi vota, relaxandique juramenta, & ſimilia, ſicuti tradit Navar. *notab.* 8. & 10. Cordub. *quæſt.* 11. Suar. *diſp.* 50. *ſection.* 4. *numer.* 8. Quapropter publicantes indulgentias cautè procedere debent, ne ſub nomine jubilei indulgentiam plenariam publicent: erunt enim occaſio, ut fideles credant, verum jubileum cum facultate abſolvendi à reſervatis eſſe conceſſum, cùm tamen non ſit, ut benè notavit Suarez *dicta ſect.* 4. *num.* 8.

4. Romanum igitur jubileum centeſimo quoque anno conceſſit Bonifac. VIII. *in Extravag. Antiquorum de pœnit. & remiſſ.* Sed Clement. V. *in Extravag. Unigenitus eodem tit.* ad quinquagenarium reduxit. Quam formam approbarunt Urban. V. Martin. V. & Nicol. V. Poſtmodum Paul. II. quem ſequutus eſt Sixtus IV. *in Extravag. Quemadmodum, de pœnitent. & remiſſionib.* reduxit ad annum 25. ſicque reliqui Pontifices confirmarunt, ſpecialiter Gregor. VIII. *in ſua Conſtitutione* 10. quæ incipit, *Dominus, ac Redemptor noſter.* quamque ad verbum refert, & latè expendit Navarr. *notabilibus* 32. & *ſeqq.* Congruentiæ autem harum reductionum, & mutationum videri poſſunt *in ſuprad. Extravagat. Antiquorum Unigenitus* & *Quemadmodum* & ex Gloſſa *ibi.*

5. Favor, qui in prædicto jubileo continetur, eſt indulgentia pleniſſima omnium peccatorum, facultas verò abſolvendi à reſervatis, commutandi vota, & componendi ſuper malè ablatis incertis illicitóve contractu acquiſitis, etſi expreſsè in ſupradictis Bullis non habeatur, colligitur tamen ſatis ex ſuſpenſione, quæ habetur in Extravag. *Quemadmodum.* ubi ſuſpenduntur facultates commutandi vota, aut ſuper eis diſpenſandi: nec non ſuper iniquè ablatis componendi, aut ea quomodolibet remittendi, itémque deputandi Confeſſores cum poteſtate abſolvendi à reſervatis, quæ certè non ſuſpenderentur, niſi per jubileum conceſſæ eſſent, & illius conſecutioni obſtarent. Idque probat praxis, & uſus Romanæ Eccleſiæ. Opus autem, quod injungitur, ut neceſſaria conditio pro jubileo conſequendo, eſt viſitatio Baſilicæ Apoſto-

lorum

lorum,non utcunque,sed per triginta dies,sive continuos,sive interpolatos,si Romani,seu incolæ fuerint : si autem forenses , seu peregrini, per quindecim dies. Cavetur tamen in supradictis Bullis, & est favor specialis,non impediri ab hujus jubilei consecutione qui post iter inceptum impeditus fuerit Romam adire,vel in ea existens Ecclesiam Apostolorum visitare. Tandem,ne fideles ab hac tanta gratia consequenda detineantur , omnes aliæ indulgentiæ, & facultates, quæ consecutionem hujus jubilei retardare possunt , suspenduntur.

Circa favorem in prædicto jubileo concessum, nihil occurrit notandum. Nam ex dictis *in hoc tract.* constat, qualiter indulgentia plenissima omnium peccatorum remissionem contineat. Qualiter verò potestas commutandi vota, aut super eis dispensandi, componendi malè ablata , absolvendi à reservatis intelligatur , ex usu , & consuetudine Romanæ Curiæ petendum est.

6. Opus verò quod injungitur est, ut Romani,seu incolæ Basilicas Apostolorum Petri , & Pauli , & Sancti Joannis Latenarensis , & Sanctæ Mariæ majoris Ecclesias semel in die per triginta dies continuos, sive interpolatos devotè, & reverenter visitent,ac pro ipsorum , totiúsque populi Christiani salute pias ad Deum preces fundant. Formam precum non determinat Pontifex: ideóque cujusvis voluntati, & devotioni remittitur. Si verò fuerint forenses , & peregrini per quindecim dies. Sic expressit Gregor.XIII. *in sua Bulla.* Ex quibus constat,ampliùs à Greg. requisitum esse , quàm fuit requisitum à Bonifac. XIII. Clement. VI. & Sixto IV. Etenim ab iis sola visitatio Basilicæ Apostolorum requisita erat : at à Gregorio addita fuit visitatio Ecclesiæ S. Joannis, & S. Mariæ; & insuper , ut in singulis preces piæ ad Dominum effundantur , non ut cunque , sed ad minus semel in die.Quapropter huic obligationi non satisfaceret,qui unam ex illis Ecclesiis aliquo die visitandam omitteret , tametsi sequenti die eam bis visitaret , ut rectè Navarr. *notab.*32. *n.*41. Nomine, *Romani*, non debent intelligi , qui à Roma originem , & ortum habent : neque incolæ intelligendi sunt, qui domicilium propriè Romæ obtinent , sed illi veniunt intelligendi, qui ad longum tempus, scilicet, per annum, sive certum,sive incertum,Romæ commorantur,esto,animum non habeant ibi perpetuò manendi,sed potiùs voluntatem habeant recedendi. Econtra verò forenses, seu peregrini censendi sunt, qui, esto, à Roma originarii sint,ibi habitant ad breve tempus insufficiens sanè,ut prudentis arbitrio habitatores dicantur ibique conveniatur. Igitur Romani verè pœnitentes, & confessi per triginta dies continuos , sive interpolatos visitantes prædictas quatuor Ecclesias semel in die , & advenæ , seu peregrini per quindecim, plenissimam indulgentiam consequuntur. Quòd si iterum, & iterum hoc opus injunctum reperierint , toties eandem indulgentiam consequentur , ut *ex supradictis* evidentissimè constat , & optimè probat Navarr. *notab.*32. *num.*46.

7. Circa suspensionem indulgentiarum , & facultatem, adverte, non quaslibet indulgentias,sed solùm plenarias , etiam adinstar jubilei concessas à Sede Apostolica , vel illius authoritate suspendi , ut constat ex Extravag. *Quemadmodum.* & ex Bulla Gregor. XIII. quæ incipit, *Quoniam sancti jubilei*, quam ad verbum refert Navarr. *notab.*53. *de indulg.* Et licèt ex Extravag. *Quemadmodum.* Indulgentiæ plenariæ singularibus personis concessæ , suspensæ non erant : at ex Bulla Gregorii omnes suspenduntur : inquit enim : *Nos pro consequenda eo anno indulgentia , quæ dictis litteris expressa est , multorum Romanorum Pontificum morem sequuti , de Apostolicæ potestatis plenitudine suspendimus ad nostrum , & Sedis Apostolicæ beneplacitum omnes , & quascunque indulgentias plenarias, etiam ad instar jubilei , & earum causa facultates , concessiones , & indulta quæcumque à nobis , & dicta Sede, ejúsque authoritate quibuscunque Ecclesiis , & Monasteriis utriusque sexus , ac Conventibus, Domibus , Congregationibus , Hospitalibus , & piis locis , nec non Ordinibus etiam Mendicantium , ac Militarium , nec non Confraternitatibus , & Universitatibus , earúmque , & aliis cujusque dignitatis , gradus , & conditionis, personis Ecclesiasticis , & sæcularibus , per universum orbem constitutis , etiam per modum communicationis, extensionis , & aliàs quomodocunque perpetuò , vel ad tempus , quibusvis modis , & ex quibusvis causis concessas , & concessa quibuscunque illa sint concepta formulis , ac restitutionibus , revocationibus mentis , attestationibus , aliisque clausulis , & decretis communita. Decernentes interim illa , & litteras desuper confectas nulli prorsus suffragari debere , necnon irritum , & inane quidquid secus per quoscunque contigerit attentari : Indulgentiis Basilicarum , & aliarum Ecclesiarum urbis nihilominùs in suo robore duraturis.* Præcipiturque , ne aliæ indulgentiæ *interim* publicentur, aut in usum demandentur , sub excommunicationibus pœna ipso facto incurrenda , *non obstante* , &c. Efficitur ergo omnes indulgentias plenarias,præter eas, quæ Romæ obtinentur, suspendi ; omnes, inquam, indulgentias plenarias in favorem vivorum concessas : nam hæ obstare possunt jubilei concessioni. Secùs verò indulgentias plenarias , quæ per modum suffragii defunctis applicari possint : quia harum consecutio jubilei consecutionem non retardat, uti notavit Laym. *lib.*5. *sum. tract.*7. *ult. in princ.*

8. Ab hac tamen exceptione generali excipitur indulgentia plenaria , & jubileus Compostellanus ex Brevi quodam Sixti V. dato Romæ 15.April. anno 1589. qui in Ecclesia Compostellana habetur, in quo inquit Pontifex , authoritate Apostolica , tenore præsentium , declaramus suspensionem per prædictum Gregorium ratione anni Jubilei factam , à fine dicti anni expirasse , & aliquod prædictis indulgentiis vestræ Ecclesiæ juxta formam Concilii Trid. concessis non generasse impedimentum : & propterea Christi fideles eandem Ecclesiam piè , & devotè visitantes illis omnibus perpetuò frui , & gaudere potuisse in omnibus , & per omnia, prout ante dictam suspensionem ex concessionibus prædictorum prædecessorum , ut præfertur , frui , & gaudere poterant, & prout usi,& gavisi fuerunt,non obstante suspensione prædicta cæterisque contrariis quibuscunque,&c.

9. Præterea suspenduntur omnes facultates , & indulta quæcunque causa indulgentiæ plenariæ quærendæ concessa, qualia reputantur illa tantùm , quorum sit mentio in Extrav. *Quemadmodum*, scilicet,facultas eligendi Confessarium cum potestate absolvendi à reservatis, censuris, & aliis pœnis, commutandi vota , vel in eis dispensandi, remittendi, seu componendi malè ablata : hæc enim frequenter concedi solent gratia consequendi jubileum , & moraliter necessaria sunt illius commodæ consecutioni.Quapropter facultates eligendi Confessorem , absque illa qualitate absolvendi à reservatis , non suspenduntur, neque item, quæ habentur cum illa qualitate, modò non sint à Pontifice , vel ejus authoritate concessæ, sed concessæ sint Episcopis , aliisque Prælatis authoritate ordinaria utentibus. Deinde facultates remittendi , vel componendi incerta , si malè ablata non sint,nec denique aliæ facultates , & indulta edendi ova,& lacticinia tempore Quadragesimæ,celebrandi in altari portatili extra Ecclesiam, vel tempore interdicti , & similia , ut rectè notavit Navar. *notab.*28. *per totum.*

10. Sed , an ex supradicti revocatione censeantur suspensæ indulgentiæ plenariæ,& facultates commu-

tandi vota, & componendi incerta malè ablata, absolvendique à reservatis in Bulla Cruciatæ concessæ, difficultate non caret. Navarr. *dicto notab.28. n.7.* credit suspendi. Nam esto, concessa in remunerationem, vel ob causam onerosam, pretióque aliquo interveniente regulariter tolli non possint; benè tamen causa justa intercedente, etiam non reddito pretio, uti diximus *tract. de legib. disp.4. part. ult.* Sed in præsenti non tollit Pontifex indulgentias, & facultates prædictas, sed suspendit: quod longè minus est. Potest ergo id præstare hac causa justissima intercedente, scilicet, ut Romanorum jubileum majori cum aviditate, devotione, fideliúmque concursu obtineatur. Quod autem de facto id præstiterit Pontifex, indicant illa verba generalia: *Omnia indulta quovis modo, quibúsque causis, & quomodolibet concessa.* quæ comprehendere videtur concessa per contractum, & in remunerationem. Nihilominùs *praedicto pun. ult. §. . n.3.* pluribus relatis firmavi indulgentias, facultates, & gratias concessas in Bulla Cruciatæ non suspendi anno jubilei Romani, eò quòd ad horum suspensionem non videatur sufficere clausula illa generalis, sed necessariò exprimi debeat modus concessionis per contractum, vel remunerationem.

11. Deinde dubitari potest, an facultas absolvendi à reservatis, & commutandi vota Religiosis concessa virtute hujus jubilei suspensa sit? Videtur enim vera pars affirmans, cùm sint à Sede apostolica personis singularibus concessa, vel concessa Communitati Religiosorum, & reservatio facta sint omnium facultatum à Sede apostolica concessarum, tum singularibus personis, tum Communitatibus, tum locis piis. Nihilominus contrarium est dicendum ex praxi, consuetudinéque recepta: quippe hæc facultas esto singulis Religiosis concedatur, conceditur, tamen in favorem totius Religionis, & in maximum Ecclesiæ bonum. Non igitur censeri debet revocata ex clausula generali, nisi illius facta fuerit expressa mentio. Atque ita docet Henriq. *l.7 c.28. n.7.* & *c.21. n.3. in commento, litt. R.* Sanch. *lib.4. de voto, c.14. in fine*, & probabile reputat Navar. *de indulg. notab.28. in fine.*

12. Porrò existimat Navarr. *d. notab.28. à n.27. & notab.33. in fine* Zerola *verbo, Annus sanctus §. Ad 3.* Rodrig. *in explicat. Cruciatæ. §.10. dub 6.* indulgentias plenarias, facultates anno jubilei suspensas, indigere nova confirmatione, ut transacto anno jubilei prosint. Moventur satis efficaci ratione: quia, ut constat ex suprad. Extravag. *Quemadmodum*, & ex Bulla Gregor. XIII. suspensio fit ad beneplacitum Pontificis: ergo quousque ipse Pontifex moriatur, vel voluntatem mutet, suspensio perseverat. Neque obstat dicere, finito anno cessare causam suspensionis, quæ fuit, ne fideles retraherentur à Romana peregrinatione, scientes alias indulgentias plenarias absque ullo labore consequi posse: quia suspensio, & revocatio indulgentiarum non pendet in conservari à perseverantia finis, sed ob finem brevi tempore transeuntem, potest revocatio esse perpetua, sicuti de indulgentiarum concessione diximus. Præterquam quòd perseverat finis, etiam finito anno jubilei. Nam, si scirent fideles, eo anno finito posse statim plures indulgentias plenarias consequi, spe illarum consequendarum abstinerent à consequendo Romano jubileo difficili, & laborioso.

13. Cæterùm verius est, non solùm jure novo spectato, sed etiam antiquo, solo durante anno jubilei indulgentias, & facultates suspendi. Sic docet Laym. *lib.5. tum. tr.7. c.8. n.2.* Moveor ex praxi, usuque recepto publicandi indulgentias finito anno, absque ulla Pontificis renovatione, quod tamen nullatenus facerent viri alioquin religiosi, & docti, si crederent, suspensionem perseverare. Et quidem si spectemus Bullam ultimam suspensionis, quam Urban. VIII. anno 1625. edidit, res videtur indubitata, cùm expressè dixerit *durante eo anno.* At, si spectemus Bullam Greg. & Extrav. *Quemadmodum*, esto difficilius appareat finiri suspensionem anno finito: at satis probabiliter id conjectare possumus ex eo, quod Sixtus IV. qui fuit author hujus suspensionis, in Extrav. *Etsi Dominici.* edita ab ipso quinque annis post suspensionem factam, supponit plurimos, tum singulares personas, tum Communitates habere facultates absolvendi à reservatis, illisque uti, & indulgentias plenarias quærendi: siquidem eas facultates restringit: quod fieri non posset, si omnes indulgentiæ, & facultates à Sixto, Sedéque apostolica concessæ suspensæ perpetuò fuissent. Item Greg. XIII. præcipiens, ne aliæ indulgentiæ publicentur, aut in usum demandentur, addidit adverbium, *interim*, quod manifestè indicat prohibitionem solo anno jubilei durare, illóque transacto finiri, posséque indulgentias, sicut ante ipsum annum jubilei, publicari.

14. Neque ratio contraria urget: nam esto, beneplacitum absolutè sumptum duret usque ad mortem, vel illius revocationem, secùs est de bene placito, quod ad limitatum tempus restringitur, quale præsumitur *ex supradictis* præsens: præstant enim illa verba hunc sensum: Suspendimus omnes indulgentias, facultates, & indulta, durante hoc anno, ad nostrum beneplacitum, ne, inquam, absque beneplacito nostro uti illa facultate aliquis possit, neque ullam indulgentiam obtinere. Quod tamen beneplacitum aliquando solet Pontifex habere, sicuti habuit Urbanus VIII. anno 1625. erga Societatis Jesu Religiosos in articulo mortis constitutos, quibus illo anno jubilei permisit indulgentiam plenariam obtinere juxta suæ Religionis privilegia.

§. II.

Compostellanus Jubileus explicatur.

1. *Statuitur forma concessionis hujus jubilei.*
2. *Commorantes Compostellæ, sicuti advenæ, obtinere jubileum possunt.*
3. *Cùm festum S. Iacobi incidit in Dominicam, & jubileus toto anno durat, non tenentur incolæ per triginta dies visitare Ecclesiam, ut indulgentiam obtineant, sed semel tantùm sufficit.*
4. *Qui non visitant Ecclesiam D. Iacobi, non obtinent indulgentiam.*
5. *Iubileus Compostellanus non suspendit, sicut Romanus, gratias, & facultates.*
6. *Pluries eodem anno obtineri potest hic Iubileus.*
7. *Potestas absolvendi à reservatis extenditur ad reservata Episcopis, & religionum Prælatis, nisi nova concessione limitata fuerit.*
8. *Negant aliqui extendi ad contenta in Bulla Cœnæ.*
9. *Verius videtur oppositum.*
10. *Est satis oppositæ rationi.*
11. *Virtute hujus jubilei non videtur vota commutari posse.*

1. ALexander III. Pontifex Maximus anno millesimo sexcentesimo septuagesimo, 7. Kal. Julii, Bullam expedivit, quæ incipit, *Regis æterni.* in qua primùm refert, Calixtum II. suum prædecessorem, concessisse omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, verè pœnitentibus, & confessis, Ecclesiam S. Jacobi in Compostella visitantibus, in anno, in quo festum ejusdem S. Jacobi in Dominica venerit, à vigilia Circumcisionis, & per integrum illum annum, usque ad diem ejusdem Circumcisionis, & per totum diem in fine illius anni in diebus, quibus magis ei placuerit visitare, ut omnes & singulas illas peccatorum indulgentias, & remissiones, etiam plenarias,

quas

quas visitantes Ecclesias, & Basilicas urbis, & extra urbem Romæ anno Jubilei consequebantur, cum facultate deputandi Confessores, qui ad dictam Ecclesiam pro consequenda indulgentia hujusmodi confluentes, etiam in casibus apostolicæ sedi reservatis absolverent, ac etiam eisdem Christi fidelibus in ejusdem S. Jacobi, & translationis corporis sui, ac dedicationis ejusdem Ecclesiæ festivitatibus Ecclesiam prædictam à primis vesperis usque ad secundas vesperas, & per totum diem inclusive devotè visitantibus annuatim, ut plenariam indulgentiam omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, consequerentur perpetuis futuris temporibus duraturam concessisse. Postmodum ipse Alexander III. Inquit: *Nos igitur ad hoc prædecessorum nostrorum sanctæ memoriæ ejusdem Calixti Papæ, ac Eugenii, & Anastasii vestigiis inhærentes, ad gloriam omnipotentis Dei, totiusque religionis Christianæ augmentum, quæ ipsius gloriosum Apostolum ad ejus Ecclesiam Compostellanam hujusmodi devotionis causa de diversis mundi partibus, dimissis parentibus, amicis, liberis, patria, ac aliis temporalibus bonis, per mare, terramque continuè confluunt, in numero copioso, quique animarum salutem supremis desideramus affectibus, & dignis, volumus honoribus frequentari, & ut ipsi Christi fideles in eadem se recognoscant Ecclesia Christi muneribus refectos, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, ejus authoritate confessi, omnes, & singulas prædictas indulgentias, & jubileum ipsum eodem modo, & forma, quo Romana Ecclesia habet, etiam se lætetur Compostellana Ecclesia pro singularis Beati Jacobi devotione tenere, anno, videlicet quo, ut præfertur, Festum dicti Apostoli Iacobi in Dominica venerit, & per totum annum integrum, ut præmittitur, nec non in diebus illis, scilicet, Sancti Iacobi, & translationis corporis sui, & dedicationis ejusdem Ecclesiæ plenariam indulgentiam annuatim consequantur visitantes prædictam Ecclesiam, ut præfertur. Authoritate Apostolica, & ex certa scientia approbamus, roboramus, & communimus, ac perpetuæ firmitatis robur tenere in perpetuum decernimus: & insuper illas de novo eisdem modo, & forma in omnibus, & per omnia, ut suprà, concessum fuit, concedimus & indulgemus, & perpetuis volumus futuris temporibus duraturas, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis.*

2. Circa intelligentiam prædicti jubilei aliquot difficultates enodandæ sunt. Prima, an commorantes Compostellæ prædictum jubileum obtinere possint? Rationem dubitandi dederunt ea verba Alexandri, quibus motus fuit ad hanc indulgentiam concedendam; scilicet quòd ex diversis mundi partibus multi ad visitandum corpus D. Jacobi, devotionis causa, confluunt, quæ in incolis non videntur procedere. Sed omnino dicendum est, æquè incolas, ac peregrinos prædictum jubileum obtinere posse, omnibúsque commune esse. Tum quia in prædicta Bulla generaliter dictum est: *Omnibus & singulis utriusque sexus fidelibus*, & paulò inferiùs. *Et ut ipsi Christi fideles.* Tum quia hic jubileus concessus est ad similitudinem Romani, & eodem modo, & forma, saltem quoad extensionem Indulgentiarum, & quoad personas, quibus communicandæ sunt. Jubileum autem Romanum non solùm exteri, sed incolæ obtinere possunt: ergo etiam hoc jubileum. Tum quia beneficium Principis latè debet interpretari, præcipuè cùm nulla adest causa restrictionis: nam esto, finis concessionis fuerit peregrinorum concursus; concessio tamen communis, & absoluta fuit: quia augmentum devotionis in D. Jacobum non solùm ex peregrinorum concursu, sed ex incolarum devota visitatione provenit. Adde, esse rationi dissonum, ut incolæ privarentur fructu spirituali, qui peregrinis, de exteris conceditur.

3. Secunda, an anno, quo S. Jacobi festivitas venerit in Dominica, teneantur Compostellani per triginta dies continuos, vel interpolatos, & exteri peregrini per quindecim, ejus Ecclesiam visitare? Et ratio dubii est: quia Alexander III. concessit eo anno Compostellanæ Ecclesiæ jubileum eo modo, & forma, quo Romana Ecclesia habet. Sed Romana Ecclesia obligat Romanos visitare Ecclesias per triginta dies, & peregrinos, & forenses per quindecim. Ergo idem in Compostellana Ecclesia fieri debet. Cæterùm omninò dicendum est, sufficere, si semel contriti, & confessi Ecclesiam D. Jacobi visitaverint: quia neque Calixtus, neque Alexander illam trigesimam, seu quindecimam visitationem expostularunt, sed solam visitationem, quæ necessariò de una vice intelligi debet, argum. leg. *Boves* §. *Hoc sermone. ff. de verbor. significat.* ubi sermo simpliciter prolatus de prima vice intelligitur, & uno actu perficitur, & consummatur, ut tradit Curtius Junior *cons.* 132. *Sacratissime. col.* 1. Joan. *cons.* 36. *In causa mota, col. ult. vers. Ita respons. lib.* 3. Alexand. *cons.* 16. *Breviter in casu præmisso col.* 2. *n.* 9. *lib.* 4. Neque obstat ratio dubitandi: quia illa verba, *eodem modo, & forma*, intelligenda sunt quoad extensionem indulgentiarum, & facultatum, quæ in jubileo Romano conceduntur, ut colligitur manifestè ex illis verbis: *Omnes, & singulas prædictas indulgentias, & jubileum ipsius eisdem modo, & forma, quo Romana Ecclesia habet*, non verò quoad modum, & formam, quo Jubileus Romanus obtineri debet, præcipuè cum ille modus, & forma statutus non fuerit tempore, quo Compostellanum concessum fuit.

4. Hinc fit, peregrinos, qui ad Ecclesiam D. Jacobi visitandam non potuerunt accedere, eò quod in itinere morte præventi fuerint, & religiosos perpetuam clausuram observantes, aliósque in carceribus detentos, nequaquam prædictam indulgentiam obtinere posse: quia non exequuntur opus injunctum, scilicet, Ecclesiæ D. Jacobi devotam visitationem. Neque obstat, jubileum Romanum prædictis itinerantibus impeditis concedi: quia id fuit favor specialiter factus à Clement. VI. *in Extravag. Unigenitus.* & ab aliis Pontificibus successoribus, cujus tamen favoris Alexander III. non meminit, neque eo tempore concessus erat.

5. Secundò fit jubileum Compostellanum nullas alias gratias, aut facultates, tum Communitatibus, tum singularibus personis concessas suspendere: quia hæc suspensio non fuit annexa Romano jubileo, tempore, quo Compostellanus concessus fuit, neque Compostellanus Romano est similis, nisi in indulgentiis, & facultatibus, non in restrictionibus extrinsecis.

6. Tertia an anno jubilei possint, tam incolæ quàm peregrini, visitantes Ecclesiam, sæpius eundem jubileum obtinere, sæpiusque à reservatis absolvi? Et dicendum est, posse, sicuti diximus de jubileo Romano: quod satis indicavit Alexander dicens, *In diebus, quibus eis placuerit.* Cùm enim non dixerit, in die, sed *in diebus*, tacitè significavit, pluribus diebus obtineri indulgentiam posse, & non uno die tantùm, atque adeò sæpius, argum. textus, injuncta Gloss. in leg. *Qui plures. ff. de vulgar.* leg. *Sed restituatur. §. fin.* 11. *ff. de judic.*

7. Quarta, an potestas eligendi Confessarium, qui à reservatis Pontifici absolvat, extendatur ad absolvendum à reservatis Episcopis, & religionum Prælatis? Et omninò dicendum est extendi, nisi specialiter postmodum fuerit prohibitio expedita, quia Alexander III. concedit facultatem eligendi Confessarium, qui absolvat etiam in casibus Sedi apostolicæ reservatis: ergo in reservatis aliis Prælatis à fortiori

poterit absolvere. Notanda enim est dictio illa, *tiam*, quæ implicativa est, & ponit casum magis dubitabilem supponit, leg. *Etiam. Cod. Si tutores, vel curatores. Clement. Religiosus de præscript. Clement. unic §. fin. de supplend. neglig. Prælat.* & *Clement Nolentis. de hæretic.* & tradit *in dicta Clemen.* Zabarella & Paris. *cons.*56. *n.*9. *& cons.*65. *n.*18. & *cons.*68. *n.*69. *volum.*1. & *cons.*41. *n.*5. *volum.*4. Menoch. *de recuperand. possess. n.*256. & alii.

8. Quinta, an hæc potestas absolvendi à Pontifici reservatis, extendatur ad contenta in Bulla Cœnæ? Ratio dubii est: quia hujusmodi casus habent specialem gravitatem, ac reservationem, ob quam dixi *tract. de fide* non comprehendi sub generali concessione alicui facta absolvendi à reservatis Sedi Apostolicæ, sed requiri specificam, & expressam horum casuum mentionem, uti post alios tradunt Suar. *de censur. disp.*7. *sect.*5. *n.*11. Graffis *lib.*4. *decis. cap.*15. *n.*76. & *cap.*18. *n.*2. Eman. Rodriquez. *in addit. ad Bullam Cruciatæ*. § 9. *n.*64. Ugolin. *de censur. tab.*1. *c.*10. §.4. *n.*7. Flechilla *de excommun.*4. *p. art.*1. *n.*7. *ad fin. primi dubii.* Et confirmari efficaciter potest ex Extrav. *Esi Domin.*1. *&* 2. *de pœnit. & remiss.* ubi expressè dicitur, in generali concessione casuum reservatorum non intelligi casus Bullæ Cœnæ.

6. Nihilominùs satis probabile existimo, virtute jubilei Compostellani, & à fortiori Romani à casibus Bullæ Cœnæ absolvi posse. Moveor, ex eo, quòd casus Bullæ Cœnæ multos post annos à concessione jubilei Compostellani fuerunt reservati. Nam primus, qui in Vaticana Bibliotheca reperitur hos casus reservasse, fuit Greg. XI. qui floruit circa annum 1370. prout refert Tolet. *lib.*1. *instr. Sacerd. c.*18. At jubileum Compostellanum concessum fuit ab Alexandro III. & à Calixto, & Anastasio, ejus antecessoribus. Quod cum ita celeberrimum fuerit, non est præsumendum, Pontificem restrinxisse. Quod maximè verisimile apparet, cùm omnis lex, statutum, & dispositio semper futuros casus; & non præteritos respiciat, nisi præteritorum specialem, & expressam faciat mentionem eo textu in leg. *Leges, & constitutiones. Cod. de legib.* ibi: *Leges, & constitutiones futuris certum est dare formam negotiis, non ad facta præterita revocari, nisi nominatim, & de præterito tempore, & adhuc pendentibus negotiis causa sit.* Idem colligitur ex leg. *Non dubium. Cod. eod. leg. fin de testam. c.*2. & *c. fin. de cons.* & tradit Federicus de Senis *cons.*253. *in princ. n.*2. Ergo constitutio, & lex disponens, ne sub generali concessione casuum reservatorum comprehendantur casus Bullæ Cœnæ Domini, intelligi non debet de concessione facta in jubileo Compostellano, quæ prior fuit, cùm illius expressum non fecerit mentionem. Deinde, quia clausula generalis non derogat speciali antecedenti, cujus expressa mentio facta non est, argum. textus in c.2. *de dolo, & contumacia.* cap. *Caterum. de rescript.* & tradit Cardin. Tuscus *litt. P. concl.*752. Denique non est præsumendum, hanc fieri reservationem illis, qui tanto labore Ecclesiam D. Jacobi ex remotissimis Orbis partibus visitandam accedunt. Hinc tamen non infer es, posse virtute hujus jubilei absolvi: crimen enim hæresis ita est execrabile, ut numquam fuerit sub generali concessione casuum reservatorum contentum, uti tradunt Covarr. *in cap. Alma mater. t. p. §.*11. *n.*15. Navarr. *cap.*27. *num.*275. Guttier. *lib.*1. *cap.*13. *n.*26. Garcia *de benefic.*11. *p cap.*10. *num* 109. Henriq. *lib.*3. *cap.*16. *num.*2. & *lib.*7. *cap.*13. *num.*1. & *lib.*13. *cap.*27. *num.*5. Suar. *de censur. disp.*7. *sect.*5. *num.*12. &

10. Ratio dubitandi ex probatione conclusionis soluta est. Ad confirmationem respondeo, Paul. II. & Sixtum IV. *in supradictis Extravag.* locutos esse de concessionibus à se factis, & in posterum faciendis, ut ex textu constat, ac proinde casus Bullæ Cœnæ in iis non comprehendi. Secùs est de concessione facta ante ipsarum Extravagantium Constitutionem, expeditionémque Bullæ Cœnæ, qualis est concessio jubilei Compostellani, & Romani.

11. Sexta, an præter potestatem absolvendi à reservatis, concedat hic jubileus potestatem commutandi vota? Videtur enim concedere: siquidem est instar Romani, in quo conceditur potestas vota omnia commutandi, excepto voto Jerosolymitano, castitatis, & religionis, teste Glossa magna *in Extrav. Antiquorum. prope finem. de pœnitent. & remissionib.* Præterea jubileus ex sua natura continet potestatem commutandi vota, sicuti & absolvendi à reservatis, & ratione harum potestatum ab indulgentia distinguitur, uti affirmat Jacob. de Graffis *lib.*5. *casuum conscient. c.*15. *n.*29.

Sed verius oppositum censeo, non posse, inquam, virtute hujus jubilei vota illa commutari: nam esto in Romano jubileo post Extravag. *Antiquorum.* & *Quemadmodum*, censeatur hæc facultas concessa: tempore autem, quo Compostellanus concessus fuit, non constat concessam fuisse. Quinimò ex Bulla Alexand. III. non leviter colligitur, eo tempore nullam potestatem commutandi vota concessam esse Romano jubileo: siquidem affirmans se concedere Compostellanæ Ecclesiæ omnes, & singulas indulgentias, & jubileum ipsius eodem modo, & forma, quo Romana Ecclesia habet, solùm meminit potestatis absolvendi à reservatis, sub qua dispensatio, & commutatio votorum nullo modo continetur. Ergo signum est, hanc potestatem in Romano jubileo tunc non viguisse, sicuti nec vigebat facultas componendi, seu remittendi incerta malè ablata. Quòd verò postmodum hæ facultates Romano jubileo additæ fuerint, non probat Compostellano addi, quia Compostellanus concessus est ad instar Romani tunc existentis, sed non futuri.

§. III.

De Jubileo extraordinario qui pro duabus hebdomadis conceditur.

1. *Expenditur modus concessionis hujus jubilei.*
2. *Quæ necessaria sint ad illius consecutionem ex communi sententia.*
3. *Atqui existimant, te bis obtinere hunc jubileum posse.*
4. *Sed oppositum verius est.*
5. *Obtento jubileo in prima hebdomada, negant plures, te absolvi posse in secunda à reservatis, si in ea incideris.*
6. *Satis probabile est oppositum.*
7. *Tempore jubilei commutationem votorum facere potes reservanda designationem naturæ subrogatæ in aliud tempus.*
8. *Si manifestata sunt vota tempore jubilei, dilatáque est commutatio ob causam, postmodum fieri potest.*
9. *Etiam vota oblata transacto tempore jubilei commutari possunt.*
10. *Potes obtinere absolutionem à reservatis, & commutationem votorum, antequàm alia opera in jubileo injuncta exequaris.*
11. *Obtenta absolutione à reservatis, & votorum commutatione, si non consequeris jubileum, non reincidis.*
12. *Et, qui jubileum non fuit consecutus, nequeunt transacto tempore jubilei vota commutari, aut absolutio à reservatis concedi.*
13. *Obtenta absolutione à reservatis, vel votorum commutatione, teneris in probabili sententia sub gravi culpa jubileum quærere. Sed rectiùs alii negant.*

14. *Non*

14. *Non est opus, prædictam votorum commutationem in confessione fieri.*
15. *A reservatis commissis fiducia jubilei plures negant te absolvi posse.*
16. *Rectiùs alii affirmant.*
17. *Fit Satis oppositæ rationi.*
18. *Omnia opera pro consecutione hujus jubilei in eadem hebdomada præstari debent ex securiori sententia.*
19. *Verius est fieri posse in duplici illa hebdomada.*
20. *Satisfit oppositæ rationi.*
21. *In quolibet loco obtinere jubileum potes.*

1. POst annum Romanum jubilei, post coronationem Pontificis, & præcipuè cùm Ecclesia aliqua gravi persecutione, & labore urgetur, solet Pontifex concedere his, qui processionibus ab Ordinario indictis assistunt, vel Ecclesias, seu Ecclesiam ab ipso designatam visitaverint, ibique preces pro exaltatione fidei, & hæresum extirpatione, Principúmque Christianorum pace, & concordia devotè fuderint, sacrámque Eucharistiam primo, vel secundo Dominico, vel alio die ex dictis duabus hebdomadis susceperint, eleemosynámque, pro cujusque devotione tribuerint, jejunaverintque feria quarta, sexta & sabbatho unius ex duabus hebdomadis, indulgentiam plenariam, sicuti in anno sancto jubilei Romani. Quòd si aliquis ob infirmitatem, vel professionem, aliámve causam non potuerit prædicta exequi, conceditur facultas Confessori, omnia, & singula in opus pium, prout sibi visum fuerit, commutandi. Deinde prædicto Confessori ab Ordinario approbato, delegatur potestas absolvendi ab omnibus censuris, & pœnis à jure, vel ab homine in foro conscientiæ, & quibuscunque criminibus quantumvis gravibus, etiam contentis in Bulla Cœnæ. Denique datur facultas commutandi quælibet vota, excepto voto castitatis, & Religiosis.

Pro explicatione prædicti jubilei aliqua præmittenda sunt in quibus Doctores conveniunt: deinde dissolvenda, in quibus dissentiunt.

2. Pro consecutione jubilei tibi necessarium est, processioni assistere; vel Ecclesiam, seu Ecclesias designatas devotè visitare, & preces ibi fundere pro augmento fidei, hæresum extirpatione, Christianorum Principum pace. Deinde debes eleemosynam tribuere, non qualem exigit tuus status, (etsi id conveniat;) sed tuæ devotioni commensuratam, ut benè notavit Eman. Saà *verbo, indulgentia, n.* 4. Item, opus tibi est, feria, quarta, sexta, & sabbatho jejunare, esto adolescens sis, vel senex: quia hoc non est præceptum, sed consilium pro concessione indulgentiæ requisitum, ut benè Layman. *tract.* 7. *c.p.* 8. *du* 8. Et licet regulariter, cùm aliquod opus pœnale injungitur, non veniat intelligendum opus pœnale aliàs debitum, sed opus pœnale liberaliter factum: at in hujusmodi jubileo consuetudo obtinuit executione operum aliàs debitorum fieri satis, cùm sæpè videamus prædictum jubileum publicari in hebdomada quatuor Temporum, & in Quadragesima, & in hebdomada sancta. Quapropter Communione paschali, & jejuniis ex præcepto debitis, & debitis ex voto te posse jubileum obtinere, uti dixit Henriquez *lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 5. Paulus Comitol. *lib.* 1. *qq. moral. q.* 38. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 7. *cap.* 8. *in fine, dub.* 6. *num.* 13. Præterea teneris communicare primo Dominico, vel alio die sequentis hebdomadæ. Pro quo adverte, ad communionem suscipiendam, Ecclesiam visitandam, eleemosynamque concedendam, tres dies Dominicos in hoc Jubileo tibi esse concessos: nam, cùm prædictus jubileus spatio duarum hebdomadarum duret, seu, ut aliis placet, quindecim diebus, & Dominica dies non solùm sit principium sequenti heqdomadæ, sed finis præcedentis; medium enim est inter utramque hebdomadam; fit sanè tres Dominicas in prædicto spatio contineri: sicuti advertunt Henriq. *lib.* 7. *cap.* 10. *n.* 8. Benzon. *lib.* 4. *cap.* 2. *differen.* Layman. *tract.* 7. *cap.* 8. *n.* 7. *dub.* 2. Quinimo, si diligentias feceris secunda Hebdomada, affirmant Henriq. & Layman. te Communionem differre posse in aliquem diem tertiæ hebdomadæ sequentis: quod mihi nullo modo probatur: quia Gregorius XII. Paulus V. & Urbanus VIII. in jubileis concessis expressè affirmarunt, Communionem faciendam esse primo die Dominico post jubileum indictum, vel sequenti, vel aliquo die illarum duarum hebdomadarum. Aliàs hoc jubileum non spatio quindecim dierum, sed plurium duraret: siquidem opus præscriptum, quod præcipuum est, post illos quindecim dies differri potest. Illud vero certum, necessarium non esse pro Jubilei consecutione, Communionem reliquis operibus injunctis præmittere, sed potes præmittere, vel postponere, prout tibi placuerit. Aliis placet consultius esse præmittere, ut ex fructu per communionem acquisito reliqua opera digniora fiant. Aliis è contrà postponere, ut omnia opera injuncta ad sacram communionem disponant, qua suscepta securiùs indulgentia obtineatur. Quod ergo curare debes, maximè est, ut liber à peccato mortali omnia opera injuncta exequaris. Quapropter, si mortali te gravatum sentias, expedit ante omnia confessionem præmittere, quam non solùm post jubileum indictum, sed ante illius jurisdictionem, uno, vel altero die facere potes juxta receptam consuetudinem, teste Layman. *dicto cap.* 8. *dub.* 1. *n.* 6. neque postmodum teneris confessionem repetere, si in mortale non incidas. Hæc sunt fere ab omnibus recepta, dubia autem sunt.

3. Primò, an non tantùm semel, sed bis, obtinere jubileum possis, si opera injuncta bis præstes, ut verè præstari possunt in qualibet hebdomada? Affirmat Henriq. *lib.* 6. *de pœnit. cap.* 16. *n.* 3. *& lib.* 7. *de indulg. cap.* 11. *in princip.* Rodrig. *tom.* 2. *sum. cap.* 184. *n.* 14. eò quòd beneficium Principis latè sit interpretandum, quantum verba patiuntur: at verba, quibus prædictus jubileus conceditur, hanc admittunt interpretationem: quippe conceditur indulgentia omnibus illis, qui præscripta opera in una ex duabus hebdomadis fecerint. Ergo, si repetas ea opera in secunda hebdomada, ea præstas in una ex duabus hebdomadis. Ergo indulgentiam consequeris.

4. Sed oppositum longè verius existimo cum Suar. *t.* 4. *de pœnit. disp.* 57 *sect.* 1. *n.* 7. *& tom.* 2. *de relig. l.* 6. *de voto, cap.* 16. *n.* 17. Navar. *man.* 31. *n.* 36. Laym. *tract.* 7. *cap.* 8. *n.* 8. Bonac. *disp.* 5. *de pœnit q.* 7. *p.* 5. §. 2. *n.* 17. *& disp.* 6. *de indulg q.* 1. *p.* 5. *n.* 32. Sanch. *l.* 4. *de voto, cap.* 54 *n.* 30. Et constat ex his quæ diximus *punct.* 8. *difficult.* 5. ubi probatum reliquimus, indulgentiam pro limitato, brevique tempore concessam, etiamsi indefinitè concedatur, non posse sæpius obtineri: quia ea determinatio temporis indicat Pontificis voluntatem eam semel tantum concedendi. Sed præterea in præsenti, ex forma concessionis efficaciter hæc voluntas probatur. Non enim Pontifex inquit: obtineat indulgentiam, qui in una & altera hebdomada opera injuncta præstiterit, neque absolutè, & indefinitè dixit: Obtineat indulgentiam in illis duabus hebdomadis, sed expressè ait: *Obtineat indulgentiam, qui prima hebdomada post publicationem, vel in sequenti post illam*, quæ disiunctiva manifestè indicat, in una tantum hebdomada obtineri posse. Et *paulò inferius* inquit, *hac vice tantùm.* Non igitur pluries, sed semel tantùm concedere Indulgentiam intendit. Et ex his solvitur oppositum fundamentum.

5. Secundò dubitabis, an obtento jubileo in prima hebdomada, possis absolvi in secunda à casibus reservatis, si fortè in aliquem eo tempore incideris, & communionem obtinere de votis in ea hebdomada factis Suar. Laym. Bonac. *locis allegatis.* negant, qui-

bus adhæret Sanch. *l.4. de voto, cap.64. num.28.* eò quòd hæc potestas absolvendi à reservatis, & commutandi vota, concedatur occasione indulgentiæ consequendæ, qui finis comparatione tui cesset, cùm jam indulgentiam obtinueris. Item, tibi jam est finitum tempus jubilei, sed eo finito, uti non potes facultate in eo concessa absolvendi à reservatis, & commutandi vota. Ergo, &c.

6. Nihilominùs satis probabile existimo, te posse absolvi ab eo casu reservato, in quem secunda hebdomada incidisti, & communicationem voti eo tempore facti obtinere. Sic docuerunt Henriq. & Rodrig. *suprà* Reginald. *lib.8. n.64.* Graffis *de indulg. cap.5. num.32.* Moveor, non ex eo, quòd indulgentia iterum quæri non possit, si supponamus, verè acquisitam esse; sed ex eo quòd hæ facultates, etsi occasione indulgentiæ concedantur, pro toto eo tempore, quo jubileum à populo Christiano obtineri potest, videntur concedi. Neque expedit, has facultates astringi ad singularem cujusque modum procedendi in indulgentiæ consecutione. Aliàs neque intra eandem hebdomadam post finita opera injuncta absolvi posset ab aliquo casu reservato, si fortè in illum nciderit; neque voti commutationem obtinere: quod ipse Thom. Sanch. *d. cap.54. n.28.* non cedit: & sicut ipse affirmat, spatium totius hebdomadæ reputandum esse tempus pro concessione jubilei in ordine ad absolutionemà reservatis, & votorum communicationem, tametsi breviori tempore obtentum sit: sic affirmare debet de voto tempore, in quo jubileus obtineri potest. Prætereà harum facultatum concessio independens est ab indulgentiæ concessione, etsi occasione illius facta fuerit; nam, ut *suprà* diximus *punct.6.* esto indulgentiæ concessio nulla sit ob defectum causæ, concessio tamen facultatum valida est. Non ergo ex eo, quòd indulgentiam quærere nequeas, inferendum est, prædictis facultatibus uti non posse. Deinde quis agnoscet te indulgentiam obtinuisse, tametsi opera præscripta feceris? Certè Deo tantùm cognitum est. Præstat ergo, ut eadem opera repetas in sequenti hebdomada: fortè enim consequeris indulgentiam, quam in prima non obtinuisti. Non igitur est credendum Pontificem hanc repetitionem, utpote maximè salutarem, impedire velle, tollendo facultates in prædicto jubileo concessas; sed potiùs præsumi debet, velle fideles ad eam repetitionem movere, & juvare prædictarum facultatum concessio. Et per hæc satisfactum est oppositæ rationi.

7. Tertiò dubitabis, an necessariò votorum commutatio tempore jubilei facienda sit; Qua in re mihi certum est, te posse tempore jubilei commutare vota in eam materiam, quam ipse, vel alius vir doctus postmodum judicaverit expedire: quia eo casu commutatio intra tempus jubilei essentialiter perficitur: quia materia commutationis, saltem in genere subrogatur tametsi in particulari, & expressè non determinetur, quod non videtur necessarium, ut rectè Man. Rodrig, *in addit. ad Bullam*, §. 9. *n.115.* Vivald. *candelabr. Sacram. 3.part. cap 14. n.40.* Graffis *1.p. decis. lib 4. cap.15 n.47.* Sayro *in clavi regia, lic.7. cap.12. n.21. in fine*, quos refert, & sequitur Sanch. *lib.4. de voto, cap.54 n.31. & n.32.* optimè advertit, reum non esse voti, qui illud violaret, antequam Confessor, vel vir doctus materiam subrogandam determinaret, quia illud votum verè commutatum fuit, & consequenter extinctum.

8. Secundò ferè certum existimo, si consecuturus jubileum intra consecutionis tempus à te postulet votorum commutationem illis saltem in genere expressis, tu verò ut rem maturiùs consideres, & commutationem rectiùs præstes, differes post jubilei tempus, optimè commutationem facere posse: quia ea petitione, & votorum manifestatione causa inchoata est, & jurisdictionem obtinuisti, quam potes commodo tempore exercere. Sic docet Suar. *t.2. de relig. tract. de voto, lib.6. cap.16. n.15.* Sanch. *lib.4. de voto, cap.54. n.34. & seqq.*

9. Quocirca difficultas præcipua est, an, si tempore jubilei oblitus fuisti votorum commutationem petere, posse eo finito postulare: Et quidem si opera injuncta ad consecutionem jubilei non præstiteris, omnes conveniunt, te non posse commutationem postmodum petere: quia nullum jus acquisisti: quippe prædicta potestas ob jubileum conceditur: & tradit Sanch. *lib.4. de voto, cap.54. n.46. & 51.* At, si jubileum es consecutus, variant Doctores, Man. Rodriq. *tom.2. sum. cap.184. n.15.* Suar. *lib.6. de voto, cap.16. n.14.* Layman. *lib.5. sum. tract.7. cap.8. dub.3. n.9. in fine*, negant, eò quòd finito jubileo, finiuntur privilegia, quæ ob illius consecutionem conceduntur. Nihilominùs oppositum verius existimo cum Stunica *q.1. de voto, n.39.* Henriq. *lib.7. de indulg. cap.11. n.4.* Eman. Saà *verbo indulg. n.14.* Sayro *in clavi regia, lib.6. cap 12. n.17.* Sanch. *lib.8. de matr. disp.15. num.17.* & *lib.4. de voto cap.54. n.39.* Ratio est: quia Pontifex in hoc jubileo solùm operibus injunctis præscripsit tempus, in quo exequenda erant, ut constat ex illis verbis: *Prima hebdomada, vel altera sequenti à die publicationis.* At facultati absolvendi à reservatis, commutandique vota nullum tempus præscripsit: sed absolutè inquit: *Concedimus, ut possint hac vice tantùm idoneos Presbyteros approbatos eligere, qui eorum confessionibus diligenter auditis, licitè valeant illos absolvere, &c. ac vota commutare. &c.* Ergo jubilei consecutione privilegium obtinuisti, tum absolvendi à reservatis usque ad tempus jubilei inclusivè commissis, tum obtinendi commutationem votorum, quæ fuerint usque ad prædictum tempus emissa: quod finiri non debet, finita indulgentiæ consecutione, cùm ab illa sit separabile, & indulgentiæ tempori non allegatum. Et confirmatur: quia in privilegiis per Cruciatam concessis, ne aliquis, finito anno publicationis eis uteretur, expressit Pontifex finito anno cessare. Ergo, cùm id non expresserit in hoc jubileo, censenda sunt post illius tempus perseverare. Prætereà, ponamus, te tempore jubilei confessum non esse, eò quòd invincibiliter ignorasti, te peccato mortali gravari, præstitisti tamen reliqua opera ad indulgentiam consequendam: postmodum verò recordaris peccatum commississe reservatum: certè illius peccati reservatio sublata non est, cùm non sis ab illo neque indirectè absolutus: & tamen inquit Suarez *tom.4. de pœnitentia, disput.31. section.4 num.20.* te posse à quolibet Confessario approbato absolvi ob jus per jubileum acquisitum. Ergo idem poteris quoad votorum commutationem, cùm eodem tenore utraque potestas concedatur.

10. Quartò dubitabis, an tibi absolutio à reservatis, & commutatio votorum concedi possit, antequàm opera in jubileo præscripta præstes? Et ratio dubii est: quia potes iis impetratis ab indulgentiæ consecutione cessare: quod non videtur leve inconveniens, præcipuè cùm hæc concedantur ob indulgentiæ consecutionem. Nihilominùs certa sententia est, quam *tract. de pœnit.* firmatam reliquimus, te posse ante executionem operum in jubileo præscriptorum, absolutionem à reservatis & commutationem votorum obtinere, si intentionem habeas ea opera exequendi & jubileum lucrandi: hæc enim intentio, ut benè inquit Suar. *tom.1. de relig. tract. de voto, l.6. cap.16 n.6.* Sanch. *lib.4. de voto, cap.54. n.42.* omninò necessaria est: quia hæc conceduntur, tanquam præparatoria ad jubilei consecutionem, & ob illius comparationem: deficiente autem intentione comparandi jubilei, non possunt prædictæ potestates rationem præparationis habere, ac proinde cessare debent.

11. Quintò dubitabis, an stante intentione lucrandi jubileum, & virtute illius, obtenta absolu-

tione

tione à reservatis ; & votorum commutatione , si postmodum jubileum non quæres, reincidas in eadem peccata , & censuras reservatas , votaque , quibus ligatus eras , reviviscant ? Et quidem peccata semel remissa nullatenus redire posse est manifestum : quia in peccatis conditionali remissioni locus non est. Censuræ autem etsi redire possint , quando earum absolutio concessa est ad reincidentiam : at , cum in dicto jubileo is modus concedendi absolutionem non exprimatur , sicuti exprimitur in cap. *Eos , qui de sent. excommunic.* nullum est fundamentum ad asserendum, te postmodum reincidere. Atque ita docet Navarr. *miscell. de orat. 93. n. 2.* Cordub. *q. 21.* Henriq. *lib. 6. de pœnit. cap. 16. n. 6.* & *lib. 7. de indulg. cap. 11. n. 4.* Suar. *tom. 4. de pœnit. disp. 11. sect 4. n 4.* & *tom. 5. de censur. disp. 7. sect. 5. à n. 30,* Eman. Saà *verbo , Absolutio , p. 19.* Sanch. aliis relatis , *lib. 8. de matrimonio disp. 15. n. 20.* & *lib. 4. de voto , cap. 54. n. 44.* Quinimò , si confessionem feci̇sti intentione quærendi jubileum , tametsi postmodum voluntatem mutasses, sublata est reservatio omnium peccatorum , si quæ fuerunt in confessione invincibiliter oblita : quia Sacerdos virtute jubilei absolvens , & vices Pontificis gerens , intendit absolvere , quantùm potest : cùm autem possit , quoad peccata oblita , te absolvere ab illorum reservatione , (hæc enim absolutio non pendet ex absolutione directa) quoad culpam, omninò reservatio sublata est. Atque ita docet Sanchez *dicto lib. 8. de matr. disp. 15. num. 21.* & *lib. 4. de voto cap. 54. n. 45.* Si verò nullam confessionem feci̇sti : qui existimasti nullo mortali gravare peccata reservata permanent : quia reservatio non tollitur ipso facto per jubileum , sed per absolutionem sacramentalem, ut benè advertit Sanchez *loc. alleg.* Et ex alia parte cùm jubileum non obtinueris , non acquisisti jus eligendi Confessorem qui à prædictis te absolvat , ac proinde teneris ad Superiorem recurrere.

Quoad votorum commutationem ferè idem dicendum est facta absoluta commutatione , vota extincta esse , nec reviviscere , tametsi postmodum jubileum non quæsieris. Nam , esto potuerit Confessor vota commutare ea conditione , ut commutatio vim obtineat , peractis his operibus , quæ in jubileo præscribuntur,& non aliter : at ex vi privilegii non cogitur hoc modo commutationem facere , nec expedit : quare , si absolutè commutationem fecerit voti , extincta sunt,nec reviviscunt.Atque ita docent Henriq. *lib. 7. de indulg cap. 11. n. 4.* & *lib. 6. de pœnit. cap. 16. n. 6.* Eman. Saà *verbo , Absolutio , n. 19.* Suar. *tom. 2. de religione , tract. de voto , lib. 6. cap. 16. n. 9.* Sanch. *lib 8. de matrimonio , disp. 15. n. 22. lib. 4. de voto c. 54. n. 49.* & 50.

12. Verùm , si tempore Jubilei vota commutata non sunt ; vel , quia confecutus jubileum commutationem non petivit ; vel , quia tu commutationem in posterum reservasti , intendens rem maturiùs considerare : nequaquam potes transacto Jubileo commutationem facere ei, qui Jubileum consecutus non est, etiam si tempore Jubilei absolutionem à peccatis impendisses, quia per absolutionem à peccatis vota non extinguitur reservatio , & ex alia parte non lucrandi Jubileum privilegium obtinendi votorum commutationem non conceditur : ergo non est , unde commutationem facere possis. Sic Suar. *dicto c. p. 16. n. 15.* Sanch. *dict. disp. 15. de matr. n. 13* & *c. 14 n. 51.*

13. Sextò dubitabis , an obtinens prædictam à reservatis absolutionem , seu votorum commutationem , tenearis sub gravi culpa Jubileum quærere : Affirmat Suar. tanquàm probabile , *tom. 4. de pœnit. disp. 31. sect. 4. num. 5.* & *tom. 2. de relig. lib. 6. de voto. cap. 16. num 11.* Dicitur quia videtur hoc beneficium tibi concedi sub eo pacto , & obligatione , ut Jubileum consequaris ; aliàs ut quid propositum consequendi jubileum requisitum est ; Sed rectius Sanch. *lib. 1. de matrim. disp. 43. n. 9.* & *lib. 8. disp. 15. n. 24.* & *lib. 4. de voto , cap. 54. n. 54.* ab hac obligatione te eximit , eò quòd nullum sit firmum fundamentum illius astruendæ. Neque enim ex natura rei hæc obligatio consequitur , ob absolutionem : vel commutationem obtentam : sed optimè concedi potest ea absolutio , & commutatio habenti propositum quærendi jubileum , tametsi pactum , & obligationem de illius consecutione non faciat. Jubileus autem hanc obligationem non inducit. Ergo imponenda non est.

14. Septimò dubitabis an necessariò prædicta votorum commutatio facienda sit in confessione , vel possit fieri extra ; Rationem dubitandi præstant illa verba Jubilei : *Possint approbatos Presbyteros eligere, qui eorum confessionibus diligenter auditis , licitè valeant ipsos à quibuscumque peccatis, crimimbus, censuris, &c. absolvere , ac vota quæcunque ab eis emissa , castitatis , & religionis duntaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare.* Ex quibus verbis videtur necessariò inferri commutationem fieri non posse , quin priùs peccata diligenter audiantur , & consequenter quin priùs fiat confessio. Ablativus namque absolutus conditionem importat , leg. *A testatore ff. de condit, & demo strat.* Conditiones autem in specifica forma observari debent , leg. *Qui hæredi 44. ff. eodem.* Præterquam quod clausula absoluta , & conditionans , posita in aliqua dispensatione, ad omnia ibi dispositа refertur, ex textu in cap. *Secundo requiris de appellat.*

Sed oppositum verius censeo cum Sanch. *l. 8. de matrim. disp. 15. in fine , & disp. 19. n. 11. in fine.* eò quòd illa verba , *eorum confessionibus diligenter auditis* , ad absolutionem à peccatis , quæ immediatè consequitur , referenda sunt , utpote , quæ expostulat confessionem diligenter audire,non tamen referenda sunt ad votorum commutationem, quæ confessionem non expostulat : clausula namque conditionalis alicui dispositioni inserta ad omnia refertur , si in omnibus est æqua ratio. Secùs verò si diversa sit , ut bene Menoch. *de præsumpt lib. 4. præsumpt. 181. numer. 2.* tunc enim solam dispositionem sibi immediatam afficit.

15. Octavò dubitabis, an à peccatis commissis spe obtinendi absolutionem virtute jubilei possis absolvi; Dubitatio procedit quando jubileus nihil declarat, sicuti fit in hoc jubileo Compostellano, & Romano, & Bulla Cruciatæ. Prima sententia negat pro prædictis peccatis facultatem in jubileo concedi. Sic Covar. *l. 2. var. cap. 20. n. 15. vers. Vigesimo sexto.* Navar. § *in Levitico notab. 31. n. 7.* Ludovic.Lop. *instruct. conscient. part. cap. 27.* Cordub. *in sum. q. 22.* Menoch. *lib. 5. præsumpt. 10. n. 6.* Fundamentum præcipuum sumitur ex eo , quod non videatur rationabiliter præsumi posse , intentionem Pontificis esse prædictam malitiam , & iniquitatem fovere velle. Foveret autem , si in prædictis jubileis ea esset concessa facultas. Ergo asserendum est,eam non esse concessam. Deinde colligere possemus , hanc non esse intentionem Pontificis,primò argum textus *in leg. 1. §. Hac autem actio. ff. Si quis , testamento liber esse jussus.* ibi : *Qui hac spe audacior factus est.* Et paulò infrà : *Spe imminentis libertatis* , & cap. *Illud §. Licet de Clerico excommunic. ministr.* ibi : *illud autem , quod sub spe veniæ.* Ex quibus colligitur , spe veniæ , aut indulgentiarum,peccantem dignum remissione non esse. Secundò , ex cap. fin. *de immunitat. ecclesiarum.* ubi cavetur Ecclesiarum immunitate non gaudere , qui sub confidentia gaudendi illa delinquit. Tertiò ex Trident. *sess. 24. de reformat. cap. 5.* statuente , eum qui copulam cum consanguinea habet , spe obtinendi dispensationem, difficilus ei concedi , debereque Pontifici delictum exprimere.

16. Nihil

16. Nihilominus verum cenſeo, virtute ſupradictorum privilegiorum abſolutionem obtinere poſſe ſic delinquentem, uti docuit Navar. ſibi contrarius *lib. 5. conſilior. titul. de privileg. conſil. 10. n. 3. & in §. In Leviticо notab. 34. n. 6.* aſſerens peccantem ſpe veniæ conſequendæ levius peccare, quàm eum qui nulla ſpe veniæ concepta delinquit. Idem docet Cordub. ſibi contrarius *lib. de indulgent. q. 34. in fine. & quæſt. 37. oppoſit. 3.* Graffis *lib. 1. cap. 13. num. 59.* Henriq. *lib. 7. cap. 9. n. 4.* Ludovic. Vega. *in reſponſ. caſuum 2. p. caſ. 2.* Rutilius Benzonius *de anno jubilei, lib. 5. cap. 15. dub. 24.* Man. Rodriguez *in explicat. Bullæ, §. 9 n. 99.* Anaſtaſ. Germon. *l. 2. de ſacra immunitat. cap. 6. n. 88.* Zenedo *qq. canon. q. 25. n. 4.* Sanch. *lib. 4. de voto. cap. 54. n 18.* Fundamentum eſt: quia facultas ex prædictis privilegiis conceſſa generalis eſt, indeterminata, & indiſtincta, comprehenditque quodlibet peccatum, ſive ſpe abſolutionis obtinendæ, ſive non fuerit commiſſum, ſicuti comprehendit facultas à Chriſto data Pontifici remittendi peccata in ſacramento Pœnitentiæ; tametſi ex confidentia obtinendi illorum remiſſionem patrata ſint: & ſicuti comprehendit facultas, quam Pontifex Epiſcopis, & parochis concedit, quinimo & Religioſis abſolvendi à peccatis.

17. Neque obſtant in contrarium adducta: negamus namque ex prædicta generali facultate fovere malitiam, & iniquitatem delinquentium, aliàs Chriſtus illam foveret, Sacramentum pœnitentiæ inſtituens: quod abſint. Infirmitates enim civium tribuendæ non ſunt gubernatori reipublicæ remedia præparata habenti pro illarum medela. Textus autem, qui adducuntur ad probandum non eſſe intentionem Pontificis facultatem concedere ad illorum peccatorum abſolutionem, poſſunt in contrarium retorqueri; ideo enim in illis ſpecialibus caſibus delictum ſub ſpe indulgentiæ impedit remiſſionem; quia ſic expreſsè cavetur. Cùm autem im præſenti non caveatur, non eſt, unde facultas generaliter conceſſa limitanda ſit.

18. Nonò dubitabis, an omnia opera pro conſecutione jubilei injuncta, debeas in una hebdomada exequi, vel poſſis partim in non hebdomada, partim in altera præſtare? Affirmat in eadem hebdomada omnia opera præſtanda eſſe Henriq. *l b. 7. cap. 11. n. 2.* Sanctarel. *lib. de jubileo, cap. 7. dub. 1.* Moventur: quia liberalis dònatio non ſubſiſtit, niſi impleatur conditio ſub qua fit leg. *Si cùm filius, §. Titio decem.* leg. *Et generaliter. ff. de donat.* leg. *fin. ff. de conditionib ob cauſam*, & aliis. At Pontifex videtur concedere Jubileum ſub ea conditione, ut omnia opera præſcripta in eadem hebdomada fiant: inquit enim Pontifex: *Qui proceſſioni interfuerint, vel Eccleſias deſignatas viſitaverint, & feria quarta, ſexta, aut ſabbatho alterius ex duabus hebdomadis jejunaverint, pariterque ſua peccata confeſſi, & à ſanctiſſima Communione refecti fuerint, eleemoſynamque tribuerint, &c.* In quibus verbis expreſsè Pontifex poſtulat omnia jejunia in altera ex duabus hebdomadis fieri. Ergo contra intentionem Pontificis, & conditionem requiſitam procederet, ſi ea jejunia in utraque hebdomada præſtaret; ſicut ſi ea præſtaret feria ſecunda, tertia, & quinta. At reliqua opera prædictis jejuniis injungi debent, ut ſatis indicat adverbium illud, *pariter*. Ergo omnia in eadem hebdomada ſunt exequenda. Præterea jubileus neceſſariò obtinendus eſt in una ex illis hebdomadis. At obtineri nequit, niſi opera injuncta executioni mandentur: ergo in una, & non in duabus hebdomadis debent mandati executioni.

19. Cæterùm, etſi prædicta ſententia, ut ſecurior, conſulenda ſit, verius cenſeo, te non eſſe obligatum omnia opera injuncta intra eandem hebdomadam exequi. Sic docuit Bonac. *de indulgent. diſp. 6. q. 1. p. 5. n. 34.* Laym. *l. 5. ſum. tract. . c. 8. dub. 4.* Moveor: quia loquens Pontifex de modo quo Romani obtinere hunc jubileum debent, qui norma eſt cæteris partibus extra urbem, nullo modo aſtringit, ut in eadem hebdomada hæc opera omnia præſtentur: quinimò permittit jejunia fieri in eadem hebdomada, in qua Eccleſiæ viſitantur, vel in ſequenti. Item permittit Communionem, quæ eſt opus ex injunctis præcipuum, in ſequentem Dominicam, vel in aliquem diem ex duabus hebdomadis differri ut conſtat ex bulla. Ergo. Deinde, qui in qualibet ex duabus hebdomadis opera injuncta exequitur, verum eſt in uno ex duabus hebdomadis exequi, tametſi non omnia in eadem exequatur. Ergo ſatisfacit formæ conceſſionis. Adde, cùm hæc interpretatio ſit favorabilis, nec Dei cultum diminuat, & conſecutionem jubilei juvare poſſit, præſumendum eſt, Pontificis intentionem illi eſſe conformem.

20. Neque oppoſitæ ſententiæ rationes urgent. Ad primam dicimus, ex tenore bullæ conſtare, jejunia non eſſe neceſſariò exequenda in eadem hebdomada, in quo proceſſioni aſſiſtis vel Eccleſias viſitas, tametſi omnia illa jejunia in eadem hebdomada præſtari debent ob ſimilitudinem jejuniorum, quæ in quatuor Temporibus anni præſcribuntur. Præterquam quòd non videtur improbabile, te ſatisfacere poſſe, eſto in duabus hebdomadis ea compleas, Admiſſo tamen intra eandem hebdomadam jejunia exequenda eſſe, non inde infertur, te obligatum eſſe reliqua opera in eadem hebdomada exequi: nam adverbium illud, *pariter*, annectit jejuniis reliqua opera in uncta quoad executionis obligationem: ſed non quoad tempus: aliàs eodem die, quo eſt jejunium, oporteret omnia exequi: quod nemo concedet.

Ad ſecundam admitto, in una ex illis hebdomadis jubileum obtineri debere, nego tamen, inde inferri, omnia opera ad illius executionem in ſola una hebdomada præſtanda neceſſario eſſe; ſed ſolùm infertur in ea hebdomada, in qua obtinetur, oportere omnia opera executioni eſſe mandata: quod fieri optimè poteſt, tametſi in duabus hebdomadis ea omnia exequaris, modò in ſecunda hebdomada jubileum obtineas.

21. Decimò dubitabis, an aſtringaris obtinere jubileum in loco domicilii, Reſpondeo, in qualibet parte, in qua publicatus fuerit, poteris Eccleſias deſignatas viſitare, reliquáque opera injuncta exequi: quia Pontifex loco domicilii conceſſionem non aſtringit. Quinimò exiſtimo certum, ſi in loco domicilii publicatus jubileus fuerit, ibique proceſſionibus aſſiteris, vel Eccleſias deſignatas viſitaveris; tametſi reliqua opera jejuniorum, eleemoſynæ, confeſſionis, & Communionis alibi præſtes, te jubileum eſſe conſecuturum: quia in forma conceſſionis nullo modo cavetur, omnia opera præſtanda eſſe in loco, ubi jubileus fuerit publicatus: neque id expediens eſſe videbatur, cùm nullam ſpecialem dignitatem opera injuncta acquirant ex eo, quòd loco publicationis fiant, potiùs quàm in alio, quandoquidem eundem finem retinent conſequendi jubileum. Atque ita docent Laym. *lib. 5. ſum. tract. 7. cap. 8. dub. 5.* Bonac. *diſp. 6. de indulg. q. 1. punct. 5. in fine.*

TRACTATUS XXV.

ET

DISPUTATIO UNICA,

DE BULLA CRUCIATÆ.

Ut prædicto tractatui *de Suffragiis, Indulgentiis, & Iubileo*, nihil desit, placuit ei annectere præsentem de indulgentiis, privilegiis, & facultatibus, quæ in Bulla Cruciatæ conceduntur, Claritatis gratia, summarium Bullæ ad hunc ordinem reducemus. Primò de conditionibus necessariis ex parte sumentis Bullam, ut Indulgentias, & facultates ibidem concessas consequatur. Secundò: quæ indulgentiæ concedantur. Tertiò, quæ privilegia, & dispensationes. Quartò, quæ facultates, & gratiæ, ibi tum sumentibus Bullam, tum Commissario. Quibus enodatis, omnia, quæ in Bulla continentur aperta erunt.

PUNCTUM I.

Quid nomine Bullæ, Indulgentiæ, privilegii facultatis, & gratiæ significetur.

1. *Nomen Bullæ dicatur.*
2. *Unde dicatur Cruciata.*
3. *Indulgentiæ nomen, & materia declaratur.*
4. *Explicatur privilegium.*
5. *Quid facultatis nomine significetur.*
6. *Quid gratiæ.*
7. *Differentia inter suprædicta.*

1. NOmen Bullæ varias habet significationes, teste Ambr. Calepin. *verbo Bulla*, Alex. ab Alexand. *l. 2. dier. genial. c. 9. & 15.* & *l. 5. c. 18.* Rebuff. *in praxi benefic. 1. p. tit. Novæ Bullæ declaratio c. 40. num. 3. & 5.* Sed ea significatio est præcipua, qua significatur aureum illud signum, figuram cordis habens, à collo appensum, inclusis intra illud remediis adversùs invidiam validissimis, quod Romani Imperatores, & filii Patriciorum gestabant, de quo Plin. *3. hist. c. 2.* & Alexand. ab Alexand. *dicto lib. 5. c. 18.* Hinc ergo derivatum est nomen, *Bulla*, ad significandum signum illud aureum, vel plumbeum, quod ex Litteris apostolicis pendet, & tandem applicatum est, ut significet totum Diploma, seu Litteras apostolicas, si prædictum signum authenticum habeant, sicuti resolvit communis sententia Canonistarum in cap. *Ad audientiam de nomine falsi.* Glossa *in Clement. 1. de jurejurando, in fine*: & notavit specialiter Rebuff. *dicto c. 40. n. 3.* Sebastian. A costa de Andrade *in explicat. Bullæ, q. 1. proœmial.* Anton. Gomez *eodem tit. c. 1.* Villalobos *sum. 1. p. tract. 27. in proœmio, n. 1.*

2. Dicitur præterea hæc Bulla, *Cruciatæ*, ut inquit Domin. Sotus *n. 4. dist. 21. q. 1. art 2. & 3.* Andrade Anton. Gom. & Villalob. *supra*, quia continet indulta, gratias, & privilegia valde similia iis, quæ concessa fuerunt tempore Urbani II. & Innocent. III. omnibus illis, qui pro recuperatione terræ sanctæ adversùs Turcas ibant pugnaturi, gestantes Crucem rubeam in pectore; ut in vita ipsius Urbani referunt Platina, Anton. Illescas, & alii colligitur ex cap. *Ad liberandum de Iudæis*, & tradit Gloss. *Clement. 1. §. Ad hæc, de pœnit. & remiss. verbo, A pœna*, Nicephor. *lib. 7. eccles. hist. cap. 46.*

3. Nomen, *Indulgentia*, ut constat ex iis, quæ *præcedenti tract. punct. 2.* diximus plures significationes continet, quas in præsenti expendant latè Anton. Gom. *cap. 2.* Bellarm. *lib. 1. de indulgent. cap. 1.* Propria tamen indulgentiæ significatio est remissio, seu contemperatio facta delinquenti. Hinc indulgentiam ecclesiasticam definiunt communiter Doctores apud Henriq. *lib. 7. de indulgent. cap. 1. n. 2.* Acosta de Andrade *q. 3.* ut sit pœnæ temporalis pro peccato debitæ relaxatio extra sacramentum, ex applicatione thesauri Christi, & Sanctorum. Non enim est relaxatio pœnæ æternæ: hæc enim simul cum culpa remittitur, sed pœnæ temporalis, quæ remissa culpa: & pœna æterna, solet manere luenda in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio, juxta textum in Extravag. *Unigenitus de pœnitent. & remissionib.* Dicitur relaxatio pœnæ temporalis, & non pœnitentiæ injunctæ, ut voluit Cajet. *Opusc. de Indulgent cap. 2.* quia per indulgentiam non tollitur directè pœnitentia injuncta, sed solùm quatenus tollitur pœna, pro qua satisfacienda pœnitentia injuncta erat: neque etiam est relaxatio pœna in foro judiciali, & contentioso impositæ, sed pœnæ coram Deo debitæ pro culpis commissis. Fit autem hæc pœnæ remissio extra sacramentum: quia ea, quæ in Sacramento fit, non indulgentia, sed absolutio sacramentalis appellatur, & cum remissione culpæ conjungitur: pendet enim ex absolutione sacramentali peccatorum, à qua non pendet indulgentia: hanc enim obtinere poteris, si in gratia existas, etsi nullam absolutionem sacramentalem receperis. At, quia hæc remissio nunquam gratis fit, sed solutione sufficienti exhibita: ideò pro illius consecutione applicat Pontifex ex satisfactionibus Christi Domini, & superabundantibus B. Virginis, & Sanctorum, quidquid necessarium est, ut condigna fiat remissio, applicat, inquam, eam satisfactionem pro fidelibus vivis in modum absolutionis, pro defunctis in modum auxilii, & suffragii,

de

de quibus *in præcedenti tractatu* ſatis dictum eſt, & latè docet in præſenti Anton. Gom. *c. 2. n. 10.*

4. Privilegium eſt privata lex contra generalem juris communis diſpoſitionem, & privatis perſonis conceſſum, ut probat text. in cap. *Privilegium 3. diſt. cap. fin. 25. q. 1.* leg. *Singulari. ff. de legib.* & tradit Sylv. *verbo Privilegium.* Rebuff. *in prax. tit. Differentiæ inter privilegium, n. 3. & 4.* Greg. Lopez *leg. 2. tit. 18. part. 3.* Neque ab indulto differt, ſed pro eodem uſurpatur, ut colligitur ex cap. fin. *Ut lite pendente* & *ibi* Gloſſa *verbo, indulgentiam.* cap. *Dudum*, cap. *Ex ore, de privilegiis*, & tradit Roman. *conſ. 436.* quod incipit, *Quoad indultum, n. 1. & ſeqq.*

5. *Facultas*, nomen eſt generale, quo bulla utitur, & complectitur omnia indulta, privilegia, & gratias, quæ *ibidem* continentur. Specialiter facultas eſt poteſtas exercendi actum, qui aliàs exerceri non poterat, juxta illud Plinii: *Si mihi facultas daretur utrum mallem eligendi.*

6. *Gratia* multa ſignificat, ut notat Alenſ. *3. p. ſum. quæſt. 69. memb. 1. art. 1.* Gloſſ. *Clem. 1. de Magiſtr.* ſed præcipuè ſumitur pro beneficio à Summo Pontifice collato c. *Gratia de reſcript. in 6.* Clem. *Gratia eod. tit.*

7. Ex his omnibus conſtat diſcrimen inter indulgentiam, privilegium, facultatem, & gratiam, Nam indulgentia eſt relaxatio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis. Privilegium eſt diſpenſatio legis communis alicui facta. Facultas eſt poteſtas exercendi actum, ſive juri communi adverſum ſive non. Gratia eſt beneficium à Romano Pontifice conceſſum, ideóque indulgentiæ, privilegia, indulta, & facultates in hac bulla conceſſa, gratiæ dici poſſunt, quia ex munificentia Romani Pontificis conceduntur. Quæ omnia ſigillatim enodabimus.

Punctum II.

Quibus Bulla proſit, & quas conditiones habere debeat.

1. *Prodeſt pueris, & uſu rationis carentibus.*
2. *Prodeſt omnibus fidelibus commorantibus, vel aliquo modo ad regna Hiſpaniæ declinantibus.*
3. *Sumpta Bulla, eſto, ad externa regna divertas, uti potes illius privilegiis excepto ciborum privilegio.*
4. *Hiſpani in exteris regnis commorantes ſumere non poſſunt Bullam medio internuncio.*
5. *Requiritur Bullæ ſuſceptio.*
6. *Item. illius apud te retentio, ſed non ex neceſſitate.*
7. *Item, nominis proprii ſcriptio.*
8. *Item exhibitio eleemoſynæ per te, vel per alium.*
9. *Ex turpiter, juſtéque acquiſitis ſumpta Bulla prodeſt.*
10. *Qualiter Religioſi ſumere Bullam poſſint, & debeat Prælatus licentiam concedere.*
11. *An Minores non ſumpta Bulla illius privilegiis fruantur.*
12. *Prodeſt Bulla, etiam ſi excommunicatus accipias.*
13. *Item, etiamſi accipias in ſtatu peccati mortalis.*

1. BUllam alicui prodeſſe, eſt, poſſe virtute illius indulgentiis, gratiis, privilegiis, & facultatibus *ibidem* contentis frui. Igitur bulla prodeſſe poteſt uſu rationis carentibus uti docuit Henriq. *lib. 7. de indulgent. cap. 20. num. 8.* Nam phrenetico, tempore interdicti, virtute Bullæ Sacramentum Extremæ Unctionis miniſtrari poteſt in mortis articulo, & Euchariſtia: necnon ab excommunicatione abſolvi, & plenaria indulgentia concedi. Pueris item prodeſt, ut tempore interdicti decedentes cum quadam pompa, videlicet, cum Miſſa in gratiarum actionem in loco ſacro ſepeliantur. Ut autem Officiis divinis interſint tempore interdicti amentes, & pueri doli non capaces, Bulla non indigent: quia interdictum humanum tantùm, & rationalem aſſiſtentiam prohibet, ut benè aliis relatis notavit Henriq. *dicto c. 20.* Suar. *tom. 5. de cenſur. diſp. 36. ſect. 2. n. 7.* & *diſp. 34. ſect. 1. num. 34.* At, ſi pueri doli capaces exiſtant ut ſacris interſint tempore interdicti, bullæ privilegio indigebunt, uti docuit Covarr. *cap. Alma, 2. p. §. 4. n. 3. illat. 12.* ſicuti etiam indigent, ut tempore Quadrageſimæ ova, & lacticimia edere poſſint, & notavit Henriq. *in comment. tit. R.*

2. Secundò, bulla prodeſt non omnibus fidelibus totius mundi, ſed illis duntaxat, ſive ſæculares, ſive regulares ſint, qui in Hiſpaniarum regnis, & inſulis adiacentibus, atque etiam Sardiniæ, & Siciliæ conſiſtunt, nec non & aliis externæ nationis, qui in prædictis locis Hiſpaniarum Regi ſubjectis commorantur, vel etiam ad ea declinant, ſicuti expreſsè habetur *in Summario Hiſpano*, ibi: *Primeramente ſu Santidad concede a todos los fideles Chriſtianos de los dichos Reynos, y ſenorios, moradores, eſtantes, y habitantes en ellos, y à los que à ellos vinieren, ò en ellos ſe hallaren*, & tradit Henriq. *cap. 2. n. 6.* Acoſta de Andrade *in explicat. Bullæ, q. 16.* Gomez *in Bulla, c. 3. n.* Villalob. *dicto tr. 27. in tit. n 2. Man. Null. §. 1. n. 7.*

3. Hinc infertur, ſumpta Bulla à commorante in prædictis regnis, tametſi ad aliena regna divertat, uti poſſe bulla, durante anno publicationis: quia eſt privilegium perſonale, quod perſonam comitatur, ex reg. *Privilegium de reg. juris, in 6.* & tradit Innoc. IV. *in cap. Volentes de privileg. in 6 in fine, §. 1.* Ab hac tamen regula excipitur privilegium comedendi carnes ex conſilio utriuſque Medici in diebus prohibitis, & veſcendi pro libito ovis, & lacticiniis, uti habetur *in Bulla Latina*, quæ ſic inquit: *Item, ut dicto anno durante in omnibus, & ſingulis regnis, inſulis, locis*, &c. (& non extra illa) *carnibus de conſilio utriuſque Medici, temporibus jejuniorum totius anni, etiam quadrageſimalibus veſci; ac pro eorum libitu ovis, & lacticiniis.* Et merito hæc exceptio fit ob periculum ſcandali vitandum. Hincque ſumitur argumentum, reliqua omnia privilegia divertentibus in alia regna condi: quia exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis, ut benè Sylveſt. *verbo Alienatio:* & colligitur ex cap. *Dominus 32. quæſt. 7.* & *ibi* Gloſſa, & tradit in præſenti Henriq. Andrade, & Villalob. *loc. allег.*

4. Secundo fit, Hiſpanos in exteris regnis commorantes non poſſe uti bulla medio internuncio in Hiſpania ſuſcepta, quia ſolùm commorantibus in locis Hiſpaniæ, vel ad ea divertentibus bulla conceſſa eſt: eſt enim regionis privilegium, & ratione illius hominibus, qui in ea habitant, vel obiter adſunt. Atque ita notarunt Henriq. *dicto cap. 20* Villalob. *tract. 27. in proœm. n 4.* Verùm non deſunt graves Doctores, Pater Bonaventura, Joan. Chacon, Joan. de Salas *in manuſcriptis*, qui improbabile non reputant, bullam prodeſſe Hiſpanis extra Hiſpaniam exiſtentibus, ſi alius pro ipſis Bullam ſuſcipiat: quia finis principalis bullæ eſt ſubſidium pecuniarum factum noſtro Regi pro expenſis belli contra infideles. Quòd verò fiat perſonaliter, & præſentialiter in illis regnis, vel interpoſita perſona, parum videtur referre. Sed diſplicet prorſus hæc ſententia, ut pote quæ adverſa privilegii verbis, quæ ſolùm exprimunt habitantes in regnis Philippo ſubjectis, vel ad ea declinantes, aliàs non ſolùm Hiſpani, ſed exteri omnes frui bulla poſſent, ſi aliquis in Hiſpania bullam pro ipſis ſuſciperet, quod credendum non eſt. Non enim eſt intentio Pontificis, ut noſter Rex pecuniam ab illis accipiat, qui nec ratione domicilii, nec tranſeuntis habitationis illi ſubjiciuntur.

5. Quoad conditiones verò, quas fruentes bulla habere debent: Primæ eſt, illius realis ſuſceptio, per

ſe,

se, vel per alium: quia sic cavetur, tam in Bulla Latina, quam Hispana. Quare non sufficit, te habere animum illam sumendi, nec nomen scriptum apud depositarium, si bullam cum effectu non suscipias: & docuit Henriq. *lib.7. de indulgent.cap.20. n.5.* Acosta *quæst.12. Man. in expos. Bullæ, §.5. n.2.* Villalob. *claus.12. numer 12.* Neque obstat in aliis privilegiis necessarium non esse scriptum bullæ suscipere, uti docuit Sylvest. *verbo priv.legium, quæst.14.* & Armilla *ibi, num.10.* At in hoc privilegio ea susceptio necessaria est ob verba illius expressa. Dixi, *per se, vel per alium*: quia qui per alium sumit bullam, verè illam sumit, moraliter loquendo: neque enim hæc susceptio ita personalis est, ut per alium fieri non possit, sicut tradit Cordub. *lib.5. q.26.* Henriq. *lib.7. cap.20. n.5.* Suar. *tom.4. in 3. p. disp.52. de indulgent. sect.7. num.7.* Anton. Gom. *pag.1. num.7.* Villalob. *dicta clausula 12. num.22.* Oportet autem, si bulla per alium accipiatur, te inscio, ut illius acceptationem ratam habeas, aliàs indulgentiis, & privilegiis frui non posses, cùm nequeas dici illam accepisse. Sic expressè Suar. Cordub. Villalob. *suprà.* Non tamen requiritur, ut evidenter scias, alium accepisse, sufficit, si certus moraliter sis illius acceptionis, uti esse potes, si omnibus annis tempore publicationis tuus pater omnibus domesticis Bullam sumit; vel, si amicus fidelis fidem dedit de illa suscipienda: hæc enim moralis certitudo prudentem operationem reddit. Atque ita tradit Henriq. *libr 7. cap.20. n.3.* & *in comment. litt. A.* Villalob. *clausula 12. n.25.* Quòd si accepta à te bulla, amicus alteram tibi acceperit, si nomine tuo accepit, vel illius acceptionem ratam habuisti, nequis alteri sumptam bullam applicare: quia tibi utramque applicuisti. At, si Bullam tibi ab amico acceptam non acceptaveris, poteris eam alteri, vel gratis, vel sub eadem stipe concedere: quia ea bulla nullius est, cùm à nemine sit acceptata, ac proinde nomine Commissarii eam alteri concedis. Neque præsumendum est, Pontificem, & Commissarium velle fideles gravare plurium bullarum sumptione, cùm una sufficiat. Neque ab hac transmissione impeditis, tametsi nomen tuum in bulla sumpta ab amico scriptum sit: quia facilè deleri potest, & nomen illius, cui bulla porrigitur, scribi. Præterquam quòd nominum inscriptio, ut statim dicemus, necessaria non est. Sic notavit Henriq. *lib.7. capit.20. num.5.* Villalob. *clausul.12. num.23.* Neque obinde censendus es depravare vel mutare Litteras apostolicas, sed quod ex ignorantia, & bona fide ab amico, vel Commissario factum est, corrigere, uti adverterunt Henriq. & Villalob. *suprà.*

6. Secundò, requirunt aliqui, ut susceptam bullam apud te retineas: nam bulla eodem tenore expostulat susceptionem, & retentionem. Inquit enim bulla Latina Summarium hoc: *Qui hujusmodi gratiarum participes esse voluerint, recipiant, & retineant.* Et commissarius in Bulla Hispana in hæc verba erumpit: *Declaramos que los, que la tomaren ayan de recibir, y guardar este sumario, y Bula que va impreso de mol de y sellado de nuestro sello, porque de otra manera no ganan la dicha. Bula, ni gracias della.* Censeris autem sufficienter apud te Summarium retinere, si apud amicum habeas: quia ipse nomine tuo habet. Verùm probabile satis censeo cum Henriquez plures referente *libr.7. cap.20. num.* Acosta *quæst.12. §. Secundò requiritur.* Anton. Gomez *ad undecimam clausulam, n.14.* Villalob. *clausul.12. n.24.* solam retentionem instantaneam, non continuatam, & perseverantem necessariam esse, seu illam retentionem, quæ necessaria fuerit, ne bulla ad manus depositarii redeat. Quare, si semel suscepta bulla, & in tuam translata potestatem pereat, maximè absque culpa, non obinde privilegiis, & gratiis illius privaris: quia credendum est, Pontificem, & Commissarium solùm velle, ut è potestate depositarii in tuam potestatem transeat, sive postea pereat, sive non: quia bullis apud depositarium relictis, multæ fraudes olim exercebantur, ideóque advertit Eman. Rodrig. §.12. *n.17. in instruct. Cruciatæ §.10.* præceptum fuisse receptoribus, & collectoribus sub pœna 30. aureorum, & inhabilitatis ad quodvis Cruciatæ munus, ut bullam semel datam, nec repetant, nec recipiant.

7. Tertiò, videtur necessarium nomen proprium in bulla scribi: quia sic cavetur in bulla Hispana illis verbis: *Escrito en ella vuestro nombre*, ideóque receptoribus sub pœna excommunicationis præcipitur, ut nomen capientium in bullis scribant. Cæterùm, etsi hoc ex convenientia faciendum sit, sed non ex necessitate ad valorem bullæ: quia in bulla Latina hæc conditio non exigitur, & Hispana eam non postulat, ut necessariam conditionem, sed refert, quod communiter fit, dicens: *Y por quanto vos N. distes dos reales, & y tomastes esta Bulla escrito en ella vuestro nombre.*

7. Quartò opus est, ut eleemosynam signatam solvas per te, vel per alium, vel obligationem solvendi facias: quia hæc solutioni æquivalet. Neque his obstat, quòd depositarius gratis tibi bullam concedere non possit, potest utique, quia tunc ipse subit obligationem solvendi. Atque ita tradunt Henriq. *dicto cap.20. n.5.* Villalob. *clausul.12. n.26.* Quòd si accipias, absque animo solvendi, non tibi proderit: quia est privilegium sub conditione hujus subsidii temporalis concessum, ut bene notavit Man. Rodrig. *addit. ad §.1. suæ expos. Bull. num.15.* Quemadmodum non potest, si ex alienis, quorum nec dominium, nec usum habes, ea suscipias, quia eo casu nihil donas, ideoque in bulla dicitur: *Si de sus bienes liberalmente contribuyeren con la limosna infra escrita.* &c. & ita tenet Man. Rodrig. *in addit. ad Cruciat. §.1. num.15.* Villalob. *clausul.4. n.3.* Acosta *quæst.12.* Anton. Gom. *ad 11. clausul. n.8.* & probat ex text. in cap. *Non est putanda 1. q.1.* ubi qui ea intentione accepit, ut bene dispenset, potius gravatur, quàm juvatur: nam hostiæ impiorum abominabiles sunt Domino.

9. Hinc tamen ne inferas, Bullam non prodesse meretrici illam ex turpiter acquisitis sumenti, vel Judici ex acquisitis ob justam sententiam, vel assassino ob homicidium patratum: quia esto hi turpiter acquisierint, non tamen injustè, ideoque acquisitorum dominium, & usum habent, ac proinde illorum donationem facere possunt. Sic Villalob *dict. tract.27. clausul.4. n.4.* Quinimo ex injustè acquisitis, qualia sunt ex contractu usurario, vel ex furto, & rapina, si tamen ita propriis permixta sint, ut ratione mixtionis illorum dominium acquiras cum obligatione restituendi, si Bullam sumas, tibi proderit: quia sumis ex propriis, tametsi illicitè, si aliunde non habeas, quos restituas, & creditoribus satisfacias.

10. Superest dicendum de religiosis, qui nullius pecuniæ dominium habent, nec usum, nisi ex superioris voluntate, qui contradicente superiore non videntur posse bullam sumere, ut illis prosit. Qua in re certum est, ex bonis Conventus superiore inconsulto non posse Religiosum sumere Bullam: quia sumeret ex alienis, neque superior obligatus est consentire susceptioni: quia esto sit opus pium, non tenetur in omnia opera pia arbitrio subditorum bona conventus expendere; sed in ea tantùm, quæ sibi placitum fuerit. Verùm, si religiosus pecuniam habet, quam ex superiorum licentia in proprios usus expendere possit, poterit ex ipsa bullam sumere, quia est usus satis sibi commodus. Quod verum credo, etiamsi prælatus pro suscipienda bulla illius pecuniæ usum prohibuerit: quia iniquè prohibet, cùm in alios usus minus commodos, & honestos concedat, & Pontifex supremus religiosorum prælatus, ne hæ

iniquitates locum habeant, præsumitur licentiam concedere. Illud certum, si ab amico suscipiatur bulla religioso tradenda: debere prælatum consentire, ut religiosus illam suscipiat, aliàs Pontifex censebitur negationem emendare. Sic tradit Acosta *in explicat. Cruciat. q.* 106. Villalob. *clausul.* 12. *à n.* 26. Subjungit autem *n.* 28. ex Rodrig. *in addit.* §. 9. *numer.* 6. posse prælatum usum bullæ in una, vel alia facultate limitare, juxta id, quod habetur *in Compend. privileg. Societatis Jesu, verbo Gratia*, §. 2. Sed hæc doctrina gravem patitur difficultatem inferiùs examinandam. Prælatus namque propria authoritate limitare non potest Pontificis concessionem, utpote quo est inferior, sed necessariò hanc potestatem habere debet ab ipsomet Pontifice. Superest autem examinare an per novam bullæ concessionem, & per suspensionem Commissarii omnium facultatum, quæ usu bullæ obstant ea facultas suspendatur: nam si suspenditur, nequit prælatus eam facere limitationem.

11. Denique subjungit Villalob. *d. clauſ.* 12. *n.* 30. ex Cordub. *in ann. ad Compend. verb. Cruciata*, §. 5. Minores, non suscepta bulla, illorum privilegiis frui posse ex concessione Pauli II. vivæ vocis oraculo facta 2. Junii, 1553. dummodo sacerdotes loco eleemosynæ duo sacra faciant; religiosi clerici bis Psalmos pœnitentiales recitent, laici verò ducenties *Pater noster*, & *Ave Maria*. Verum esto, hoc piè factum sit, dubito maximè an post Paul. III. prædicta concessio vigorem habeat, tum ob revocationem, seu suspensionem omnium facultatum & privilegiorum, quam Pontifex, & Commissarius facit omnibus illis, qui Bullam non sumpserint: tum quia Religiosis aliorum Ordinum idem privilegium esset concessum per viam communicationis, qua ferè omnes religiones inter se gaudent: quod sine dubio cederet in grave expeditionis Bullæ detrimentum. Non igitur prodesse potest ullis religiosis, etiam Minoribus, bulla, nisi facto eam suscipiant. Neque est leve signum hujus veritatis, quòd nullus alius Doctor præter Cordubam, eam potestatem religiosis concedit, quæ si esset secura & à reliquis bullæ expositoribus admitteretur.

12. Quintò, requitunt aliqui, ne excommunicatus existas, cùm bullam suscipis, eò quod rescriptum, seu litteræ apostolicæ ab excommunicato impetratæ super alio articulo, quàm excommunicationis, non valent, ut ex cap. 1. *de rescript. in* 6. docent Sylvest. *verbo Rescriptum, q* 2. Angel. *ibi*, & *verbo. Excommunicatio, ult.* § 14. Navarr. *capit.* 27. *n.* 22. *& seqq.* Sed immeritò hæc conditio expostulatur: quia tu non impetras, non bullam à Pontifice; sed Rex Philippus, impetrat tam in tui favorem, quàm in favorem suorum regnorum, & totius Christiani populi per subsidium Bullæ defendendi, & dilatandi: ideóque tibi excommunicatio proderit; tum ut ab excommunicatione absolvaris; tum, ut frui possis aliis privilegiis, quæ cum excommunicatione non pugnant. Quare si vera esset opinio Navar. *c.* 27. *n.* 18. excommunicatum contritum posse indulgentiis, & aliis Ecclesiæ suffragiis frui, poteris indulgentias *ibidem* concessas obtinere: tametsi excommunicatus suscepteris, dummodo contritus sis. Nec mirum est, in hoc eventu apostolicas Litteras excommunicato prodesse: nam in multis casibus Litteræ apostolicæ impetrare ab excommunicato valent, ut notat Geminian. *dicto cap.* 1. *de rescriptis in* 6. & Angel. *verbo rescriptum* §. 1. Atque ita valere Bullam in excommunicatione susceptam, docuit. Man. Rod. *in addit. ad Cruciat.* §. 1. *n.* 10. Villalob. *in proœmio, n.* 6.

13. Sexto, Cajet. *tractat.* 10. *de indulgent. cap.* 2. & *tract.* 15. *cap* 9. *&* 10. expostulat, ut indulgentias Bullæ consequi possis gratiam tempore, quo bullam sumis. Movetur ex eo, quòd existimat, omnia opera ad consecutionem indulgentiæ requisita præstanda esse ab homine justo: quam doctrinam *tract. præcedenti* non probamus: sed potius asserimus sufficere, ut tempore, quo indulgentia concedenda sit, homo in gratia existat. Quinimò hic est unus ex præcipuis finibus concedendi bullam, ut si fortè suscipiens peccatis gravetur, possit mediante bulla à peccatis absolvi, & gratiam Dei obtinere, & indulgentias consequi. Non igitur est necessarium existere in gratia, cùm bullam suscipis. Atque ita docent Henriquez *lib.* 7. *cap.* 9. *n.* 7. Acosta *in Bull. quæst.* 15. Villalob. *d. tract.* 27. *in proœm. num.* 5.

Punctum III.

De tempore, quo Bulla Cruciatæ sumentibus prosit.

1. *Tempus est annus publicationis.*
2. *Quando finiatur annus.*
3. *Proponitur quædam objectio pro majori præcedentis doctrinæ declaratione.*
4. *Privilegium Bullæ perseverat, tametsi Pontifex, & commissarius è vita decedant.*
5. *Non revocatur ob publicationem Bullæ Cœnæ.*
6. *Finito anno publicationis cessant omnia privilegia.*

1. Etsi verum sit, antiquitus Cruciatam concedi sine limitatione temporis, & postmodum ad duos annos extendi: at in præsenti restricta est ad unum annum computandum à die publicationis illius loci, in quo bulla sumpta est, ut habetur expressè *in Summario*, ibi: *Item, concede su Santidad à todos los sobredichos, que durante el dicho año, que corre desde el dia de la publicacion desta Bula en cada lugar*, &c. Quare non est computandus annus à die publicationis illius loci, in quo resides, vel à die publicationis in Ecclesia cathedrali, sed à die publicationis loci, in quo Bullam suscipis, ut benà notarunt Vega *cap.* 43. *casu* 9. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 20. *n.* 3. Villalob. 1. *t. summ. tract.* 27. *clausul.* 4. *n.* 7. Joan. Sanch. *in disp. select. d sp.* 55 *numer.* 8.

2. Sed, quando hic annus finiatur, non constat inter Doctores. Nam aliqui existimant, finiendum esse, sicuti annum naturalem, & vulgarem, qui constat 365. diebus, & anno bissextili 366. Aliis probabiliùs placet, more Ecclesiastico esse finiendum, nempe, ab una publicatione loci, in quo sumpta est bulla, usque ad sequentem publicationem; tametsi aliquot dies post annum naturalem finitum secunda publicatio fiat: quia toto eo tempore pro anno Ecclesiastico reputatur, sicuti in præcepto Communis contingit ex benigna Pontificis, & Commissarii mentis interpretatione. Sic pluribus firmat Henriq. *lib.* 7. *de indulg. c.* 20. *n.* 2. Villalob. *d. tr.* 27. *clausul.* 4. *numer.* 8. Joann. Sanch. *disp.* 55. *select. n.* 2. Quòd si de facto sequens publicatio non expectetur, vel animo careas sumendi Bullam; non tibi licebit ultra annum vulgarem, & naturalem bullam extendere, ut de se constat. Quinimò addit Joann. Sanch. *disp.* 55. *selectar. n.* 9. computandum esse annum à die publicationis illius loci, in quo sumpta est bulla, usque ad sequentem publicationem illius loci in quo de facto te invenis, quando sequens bulla promulgatur; tametsi aliquot dies, vel menses hæc secunda publicatio posterior fiat. Unde, si Matriti existens accepisti bullam, quæ primo die Adventus anni 1630. fuit publicata, & profectus es Hispalim, ubi in Septuagesima publicatio fit, affirmat prædictus Author extendi tibi bullam usque ad Septuagesimam anni 1632. ex præsumpta voluntate Pontificis, ne cogaris Matritum redire ad accipiendum novam bullam, vel duobus mensibus bulla carere absque tua culpa. Quod piè dictum est.

2. Dices

3. Dices ex hac doctrina inferri, tibi sæpè finiri Bullam ante annum naturalem: v.g. Accepisti Bullam Hispali primo die Septuagesimæ, qui 10. Februarii, sequenti anno publicatur eodem die Septuagesimæ, qui est primo die Februarii. Item, accepisti Hispali Bullam: profectus es Mattitum, ubi duobus aut tribus mensibus fit publicatio. Si ergo annus ecclesiasticus & non naturalis computandus est, sicuti computatur in præcepto communicandi, efficitur sanè, Bullam tibi ante annum naturalem finiri. Respondeo, etsi Anton. Gomez *in explicat. Bullæ, clausul.* 5. *n.* 1. *fol.* 53. & Villalobos 1. *tom. sum. tract.* 27. *clausul.* 4. *num* 10. illationem admittant: at verius existimo, nullo modo esse admittendam: quia aliàs publicatio Bullæ sequentis nociva esset sumentibus præcedentem: siquidem ob publicationem diminuetur tempus anni, quod non esset diminuendum, publicatione non subsecuta. Quapropter temperatio anni Ecclesiastici non ad restringendum annum naturalem; sed ad ei favendum, & supplendum aliquot dies, si fortè desint, usque ad novam publicationem inventa est à Doctoribus. Neque obstat exemplum de sumenda Eucharistia, cujus præceptum necessarium erat limitare ad tempus fixum, ut Parochis constaret de illius satisfactione: quæ ratio in sumentibus Bullam non procedit: & ita tenet Vega *in summ. cap.* 43. *casu* 10. Rodriguez *in explicat. Cruciat.* §. 5. *n.* 2. Joan. Sanch. *in select. disp.* 55. *num.* 4.

4. Durante anno publicationis, tametsi Commissarius, & Pontifex è vita decedant, Bullæ privilegia tibi non pereunt: quia est gratia facta, quæ morte concedentis non expirat, uti latè diximus *tract.* 3. *de legib. di p.* 4. *punct.* 16. §. 5. de quo videri potest Boëtius *decis.* 346. Paris. *cons.* 117. *lib* 4. Roman. *leg. More num.* 62. *ff. de jurisdict. omnium judic.* Venetus *ibi*, & alii.

5. Item, nec Bulla tibi cessat ob publicationem Bullæ Cœnæ, quæ quotannis fit, in cujus fine revocat omnes facultates ab illis casibus absolvendi, nisi in eisdem facultatibus fuerint expressi: quia verè in Bulla Cruciatæ expressi sunt, & ab illis Confessarius electus absolvere potest: & ita tenet Manuel Rodrig. *in cruciat.* §. 9. *num.* 67. *dub.* 2. & *in addit.* §. 6. *n.* 62. Acosta *eodem, quæst.* 55. Villalobos 1. *part. sum. tr.* 27. *clausul.* 4. *n* 11. Quinimò nec Bulla tibi cessat anno Jubilei, uti dixi *tract.* 3. *de legib. disp.* 4. *part.* 21. §. 2. *n.* 3. quia est privilegium onerosum, quod non censetur revocari absque expressa illius mentione, & compensatione.

6. Finito anno naturali, vel publicationis, cessant omnia privilegia, & gratiæ ibidem concessa, ita ut nec vota commutari, neque absolvi à peccatis possis. Excipe tamen, nisi causa incepta fuisset, sicuti si confessionem ante finitum annum inchoasses, poteris eo finito perficere, & virtute Cruciatæ absolvi juxta textum *in cap. Gratum, c. Relatum. de officio delegati*, & colligitur apertè ex Bulla Latina dicente: *Expirante anno omnes supradictæ facultates, gratiæ, & indultæ expirant, tantúmque poterunt causæ pendentes ad finem perduci.* Atque ita tenet Henriquez *lib. de indulgent. c.* 20. *num.* 2. Man. §. 5. *n.* 2. Acosta *quæst.* 46. Villalobos *clausul.* 4. *n.* 12.

Punctum IV.

De Indulgentia plenaria, quæ in Bulla conceditur.

1. *Quibus plenaria indulgentia concedatur.*
2. *Bello personaliter inservientibus conceditur.*
3. *Nomine indulgentiæ plenariæ pleniſſimam etiam intelligi.*
4. *Requiritur prædictis ad consecutionem indulgentiæ confessio, si mortali graventur.*
5. *Semel in anno hæc indulgentia à prædictis militibus obtinetur.*
6. *Explicatur, qualiter concedatur indulgentia mittentibus pugnaturos.*
7. *Qualiter Clericis, & Religiosis spiritualiter milites adjuvantibus.*
8. *Qualiter taxatam eleemosynam suppeditantibus. Ubi, quomodo intelligendum sit, semel in vita, & semel in morte.*

1. Quatuor personarum generibus Bulla concedit indulgentiam plenariam. Primò, personaliter bello inservientibus. Secundò, inservientibus per alios. Tertiò, Clericis, & Religiosis spiritualiter milites adjuvantibus. Quartò media eleemosyna à Commissario taxata bello subministrantibus.

2. Primò ergo concedit Bulla plenariam indulgentiam iis, qui fideli zelo succensi, ad bellum personaliter suis sumptibus profecti fuerint, sive pugnaverint, sive aliud servitium gratis fecerint: dummodo per annum integrum perseverent in bello. His verò, qui ante belli expeditionem in ipso itinere, vel exercitu decedunt, aut ratione infirmitatis, alióve legitimo impedimento recedunt ab exercitu, similis indulgentia conceditur. Ut autem hanc indulgentiam prædicti consequantur, debent de suis peccatis esse contriti, eáque ore confiteri. Quod si ea præstare non possint, saltem votum illius habere debent.

3. Pro intelligentia hujus concessionis adverte, nomine indulgentiæ plenariæ pleniſſimam omnium peccatorum remissionem intelligi, sicuti *tractat. præcedenti* probavimus: & tradit in præsenti Antonius Gomez *ad* 1. *clausul. capit.* 7. *numero* 22. Emmanuel Rodriguez §. 8. *numero* 7. Sebastianus Acosta *quæstiunc.* 5. & colligitur manifestè ex nostra Bulla, quæ subministrantibus duo regalia pleniſſimam indulgentiam concedit. At non est verisimile majorem illis indulgentiam esse concedendam, quàm qui personaliter bello inserviunt. Ergo nomine plenariæ pleniſſimam intelligit. Item, illis concedit indulgentiam, quæ in anno Jubilei conceditur, quam secundùm omnes constat esse pleniſſimam. Aliis rationibus *supradicto tractat.* probavi, usu Ecclesiæ jam non distingui indulgentiam plenariam à pleniſſima. Unde, quando in Extravag. *Antiquor. de pœnitent. & remissionib.* dictum fuit, concedi indulgentiam non solùm plenam, pleniorem sed pleniſſimam; fortè, inquit Suarez *tom.* 4. *in* 4. *part. disput.* 50. *section.* 4. factum fuit ad majorem declarationem, & ad tollendos scrupulos, qui ex variis opinionibus oriri poterant. Etenim ex usu Ecclesiæ antiquo, ut advertit Navarrus *de indulgent. notab.* 9. Indulgentia plena, seu plenaria, significabat solam remissionem mortalium, quæ aliquando fuerunt confessa: plenior omnium mortalium, etiamsi confessa non fuissent: pleniſſima etiam venialium remissionem designabat: qui usus, ut probatum est, jam cessavit, & pro eodem usurpatur plena, plenior, & pleniſſima.

4. Secundò adverte, ad hujus indulgentiæ consecutionem, necessariam esse confessionem in re exhibitam, si fieri potest: nec sufficere fuisse militem confessum tempore Quadragesimæ, vel habere propositum tempore præcepti confitendi: quia his, qui absque confessione decedunt, eò quòd eam præstare non possint, concedit indulg. si corde fuerint contriti. Ergo signum est manifestum, eos, qui confessionem præmittere possunt, non satisfacere cordis contritione. Adde, quòd prædicta indulgentia à Confessario electo applicanda est. Ergo supponit Bulla ad indulgentiam confessionem esse necessariò præmittendam. Atque ita in præsenti docet Acosta *quæst.* 14.

Villalobos *clauſul.1. numer.2.* quod intelligendum eſt, ſi mortalibus te gravatum ſentias : ſecùs verò , ſi nullius peccati mortalis conſcientiam habes: quia venialium confeſſio, niſi expreſſis verbis injungatur, nunquam præſumitur expoſtulari. Præterquàm quòd in præſenti confeſſio videtur exigi , ut ſecurior diſpoſitio ad gratiam , & conſequenter ad indulgentiæ conſecutionem : quo caſu non eſſe neceſſariam confeſſionem ei , qui mortali ſe gravatum non ſentit, docuit Henriq. *lib.7. cap.12. numer.2.* Acoſta *in explicat. Cruciat quæſt.14.*

5. Tertiò adverte, abſque fundamento dixiſſe Rodriguez *in explicat. Bullæ, §. num.12.* & Villalobos *clauſul.2. num.3.* prædictos milites conſequi toties, quoties eo anno fuerint confeſſi , indulgentiam plenariam : ſiquidem Bulla expreſsè exigit pro indulgentiæ conſecutione , ut perſeverent in exercitu uſque ad finem anni. Ergo ante hunc terminum eam Indulgentiam conſequi non poterunt , niſi antea deceſſerint vel ob impedimentum infirmitatis , alteriúſve cauſæ receſſerint. Ergo falſum eſt, multipliciter eo anno Indulgentiam obtineri poſſe.

6. Secundum genus perſonarum , quibus Bulla indulgentiam plenariam concedit , ſunt omnes , qui ſuis expenſis milites miſerint ad bellum contra Eccleſiæ hoſtes,dummodo ſi mittentes fuerint Cardinales, Primates , Patriarchæ , Epiſcopi, filii Regum, Principes, Duces, Marchiones, & Comites, debeant mittere ad minus decem , aut ſaltem quatuor , ſi plures non poſſent : cæteri verò , cujuſcunque ſtatus , aut conditionis, Clerici, aut ſæculares, ſingulos mittant, ſi poſſint : ſi verò non poſſint, inter tres, vel quatuor unus mittatur, & ſumptus conferatur juxta cujuſque facultatem. Item , Capitula, Eccleſiæ , aut Monaſteria Regularium, etiam mendicantium, aut alia loca pia , ſi inter decem perſonas mittant militem unum, conſequentur Indulgentiam: præcedente tamen capitulari deliberatione. Eandem præterea indulgentiam obtinebunt ipſi milites miſſi alienis ſumptibus, ſi pauperes ſint. Sic Bulla. Hæc conceſſio facilem habet explicationem.Solùm adverte,ſi Communitas numerum decimum non attingat , non obligari expenſas integri militis ſolvere : ſed tantùm pro rata contribuere , ſicuti notavit Emman.Sà §.5. Villalobos *clauſul.2.in fine.* Si verò Communitas numerum decimum excedat , modo vigeſimum non attingat , ſatisfaciet unicum militem mittens , neque obligata eſt pro rata contribuere ad alium mittendum , aliàs unico milite miſſo nullus ex illa Communitate obtineret indulgentiam : quod videtur abſurdum.

7. Tertiò, conceditur indulgentia plenaria Clericis ſæcularibus aut regularibus, qui accepta facultate à ſuis Ordinariis,vel Prælatis, verbum Dei prædicant in exercitu , aut alia miniſteria eccleſiaſtica , aliáve quia opera exercent. Quod præſtare poſſunt abſque periculo irregularitatis , & abſque fructuum beneficiorum amiſſione , dummodo miniſtros idoneos ſibi Vicarios conſtituant , exceptis beneficiatis curam animarum habentibus : hi enim ſine Pontificis licentia beneficia deferere non poſſunt. Aliis verò Clericis habentibus beneficium, cui annexa eſt reſidentia, concedit Bulla , ut poſſint de licentia Ordinarii bello aſſiſtere, & inſervire: quia beneficiis, & illorum fructibus privantur : quæ omnia manifeſta ſunt, & ponderavit Rodriguez *in explicat. Cruciat. § 5. n.1.* Subdit deinde Bulla , milites prædicto bello inſervientes obligatos non eſſe ſervare jejunia Eccleſiæ, aut obligantia ex voto , poſséque diebus feſtis in rebus bellicis occupari. Aliqui hanc exceptionem jejuniorum ad Religioſos , & Clericos extendunt : ſed immeritò, cum Bulla ſolùm de militibus loquatur , ut manifeſtè conſtat ex illis verbis : *Y los ſoldados , que en eſta guerra eſtubieren , ſe declara no eſtar obligados à los ayunos , que por voto , ò precepto de la Ygleſia lo eſtubieran no eſtando en la guerra.* Sub nomine autem *militum*, non videntur Religioſi , & Clerici , miniſteria eccleſiaſtica exercentes, intelligi, præcipuè cùm ipſa Bulla concedat iis , quos ab obſervatione jejuniorum eximi , ut poſſint diebus feſtis in rebus bellicis occupari: quod Religioſis , & Clericis competere non poteſt.

8. Quartò, indulgentia plenaria conceditur omnibus iis , qui de ſuis bonis eleemoſynam à Commiſſario taxatam pro expeditione Bullæ erogaverint, quia non leviter cooperantur ad hoſtes Eccleſiæ, & inimicos fidei extirpandos. Advertit autem Bulla hanc indulgentiam ſemel in vita,& ſemel in morte concedi. Quæ reſtrictio non ſolùm competit concurrentibus ad bellum hoc temporali ſubſidio ; ſed etiam bello perſonaliter intereſſentibus , vel pugnatores mittentibus : quia intra annum nullus poteſt niſi ſemel. Indulgentiam plenariam obtinere. Nomine *mortis*, præſumpta intelligitur , ut conſtat ex his , quæ diximus *tract. de pœnit. aliſque in locis.* Et videtur apertè probari ex eo, quod ſtatuitur, hanc Indulgentiam per Confeſſarium applicari debere, qui non realem mortem , ſed periculum illius expectare poteſt : aliàs ſi ad obtinendam hanc indulgentiam mors cum effectu eſſet neceſſaria , nunquam Sacerdos applicare indulgentiam poſſet. Neque his obſtat , quòd dictum ſit *ſemel in morte :* quia intelligendum eſt ſemel illo anno in periculo mortis. Quare, ſi eo anno obtenta indulgentia in periculo mortis,in aliud periculum incidis ; non poterit tibi alia indulgentia applicari ex vi horum verborum ; benè tamen ſumpta alia Bulla eodem anno vel anno ſequenti. Et inde ſumitur non leve judicium Indulgentiam applicari non in morte reali ; ſed in periculo illius : alia fruſtrà tot Bullis idem privilegium concederetur.

Punctum V.

De aliis Indulgentiis , & ſpiritualibus commodis in Bulla contentis.

1. *Statuitur Bullæ clauſula , in qua hæ indulgentiæ , & commoda continentur.*
2. *Requiritur ad conſecutionem Indulgentiæ quadragenæ jejunium ſupererogationis.*
3. *Oratio vocalis debet eſſe , & ſupererogationis.*
4. *Qualiter jejunium requiſitum commutari poſſit.*
5. *Quid intelligatur per participationem omnium bonorum.*
6. *Conceditur ampliſſima ſtationum Indulgentia viſitantibus quinque Eccleſias , vel altaria.*
7. *Qualiter hæc viſitatio facienda ſit.*
8. *Conceduntur Indulgentiæ ad ſtationes Romanas pertinentes.*
9. *Hæ continent indulgentiam plenariam, eſto, contradica Cordub.*
10. *Satisfit contrariis.*
11. *Semel in die hæc Indulgentia poteſt obtineri.*
12. *Hæ Indulgentiæ ſtationum applicari defunctis per modum ſuffragii poſſunt.*

1. VT Indulgentias, aliáve ſpiritualia commoda in Bulla contenta integrè explicemus , placet , relicto ordine Bullæ , eam clauſulam referri , in qua prædicta continentur. Inquit igitur Bulla : *Iten, los ſuſodichos que no fueren , ni inbiaren , ſi contribuyeren, y ayudaren de ſus bienes , y de mas de la dicha contribucion , ayudaren voluntariamente por devocion dias que nofueren de precepto , y hicieren oracion, implorando la ayuda de Dios por la victoria contra infideles , y ſu gracia por la union , y confederacion de los Principes Chriſtianos. Y ſi no pudieren ayunar,*

ayunar por algun legitimo impedimento, hicieren otra obra pia à arbitrio de su Confesor o de su Cura. Todas quantas veces hicieren, durante el dicho anne, se les conceden, y relaxan misericordiosamente quince annos, y quince quarentenas de perdon de las penitentias à ellos impuestas en qualquiera manera debidas. 1. que sean participantes de todas las oraciones, limosnas, peregrinaciones, y tambien de las de Ierusalem, y de las demas buenas obras, que en la universal Yglesia militante, en cada uno de sus miembros, se hace.

2. Nomen quadragenæ *superiori tractat* dixi significare numerum quadraginta dierum jejunium in pane, & aqua. Unde quindecim quadragenæ erunt sexcenti dies Indulgentiæ. Ad consequendam hanc indulgentiam oportet esse jejunium supererogationis, quod fieri potest etiam in diebus præceptis Quadragesimæ & vigiliæ, si ex aliqua causa infirmitatis, laboris, vel ætatis à præcepto excusaris. Exigitur autem jejunium, & oratio supererogationis: quia ex supererogatione, & liberalitate remissionem peccatorum Pontifex concedit. Quod intelligendum est, si fieri potest: si enim obligatus esses ex voto omnibus diebus jejunare, posses hanc indulgentiam jejunio ex obligatione obtinere, ut benè notavit Eman. Rodrig. §. 7. *Cruciatæ, n.* 3. non enim deterioris conditionis esse debes, quàm alii, qui nulla obligatione intercedente jejunant: neque credendum est, Pontificem velle opus supererogationis in iis, qui nequeunt illud præstare.

3. Quoad orationem fundendam: in primis debet esse vocalis: quia est ex præscripto Pontificis, quatenus Pastor est Ecclesiæ visibilis, qui non præsumitur orationem purè mentalem præscribere, nisi id exprimat: posset autem eam pro consecutione Indulgentiæ præscribere: quia præscribit, non sub præcepto, sed sub directione, & conditione ad beneficium indulgentiæ concedendum. Secundò, debet esse libera, & supererogationis: quia ita indicatur in Bulla, præterquàm quòd hæc solet esse Pontificis mens, ad opera supererogationis mediis Indulgentiis excitare. Unde, si ex voto, vel præcepto tenearis orationem aliquam fundere pro victoria contra infideles, & Principum Christianorum pace, debes aliam orationem fundere, si indulgentiam lucrari velis. Quòd si solùm ad substantiam orationis obligatus sis; non tamen ad illius applicationem, existimat Manuel Rodriguez §. 7. *num.* 3. te hanc indulgentiam lucrari posse, si pro victoria contra infideles, & pace Christianorum Principum applices: quia jam ex fine libera est oratio. Orare prolixè non tibi est opus, sed quacunque oratione, etiam minima, satisfacies. Neque etiam necessarium est, expressam intentionem habere impetrandi victoriam contra infideles, & pacem Principum Christianorum: sat enim est, si intentionem horum virtualem habeas, ut benè notavit Emman. *dicto* §. 7. *in additionib. numer.* 5. Villalobos *claus.* 7. *numer.* 2.

4. Concedit Pontifex potestatem Confessario, vel Parocho, ut possit jejunium prædictum commutare: quod intelligi debet, quando ita impeditus es jejunare, ut virtute illius impedimenti à præcepto jejunii, si adesset, excusareris: quia aliàs censeri non potes legitimè impeditus, ut benè advertit Villalobos *dicta clausula* 7 *num.* 3. hanc commutationem, nec tu, neque alius præter Parochum, vel Confessarium electus, præstare potest: quia nemini alteri hæc potestas conceditur: faciendáque est commutatio in aliquod opus pium arbitrio commutantis: quod regulari debet spectato opere commutando, & qualitate, ac dispositione personæ, cui fit commutatio. Hæc ergo indulgentia non semel, sed sæpè intra annum obtineri potest, quoties opus injunctum præstiteris: quia sic cavetur in Bulla.

5. Quid autem intelligatur per illam participationem omnium bonorum quæ in Ecclesia fiunt, *superiori tract.* explicuimus: ibi enim diximus, tria in nostris actibus bonis reperiri. Primum est meritum de condigno gratiæ, & gloriæ, de quo Trid. *sess.* 6. *cap.* 16. & *can.* 32. Secundò, vis satisfaciendi Deo pro pœna temporali ex peccato remissò debita. Tertium, meritum de congruo, seu vis impetrandi, & sibi, & aliis aliquod bonum spirituale, vel temporale, quod in bonum personæ cedat. Meritum de condigno operanti tantum deservit, & nemini applicari potest: solus enim Christus, ut inquit Trident *sess.* 6. *cap.* 16. tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influit, juxta Paul. *ad Rom.* 12. *num.* 5. At satisfactionem, & sibi, & alteri applicare operans potest, modò uterque in gratia existant: operans ut satisfactionem habeat: is, cui applicatur, ut capax illius sit. Meritum verò de congruo, & impetratio etiam peccatoribus & esse, & applicari potest. Est tamen latum discrimen inter satisfactionem, & impetrationem: quòd satisfactio infallibilem habet effectum, si is, cui applicatur, capax illius existat: secùs verò impetratio, quæ non semper effectum sortitur: sed, quando Deo placitum est. Deinde triplex inter membra viva Ecclesiæ reperitur communicatio. Prima generalis, quatenus Deus, intuitu operum alicujus Sancti, aliis dona spiritualia quandocunque concedit: quam universalem communicationem esse in Ecclesia testatur Symbolum Apostolorum *Communionem Sanctorum* credendam præscribens: & cecinit David *Psal.* 118. *num.* 63. dicens: *Particeps ego sum omnium timentium te.* Secunda est specialis ex applicatione ipsius operantis: vel, ut aliis placet, etiam sui Superioris. Tertia, communicatio fit per applicationem indulgentiarum ex thesauro Ecclesiæ satisfactiones Christi & Sanctorum continente. His positis, dicendum est. Per concessionem hujus clausulæ non applicantur fructus spirituales, & orationes fidelium fumentibus Bullam, quantum ad satisfactionem: quia absque injuria non potest quis ea satisfactione, qua eget, privari contra ejus voluntatem. Applicantur tamen quantum ad meritum de congruo, & vim impetrandi bona spiritualia fidelium fumenti bullam, ex vi cujus applicationis factæ per supremum Prælatum, scilicet, Romanum Pontificem, orationes, & pia opera fidelium totius Ecclesiæ, seclusa alia speciali operantium applicatione, prosunt fumenti Bullam, ut divina clementia inflectatur ad miserendum, & eruendum eum à peccato, si fortè in illo existat. Si autem in gratia sit, ut cumulatiora beneficia impendat, quibus in vita spirituali magis, ac magis proficiat.

6. Præter dicta concedit bulla ampliſſimam stationum indulgentiam omnibus illis, qui singulis diebus stationum almæ urbis quinque Ecclesias vel altaria, seu in eorum defectu quinquies unum altare devotè visitaverint, precesque pro victoria contra infideles, & unione Christianorum Principum fuderint, ut omnes, & singulas indulgentias stationum intra, & extra muros prædictæ urbis, tam per se, quàm per modum suffragii pro defunctis, pro quibus visitaverint, consequantur.

7. Ad cujus declarationem primò adverte, ex defectu quinque Ecclesiarum, vel altarium sufficere unum quinquies aut duo bis; aut ter visitare: nec opus est, ut eam visitationem facias te ex uno loco in alium transferendo, sed ex eodem loco omnes visitationes perfici possunt, si ex animo te ad singula altaria convertas, sicuti neque est necessarium, ut quinquies Ecclesiam, in qua solùm est unicum altare ingrediaris: sed unico ingressu, vel absque illo, si forte ibi reclusus sis, poteris quinquies idem altare visitare, si orationem quinquies fundas ex intentione

quinam visitationem præstandi, uti notavit Eman. Rodrig. *in addit. ad Cruciat. §.8. num.7.* Acosta *q.34.* Villalob. *clausul.8. numer.6.* Eman. Sà *verbo, indulgentia, n.6.* Bonac. *disp.6. quæst.1. part.5. n.25.* Nomine altaris intelligitur oratorium per Episcopum approbatum pro celebratione Missæ. Et quamvis sint quinque Ecclesiæ in loco quas optimè visitare posses, non teneris, quicquid dicat Eman. §.8. *num.8.* sed potes quinque altaria in eadem Ecclesia visitare: quia bulla disiunctivè petit quinque Ecclesias, vel altaria, & notavit Villalob. *clausul.8 n.4.* Visitatio autem debet esse devota, & ex animo formali, vel virtuali indulgentiam obtinendi, uti *superiori tract.* diximus.

8. Secundò adverte, concedi indulgentias, non quæ Romæ sunt singulis diebus; sed, quæ ad stationes pertinent, uti docuit Emman. Rodrig. §.8. *n.1.* cum Authore Compend. privileg. Minor. *tit. indulgentiæ.* Villab. *clausul.8. num 1.* ideoque Commissarius in bulla Hispana solùm refert indulgentias, quæ ad stationes Romæ pertinent.

9. Sed an hæ indulgentiæ sint plenariæ, difficultate non caret. Negant Cordub. *de indulgent. q.38.* Casarub. *in Compend. privilegior. Minor. titul. Indulgentiæ stationum.* Moventur: quia bulla non exprimit indulgentiam plenariam, quæ videbatur necessariò exprimenda, ut censeretur concessa, tum ob regulam Cancellariæ statuentis sub nomine indulgentiæ plenariam non comprehendi; nisi illius fiat expressa mentio; tum quia indulgentiæ concessio non latè; sed strictè videtur interpretanda. Deinde, si singulis diebus stationum plenariam indulgentiam visitantibus quinque Ecclesias, vel quinque altaria Pontifex concedit, ut quid semel tantùm in vita, & in morte indulgentiam plenariam impertivit.

Cæterùm omninò tenendum est, indulgentiam plenariam *ibidem* concedi. Nam esto, stationes urbis fuerint à Gregorio Magno cum septem annis indulgentiæ pro singulis diebus institutæ, ut bene notavit D. Thom. *in 4. quæst20. art.3. & in add. quæst.21. art.2.* Turrecrem. *cap. Mensura de pœnit. distinct.1.* postmodum tamen iis indulgentiis accesserunt omnes illæ quæ septem Ecclesiis Romæ præcipuis, nempe, Lateranensi S. Petri, S. Pauli, S. Mariæ majoris, S. Laurentii extra muros, SS Fabiani, & Sebastiani extra muros, S. Crucis in Hierusalem, eodem die concessæ sunt, quibus omnibus innumerabiles indulgentiæ conceduntur, ut probat Emman. Rodrig §.8. *n.4. & 5.* & specialiter indulgentia plenaria est concessa quolibet die visitantibus Ecclesiam Lateranensem. Unde Pontifex concedens indulgentias visitantibus quinque Ecclesias, vel altaria, quæ conceduntur iis, qui personaliter stationes Romanas præstant, expressè & satis manifestè indulgentiam plenariam concedit, & ita Commissarius absque ulla dubitatione in fine bullæ affirmant, sciente Pontifice, & permittente imò approbante, & confirmante, ut patet ex litteris Gregorii XIII. datis 15. Julii, anno 1573. in quibus ultima clausula, postquam Commissario concedit, ut illud originale possit in linguam Hispanam transcribere, additis etiam nominatim pro singulorum notitia diebus stationum totius anni, intra & extra muros hujus almæ urbis.

10. Neque obstant contraria: non primum, quia satis Pontifex indulgentiam plenariam expressit, exprimens se concedere, quæ conceduntur, Romanas stationes visitantibus, sicuti ipse Author Compendii *verbo, Indulgentiæ stationum quoad Fratres. §. cap.1. aliàs 15.* & habetur *in Supplement. fol.60.* fatetur Minoribus concedi indulgentiam plenariam recitantibus sex *Pater noster*, & sex *Ave Maria*, cum *Gloria Patri*, &c. eo solum quod Leo X. concesserit id præstantibus posse consequi indulgentias stationum Romæ, Hierusalem; & S. Jacobi Neque verum est, hanc indulgentiam concessionem strictè interpretandam esse; cùm in earum relatione Pontifex signo universalissimo utatur, *omnes & singulas.* Præterquam quòd secundùm Innocent. Joan. Andream, & Glossam *Clement. unic. de Reliq. & venera Sanctor. verbo Concessio.* non decet indulgentias avarè interpretari, quibus concordat Sylvest. *verbo, Indulgent. q.6. dicto 3. & quæst.8. dicto 4.* Angel. *in principio.* Non obstat secundum: quia esto specialiter illæ duæ indulgentiæ plenariæ concedantur, non inde infertur, alias concedi non posse sub generali ratione.

11. Hanc indulgentiam plenariam semel tantum in die obtinere potes: nam esto verum sit, indulgentiam indefinitè concessam absque ulla temporis determinatione obtineri posse toties, quoties prudenter, & devotè opus injunctum præstatur, uti diximus *superiori tract.* secùs tamen quæ temporis determinationem habet unius diei, ut est præsens, quæ computatur, ut inquit Mandos. *titul. de indulgentia. fol.69* primis vesperis usque ad occasum diei sequentis: quia ea determinatio temporis ita brevis tacitè indicat intentionem esse Pontificis, ut semel tantùm obtineatur, ut bene notavit Suar. *de indulgent. disp.37. sect 1. in fine.* & nos diximus *superiori tr.* Quare eam indulgentiam, quæ Romæ stationibus correspondet, obtinebis visitans quinque Ecclesias, vel altaria qualibet hora diei, seu noctis, semel tantùm, & non pluries, quicquid dicat Emman. Rodrig. §. 8. *n.15.* Villalob. *clauf.8. n.8.*

12. Tertiò adverte, has indulgentias stationum te applicare posse per modum suffragii defunctis, quæ est specialis gratia, & favor. Qualiter autem hæc applicatio fiat, & an habeat effectum infallibilem, & qualiter distinguatur ab applicatione indulgentiæ vivis fidelibus concessæ, *superiori tr.* explicatum est.

Punctum VI.

De privilegiis tempore interdicti concessis.

1. *Solvitur clausula concessionis Hispana, & Latina.*
2. *Conceditur facultas Oratorium habendi approbato loco ab Ordinario.*
3. *Explicatur prædictum privilegium.*
4. *Conceditur sumenti bullam in prædicto loco celebrare, vel celebrari facere, etiam tempore interdicti.*
5. *Conceditur, ut divinis assistere possit in dicto Oratorio, & in Ecclesiis specialiter non interdictis.*
6. *Item, ut ejus familiares, domestici, & consanguinei assistere divinis possint.*
7. *Qui nomine familiarium, & domesticorum intelliganter.*
8. *Qui sub consanguineis.*
9. *Prædicti etiam, absente domino, possunt divinis assistere.*
10. *Ex licentia Commissarii potest celebrari, vel celebrare facere per horam, antequam eluceſcat, vel per horam post meridiem.*
11. *Item, potest sumere Eucharistiam, aliaque Sacramenta tempore interdicti.*
12. *Præmittuntur aliqua pro prædicti privilegii declaratione.*
13. *Statuitur privilegium.*
14. *Negant plures, te virtute hujus privilegii recipere posse Eucharistiam à simplici sacerdote.*
15. *Verius est oppositum.*
16. *Satisfit contrariis.*
17. *Ut prædicta privilegia prosint, requiritur, ne causam interdicto dederit. Deinde, ut specialem orationem fundat, si Oratorio usus fuerit.*
18. *Habenti bullam conceditur, ut tempore interdicti sepeliri possit cum moderata pompa.*

19. *Quid*

19. *Quid nomine moderatæ pompæ intelligatur.*
20. *Prædicta privilegia non habent locum tempore cessationis.*

1. BUlla Hispanica sic inquit : *Item, concede su Santidad a todos los susodichos, y à los que no fueren, ni anbiaren, si de sus bienes liberalmente contribuyeren, y ayudaren para esta santa obra con la limsnona infra escrita, que durante el dicho año que corre desde el dia de la publicacion desta Bula en cada lugar puedan goçar y goçen de todas las gracias, y facultades concedidas en esta bula, conviene à saber que puedan en tiempo de entredicho, apostolico, ò ordinario oyr Missa en las Yglesias, ò Monasterios, ò en Oratorio particular señalado, ò visitado per el Ordinario, decir Missa, y otros divinos Oficios por sus personas, si fueren Presbyteros, ò hacer celebrar à otros, en su presencia, y de sus familiares, y parientes, y recibir el santissimo Sacramento de Eucharistia, y los demas Sacramentos, salvo en el dia de la Pascua, conque ellos no ayan dado causa al tal entredicho, ni aya quedado por ellos que se quite. Y conque las veces que quisieren usar del dicho Oratorio para lo que dicho es rezen, y hagan oracion conforme à la devocion de cada uno por la conservacion de la union de los Principes Christianos, y victoria contra infieles. Iten, concede, que en tiempo de entredicho puedan ser sepultados los cuerpos de los muertos en sepultura ecclesiastica con moderada pompa funeral.*

Bulla Latina aliqua addit, quæ hanc concessionem clariorem reddunt : inquit enim Summarium Latinum : *Conceditur, ut dicto anno durante possint in Ecclesiis, in quibus aliàs divina Officia interdicto durante, quomodolibet celebrare permissum fuerit, vel in privato Oratorio ad divinum cultum tantum deputato ab Ordinario visitando, & designando, etiam tempore interdicti, cui ipsi causam non dederint, vel per eos non steterit, quominùs amoveatur,* (& qui facultatem ad id à Commissario generali habuerint, etiam per horam, antequàm eluceſcat dies, & per horam post meridiem,) *in sua, ac familiarium, & domesticorum, & consanguineorum suorum præsentia, Missas, & alia divina Officia per se ipsos, si Presbyteri fuerint, celebrare, vel per alium celebrari facere, & tempore interdicti divinis interesse. Eis tamen, qui privato Oratorio ad præmissa uti voluerint, ut quoties id fecerint, aliquas preces Deo pro unione Principum Christianorum contra infideles, eorundem contra eosdem victoria fundere teneantur, imponitur. Item, Eucharistiam, & alia Sacramenta, præterquam in die Paschatis, recipere. Item, mortuorum corpora, nisi forte vinculo excommunicationis innodati decesserint, cum moderata funerali pompa sepelire.*

2. In hac clausula primò conceditur facultas habendi Oratorium privatum ad celebrandum quocunque anni tempore : uti cum Henriq. aliisque Neotericis notavit Joan. de Salas *in explic. Cruciat. q.* 19. Nam esto, id in prædicta concessione non habeatur expressè, manifestè supponitur : tum, quia conceditur, ut in privato Oratorio tempore interdicti celebretur. Ergo supponitur concessum aliis temporibus, utpote quod minus est, ex reg. juris, in 6. *Cui conceditur quod est plus : conceditur, quod est minus.* Tum, ex illa dictione, *etiam*, quam addit Bulla Latina, quæ casum difficiliorem, & magis dubitabilem exprimit, supponit tamen faciliorem, & minùs dubitabilem, qualis erat extra tempus interdicti, argum. leg. *Conventicula, Cod. de Episcopis, & Cleric.* leg. *Etiamsi Cod. Si tutores, vel curatores.* & Clem. *Religiosus, de præscript.* & Clem. unica *de supplenda negligentia Prælatorum.* Clement. *Nolentis, de hæretic.* & in eisdem Zarabella. Quod procedit etiam in materia stricta, & exorbitanti, ut tradit Menoch. *de recuper. poss. ff. n.* 256. Selva *cons.* 64. *n.* 10. Jure namque communi celebrari non potest alibi, quàm in locis consecratis, seu ab Episcopo benedictis, nisi fortè summa exegerit necessitas ex textu in cap. *Sicut non alii, de consecrat. dist.* 1. cap. *Missarum*, cap. *Hic ergo* & aliis *eadem dist.* & cap. *Episcoporum, de privileg. in* 6. ubi oppositum facientes ab ingressu Ecclesiæ interdicuntur : & ex Concil. Trident. *sess.* 22. *decreto de observand. & vitand. in celebrat. Missar.* ubi excipitur Episcopi dispensatio. Bulla ergo concedit sumenti ipsam, ut possit habere privatum Oratorium, & in eo Missas celebrare, vel celebrari facere, dummodo Oratorium sit divino tantum cultui deputatum, & ab Ordinario designatum, juxta formam in Tridentino præscriptam, & dum eo quis utitur, fundat preces pro unione Christianorum Principum, & eorundem contra infideles victoria.

3. Quòd si roges, quid operatur hoc bullæ privilegium, si expectanda est Episcopi approbatio, visitatio, & designatio ? Respondeo, multum operari. Primò, non esse opus licentiam, & facultatem Ordinarii, sed solùm illius designationem, seu approbationem, etiam absque necessitate urgente, uti dicitur cap. *Sicut non alii, de consecrat. dist.* 1. Secundò, at non requiratur approbatio Ordinarii illius loci ; sed cujuscunque Ordinarii approbatio sufficiat, sicuti in Confessore electo docent plures approbationem cujuscunque Ordinarii, sive loci, sive pœnitentis, sive Confessarii sufficere. Tertiò, & præcipuè operatur, ut Episcopus sit obligatus, & cogi possit approbationem concedere, si locus decens est, & divino cultui deputatus, idque indicant illa verba, *ab Ordinario visitando, & designando.* Neque oportet Oratorium antè esse divino cultui deputatum : sat est per illam approbationem, & Episcopi designationem deputari : profana enim sacra fieri possunt. Quòd si postmodum profanis usibus deserviat, nova deputatione Ordinarii indigebit. Moneo tamen, hoc Oratorii privilegio magna cum moderatione uti debere, argumento textus. *Si quis etiam extra parochias, de consecrat. dist.* 1. ubi iis, quibus aliàs permissum erat habere Oratoria privata, præcipitur ut in diebus solemnibus Paschæ, Natalis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, Sancti Joannis Baptistæ, & qui alii dies maximi in Festivitatibus habentur, ut inquit textus nisi jubente Episcopo, vel permittente, Sacrum non audiant, & Clerici in his festivitatibus ibi Missas celebrantes à Communione priventur, tametsi hæc lex ut inquit Sylvest. *Missa,* 2 *q* 5. §. 1. Navar. *c.* 21 *n.* 6. contraria sit consuetudine abrogata.

4. Secundò, conceditur sumenti Bullam, ut possit in prædicto Oratorio celebrare, vel celebrari facere, etiam tempore interdicti, quod est speciale privilegium. Nam esto, haberes facultatem Oratorii, ut in eo celebrarentur divina ; non tamen ea facultas ad tempus interdicti extenditur, ut colligunt communiter Doctores ex cap. *Alma mater de sentent. excommunicat. in* 6. quia de jure antiquo nullibi divina celebrabantur tempore interdicti, nisi pro sacræ Eucharistiæ renovatione, ut inquit Suar. *tom.* 5. *in* 3. *p. disput.* 34. *de secundo effectu interdicti, sect* 1. *num* 2. & 3. Stephan. Davila *de censur.* 5. *part. dist.* 4. *sect.* 2. *dub.* 3. §. 2. At ex concessione illius cap. *Alma mater*, ut ait Covarr. *ibi*, 2. *par. relect.* 9. 4. *n.* 1. solùm conceditur quotidie Missas celebrari non in omni loco, sed in Ecclesiis, & Monasteriis. Quare ex vi illius concessionis in locis, & Oratoriis privatis tempore interdicti non licebit celebrare, ut benè Covarruv. & aliis *suprà*. Concedit ergo Bulla, ut liceat tempore interdicti, sive Ordinarii, sive Apostoli, in Oratorio privato celebrare, seu celebrari facere.

5. Tertiò, concedit, ut sumens Bullam tempore interdicti, possint audire Missam, & alia Officia divina, sive in Ecclesiis, in quibus aliàs divina Officia inter-

dicto durante quomodolibet celebrari permissum fuerit: sive in Oratorio privato, sicuti dicit originale Latinum. Pro cujus explicatione oportet advertere, per interdictum non removeri Sacerdotes à divinis Officiis celebrandis: quia, etsi olim tantùm pro confíciendo Viatico morituris fuerit permissum, tempore interdicti celebrare, juxta cap. *Permittimus, sed sentent. excommunicat.* At postmodum in cap. *Alma mater de sentent. excommunicat. in* 6. rigor iste temperatus est, & permissum, quòd singulis diebus in Ecclesiis, & Monasteriis Missa, & alia divina Officia celebrentur, sicut priùs: submissa tamen voce, januis clausis, & campanis non pulsatis: de quo videri potest Cov. 2. *part. relect. in d-c. Alma*, §. 4. *num.* 4. Suarez *de censur. disp.* 34. *sect.* 1. *à num.* 2. Stephan. Davila. *de censur.* 5. *part. disp.* 4. *sect.* 2. *concl.* 3. Neque solùm Sacerdotibus licitum est lege, & jure communi; sed Clericis etiam primæ tonsuræ, modo excommunicati, vel interdicti non sint, neque interdicto causam dederint, licet Missam audire, & alia divina Officia celebrare, uti affirmant Angel. Sylvest. Navarr. Henriq. quos refert, & sequitur Avila *locis citat. concl.* 3. Covarr. §. 4. *numer.* 4. Nomine Clerici veniunt Religiosi utriusque sexus: quia in favorabilibus, nomine Clerici intelliguntur omnes illi, qui laïci non sunt, ex cap. *Duo sunt*, 12. *q.* 1. & sub Religiosis Novitii comprehenduntur, ut colligitur ex cap. *Non dubium, de sentent. excommunicat.* & cap. *Religiosos, eodem tit in* 6. Ab his excipiuntur Clerici conjugati, quamvis habeant tonsuram, & habitum gestent clericalem: quia ratione conjugii privilegiis Clericorum, quibus aliàs frui deberent, privantur, ut notavit Navar. *cap.* 27. *n.* 174. Covarru. *dicto* §. 4. *n.* 4. *illat.* 10. Avila *suprà, concl.* 4. nisi fortè servitio alicujus Ecclesiæ addicti sint, quia eo ipso omnibus Clericorum privilegiis gaudent, juxta textum in cap. *Clericis de Clericis conjugat. in* 6. & tradit in præsenti Rodrig. §. 5. *n.* 4. Quibus positis, infertur manifestè, solùm laïcis concedere Bullam privilegium, tempore interdicti celebrandi, vel celebrationi, aliisque divinis Officiis assistendi: quia soli laïci per interdictum ab his omnibus removentur. His ergo concedit Bulla, ut possint divinis assistere in Ecclesiis, in quibus aliàs permissum fuerit, divina Officia, interdicto durante quomodolibet celebrare. Nam in Ecclesiis, in quibus non est permissum celebrare, eò quòd specialiter interdicuntur, nulla ratione Bulla privilegium concedit ibidem assistendi: tametsi divina celebrentur, ut benè docuit Covarru. *loc. alleg. num* 1. Vasq. *tom.* 3. *in* 3 *part. disp.* 219. *cap.* 2. *n.* 43. Villalob. *claus.* 4. *Bullæ, num.* 14.

6. Quartò, conceditur in supradicto privilegio, ut non solum ipsi, sed etiam ejus familiares, & domestici, & consanguinei possint Missas audire, & divinis interesse. Bulla tamen Hispana mentionem solùm fecit familiarium, & consanguineorum non domesticorum. Ex quo aliqui inferunt, verbum, *domestici*, potiùs restringere, quam ampliare, ut supponat solùm pro familiaribus, qui domi commorantur, ut colligitur ex Navarr *c.* 27. *n.* 181. Sed immeritò hæc fit restrictio, cùm extra domum domini habitent plures, qui sumptibus domini aluntur, quippe verè familiares sunt, imò & domestici dici possunt quia ad ipsam domum pertinent.

7. Ut ergo hæc concessio manifesta sit, suppono, jure communi habenti privilegium tempore interdicti audiendi Sacrum divinisque assistendi: posse secum deferre omnes illos, qui illum solent comitari, juxta textum in cap. *Licet.* 11. *d. privileg. in* 6. Quòd si ex his aliqui absint, vel ægrotent; potest totidem assumere, ne decenti, debitóque comitatu privatus incedat. Quare cùm ipsi solùm in gratiam domini divinis assistant, & propter officium comitatus, si dominus absit à sacro, ipsi interesse non possunt, an verò Dominus possit audito sacro, alteri interesse in gratiam famulorum, qui aberrant; non caret difficultate propter Gloss. *dicto c. Licet.* quæ id negat. Sed Avila *de censur. 5. p. disput. 4. sect. 2. dub. 7.* §. *Notandum.* probabile reputat, fieri posse: quia non astringitur dominus unico sacro assistere; sed pluribus adesse potest. Hoc posito; cùm privilegium bullæ aliquid operari debeat ultra jus commune, ne inutile sit argument. text *in cap. in his.* 30. *de privileg.* & tradit ibi Hostiens. *& in c.* 1. *de rescript.* & aliis relatis docent Gonzal. *reg.* 8. *Cancel. gloss.* 35. *n.* 7. efficitur sanè, nomine familiarium & domesticorum non solùm intelligi eos, qui dominum comitari solent; sed omnes illos qui sub ejus potestate & domino degunt, proinde nepotes, filii, servi, famuli, vxor, comparatione viri, & vir comparatione uxoris, comprehenduntur, quia verè & in rigore hi ad familiam pertinent, & domestici sunt; tametsi dominum non comitentur, uti docuit Gloss. *in c. in literis de testib.* Sylv. *verbo familiaris.* Angel. *verbo. Familia. in princip.* Navar. *c.* 27. *n.* 180. *& seqq.* Duenas *reg.* 3005. Hi ergo omnes, eò quòd dominus bullam susceperit, possunt divinis non solùm in Oratorio, sed à fortiori in Ecclesia assistere.

8. Præter familiares, & domesticos conceditur sumenti bullam in ejus gratiam, ut consanguinei divina audire possint tempore interdicti Nomine consanguineorum, inquit Henriq. *l.* 7. *indulg. c.* 13. *num.* 2. intelligi uxorem, filios, partem, & matrem: quia non videtur ultra primum gradum concessio extendenda. At rectius Rodrig. §. 5. *num.* 5. *in fin.* & Villalob. *claus.* 4. *n.* 16. existimant comprehendi omnes cognatos, tam ascendentes, quam descendentes & collaterales usque ad quatum gradum: quia omnes hi consanguinei dicuntur. Uxorem verò comparatione mariti, & maritum comparatione uxoris, & omnes alios affines existimarem non comprehendi: quia vere consanguinei non sunt: atque ita placuit Joan. de Salas *in expl. Cruciat.* 19.

9. Sed difficultas est, an prædicti familiares, domestici, & consanguinei divinis interesse possint, absente domino, qui bullam habet? Negat Rodrig. *in addit. Cruciat.* § 5. *n.* 5. Villalob. 1. *p. summ. tract.* 27. *claus.* 4. *n.* 16. Moveri possunt: quia in gratiam habentis bullam hoc illis privilegium conceditur. Sed rectiùs Joan. de Salas *dicta quæst.* 19. *post. princip.* affirmat: quia nullum est fundamentum in bulla, ex quo colligitur debere dominum adesse: nam esto, in gratiam ipsius familiaribus, & consanguineis hoc privilegium concedatur, non tamen restringitur, ut in præsentia domini, & non in illius absentia frui illo debeant. Quinimo oppositum non leviter infertur, inquit enim tam bulla Hispana, quàm Latina *Poterit tempore interdicti, etiam in Oratorio celebrare, vel celebrari facere in sua & familiarium, & domesticorum, & consanguineorum præsentia.* Ergo sicut potest facere celebrari in sola sua præsentia, poterit in sola familiarium, & consanguineorum.

10. Quintò, habenti bullam conceditur, ut celebret, vel celebrari faciat, in sua, suorumque familiarium, domesticorum, & consanguineorum præsentia (si facultatem obtinuerit à Commissario generali) per horam antequam eluceat, vel per horam post meridiem. Nam cùm jure communi, & consuetudine recepta ante auroram, neque post meridiem celebrari possit, necessarium fuit hoc privilegium, ut Missa ante auroram, & post meridiem per horam celebraretur. Quapropter virtute illius poterit Missa inchoari duabus horis cum dimidia ante Solis ortum, & prima hora post duodecimam in Meridie, sicuti notavit Acosta *in explicat. bullæ q.* 33.

11. Sextò conceditur habenti bullam, non ejus familiaribus, neque consanguineis, ut possit tempore interdicti recipere Eucharistiam, & alia sacramenta, præterquam in die Paschæ. 12. Pro

12. Pro cujus declaratione nota, tempore interdicti esse prohibitum tria tantùm Sacramenta, Eucharistiam, videlicet, Ordinem, & extremam unctionem ministrare. Nam Baptismus non est prohibitus neque parvulis, neque adultis, cap. *Quoniam* 19. *de sentent. excommunicat. in 6.* & docuit Covar. *in cap. Alma. 2. p. § 2. num.7 vers. Verùm quæstio. post med.* Henriquez *de interdicto. capit.45. numer.1. & capit.53. numer.4.* Avila *de interdicto, disp.4. sect.1 dub.4. conclus.1.* Suar. *de interdicto, disp.33. sect.1. à numer.2.* Idem, quod dicitur de Baptismo, dicendum est de pœnitentia ob ejus necessitatem, sicuti firmant prædicti Doctores Neque etiam est prohibita Confirmatio ex eodem cap. *Quoniam*, &c. *Responso de sentent. excommunic.* & docuit Navarr. *cap.27. numer.178.* Covar. Henriq. Suarez & Avila *loc. alleg.* Matrimonium item prohibitum non est, uti docuit Sylvest. *Interdictum 5. quæst.7. part.5* Navarr. *cap.21. numee.178.* Covarr. *d. §.2. numer.7.* Henriquez *capit.45. numer.3.* Avila *dub.6. concl.1.* Neque dissentit Suarez nam esto *num.46.* videatur sentire matrimonium tempore interdicti prohiberi : at *numer.58.* ratione consuetudinis propender in sententiam communem. Benedictiones nuptiales ex communi sententia, teste Suarez *num.47.* Avila *dub.6. conclus.3.* prohibitæ sunt, nisi fiant cum iis circunstantiis, quibus Missa licitè potest celebrari, juxta textum *In cap. Alma mater.* ut notavit ibi Covarr. *2. p. §.2. numer.7.* Quare tempore interdicti indigebant bulla conjuges, ut benedici possint. Illa verò supposita admitti poterunt, sicut ad reliqua divina officia : quia sub officiis divinis continentur, ut advertit Suar. *disp.33. sect.1. num.4.* Avilla *dub.6 conc.4.*

Cæterùm, Eucharistiæ usum esse prohibitum tempore interdicti, nisi conferatur in viaticum ægrotantium, aut Sacerdos celebret; certa res est, ut docet Panormit. secutus Calderin. *in cap. Quod in te de pœnitent. remissionib. n.2.* Suar. *dist. disp.33. sect.1. n.31.* Avila *dub.5. conc.1.* ubi testatur pluribus relatis, dari Eucharistiam posse tempore interdicti damnatis ad mortem, muliere prægnanti in periculo mortis constitutæ, inchoanti periculosam navigationem, vel bellum inchoanti : quia non erat expediens Viatico privari ob interdictum. Nullo tamen modo clericis, more laicorum communicantibus, secluso hoc periculo, ministrari Eucharistia potest. De Sacramento Ordinis prohibitio constat ex cap. *Non est vobis de sponsalib.* & docet Covarr. *dist. cap. Alma 2. p. §.3. num.4.* Navar. *c.27. n.179.* Henriquez *cap.45. n.8.* Avila *dub.8.* Suar. *sect.1. à n.44.* Extrema Vnctio apertè prohibetur, cap. *Quod in te de pœnit. & remiss.* & notavit Suar. *n.58.* Avila *dub 7.* Navar. *num.168.* Henriq. *n.4.*

13. His positis, constat, virtute Bullæ concedi habenti illam, ut possit Eucharistiam, sive in Ecclesia, sive in Oratorio, præterquam in Pascha, id est, præter communionem paschalem, tempore interdicti recipere, itemque Ordinem, & extremam Vnctionem. Ex qua concessione à fortiori infertur, reliquis aliis temporibus, in quibus nullum est interdictum, posse Eucharistiam & alia sacramenta recipi, *ex reg. Cui licet, quod est plus de reg. juris in 6.* indicatque dictio *etiam*, quæ implicat casum difficiliorem, & supponit minus difficilem. Præterea exceptio debet esse de regula, ac de illius genere, & natura. *leg. Nam. quod liquide. §. final. in fine ff. de penu legata. leg 1. ff. de reg. juris*, ubi Decius *n.24.* Gloss. *in rub. de reg. juris in 6. post prin.* Cassador. *decis.8. n.5. de concess. præbenda.* & pluribus exornat Everar. *in loco ab exceptione ad regul.110. n.9.* Covar. *l.2. var. c.5. n.5.* At in prædicto privilegio sumendi Eucharistiam excipitur pascha tempus, in quo interdictum jure communi non est. Ergo illud privilegium non solùm de sumptione tempore interdicti, sed de sumptione extra tempus interdicti intelligi debet, aliàs inutilis esset talis exceptio, utpotè sub privilegio non contenta.

14. Sed est gravis difficultas, an ex supradicto privilegio habens bullam possit recipere Eucharistiam reliquaque Sacramenta à quolibet simplici sacerdote, à quo aliàs de jure non posset? Negant plures Neoterici cum Villalob. *dicta 1. p. sum. tract.27. claus.4. in fine.* Moventur : quia si Eucharistiam à quolibet simplice sacerdote, tam tempore interdicti, quàm extra recipere potes ob privilegium bullæ, etiam poteris Ordinem, & extremam unctionem recipere : quia pro iis omnibus Sacramentis, tempore interdicti recipiendis, facultas conceditur. At affirmaret à quolibet Sacerdote recipere posse extremam unctionem & à quolibet Episcopo Ordinem, est absurdum, & contra usum, & consuetudinem receptam. Ergo privilegium illud non personas, à quibus Sacramenta ministranda erant, sed tempus ministrationis spectavit, ut non obstante interdicto ministrarentur, ab illis tamen, à quibus de jure ministrari possunt : Deinde, si in prædicto privilegio contineatur facultas recipiendi Eucharistiam à quolibet sacerdote extra Pascha, parochi licentia minime requisita; itemque facultas suscipiendi reliqua Sacramenta, ut quid bulla *paulò inferius* concessit suscipienti ipsam, ut possit eligere sacerdotem approbatum, qui eum à peccatis absolvat ? Non igitur in prædicta facultate aliud continetur, quàm impedimenti interdicti remotio.

15. Cæterùm verius existimo ex vi prædicti privilegii te posse extra Pascha recipere Eucharistiam à quolibet sacerdote sive regulari, sive sæculari, tametsi aliàs facultatem non haberet. Sic docuit Suar. *t.3. in 3.p. disp.72. sect.2.* Vasquez *t.5. in 3.p. quæst.77. disput.219. capit.5. à numer.47.* Moveor, quia, ut ex *supradictis* constat, hoc privilegium non solùm est pro tempore interdicti, sed extra interdicti tempus. At si extra interdicti tempus privilegium non est suscipiendi Eucharistiam à quolibet simplici Sacerdote, nullum est privilegium; nam à proprio omnes recipere possunt : ergo ut privilegium illud aliquid operetur, affirmandum est, virtute illius quemlibet sacerdotem ministrare Eucharistiam posse habenti bullam, sive in Ecclesia, sive in Oratorio.

16. Neque obstant rationes contrariæ. Nam ex receptione Eucharistiæ non infertur, reliqua omnia sacramenta recipi à quolibet posse : sed ea tantùm, quæ à Parochis, & Sacerdotibus ministrari solent : quia de his est sermo, non de Sacramentis, quæ à solo Episcopo ministrantur : quippe jura episcopalia intacta esse debent. Quapropter ex vi illius facultatis non videtur improbabile, quod tradit Vasq. *d. cap.5. num.54.* extremam Vnctionem recipi à quolibet sacerdote posse, & pœnitentiam à quolibet approbato. Neque obest, quòd *inferius* concedatur facultas eligendi quemlibet approbatum : quia conceditur cum potestate ad absolvendum à reservatis, quæ potestas in hac priori concessione generali non continebatur. Neque inde fit, irrequisito Parocho posse quemlibet matrimonio assistere : quia matrimonium non ministratur à Parocho, sed sibi ipsis contrahentes ministrant; ideóque ibi pro matrimonii Sacramento nulla datur facultas. Ordo autem, & Confirmatio, utpote Episcopum propria, nequaquam conceduntur ab aliis, quàm propriis recipi. Ab illis tamen tempore interdicti recipi posse videtur.

17. Pro supradictis concessionibus advertendum est, duo à Pontifice exigi, ut quis temporis interdicti prædictis privilegiis gaudere possit. Primum, quòd interdicto causam non dederit, neque per ipsum stet, quin tollatur. Secundum, ut quoties usus fuerit Oratorio, vel ad celebrandum, vel ad faciendum celebrari

brari, vel ad assistendum ibi celebrationi, vel ad recipiendam Eucharistiam, orationes fundat pro victoria contra infideles, & Christianorum Principum pace. Primum ita necessarium est, ut nisi illud habeas, nullius privilegii ex supradictis capax existas. Non enim rationi consentaneum erat, interdicti prohibitionem tollere ei, qui causa est interdicti, vel occasio, ne interdictum cesset. Secundum non videtur ita necessarium, ideóque non sub forma conditionis exigitur in Bulla Latina, sicut primum: aliàs, si invincibiliter oratio omissa esset, nullum esset privilegium, teneretúrque illo utens ante omnia orationem præmittere, neque satisfaceret, si eam funderet, divinis assistens. Quod est contra communem praxim. Verùm esto, oratio non præscribatur, ut conditio ad usum privilegii: præscribitur tamen ut præceptum, ut constat ex illo verbo, *teneantur*, quod præceptum indicat. Sed, quia hæc non videtur materia gravis, sed levis nantùm: ideò illius omissio non excedet culpam venialem, sicuti doctissimi Theologi de hac re consulti radiderunt, teste Henriq. *lib.* 13. *sum cap.* 48. *num.* 4. *in comment. lit. Z.* Rodrig. *in Cruciat. addit.* § 5. *n* 4. Stephan. Davila 5. *p. de cens. disp.* 4. *sect.* 2. *dub.* 7. §. 4. Villalobos *tract.* 27. *claus.* 4. *n.* 7.

18. Tandem in prædicta clausula concessum est habenti Bullam, ut tempore interdicti possit, si decedat, sepeliri in loco sacro cum moderata pompa funerali. Quod esse privilegium constat. Nam, ut optimè observat Davila *de cens.* 5. *p. sect* 3. *dub.* 2. *concl.* 1. Suar. *disp.* 35. *de tertio effectu interd. sect.* 1. *concl.* 1. interdicto generali locali prohibita est ecclesiastica sepultura laicis tantùm, etiam pueris, ex cap. *Quod in te, de pœnit. & remiss.* & sumitur ex cap. *Cum & plantare* §. *Quod si.* & cap. *Ut privilegia de privil.* cap. *Episcoporum eodem tit. in* 6. & Clem. 1. *de sepultur.* Clericus namque absque privilegio, nisi ipse sit interdictus, potest in loco sacro sepeliri, ut tradunt supradicti Doctores, & colligitur ex text. alleg.

Privilegio igitur Bullæ tempore interdicti laïcus adultus, puer, amens, & phreneticus poterunt sepeliri in loco sacro, dummodo in vita ipsorum fuerit Bulla susceptа. Neque obstat, amentem, phreneticum, & puerum Bullam pro ipsis susceptam non acceptasse: quia esto non accepraverint expressè, præsumit Ecclesia, si discursum haberent, acceptaturos: & ob hanc interpretativam voluntatem privilegium illis conceditur, sicuti notavit Villalob. *dicto tract.* 27. *clausula* 5. *num.* 2. Et quamvis hoc priviregium sepulturæ contineatur in alio jam explicato recipiendi Sacramenta, & audiendi divina, quia privilegiatus ad recipienda Sacramenta, & audienda divina, eo ipso est privilegiatus ad sepulturam ecclesiasticam, ut docet Sylvest. *Interdictum*, 5. *q.* 10. *part.* 6. Antonin. 3. *p. tit.* 26. *c.* 4. §. 1. Avila 5. *p. de censur. sect.* 3. *dub* 4. *concl.* 1. Tametsi Suar. *disput.* 35. *sect.* 1. *num.* 13. cum Gloss. *Clement.* 1. *de sepultur.* & aliis, videtur refragari: nihilominùs ad majorem claritatem, vel ad tollendos scrupulos in re dubia, & in controversia Doctorum posita, optimo consilio additum, & expressum est hoc privilegium: ea tamen lege, ut fiat cum moderata pompa funerali.

19. Quod si inquiras, quid per pompam moderatam intelligatur: Respondet Eman. Rodrig. *in Cruciatam.* §. 5. *num.* 13. cum assentitur Villalob. *claus.* 5. tunc moderata pompa defunctum sepeliri, si ter tantum pro viris, bis pro fœminis cymbala pulsentur, & more solito apertis januis Officium defunctorum canatur, excepta Missa, ex declaratione Leonis X. anno 1516. tradit Cordub. *de Indulgent. quæst.* 3. *dub.* 5. & *in addit. ad comp. tit. Interd. vers. Quoad* §. 11. Secundo, respondet Rodrig. juxta Bullam Julii III. anno 1511. ex Commissarii declaratione, ut juxta Bullam Pii IV. anno 1565. pompam moderatam esse, si sepeliatur defunctus dimidiata solemnitate, ac cesset ea, quæ secundùm statum qualitatis personæ adhibenda foret, interdicto secluso. Ego verò censeo, standum esse consuetudini receptæ, & Episcopi declarationi, si adsit sin minùs Parochi, uti docent Ludovic. Lopez 2. *p. instruct.* ubi de Bulla, *cap.* 6. *fol.* 804. *col.* 2. Henriq. *lib.* 7. *de Indulgentiis, cap.* 13. *num.* 4. Man. *in Bullam.* §. 5. *n.* 12. Villalob. *claus.* 5. *num.* 3. In Hispania autem, teste Corduba, *de Indulgentiis, l.* 5. *q.* 40 *dub.* 4. & *in addit. ad Compend. interdict. vers. Quoad hoc.* §. 11. Avila *sect.* 3. *dub.* 4. §. *Sed major.* moderatam pompam non excedit, si defunctus deferatur in tono cantando, & cum solitis clamoribus, sepeliturque cadaver januis Ecclesiæ apertis, secundum quod habetur in Manuali Rom. sine Missa, nisi pro Missa, alia specialis concessio adsit. Additque Avila, relatis Sylvest Angel. Armilla, Tabiena, Soto, Henriq. *d. dub.* 2 *concl.* 3 *not.* 3. Clericis post cap. *Alma mater.* concedi sepulturam ecclesiasticam cum Officio defunctorum, & Missa, servatis conditionibus, & circunstantiis in dicto cap. *Alma.* præscriptis. Ex quo à paritate rationis extendit ad laïcos, qui hoc Bullæ privilegio tempore interdicti gaudent.

20. Supereſt dicendum, an prædicta privilegia pro tempore interdicti concessa locum habeant in cessatione à divinis? Ratio dubitandi sumitur ex Clement. 1. §. *Quod etiam* & §. *In cessationibus de sentent. excommun.* ubi interdictum generale æquiparatur cessationi à divinis. Ergo privilegia pro tempore interdicti extendi poterunt ad cessationem. Sed contrarium omninò tenendum est, scilicet, privilegia pro interdicto concessa nequaquam ad cessationem à divinis extendi. Sic testatur Joan. de Salas *in explicat. Cruciatæ, q.* 19. *circa finem*, sensisse plures Magistros Salmanticenses de hac re consultos anno 1563. & expressè tradit Navar. *c.* 27. *num.* 189. Covarr. *c. Alma mater.* 2. *p.* §. 4. *num.* 6. *vers. Nec tamen erit.* Henriq. *lib* 7. *de Indulgent. cap.* 30. *n.* 2. & *lib.* 13. *de interdicto, cap.* 53. *n.* 5. *in gloss. litt. P.* & *num* 6. Rodrig. §. 5. *n.* 8. Avila 6. *p. de cessat. à divinis, disp.* 1. *dub.* 5. Suar. *de censur. disp.* 38. *sect.* 2. *n.* 11. Acosta *quæst.* 29. Ratio est: quia tempore cessationis sistitur omninò à divinis Officiis, & solùm permittitur semel in hebdomada pro renovanda Eucharistia celebrare, ita ut solus Sacerdos cum ministro assistat, & concessio cap. *Alma.* ut inquit Covar. *suprà, n.* 7. Henriq. *c.* 53. *num.* 2. Avila *disp.* 1. *dub.* 3. §. *Secunda opinio.* Suar. *illa sect.* 2. *num.* 2. ad tempus cessationis non extenditur: ergo neque privilegia pro tempore interdicti concessa ad tempus cessationis extendi debent.

Neque obstat ratio dubitandi: quia in eo loco, quantùm ad aliqua æquiparatur interdictum generale cum cessatione; sed non inde infertur in omnibus esse cessationem cum interdicto assimilandam: in multis enim non conveniunt: nam interdictum censura est, ut apud omnes constat, cessatio non sic, sed simplex divinorum prohibitio, ut contra Sotum, & Covarruv. optimè confirmat Suar. *de censur. disp.* 38. *sect.* 1. ex Panormit. *in cap. Dilectis. de appellationib. num.* 18. Navarr. *c.* 27. *n.* 164. quos sequitur Henriq. *l.* 13. *c.* 52. *n.* 1. & *c.* 54. *in fine.* Avila 6. *p. disp.* 1. *dub.* 1. Unde videmus, ut prædicti observant cum Navarr. *dicto c.* 27. *n.* 188. violantem interdictum fieri irregularem: sed non item violantem cessationem.

Punctum VII.

De privilegio circa cibos vetitos.

Hispana Bulla, neque Latina dissentit, privilegium circa cibos vetitos in hæc verba promulgat: *Iten, concede a todas las personas, que tomaren esta Bula, que durante dicho año puedan de consejo de ambos*

ambos Medicos eſpiritual, y corporal, comer carne en Quareſma, y otros tiempos de ayuno, y dias prohibidos de comer carne por todo el ano: y que à ſi miſmo puedan libremente à ſu alvedrio comer guebos, y coſas de leche, de manera que los que no comieren carne, guardando en lo demas la forma del ayuno eccleſiaſtico, ſean viſtos aver cumplido, y ſatisfecho al dicho ayuno. Y en eſte indulto de comer guebos, y coſas de leche à ſu alvedrio, no ſe comprehenden los Patriarchas, Primados, Arcobiſpos, Obiſpos, ni otros Perlados inferiores, ni qualeſquiera perſonas regulares, ni de los ſeculares los Clerigos Presbyteros en quanto à los dias de la quareſma tanſolamente. Empero ſacanſe deſtos nombrados los que fu ren de ſeſenta anos, y todos los cavalleros de las ordenes militares, que los unos, y los otros podran comer guebos, y coſas de leche à ſu alvedrio, y gozar del dicho indulto. Hæc clauſula duplex privilegium continet. Primum circa eſum carnium. Secundum circa ova, & lacticinia.

§. I.

Explicatur privilegium de eſu carnium, tempore prohibito.

1. *Omnes habentes uſum rationis aliquibus diebus tenentur à carnibus abſtinere.*
2. *Qualiter intelligatur privilegium his diebus edendi carnes ex conſilio utriuſque Medici.*
2. *Expenditur ſententia Ioan. Sanch.*
4. *Reprobatur prædicta opinio.*
5. *Poſito hoc privilegio affirmant aliqui, te non poſſe bis, vel ter veſci carnibus ſi unica illarum comeſtio tibi ſufficiat.*
6. *Fertur judicium de prædicta ſententia.*
7. *An ſolutus à lege abſtinendi à carnibus ſolutus ſis à lege unius comeſtionis. Et præmittantur aliqua certa pro quæſtionis deciſione.*
8. *Prima ſententia negat, te eſſe ſolutum.*
9. *Secunda affirmat, te ſolutum eſſe.*
10. *Tertia diſtinctione utitur.*
11. *Judicium fertur de prædictis ſententiis.*
12. *Qualiter ſimul cum carnibus poſſis piſces comedere.*
13. *Quid, ſi Epiſcopus ſub excommunicatione prohibuerit eſum piſcium ſimul cum carnibus.*

1. SUpponendum eſt, non ſolùm ex conſuetudine, ſed jure communi ſcripto teneri omnes fideles ad uſum rationis pervenientes, aliquibus diebus à carnibus abſtinere, ex textu in cap. *de eſu carnium, de conſecrat. diſt.* 3. cap. *Quia dies diſt.* 5. & cap. *Statuimus diſt.* 4. & can. 56. *ſextæ Synodi generalis*, & aliis, quæ late expendit Covar. *lib.* 4. *var. quæſt.* 20. *n.* 15. Cenſentur autem fideles plerunque uſum rationis attingere; ſi ſeptennium habeant completum. Unde regulariter ante hanc ætatem, nec pater filio carnes porrigens, nec filius edens, legis tranſgreſſores cenſentur, ut docuit Ant. Gomez *in Cruciat. ad 7. clauſ. n.* 16. cum Cajet 2. 2. *q.* 147. *art.* 8. Victor. *de confeſſ. num.* 148. Pedraza *in confeſſ. tertio præcepto*, §. 18. Cordub. *tit. caſuum reſervat. q.* 6. quia ante illam ætatem non præſumuntur uſum rationis perfectum habere.

2. Bulla ergo concedit, ut iis diebus prohibitis veſci poſſis carnibus, non quidem ad libitum: ſed de utriuſque Medici conſilio. Nomine Medici ſpiritualis non venit ſolùm Epiſcopus, & Parochus, qui ſemoto privilegio poſſunt ex cauſa cum ſuis ſubditis diſpenſare ut tenet, aliis relatis, Leonard. Leſſius *lib.* 4. *de juſtitia; dub.* 6. *num* 45. Joan. Sanchez *in ſelect. diſp.* 54 *n* 36 ex cap. *Duo ſimul. de officio Ordin.* ſed etiam quicunque alius Confeſſor electus per Bullam, uti notarunt Henriquez *lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 10. & 12. Villalob. 1. *part. ſumm. tract.* 27. *clauſul.* 6. *n.* 2. Rodriguez *in explic. Bullæ, addit. ad* §. 6. Joan. Sanchez *diſp.* 51. *ſelect. num* 11. Neque opus eſt, ut tecum diſpenſet, confeſſionem audire, vel aliquando audiviſſe: ſufficit, ſi ad confeſſiones audiendas approbatus exiſtat: quia abſolutè eſt Medicus ſpiritualis, & in eo verificatur conditio à Bulla requiſita, ut benè Villalob. Rodrig. & Joann. Sanch. *loc. alleg.*

Sed dubium eſt, quid prædictum privilegium operetur? Nam, ſi cibi quadrageſimales tibi graviter nocent, abſque Bulla carnibus veſci potes. Si autem de nocumento non conſtat, nequit Confeſſor, & corporalis Medicus licentiam veſcendi carnibus concedere. Communis ſententia, de qua D. Th. 2. *quæſt.* 147. *art.* 4. Leſſius *lib.* 4 *de juſtit. cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 45. Vega 1. *p. ſumm. cap.* 14. *caſu* 36 Palacius *in* 4. *diſt.* 15. *diſp.* 8. *fol.* 118. Graffis *lib.* 2. *cap.* 37. *n.* 15. Filiuc. 2. *p. tract.* 27. *cap.* 6. *num.* 126. & alii affirmant, ſtante dubio, an tibi cibus quadrageſimalis noceat, te obligatum eſſe lege jejunii: quia lex eſt certa, & ſolvi non poteſt per excuſationem dubiam Bullæ. Ergo privilegium operabitur; ut aſſerente Medico corporali, dubium eſſe, cibos quadrageſimales tibi graviter nocituros, poſſit ſpiritualis Medicus tecum diſpenſare in abſtinentia à carnibus, qua diſpenſatione facta omnis ſcrupulus deponitur, qui abſque ea diſpenſatione non ſine fundamento conſurgere poſſet.

3. Cæterùm Ioann. Sanch. *in ſelectis, diſp.* 51. *num* 9. referens Henriq. *lib.* 7. *de indulgent. cap.* 13. *n.* 2. & *in comment. lit. N.* exiſtimat, te in ſupradicto dubio ſolutum eſſe à lege obligante abſtinere à carnibus, neque in eo caſu privilegium Bullæ neceſſarium eſſe. Movetur: quia in eo dubio non poſſidet lex poſitiva: ſed potius naturalis conſervandi propriam ſalutem, non ſolùm cùm eſt certum periculum, ſed etiam cùm eſt dubium verè fundatum. Qua ratione excuſaris ſubvenire extremè indigenti, ſi probabiliter dubitas, ex tali ſubventione extremum periculum paſſurum. Unde non vincitur jus certum, ſcilicet, lex de abſtinentia à carnibus, jure dubio, ſed jure certo naturali vincitur jus certum poſitivum. Nam eſto periculum nocumenti dubium ſit: at non eſt dubium ſed certum, te habere jus fugiendi non ſolùm periculum certum, ſed etiam dubium. Hoc ergo jus certum naturale vincit jus certum poſitivum. Quapropter privilegium Bullæ, ut aliquid operetur quòd aliàs ſecluſo privilegio non liceret, inquit dictus Joan. Sanch. *diſp.* 51. *n.* 7. *& ſeqq.* quoties Medicus corporalis judicat, cauſam eſſe ſufficientem petendi diſpenſationem à Summo Pontifice in prædicta abſtinentia, ipſumque Pontificem prudenter conceſſurum; toties poteſt Medicus ſpiritualis reum diſpenſare, ut poſſis carnibus veſci. Qua doctrina poſita, ſi dubium eſt aliqualis nocumenti, eſto non multùm gravis, nec per ſe ſufficientis excuſare à lege poterit Confeſſarius tecum diſpenſare: quia in eo caſu poteſt Pontifex prudenter diſpenſationem concedere. Minor namque cauſa requiritur ad petendam diſpenſationem in præcepto, quàm ad non ſervandum illud, ſecluſa diſpenſatione, ut benè Suarez *t.* 1. *de relig. lib.* 1. *de obſerv. feſtor. cap.* 32. *n.* 1 & *cap.* 33. *n.* 3.

4. Ego verò nullatenus exiſtimo, hanc explicationem privilegii Bullæ ſuſtineri poſſe, quidquid ſit de veritate doctrinæ, ex qua illa deducitur: quippe enim habenas laxat, & occaſionem præbet præceptum quadrageſimalis jejunii penitus abrogandi. Quis enim eſt, cui aliquale nocumentum cibus quadrageſimalis non inferat, & illius occaſione non poſſit, à Pontifice diſpenſationem petere: quam ſi ille concederet, excuſatus eſſet à jejunio;

Affirma

Affirmare ergo, ex eadem cauſa, qua peti poteſt diſpenſatio à Pontifice, poſſe Confeſſarium diſpenſare, lata via eſt abrogandi jejunium. Quapropter credo, in hoc privilegio non poteſtatem diſpenſandi concedi Medico ſpirituali, ſicut nec corporali: æquè enim utriuſque conſilium exigitur, ut manifeſtè indicant illa verba, *de conſeio de ambos Medicos.* nulliuſque poteſtatis diſpenſandi ibi eſt facta mentio: ſed utriuſque conſilio, & judicio poſito; Medici, inquam, corporalis de nocumento gravi dubio; ſpiritualis de convenientia tuæ conſcientiæ, Pontifex diſpenſat & facultatem tibi concedit veſcendi carnibus, ſi alias cauſa in re ſufficiens eſt, ſi verò ſufficiat, ut ſecuriùs, & abſque ullo ſcrupulo procedas, ſemper tamen Medicus corporalis judicare debet, ſaltem ſub dubio ex abſtinentia à carnibus grave tibi nocumentum proventurum. Quòd ſi urgeas, ſtante hoc judicio, non eſſe opus privilegio juxta probabilem ſententiam. Reſpondeo, ſatis eſſe, quod, juxta communem ſententiam, neceſſarium ſit: nam eo caſu prudenter conceditur ad tollendam omnium dubitationem.

5. Poſita hac diſpenſatione, & privilegio veſcendi carnibus, eſt triplex difficultas. Prima, an mortale committas bis, vel ter eodem die carnibus veſcens: cùm tamen uterque Medicus judicaverit, unicam comeſtionem ſufficere, neque tibi neceſſariam eſſe binam, vel trinam? Affirmat Joan. Sanch. *diſp.* 11. *ſelect. n.* 14. *&* 15. Quia præceptum abſtinendi à carnibus eſt negativum, ideóque ſemper ſervandum eſt, & omnibus horis die obligat, ab illóque excuſari non potes, niſi ob neceſſitatem vel diſpenſationem, at neceſſitas ſolùm eſt de unica carnium comeſtione, cui diſpenſatio commenſuratur. Ergo, ſi plures fiant, illicitæ ſunt, & contra præceptum. Et confirmatur. Si qualibet hebdomada Quadrageſimæ abſtinere à carnibus tribus diebus potes abſque nocumento: non eſt dubium, te obligatum eſſe: quia ſolùm ob nocumenti fugam carnibus vesci potes. At unica comeſtione carnis facta quolibet die, potes abſque ullo incommodo ſalutis, imò cum illius commodo, vitam tranſigere. Ergo, ſi binam carnium comeſtionem facias, peccabis graviter, utpote qui carnes comedis in die jejunii abſque neceſſitate.

6. Cæterum, etſi hæc ſententia omninò conſulenda ſit, & in praxi ſervanda: at rarò ſervatur, & non levibus ſcrupulis eſt expoſita. Quis enim examinabit, an infirmus lecto decumbens; febri continua laborans, unica tantùm, vel bina carnium comeſtione indigeat? quis eum affirmabit violatorem eſſe præcepti eccleſiaſtici, eò quod bis, vel ter carnes comederit, ſi unica comeſtio neceſſitati ſufficiat? Certè hæc aliena ſunt à praxi & conſuetudine recepta. Quapropter credendum eſt, eum qui ratione neceſſitatis aliquo die excuſatur ab abſtinentia carnium, abſolutè excuſari. Nam eſto, præceptum negativum ſit, & omnes horas diei afficiat: afficit tamen ſanos, non infirmos: infirmi autem ab illo integrè excuſantur. Et ratio videtur aperta: quia excuſatio integra abſtinendi à carnibus quolibet die, non deſumitur ex eo, quòd unica carnium comeſtione facta poſſis abſque incommodo ſalutis vivere; ſed ex eo, quòd cibus quadrageſimalis eo die tibi noceat. At hæc ratio omnibus diei horis perſeverat. Ergo præbet ſufficientem excuſationem abſtinendi à carnibus toto die: ſecus eſt, quando conſtat, cibum quadrageſimalem aliquibus diebus in hebdomada non fore nociturum.

7. Secunda, an deobligatus abſtinere à carnibus, tenearis legem jejunii de unica comeſtione ſervare. Pro cujus deciſione adverte cum communi ſententia apud Leſſium *lib.* 4. *c.* 2. *dub* 2. *num.* 8. tria in lege jejunii præſcribi. Primum, abſtinentiam quorundam ciborum, maximè carnium. Secundum, abſtinentiam plurium refectionum. Tertium, certam refectionis horam quæ ratione conſuetudinis modo eſt undecima ante meridiem: olim nona diei, id eſt, tertia pomeridiana, ut colligitur ex cap. *Solent. de conſecrat. diſt.* 1. Ante hanc horam non licet jejunium ſolvere. Quòd ſi notabilis anticipatio abſque cauſa fiat, docent Covarru. Navarr. Cajetan. Paludan. à Leſſio relati *dicto dub.* 2. *num.* 13. eſſe morale, tametſi ipſe Leſſius, relatis Angelo, Innocent. Alenſ. Palacio, Toleto, ſatis probabile reputet, eſſe tantum veniale: ſtante verò cauſa anticipationis: Navarr. *c.* 12. *n.* 27. & plerique alii teſtantur, nullum eſſe peccatum ſicuti non eſt pro cujuſque arbitrio tempus refectionis prorogare. Diſpenſatus ergo in eſu carnium, adhuc intelligi poteſt aſtrictus duplici alia lege ſcilicet, unius refectionis, & ne ante horam ſtatutam fiat.

8. In hac re eſt triplex ſententia. Prima negat, te ſolutum eſſe ab obſervatione jejunii quoad multiplicem refectionem, & illius ſtatutam horam, tametſi ſolutus ſis à carnium abſtinentia. Sic Ledeſ. 2. *p.* 4. *q.* 17. *art.* 3. *dub.* 9. Joan. Medin. *Cod.* 4. *de jejunio, q.* 5. *&* 9. Pedraza *in tertio mandato, notab.* 14. Moventur: quia præceptum continet plures partes: ergo deobligatus ab una, non cenſeris ab aliis deobligatus. Non enim ex eo, quòd deobligatus eſſes à lege jejunii, deobligatus cenſeris à lege abſtinendi à carnibus: ergo neque ex eo quòd deobligatus ſis à carnium abſtinentia, deobligaris à lege jejunii. Et confirmatur: quia in aliquibus Bullis antiquis notabatur, diſpenſatum ad veſcendum carnibus, ſi in reliquis formam jejunii ſervaret, ſatisfacere jejunii præcepto, ejuſque meritum conſequi. Ergo jejunii præceptum ſtare poteſt cum eſu carnium.

9. Secunda ſententia docet, te liberum eſſe ab omni alia lege jejunii. Sic Cajet. 2. 2. *q.* 147. *art.* 8. Navarr. *in ſum. Hiſpan. c.* 21. *n.* 25. Tolet. *lib.* 6. *cap.* 2. *n.* 4. Azor. *t.* 1. *lib.* 7. *cap.* 10. *q.* 3. Filliuc. *t.* 2. *tract.* 27. *capit.* 3. *n.* 52. docere videtur Thom. Sanch. *in ſum. lib.* 4. *capit.* 11. *n.* 50. *&* 53. quatenus affirmat, abſtinentiam à carnibus eſſe de eſſentia jejunii. Idem tradit Suar. *t.* 3. *in* 3. *p. diſp.* 70. *ſect.* 2. Eman. Sà *Jejunium, n.* 11. Henriq. *lib.* 7. *capit.* 13. *n.* 13. Villalob. *tr.* 23. *diff* 8. *n.* 8. Joan. Sanch. *diſp.* 51. *ſelect. num.* 4. Ratio eſt: quia eſſentia jejunii ſtat maximè in abſtinentia à carnibus: qua dempta, ſicut non manet eſſentia jejunii, ſic neque obligatio ad jejunandum, & ſervandum alia duo requiſita ad jejunium.

10. Tertia ſententia diſtinguit: Vel tibi conceſſus eſt eſus carnium, ſolùm quia cibus quadrageſimalis nocet: vel, quia etiam debilis es, indigéſque virium recuperatione. Si ob hanc ſecundam cauſam concedatur, liber es ab omni lege jejunii: quia finis conceſſionis admittit duplicem comeſtionem, & illarum gratia privilegium etiam conceſſum eſt. At ſi ſolùm ob nocumentum cibi quadrageſimalis tibi conceditur eſus carnium, nequaquam potes bis comedere, ſed formam jejunii de unica comeſtione ſervare debes: quia finis diſpenſationis non tam eſt quantitas ciborum, & numerus comeſtionum, quam cibi conditio, & qualitas ſaluti propriæ inimica. Sic Cordub. *q.* 143. *&* 167. Rodrig. *in Cruciat.* §. 6. *dub.* 3. Leſſius *l.* 4. *cap.* 2. *dub* 6. *in fine.* Valen. *t.* 3. *diſput.* 9. *quæſt.* 2. *p.* 5. Anton. Gomez *ad clauſul.* 7. *Bullæ, n.* 5. Acoſta *ibi, quæſt* 81. & alii plures.

11. Dicendum igitur eſt, hanc tertiam ſententiam ſatis probabilem eſſe, ſemperque in praxi fore conſulendam: ſecundam verò ſententiam probabilem eſſe, & ſecuram, tum ob ejus rationem, tum ob Doctorum authoritatem. Neque obſtat fundamentum primæ ſententiæ: quia eſto, præſcribatur lege jejunii, ne bis reficiaris: id tamen præcipitur dependenter ab obligatione abſtinendi à carnibus. Quare hâc detracta nulla alia obligatio ſubſiſtit. Secùs verò, eſt ſi

ob

ob ætatem vel aliam causam solutus esses à lege binam comestionem prohibente: non inde infertur, te solutum esse à lege abstinendi à carnibus: quia illud est minus, accessorium jejunio: probarique facilè potest ex reg. juris in 6. *Cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus*, & ideò cui licet esus carnium licet bina comestio: at, non cui licet, quòd est minus, scilicet, bina comestio, licitum debet esse, quod est plus, scilicet, carnes comedere. Deinde non obstat, quod ex Bullis antiquis adducitur: quia illa verba jam expuncta sunt, fortè nec ansa daretur adhærendi illi sententiæ, & judicandi, posse essentialiter cum esu carnium ecclesiasticum jejunium consistere. Qua. propter Summus Pontifex solùm de his, quibus licent, lacticinia, affirmat, jejunio satisfacere, si in reliquis servent jejunii formam, tacitè indicans contedentes carnes jejunio satisfacere non posse.

12. Tertia difficultas est an, dispensatus ad esus carnium, possis simul cum carnibus pisces comedere? Non est dubium omissa dispensatione edendi carnes, te posse piscibus vesci, tametsi aliquale salutis damnum sentias: quia observandum Ecclesiæ commune præceptum sufficiens causa est permittendi salutis damnum. Quæstio igitur procedit, casu, quo utaris dispensatione edendi carnes, an simul possis piscibus vesci? Cui quæstioni breviter respondeo cum Acosta *quæst.8o. in Cruciat.* Villalob. 1. *p. sum. tract.23. difficult.8. num.11.* Thom.Sanch. *lib.8. de dispensat. disput.1. num. ult.* & *in summ. libr.4. capit.57.* Joann. Sanch. *in select. disput.51. numer.21.* & 22. Filliuc. *t.2. tract.27. capit.3. num.54.* per se loquendo, ne officiat saluti, licere: quia nulla lege esus piscium interdictus est: si autem saluti noceat, legem temperantiæ violabis leviter, aut graviter pro salutis dispendio & nocumento.

13. Sed, quid, si Episcopus sub excommunicatione prohibeatur uti prohibitum est in pluribus diœcesibus, ne dispensati ad esum carnium, simul cum illis pisces edant, peccabisne pisces edendo? Respondet Joann. Sanch. *in select. disput.51. num.20.* & 21. Si causa excitandi appetitum, comedas pisces, non peccaturum: quia præceptum positivum abrogare non debet, quod jure naturali debetur. Neque item, si comedas pisces suaves, etiam absque causa, vel in ea quantitate, quæ tuæ saluti non noceat: quare, inquit prædictus Author, hoc præceptum violare tantùm censeberis, quando pisces simul cum carnibus edes, quorum Jesus grave tuæ saluti nocumentum inferat. Hæc sententia sustinenda non est, quippe aliena propriùs est à veritate. Finis namque hujus præcepti positivi non est saluti corporali subditorum consulere: sed fidelium ædificationi: ne, inquam, dispensati in lege abstinendi à carnibus voluptati incumbant loco pœnitentiæ, quam alii præstant: ipsique præstare tenebantur: quapropter esus piscium, simul & carnium, esto nocivus non sit, prohibitus censetur. Pro esu namque nocivo opus non erat episcopalis prohibitio, cùm jure naturæ prohiberetur. Neque permittendus est usus piscium ad excitandum appetitum, nisi fortè in tam levi quantitate, ut in considerationem non veniat. Nam esto, juri naturali non repugnet, media assumere ad appetitum excitandum: non tamen juri naturali debetur omnia media assumere: quinimò jure naturali est conforme ab aliquibus abstinere ob bonum virtutis, præceptum observationem, & fidelium ædificationem.

§. II.

Expenditur privilegium de esu lacticiniorum, & ovorum.

1. *Quid jure communi statutum sit?*
2. *Extra Quadragesimam aliqui tenent, ova, & lacticinia jure communi prohiberi.*
3. *Verius est sola consuetudine.*
4. *Quid Bullæ privilegium concedat.*
5. *Non prodest hoc privilegium extra Hispaniam.*
6. *Quid excipiatur ab hoc privilegio?*
7. *Dominicis Quadragesimæ negant plures, excepta personas posse vesci ovis, & lacticinis.*
8. *Oppositum satis est probabile.*
9. *Quid dicendum.*

1. JUre communi ova, & lacticinia prohibita esse tempore Quadragesimæ non solùm sub veniali culpa (ut immeritò placuit Fagund. *de quinque Eccles. præcep. lib.4. c.2. n.6.* motus authoritate Glossæ *in c. Denique dist.4* quam Glossa, etsi plures excussiones revolverim, invenire non potui,) sed etiam sub gravi culpa, ex dicto c. *Denique*, ubi omnes Doctores notant apud Lessium *de jejunio, dub.2. §. Porrò.* Joan. Sanch. *disp.51. n.18.* ideóque hoc pro certo supposito, inquirunt, an extra Quadragesimam vigiliis, & feriis sextis totius anni, feria secunda, & tertia Rogationum sit obligatio ex jure communi scripto abstinendi ab ovis, & lacticiniis.

2. Covarruv. *lib.4. var.c.20. n.15.* inquit, universaliter ova, & lacticinia vetita esse in omnibus jejuniis ex sexta Synodo generali *can.56.* Ubi dicitur: *Visum est, ut omnis Dei Ecclesia, quæ est in universo terrarum orbe, unum ordinem sequens jejunia perficiat, & abstineat sicut ab omni mactabili sic ab ovis, lacte, & caseo, quæ quidem sunt fructus eorum, à quibus abstinemus.* Et probari potest primò ex D. Thom. 2.2. *q.147. art.7.* & Glos. *c. Admonente.33. q.2.* dicentibus, ideò in Quadragesima præscriptam esse abstinentiam ab ovis, & lacticiniis: quia à carnibus veniti trahunt originem, & magnam cum carnibus affinitatem habent. Sed hæc ratio æquè militat in allis jejuniis extra Quadragesimam; & in omnibus diebus, in quibus esus carnium prohibetur. Ergo, &c. Secundò, Bulla ab indulto edendi ova, & lacticinia excludit Patriarchas, Primates, Episcopos, Presbyteros, &c. pro diebus Quadragesimæ *tantum*: quæ particula, *tantùm*, inutilis esset, si aliis temporibus. præter Quadragesimam, prohibita non essent ova, & lacticinia. Tertiò, de essentia jejunii tria sunt abstinentia ab aliquibus cibis, abstinentia plurium refectionum, certa refectionis hora. At de essentia jejunii quadragesimalis est abstinentia non solùm à carne, sed ab ovis, & lacticiniis: ergo idem erit de reliquis jejuniis. Fatetur tamen Covar. in terris jam diu possessis à Christianis hoc jus scriptum contraria consuetudine abrogatum esse, sicuti Lessius *dicto dub.2. §. Quoad primum.* affirmant Belgio, quibusdam in locis, ferè per totam Quadragesimam vesci posse ovis, & lacticiniis.

3. Sed recedendum non est à communi sententia Theologorum, & Canonistarum, asserentium, sola consuetudine prohiberi ova, & lacticinia in reliquis jejuniis extra Quadragesimam. Sic habet D. Thom. 2.2. *q.147. art.8. in corp. & ad 3.* Paludan. *in 4. dist.14. q.4. art.4.* Richar. *art.3. q.5. ad ult.* Ovand. *dist.26. propos.52.* Angel. *Jejunium, §.5.* Sylvest. *ibi quæst.5.* Armilla *initio.* Nav. *c.21. n.15.* Cordub *in sum. q.60.* Medin. *lib.1. sum. c.14. §.10. fol.98.* Alcozer. *cap.14.* Pedraza *in 3. mand. c.14.* Lessius *dicto dub.2.* & omnes communiter. Ratio est: quia nullibi extat tale jus. Nam, quod adducitur ex sexta Synodo non urget

Etenim (ut inquit Ovand. *suprà*, §. *Quidam)* sermo est ibi de sabbatis, & Dominicis Quadragesimæ, in quibus aliqui Armenii ovis, & lacticiniis utebantur, quos præcepit sexta Synodus confirmari in hac parte cum reliquis fidelibus, quibus juxta Gregor. *illo cap. Denique dist.* 4. interdicta sunt ova, & lacticinia. Deinde non obest ratio. Nam esto, Ecclesia mota fuerit ad prohibenda lacticinia in Quadragesima: quia è carnibus trahunt originem: noluit tamen in omnibus anni jejuniis prohibere, ne vehementer emungens sanguinem eliceret. Illa verò exclusiva, *tantùm*, cujus mentio fit in Bulla, apposita est ob consuetudinem alicubi in Hispania, & quibusdam Galliæ partibus vigentem, ut inqui Navarr. *cap.* 21. *n.*15. abstinendi à lacticiniis in omni jejunio, vel ad tollendos scrupulos, qui oriri possunt ex usu ovorum, & lacticiniorum in illis diebus, dum quis dubius, & anceps est, an sit, vel non sit consuetudo edendi lacticinia, cujus anxietatis quietem operatur securitas orta ex hoc Bullæ privilegio. Vasquez 12. *t.* 2. *disp.* 177. *c.* 6. *n.* 54. Joan. Sanch. *disp.* 51. *select. n.* 19. testantur, in Hispania nullam esse consuetudinem, quæ obligare posset. Nam, cùm consuetudo introduci, & conservari debeat à majore parte Communitatis, & major pars Communitatis in Hispania ex privilegio Cruciatæ vescatur ovis, & lacticiniis in omni jejunio extra Quadragesimam; efficitur, nullam vigere consuetudinem posse abstinendi ab ovis, & lacticiniis. Ad illud verò, quod objiciebatur de essentia jejunii, respondeo, essentiam jejunii esse abstinentiam à carnibus, ut carnes distinguuntur à piscibus, non ab ovis, & lacticiniis, nisi in Quadragesima, semoto privilegio, & in aliis jejuniis ratione consuetudinis. Unde, cùm præcipitur jejunium, directè indicitur abstinentia à carnibus ubique, & è lacticiniis jure communi in Quadragesima, & in aliis diebus jejunii, dum invaluerit interdicens consuetudo. Standum ergo est consuetudini civitatis, oppidi, vel provinciæ, de qua nihil certum statuere possum, cùm ex facto pendeat. Solùm adverto cum Navarr. & communi sententia, consuetudinem præscribi quadraginta annis, ex cap. *de consuetudine.* His positis.

4. Privilegio Bullæ permittitur ut in diebus Quadragesimæ, & in omnibus aliis diebus prohibitis omnes sumentes Bullam possint ad libitum vesci ovis & lacticiniis: sed non lardo, aut sagimine, vulgò, *manteca de puerco*: his enim non licet uti, nisi in illis partibus, ubi consuetudo fuerit recepta, sicuti fertur esse in Gallæcia, & Peru, propter olei penuriam.

5. Circa quod privilegium observa primò, tibi non prodesse extra regna Hispaniæ existenti, tametsi in Hispania Bullam susceperis: quia sic cavetur in Bulla Latina his verbis: *Item ut dicto anno durante, in omnibus, & singulis regnis*, &c. *& non extra illa.* Et quamvis Commissarius in Bulla Hispana conticuerit hanc limitationem: standum est Bullæ Latinæ, quam non potest ipse sic transcribere, aut substantiam privilegii mutet.

6. Secundò observa, ab hoc privilegio excipi Patriarchas, Episcopos regulares, Presbyteros, &c. pro diebus quadragesimalibus tantùm. Unde in reliqua parte anni eis licebit ovis, & lacticiniis vesci, sive ex consuetudine vesci prohibeantur. Nomine, *Regulares* omnes Religiosi utriusque sexus comprehenduntur: sed non Novitii, qui in odiosis, qualis est hæc restrictio, nomine Religiosi non veniunt, ideóque vesci possunt ovis & lacticiniis, sicuti sæculares, virtute hujus privilegii, ut benè notavit Cordub. *l.* 7. *qq. q.* 32. aliis relatis Rodrig. *in Crucita. 6. n.* 9. Fœminæ item votis solemnibus non astrictæ, nullamque servantes clausuram, vulgò dictæ, *Beatæ* & *Eremitæ*, nullis Religionis, & obedientiæ regulis allegati, & Commendatarii vxorati, qui non sunt verè Religiosi, etsi fervent modum aliquem Religionis, ut docet S. Th. 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 4. *ad* 3. eodem privilegio Bullæ gaudere possunt. Denique, fruuntur hoc privilegio Commendatarii militares S. Joannis, & omnes Presbyteri sexagenarii, ut expressè habetur in dicta Bulla.

7. Superest decidendum, an supradictæ personæ exclusæ à privilegio edendi ova, & lacticinia in Quadragesima, illis vesci possint in Dominicis diebus? Supponit quæstio, absque privilegio licitum non esse illis Dominicis vesci ovis, & lacticiniis, *ex can. illo* 56. sextæ Synodi generalis, juxta Ovandi declarationem: sicque videtur consuetudine receptum: tametsi sciam, viros doctos, ut notat Palacius *in* 4. *dist.* 15. *disp.* 8. Emman. Rodrig. §. 6. *n.* 8. asseruisse, nullo jure Dominicis prohibita esse ova, & lacticinia, quia hæ Dominicæ non videntur comprehendi in Quadragesima, siquidem absque illis quadragenarius numerus completur.

Negant plures Bullæ privilegium prodesse: sic Anglis. *q.* 9. *de abstinentia à cibo, difficult.* Rodrig. *id explicat. Bullæ*, §. 6. *n.* 8. ubi affirmant, se audisse à Commissario sic Pontificem consultum de hac re respondisse. Villalob. *claus. ul.* 7. *n.* 11. Henriq. *lib.* 7. *de indulg. cap.* 13. *n.* 10. Th. Sanch. *lib.* 4. *c.* 11. *n.* 53. Joan. Sanch. *disp.* 52. *n.* 15. ubi testatur, vidisse declarationem Greg. XIII. de hac re. Et inde sumitur præcipuum fundamentum hujus sententiæ: nam, cùm privilegium extendi non possit ultra voluntatem concedentis, Pontifex concedens hoc privilegium declaret ad Dominicas Quadragesimæ non extendit posse. Deinde, quia ut constat ex cap. *Denique dist.* 4. ea, quæ originem trahunt à carnibus, prohibitis carnibus prohibita esse censentur. Denique, quia nomine *quadragesimalium dierum*, secundùm stylum & communem usum Dominici dies videntur comprehendi.

8. Nihilominùs Cordub. *in sum. quæst.* 8. *fol.* 437. Palacius *in* 4. *dist.* 15. *disp.* 8. *fol* 127. Nuño Cabezudo *t. de pœnit. in exp. Bullæ.* §. 8. *dub* 5. Llmas 3. *p. cap* 5. §. 26. *in fine.* Anton. Gomez. *in explicat. Bullæ, claus.* 7. *n.* 7. Villalob. *n.* 11. & quam plures alii Magistri satis probabile existimant, privilegium Bullæ pro Dominicis prodesse. Primò, quia per dies quadragesimales non intelliguntur Dominicæ, ex Greg. *in cap. quadragesima de consecrat. dist.* 5. juncto c. *Denique dist.* 4. Nam esto, antiquitùs Quadragesima dies Dominicos comprehenderet, teste Speculatore *in ration. divinor. Offic. libr.* 6. *cap. de Dominica prima Quadragesimæ*, & colligitur manifestè ex dicto c. *Quadragesima*, quia Quadragesima incipiebat à prima Dominica. Greg. *in dicto cap. Quadragesima*, dies Diminicos à Quadragesima subtraxit, & loco illorum addidit quatuor dies Dominicæ Quinquagesimæ, & duos ex hebdomada sancta. Ergo Pro Dominicis privilegium Bullæ prodesse poterit. Secundò, in aliis jejuniis per annum prodest. Bullæ privilegium. Ergo prodesse poterit in Dominicis Quadragesimæ, qui non sunt dies jejunii, sed solùm abstinentiæ. Tertio, quia Quadragesimæ specialiter excluditur ab hoc privilegio in reverentiam jejunii à Christo Salvatore nostro exhibiti: at dies Dominici hoc jejunium non repræsentant: siquidem in illis non jejunatur. Ergo in illis locum non habet privilegii exclusio. Quartò, & præcipuè, quia Bulla Latina, ad cujus normam Hispana intelligenda, & regulanda est, tantùm excludit à privilegio jejunia Quadragesimæ, sub quibus manifestum est, dies Dominicos non comprehendi. Verba Bullæ Latinæ concessæ à Greg. XIII. die 4. Martii, anno 1574 cujus tenorem successores Pontifices sequuntur, hæc sunt: *Insuper declaramus, intentionis nostræ fuisse, & esse, sub indulto vescendi ovis, & lacticiniis Prælatos, Archiepiscopos, aliósque Superiores, & inferiores, nec non aliàs personas ecclesiasticas regulares, & qui in ordine Presbyteratus fuerint sæculares, extra quadragesimalia jejunia*

tantum

tantum in omnibus aliis temporibus, & jejuniis totius anni comprehensos esse, & ipsis extra dicta tempora quadragesimalia eis uti licere. Ecce quomodo Pontifex permittit illis personis, extra jejunia quadragesimalia uti ovis, & lacticiniis. Ergo poterunt illis vesci in Dominicis. Neque obstat, quòd Commissarius transcribens Bullam solùm dixerit, *tan solamente en los dias de Quaresma:* quin addiderit, *jejunii:* quia, cùm in rigore soli dies jejunii sub Quadragesima comprehendantur, ut probatum est: satis intellexit, solos dies jejunii explicari illis verbis. Non enim Commissario permissum est mutare privilegium plumbeæ, cùm ex Latino idiomate in vulgarem linguam vertit, quinimò, ut testatur Emmanuel. *dicto* §.6. *numer.* 8. Navar. *cap.*27. *n.*62. in casum reservatum Bullæ Cœnæ incideret, si substantialem faceret mutationem. Ergo Commissarius per dies quadragesimales non potest dies Dominicos intelligere, cùm Bulla Latina solos dies jejunii intelligat.

9. In hac quæstione dicendum existimo, in rigore hanc secundam sententiam probabilem esse, & secura conscientia sequi posse, quousque illa prædicta declaratio Pontificis, quam Doctores referunt, authenticè publicetur, & juridicè constet.

Punctum VIII.

De facultate eligendi confessorem.

1. PRivilegii summa sic habet? *Item, paraque con mas puridad, y limpieça de sus conciencias puedan hacer oracion, concede su Santidad à todos los susedichos, que puedan eligir por Confesor qualquier Presbyteros secular, ô regular, de los aprobados por el Ordinario, el qual les pueda absolver una vez en la vida, y otral en el articulo de la muerte, de qualesquier peccados, y censuras, aunque sean de los reservados, y reservadas à la Sede apostolica, y de los declarados en la Bula de la Cena Domini, excepto del crimen, y delito de la heregia, y de las censuras, y peccados no reservados à la Sede Apostolica, los puedan absolver tantas, quantas veces los confessaren con penitencia saludable, conforme à las culpas. Y en caso que sea necesario satisfacion para conseguir la dicha absolucion, la hagan por sus personas, y aviendo impedimento, la puedan hacer sus herederos, ô otros por ellos.*

§. I.

Qui Confessarius, & qualiter absolvere, possit à peccatis reservatis habentem Bullam.

1. *Confessarius debet esse approbatus ab Ordinario, & a quo Ordinario.*
2. *Parochus dum Parochus est, ubilibet eligi potest.*
3. *Approbatus per examen, vel aliàs, qualiter eligi possit.*
4. *Qualiter regulares eligi possint.*
5. *Hic confessarius te absolvere potest ab omnibus peccatis reservatis Sedi apostolicæ semel in vita, & semel in morte.*
6. *An à peccatis reservatis Pontifici, si occulta sint, possis sæpè absolvi? Affirmat Sanchez.*
7. *Verius videtur, semel tantùm absolvi posse.*
8. *Fit satis opposito fundamento.*
9. *Nomine articuli mortis præsumptus intelligitur.*
10. *Quid operetur hoc privilegium.*
11. *In articulo mortis non teneris sumere bullam, ut absolvaris à reservatis.*
12. *Pro omnibus peccatis, excepta hæresi, est privilegium.*

1. EXpresse bulla requirit, debere esse confessarium ab Ordinario approbatum: sed quia ordinarius esse potest, vel loci, in quo fit confessio, vel pœnitentis, vel confessarii, ideo non est certum à quo approbatio danda sit. Probabilius existimo, necessariò esse concedendam ab Ordinario confessarii: quia est actus jurisdictionis in confessarium exercitæ, uti dixi *tractat. de pœnitentia, part.* 17. §.3. Neque reputo improbabilem sententiam Henriq. *l.*7. *de indulgentiis, c.*12. *num.*4. *& in comment. litt. O.* Emanuel Sà *verbo Confessor, n.*6. *de edition gemina.* asserentium, cujuslibet Ordinarii, sive loci, sive pœnitentis, sive confessarii approbationem sufficere: quia nec bulla, nec concilium limitarunt. Non est igitur à nobis in hoc privilegio, quòd latè debet interpretari, limitatio adhibenda.

2. Hinc infero, parochum, dum parochus est, eligi posse ubilibet virtute bullæ sicuti dixi *dicto punct.*17. §.2. *n.*7. & 8. quia ubilibet est parochus, & beneficium retinet, ratione cujus censet Concilium, esse idoneum ad confessiones audiendas. At si parochus à beneficio removeatur, vel illud renunciet, si aliam non habeat approbationem, nequaquam eligi poterit: quia ejus approbatio beneficio annexa est, ut latius probavi *tract. de pœnitent. dicto punct.*17. §.4. *n.*1. Quicquid contrà sentiat Villalob. *in explic. Cruciat. tr.*27. *claus.*9. §.1. *in fine.*

3. Infero secundò, si per examen sacerdos approbatus sit, durante approbatione eligi potest, ut de se constat, tametsi approbatio solùm pro limitato tempore fuerit concessa: quia verè est approbatus. Finito verò illo tempore non est censendus approbatus, uti probavi *dict.* §.4. *num.*2. tametsi Sebastianus de Acosta *in Cruciat. quæst.*39. *in fine.* contrarium sentiat: inquit enim, confessorem expositum in aliqua parochia, loco, vel diœcesi pro certo tempore, transacto illo tempore, etiamsi licentia non reformetur, posse eligi per bullam, quia expositus ad tempus simpliciter est approbatus ab Ordinario, quousque ex causa legitima reprobetur, & indignus judicetur. Consentit ex parte Rodrig. §.9. *num.*33. loquens de religiosis, quos dicit posse eligi virtute bullæ, si approbati sint ab Ordinario pro limitato tempore, eo transacto, quando hæc limitatio apponitur ad vexationem eis faciendam (quod non est præsumendum:) secùs si ut curam, & diligentiam adhibeant in studendo: quia non fuerunt judicati satis sufficientes, nisi ob spem novæ diligentiæ in studiis adhibendæ. Quòd si sacerdos ad viros, & non ad fœminas approbetur, vel ad certum genus personarum, esto, plures censeant, & satis probabiliter non posse ab aliis per bullam eligi; contrarium, ut probabilius, firmamus. §.2. *n.*10. eò quòd in ipso verbo bullæ verificantur: siquidem eligitur ab ordinario approbatus.

4. Qualiter autem religiosis, & sæcularibus approbatio semel concessa revocari possit, & effectum revocatio habeat, tradidimus *dicto tract. de pœnitent. p.*17. §.4. Illud adverto regulares semel approbatos in unico Episcopatu, eligi posse virtute bullæ in illo Episcopatu, sive justè, sive injustè approbatio revocetur: quia bulla Latina sic habet: *Quoad regulares sufficiat, quod talis confessor fuerit semel approbatus* & notavit Rodrig. §.9. *n.*31. & 32.

Hic igitur confessarius approbatus, & à te electus poterit te absolvere ab omnibus peccatis, quæ Sedi apostolicæ reservata non sunt, toties, quoties, durante anno in ea incideris: à reservatis verò Sedi apostolicæ, excepto crimine hæresis, semel tantùm in vita, & semel in morte potest, quia sic cavetur in Bulla; & latè, & erudite probat Acosta *quæstiunc.*63. & *seqq.*

5. Sed est difficultas, an hæc unica absolutio intelligenda sit de peccatis ejusdem speciei, & non de peccatis in specie diversis. Non enim desunt, qui arbitrentur, de peccatis ejusdem speciei intelligi debere. Quare si in peccata diversæ speciei labaris, tradunt,

te posse pluries absolutionem obtinere. Sed est sententia improbabilis absque illa apparenti ratione, & contra bullæ tenorem : tantum enim concedit, ut à reservatis sedi apostolicæ semel in vita, & semel in articulo mortis absolvi possis. Si autem pro diversitate peccatorum obtinere absolutionem possis ; non semel tantùm, sed pluries posses eam absolutionem obtinere, deberetque bulla saltem dicere, ut posses semel in vita, & in morte à quolibet peccato reservato obtinere absolutionem : cùm autem id non exprimat ; sed potiùs dicat, ut semel absolvi possis, efficitur manifestè obtenta absolutionem à reservatis; nulla ratione te posse virtute illius bullæ aliam à reservatis obtinere. Atque ita tenet Rodriguez. §.9. *numer.*35. Acosta *quæstiunc.*70. Villalobos *clausul.*9. *c.*2. *numer.*5. Dixi *virtute illius bullæ* : nam, si aliam suscipias, ut suscipere potes ; sed non plures, potes iterum in vita, & in morte absolvi, sive ab eisdem peccatis specie, sive à diversis.

6. Sed, quid, si illa peccata Pontifici reservata occulta sint neque ad forum contentiosum deducta, poterisne absolvi non semel tantùm, sed toties, quoties ? Affirmat Thom. Sanchez. *l.*4 *in Decalog. c.*54. *num.*27. Quia jam illa peccata non sunt Pontifici reservata, sed Episcopis, quibus ex Trident. concessa est facultas absolvendi ab omnibus casibus occultis, quæ facultas, cùm generalis sit, & omnibus Episcopis ob eorum dignitatem facta, pontificiam reservationem videtur de medio tellere, sicuti si Episcopus sua constitutione synodali casus sibi reservatos omnibus parochis concederet, reservationem tolleret: quia non ex delegatione, sed jure ordinario illis ea facultas competeret.

7. Nihilominus, etsi sententia prædicta probabilis sit, oppositam probabiliorem censeo cum Henriquez *l.*6. *de pœnitentia c.*14. *q.*7. Bannez 2.2. *q.*64. *articul. ult. mo. ad finem.* Moveor : quia hi casus non committuntur Episcopis, tanquam Ordinariis, sed tanquam sedis Apostolicæ delegatis, ac proinde non desinunt esse casus pontificii, & Pontifici reservati : quia nemini alteri competunt jure ordinario ; sed ex delegatione. Neque obstat, Episcopos eorum absolutionem delegare posse, possunt utique : quia ea delegatio est perpetuò annexa dignitati, ac proinde tanquam ordinaria delegari potest.

8. Ad fundamentum oppositum respondeo, prædictos casus competere Episcopis jure speciali delegationis, & non ordinario ; ideóque reservationem non perdere. Secùs esset, si constitutione synodali omnibus Parochis competerent episcopales casus, cessaret reservatio : quia jure ordinario eis competerent, & non jure speciali delegationis, cùm Episcopi potestatem non habeant constituendi delegatos lege generali.

9. Nomine articuli mortis, pro quo hoc privilegium conceditur, non solùm verus articulus, sed præsumptus, seu probabilis intelligitur, ut benè aliis relatis docuerunt Rodrig. *in Cruciat.* §.9. *n.*38. Anton. Gomez *ad decimam clausulam. n.*13. & 14. Villalobos *clauſ.*9. §.2. *numer.*7. Acosta *quæstiunc.*71. Suarez de *pœnitentia disp.*26. *sect.*4. *num.*3. Et ratio videtur manifesta : nam si solùm pro mortis articulo vero hoc privilegium concessum esset, vix eo uti posses, nesciens, an infallibiliter sis moriturus, sæpéque periculo nullitatis absolutio exponeretur. Deinde seumentibus aliam bullam eodem anno idem privilegium absolutionis conceditur. Ergo signum est, non de vero articulo, sed de præsumpto intelligi concessionem ; semel autem eo privilegio utens, nequis iterum eo gaudere, durante anno ; tametsi in periculum mortis incidas, nisi aliam bullam sumas, ut sumere potes : quia bulla expressè restringit, ut semel tantùm eo uti possis : secùs esset si eam non apposuisset restrictionem.

10. Quod si inquiras, quid operetur hoc privilegium absolvendi à reservatis in articulo mortis, siquidem juri communi in eo articulo nulla, est reservatio juxta text. *in c. Pastoralis de officio Ordin. & c. Eos, qui sentent. excomm. in* 6. & Trident. *sess.*14. *capit.*7. Facilè respondetur operari quidem hoc privilegium, ut possis in eo articulo à quolibet approbato absolvi præsente proprio Sacerdote, quod secundùm probabiliorem sententiam licitum non erat. Secundò, ut sic absolutus maneas tam à peccatis quàm à censuris, ut non tenearis postmodum, si mortem effugias, coram superiori comparere : quam obligationem subires, si ex hoc, vel simili privilegio absolutionem non impetrasses. sed solùm ob urgentem necessitatem, juxta text. in *Eos qui, de sentent. excomm.* & tradit Suar. *de pœnit. disp.*30. *sect.*3. *à n.*5. Sanchez *l.*2. *Decalog. capit.*13. *numero* 31. & 32. Villalob. *clauſ.*9. §.2. *numer.*7. Anton. Gomez *clauſ.*10. *numer.*16. & alii.

11. Vnum tamen placet advertere cum Sanch. *l.*2. *summ. cap.*13. *num.*14. te in articulo mortis constitutum, & casus habentem reservatos obligatum non esse sumere bullam, ut ab eis absolvaris: sed poteris à quovis confessore absolvi ; cum obligatione tamen comparendi, si absolutio fuit à censuris reservatis Pontifici, ex text. in *c. Eos qui de sentent. excomm. in* 6. Quia nemo tenetur quærere privilegium ; sed potest uti beneficio commune juris. Excusaberis postmodum ab obligatione comparendi, si sumpta bulla per Confessorem electum absolvaris, ac si nunquam absolutus esses: quia ex privilegio vices superiores gerit, ut benè notavit Sanchez *dicto l.*2. *in Decal. c.*13. *num.*32.

12. Quod ad peccata attinet, ad omnia extenditur dictum privilegium, crimine tantum hæresis excepto, ob ejus gravitatem, Hæresis autem intelligi debet exterior ; nempe quæ ipsomet exteriori declaretur, & manifestetur, ut latè expendit Sanch. *lib.*2. *in Decalog. capit.*10. & 11. & nos diximus *tr.*4. *de fide,* ubi *de hæres. ejusque absolut.* Reliqua verò peccata, quantum vis gravissima, esto, commissa sint post bullam susceptam : quinimò esto, fuerunt commissa fiducia absolutionis obtinendæ per Cruciatam, possunt absolvi, sicuti dixi *tract. præcedenti, punct. ult.* de Jubileo : quia nulla est facta in prædicto privilegio limitatio. Ergo absque fundamento adhiberetur, argum. text. in cap. *Solitæ sunt de majorit. & obedient.* cap. *Porro.* cap. *Cum & plantare. de privilegiis*, ideóque cùm Pontifex intendit, ne privilegium prosit delinquentibus, ex illius fiducia id exprimit, ut videri potest in Bulla compositionis, & pluribus comprobat Navarr. *de indulgent. notab.*30. *num.*7. Cordub. *lib.*5. *de indulgent. quæst.*37. *propos.*3. Cum ergo in præsenti id non exprimat, manifestum est privilegium prodesse : & ita, præter Doctores *ibidem* relatos docent Suarez *tom.*2. *de relig. libr.*6. *c.*23. Sanch. *in Decal. lib.*4. *c.*58. *numer.*18. Joan. de Salas *in manuscriptis, quæst.*2. *de expos. Cruciat.* Cordub. *libr.*5. *de indulgent. quæst.*37. & 74. *clauſ.*9. *Bullæ. n.*19.

§. II.

An Religiosi aliorum Ordinum à Societate virtute Bullæ absolvi possint à peccatis eorum Superioribus reservatis.

1. *Affirmant plures, & quibus probent.*
2. *Negant alii probabilius.*
3. *Expenduntur aliquæ rationes, quibus alii suam sententiam firmant.*
4. *Displicent prædictæ rationes.*

5. *Fit*

5. *Fit illis satis.*
6. *Decisio quæstionis.*
7. *Quid dicendum de novitiis.*

1. PLures Doctores non infimæ notæ sentiunt, posse Religiosos, sicuti sæculares, virtute Bullæ eligere Confessorem, qui eos, inconsulto Prælato, à reservatis absolvat. Sic docuerunt plures Magistri Salmanticenses de hac re consulti, teste Villalob. *tr. 25. concluſ. 9. numer. 13.* Basil. de Leon. *in Manuscript. in explic. Cruciatæ, q. ult.* Eusebius de Herreta Augustianus *de statu religioso, dec. 9. per tot.* Joan. Sanch. *in select. disput. 43. n. 10. in fine; & n. 13. §. Fateor.* & probabilem reputat Cordub. *de indulgent. q. 49.* Emman. Rodriguez *in explicat. Cruciat. §. 9. n. 24. & 25.* Fundamentum est: quia Bulla æquè Religiosis, ac sæcularibus concedit facultatem eligendi Confessorem, sicuti & alia indulta, indulgentias, & privilegia. Nam in ipsa Bulla habetur: *in Monasteriis, etiam Mendicantium, si pro quolibet denario Religiosorum militem mittant: sin minùs de suis bonis liberaliter erogaverint, Indulgentiam plenariam consequantur.* Quibus autem indulgentia conceditur, concessa est facultas eligendi Confessorem, ut constat ex illis verbis. *Item concede su Santidad. à todos los susodichos*, &c. At hæc facultas privilegiis concessis ab Alexand. V I. Innocentio VIII. Leon. X. Pio V. & Clem. VIII. quorum meminerunt Rodriguez Collector privilegiorum, Acosta & alii referendi; non potest censeri revocata. Primò, quia est facultas onerosa, & remuneratoria, quæ nunquam præsumitur revocari, nisi illius fiat expressa mentio, & compensatio reddatur, ut pluribus firmavi *tr. de legib. disp. 4. part. 21. §. 2.* Secundò, quia, esto, revocaretur prædictis privilegiis: nova tamen Bullæ concessione vigorem recuperaret: quod non leviter indicant tot privilegiorum in contrarium repetitiones: si enim quolibet ex illis privilegiis nova Bullæ concessione non revocaretur; sed firmum persistit ut quid tot multiplicantur? Tertiò, prædicta privilegia, quibus Bullæ facultas restringitur, non videntur à Religionibus accepta: sed illis non obstantibus, ex tacito Prælatorum consensu religiosi absque ullo scrupulo Bulla utuntur ad eligendum Confessorem; uti docet Henriquez *lib. 6. cap. 16. in comm. lit. P.* Ergo facultas in Bulla contenta firma persistit. Quòd si dicas, ea privilegia acceptatione non indigere: quia propriè non sunt privilegia, & concessiones: sed generalis facultatis eligendi Confessorem, quæ in Bulla conceditur, declarationes: obstat: quia ea declaratio non continebatur in prædicta facultate generali, cùm potiùs illi contraria sit quando autem legis declaratio novum jus constituit, neque in lege contentum, eandem promulgationem, & acceptationem expostulat, ac si esset lex noviter constituta.

2. Nihilominus censeo verius, prædictis Religiosis Bullam non prodesse quoad facultatem eligendi Confessorem, absolvendique à reservatis. Moveor: quia est sententia ferè omnium Doctorum, qui sua scripta typis mandarunt: sic enim tradit Ledesm. *2. part. 4. quæst. 29. art. 2.* Collector privileg. *in Compend. Mendicant. verb. Cruciata, & verb. Absolutio quoad Fratres*, & *ibi* Corbub. *in annotat & super Reg. D. Francisci, capit. 7. quæst. 8. punct. 2. &* Compend. Bernard. *verbo, Bulla Cruciatæ*, Passarell. *de privileg. Minor. capit. 10.* Sorbus post Compend. Mendicant. *pag. 544. & verbo Cruciata.* Henriquez *libr. 6. cap. 6. §. 9. & cap. 16. n. 7. & lib. 7. cap. 22.* Candelab. aureum 1. *part. de absolut. num. 25. aliàs 35.* Rodrig. *qq. regular. 1. tom. quæst. 21. art. 10. & in explicat. Cruciatæ, §. 9. numer. 24. & seq.* Sebastianus de Acosta *quæst. 107.* Villalob. *clausul. 9. §. 3. num. 14.* Garcia *de benefic. 2. p. capit. 5. à n. 60. & seqq.* Suarez *t. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. cap. 16. à n. 3.* Vgolin. *de offic. Episcop. capit. 7. § 2. n. 8.* Secundò, quia esto: in Bulla æquè Religiosis, ac sæcularibus concessa fuerit potestas eligendi Confessorem, & absolvendi à reservatis. At Alexand. V I. sicuti refertur in Compend. Ordinis Cisterciens. *verbo, Bullæ Cruciatæ, §. 1. & in tomo privilegior. ejusdem Ordinis, privileg. 16. num. 7.* prohibuit Cisterciensibus Cruciatæ usum: & Innocent. VIII. relatis in Compend. privileg Mendicant. *verbo, Confessiones, & Confessores §. 6.* eundem usum Augustinianis prohibuit: quam prohibitionem ad Minores extendit, ut constat *ex eodem privileg. verbo, Absolutio ordinaria quoad Fratres, §. 12.* Quod confirmavit Leo X. relatus in eodem Compend. §. 17. *&* 18. & *verbo, Cruciata, §. 3. & 5.* & *ibi* Collector, & Pius V. pro Dominicanis, & novissimè Clemens VIII. & Paulus V. pro omnibus Regularibus declararunt, nunquam esse, nec fore suæ mentis in facultate Cruciatæ, aliorúmque indultorum concedentium facultatem eligendi Confessorem comprehendere Religiosos. Ergo facta hac declaratione potestas, quæ generalis erat, restricta remanet: quæ tamen restrictio non tollitur per subsequentem Cruciatæ Concessionem. Tum, quia semper præsumitur concedi sub ea limitatione, dum contrarium manifestè non exprimitur. Tum, quia satis in jure receptum est, speciem non derogari per genus, juxta Gloss. fin. *in c. Generi. de reg. juris, in 6.* & pluribus comprobavi *tr. 3. de legib. disp. 5. p. ult. §. 4. n. 14.*

3. Alias rationes, meo judicio, inefficaces cumulant in probationem hujus sententiæ plerique ex supradictis Doctoribus, quas brevitatis causa omitto. Solùm adverto, non mihi probari modum, quo Suar. suam sententiam firmat: existimat namque Bullam Religiosis non prodesse: quia illa facultas generalis eligendi Confessorem nunquam illis fuit concessa: sed semper ab illa fuerunt excepti. Ad quod asserendum movetur, tum ex supradictis Bullis Leonis X. Pii V. Clementis VIII. & Pauli V. asserentibus, neque esse, nec fore Pontificis intentionem, Religiosos sub illa facultate comprehendere: & cùm sit lex declarativa, extendi potest ad præterea. Tum ex ratione: quia in generali concessione non veniant, quæ quis in specie non esset verisimiliter concessurus, *ex regula generali, de Reg. juris, in 6* At non est verisimile, hanc facultatem sic generalem eligendi Confessorem velle Pontificem Religiosis quibuscunque concedere. Primò, quia talis facultas in non leve detrimentum disciplinæ religiosæ, & observantiæ regularis cedit, uti dixerunt Pius V. & Gregor. XIII. & Clemens V I I I. *in suis Bullis.* Secundò, quia in Jubileis, quæ ad tempus, & ob aliquam occasionem specialem conceduntur, ubi hanc facultatem Religiosis Pontifex concedit, verbis claris, & manifestis id exprimit. Cùm ergo id non faciat in præsenti, non debet intelligi concessa. Tertiò, quia Trident. *sess. 25. cap. 10.* judicans expedire Monialibus bis, vel ter in anno Confessores extraordinarios designari: statuit, ut ab Episcopo, vel earum Superioribus designentur: ergo non est credendum, hoc privilegio, quod est quasi perpetuum, quia semper continuatur, remitti Monialibus eorum designationem, quoties sibi placuerit. Neque item mihi probatur secundum fundamentum, quo Suarez & plures alii moventur, quod sic se habet. In ultima clausa Bullæ Commissarius suspendit omnes gratias, facultates, & indulgentias quibuscunque personis, Monasteriis, locis piis, &c. & postmodum inquit: *Exceptis, tamen quæ concessa sunt Ordinum Mendicantium Superioribus quoad eorum Fratres.* quæ exceptio, cùm generalis sit, cadit in omnia præcedentia: ac proinde non solùm excipit indulgentias, sed qualibet facultas, quæ Superioribus concessæ sint. Ergo excipit facultatem, nec eorum subditi absque eorum

licentia Confeſſorem eligant, & à peccatis abſolvantur.

4. Hæ, inquam, rationes mihi non probantur. Exiſtimo namque, facultatem in Bulla conceſſam eligendi Confeſſorem æquè Religioſis, ac ſæcularibus competiiſſe: tum ex verbis generalibus, quibus Bulla utitur, *omnibus fidelibus, utriuſque ſexus, cujuſcunque conditionis, & qualitatis*, &c. ſub quibus neceſſariò veniunt Religioſi. Tum quia expreſſè facta mentione, tum Regularium, tum ſæcularium, facultatem edendi ova, & lacticinia concedit, & plenariam indulgentiam, & facultatem eligendi Confeſſorem abſque ulla diſtinctione, & à facultate edendi ova, & lactinia in quadrageſima Religioſos excipit: ergo, cùm in facultate eligendi Confeſſorem nulla fiat exceptio, ſub illa comprehenſi erant: & probatur ex conceſſione Gregor. XIII. facta Societati, quæ refertur in Comp. privil. Societatis *verbo, Gratiar. uſus*, §. 2. Concedit namque Gregor. Superioribus Societatis, ut poſſint ſubditis uſum Cruciatæ concedere, & limitare, prout ſibi viſum fuerit. Idémque colligi poteſt ex Urbani Bulla *in ſequenti pun.* inferenda, ubi manifeſtè ſupponit, per Bullam Cruciatæ in ſe ſpectatam omnibus Religioſis concedi facultatem eligendi Confeſſarium.

5. Neque obſtant rationes, quibus Suarez movetur: nam Innocent. Alexand. & Leo X. ſolùm dixerunt, non eſſe, nec fore ſuæ mentis, quòd Bulla Cruciatæ Religioſis profit quoad poteſtatem eligendi confeſſorem, non autem declararunt, à principio non profuiſſe, Pontificemque primò concedentem non habuiſſe intentionem: quinimò, etſi illam haberet, debeat exprimere, ut Religioſi abuſu illius facultatis cenſerentur excepti. Quòd verò Clemens VIII. & Paul. V. addiderint, non fuiſſe eorum mentem Religioſos in prædicta facultate comprehendere: non probat, à principio comprehenſos non fuiſſe: ſed probat, poſt Bullas Alexandri, Innocentii, Leonis, aliorumque Pontificum jam non comprehendi. Ad rationem nego. Pontificem non fore in ſpecie conceſſurum hanc facultatem Religioſis. Conceſſit utique, ut ſi Religioſi excitarentur ad ſubſidium ferendum bello contra Eccleſiæ inimicos, & fides dilataretur: neque illa conceſſio, quæ in vi privilegii revocabilis ſit, cedere poteſt in grave Religionis detrimentum, aliàs iniquè proceſſiſſet Pius IV. anno 1561. qui Bullam hoc tenore conceſſit, prout Joan. de Salas *quæſt. ult. in explicat. Bullæ*, teſtatur ſe vidiſſe: *Concede ſu Santidad, que todas las demas perſonas, aunque ſean Religioſos, y de las Ordenes Mendicantes, ſin que tengan licencia de ſus Superiores, puedan tomar, y ſe eſcribir para ello gozen del dicho Iubileo plenifimo, y puedan eligir Confeſor Clerigo, ò Religioſo, el qual oida ſu Confeſion, pueda abſolver de todos ſus peccados, quanto quier graves, y enormes*, &c. Et infrà: *Y quiere ſu Santidad, que cada vez, que tomare eſta Bula gozen de nuevo de todas las otras, que habieren tomado, eſpecialmente dicta gracia, de eligir Confeſor, y ſer abſveltos plenariamente, aunque ſean, como dicho es, Religioſos, ò Religioſas, aunque ſean mendicantes, ſin licencia de ſus Suprriores.* At non eſt affirmandum, Pontificem in hac conceſſione peccaviſſe; ſed eſto, minùs fuerit conveniens, non tamen abſolutè iniquum. Etenim, ſicut aliquibus hæc facilitas eligendi confeſſorem anſam peccandi præbet: aliis verò difficultas recurrendi ad Superiorem pro commiſſis, occaſio eſt, ne ſtatim à peccatis reſurgant: ſed in graviora labantur, & continuò priores fiant: quapropter & conceſſa facultas, & illius reſtrictio legitimos fines habere poſſunt. Quod verò ex Trident. adducitur, ſimile non eſt. Aliud enim eſt legem ſtatuere, aliud privilegium & ex cauſa onerosa concedere. Privilegium namque favorabilius debet eſſe, quam lex: quia id ſonat nomen privilegii, præcipuè cùm pro limitato tempore ſit conceſſum. Adde Trident. non prohibere, quin pluries, quàm bis, vel ter Confeſſores deſignentur: ſed præcipit, ut ad minus bis, vel ter fiat eorum deſignatio, quæ lex non impedit ſpecialia privilegia: neque ſpecialia privilegia eligendi Confeſſorem eam legem infirmant: ſed potiùs ejus intentum fovent.

Secundùm argumentum de exceptione appoſita in Cruciata minùs efficax eſt. Quia reſervatio caſuum à Superioribus facta non eſt in favorem Religioſorum, eſto, cedat in illorum bonum: ſed eſt in eorum gravamen: ſiquidem reſtringit facultatem eligendi Confeſſorem aliàs illis competentem: & cùm conceſſio facultatis ſit favor, illius reſtrictio, & denegatio onus erit. Non igitur ea excepto intelligi poteſt de hac facultate: ſed de facultate, quæ in favorem Religioſorum cedat. Deinde, illa exceptio intelligi debet de iis, quæ priùs ſuſpenderat Commiſſarius, aliàs exceptio non contineretur ſub regula. At Commiſſarius facultatem reſervandi caſus, utpote ad gubernationem eccleſiaſticam pertinentem, non ſuſpendit: ſed ſolum ſuſpendit indulgentias, facultates, & privilegia à Sede apoſtolica conceſſa obtinendi abſolutionem à peccatis, & cenſuris. Ergo ex vi illius exceptionis nullatenus infertur, Religioſos Bulla uti non poſſe.

6. Quapropter affirmo, etſi in prædicta conceſſione à principio æquè Religioſi, ac ſæculares continerentur: at poſt factas declarationes, & reſtrictiones tot Pontificum, nullatenus comprehenduntur: quia ſemper cenſetur facultas ſub ea reſtrictione concedi: quod amplius conſtabit ex ſolutione rationum oppoſitæ ſententiæ. Ad primam, in qua Baſil. Ponce magnam vim facit, tametſi levis ſit conſiderationis, reſpondeo, eſto privilegium oneroſum plerunque non revocetur: at de facto revocari poteſt cauſa juſta intercedente, etiam non ſoluta compenſatione, ut *prædicto loco de legib.* probavi. Verùm in præſenti non revocatur privilegium, ſed reſtringitur aliqua ex parte ob bonum Religionis, quod minus eſt. Præterquam quòd hoc privilegium nemini reſtringitur, poſtquàm illi eſt conceſſum; ſed conceditur illi jam reſtrictum: ac proinde non habet locum argumentum Baſil. de compenſatione facienda. Ad ſecundum dico toties reſtrictionem à Pontificibus publicari ut apertiùs de eorum intentione conſtet. Adde, opus fuiſſe à Clement. VIII. eam reſtrictionem denuò ſtatuere: quia Pius IV. eam de medio ſuſtulit. Si verum eſt, eo tenore, quem *ſuprà* retulimus, Bullam publicaſſe: & quia Pius V. ſolùm pro Dominica Familia, & Greg. XIII. pro Societate eam indixerunt. Ut ergo omnibus Religioſis facultas Bullæ reſtricta competeret, neceſſarium fuit ſtatutum à Clement. VIII. factum. Ad tertium reſpondeo, ut ibi, & ad replicam dico, reſtrictionem illam quæ per modum legis facta eſt, nulla Religioſorum acceptatione indigere: quia non verſatur circa ſubditorum actiones: ſed circa actionem legiſlatoris, declarando ejus voluntatem in privilegii conceſſione, quæ declaratio ex acceptatione, vel contradictione ſubditorum non mutatur, ut bene Garcia *dicta 2. p. de benef. capit. 5. num. 68.* notavit. Deinde hæc declaratio nullam aliam publicationem exigi præter eam, qua poſſit in notitiam privilegiatorum venire: quia hoc ſatis eſt, ut illis conſtet, qualiter privilegium ſit illis conceſſum. Hoc autem abundè obtinetur per publicationem Romæ factam: quia ibi Capita Religionum, & illarum procuratores exiſtunt, quibus reſtrictio intimata omnibus Religioſis intimata cenſetur.

7. Quòd ad Novitios attinet *tr. 16. diſp. 1. pun. 10. numer. 9.* dixi, Bullæ privilegio eligendi Confeſſorem, & abſolvendi à reſervatis, uti poſſe: quia comparatione

tione illorum non est restrictio facta, quippe ipsi non sunt propriè Religiosi, ex textu in cap. *Religiosi de sentent. excommunicat.* & *ibi.* Joan. Andr. & pluribus firmat Tiraq. *de utroque retractu*, 1. *p.* §. 1. *gloss.* 8. *n.* 29. quod verissimum est in iis, quæ odia; & non favores spectant, ut in præsenti. Atque ita præter Suar. *ibid.* relatum docet Rodrig. *in Bulla*, §. 9. *n.* 27. Henriq. *l.* 6. *cap.* 16. *numer.* 3. & 27.

§. III.

Quid dicendum est de Religiosis Societatis Jesu, quoad eligendum Confessorem virtute Cruciatæ.

1. *Quid sit certum.*
2. *Statuitur Bulla Gregorii, illiúsque declaratio.*
3. *Quibus aliqui probent, nova Cruciatæ concessione prædictam Bullam Gregor. revocari.*
4. *His illis satis.*
5. *An pro peccatis non reservatis Bulla prodesse possit.*

1. SI vera est sententia, quam *superiori cap.* firmatam reliquimus, manifestum est, Religiosos Societatis Jesu non posse Bulla Cruciatæ, uti, quoad eligendum Confessorem, & absolutionem à reservatis obtinendam, cùm Bulla Clementis VIII. edita anno Domini 1599. Novemb. 25. omnes Religiosos utriusque sexus comprehendat, sub quibus necessariò omnes, qui in Societate vota biennii emiserunt, intelliguntur. Sed, quia non desunt Doctores, qui censeant Bullam Clem. VIII. & illius de facultate Cruciatæ eligendi Confessorem restrictionem, vim non accepisse, eò quòd à pluribus Religionibus recepta non fuerit, tametsi ab aliquibus admissa: putant enim, esse necessarium, à majore parte Religionum acceptam fuisse, ut vim aliquam sortiretur, placuit sigillatim de Religiosis Societatis Jesu hanc quæstionem enodare.

2. Pro cujus decisione præmitto, Greg. XIII. in sua Bulla, quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem.* edita 3. Maii, anno 1575. & refertur in Com. privil. Societ. Jesu, *verbo. Absolutio*, §. 11. *& verb. Gratiarum usus*, §. 2. usum Cruciatæ, & quoruncunque indultorum, quoad potestatem eligendi Confessorem; sub iis verbis prohibere. [Ne quis autem apostolicorum indultorum prætextu regularem, ac exemplarem instituti prædictæ Societatis disciplinam, quam modis omnibus retineri, & conservari volumus, dissolvere, aut relaxari præsumat; non esse, nec fore unquam mentis nostræ, aut Sedis Apostolicæ, ut personæ Societatis absque expressa Superiorum ejusdem Soc. licentia utantur facultatibus: quæ in Jubileis, Bulliis Cruc. confessionalibus, aut aliis quibuscunq. apostolicis indultis, sive Communitatibus, sive privatis personis, sive piis locis, aut quomodocunque aliter hactenus concessæ sunt, aut in posterum conceduntur, etiamsi in illis expressè indulgeatur, ut omnes Regulares etiam Mendicantes, hujusmodi facultatibus uti possint: si quando autem usus aliquarum ex prædictis facultatibus personis de dicta Societate ab ejusdem Societatis Superioribus concederentur, ut nulli earum liceat, nisi intra numerum eorum, qui ad confessiones personarum ejusdem Domus, aut Collegii audiendas deputati sunt, Confessarium eligere, nisi ratione itineris, aut alia de causa ab eisdem Superioribus aliis Confessariis intra, aut extra Societatem confitendi facultas ad id specialiter daretur, apostolica authoritate, tenore præsentium, perpetuò declaramus, statuimus, & ordinamus: secúsq; facta irrita, & inania fore decernimus.] Deinde ipse Greg. 29. Octob. 1584. prout refertur *verbo Gratiarum usus*, §. 2. declaravit, vivæ vocis oraculo, mentis suæ non esse, ut per Bullas Cruciatæ, aut Jubileorum, vel aliàs similes concessiones, sub quacunque derogatione, aut tempore etiamsi in eis dicatur, *quacunque prohibitione sublata, vel etiam vivæ vocis oraculo Pœnitentiariis S. Petri, aut quibuscunque aliis hactenus factas, vel in posterum faciendas*, censeatur derogatum privilegiis, regulis, aut ordinationibus Societatis, præcipuè verò indulto illi per eundem Gregor. XIII. die Maii, 1575. concesso scilicet, ne personis Societatis absque expressa superiorum ejusdem licentia uti liceat facultatibus in Jubileis, Bullis Cruciatæ, confessionalibus, aut aliis quibuscunque apostolicis indultis quomodocunque hactenus concessis, & in posterum concedendis. Declaravit præterea, posse superiorem, dum hujusmodi licentiam concedit, limitare eam ad usum unius aut alterius facultatis, & prohibere usum reliquarum, etiam eadem Bulla, aut indulto contentarum. Quas concessiones nemini esse potest dubium à Societate admissas esse: ac proinde esto, bulla Clement. VIII. recepta non sit, ideoque vim non fuerit sortita, religiosi Societatis Cruciata uti non possunt ex prohibitione facta à Gregor.

3. Verùm aliqui, disciplinæ regulari minus intenti audent affirmare nova bullæ cruciatæ concessione cum clausulis derogatoriis omnes prædictas restrictiones, & limitationes de medio tolli, posseque Religiosos quoscunque, etiam Societatis, uti Bulla Cruciatæ ad eligendum Confessorem, ac si nulla illis restrictio facta esset. Cui modo dicendi non leviter favet Urban. VIII. *in bulla edita ult. Martii*, 1629. ubi inquit: *Cùm ratio doceat, & experientia compertum sit, Religionibus valde perniciosum existere, ut earum Religiosis licitum sit, Confessarium sibi eligere.* Et licèt felicis recordat. Gregor. XIII. ac Clemens octavus, & Gregor. XV. Romani Pontifices, prædecessores nostri, per suas in forma brevis litteras, expressè prohibuerint, ne religiosi Societatis Jesu facultatibus Cruciatæ sanctæ uti absque Superiorum suorum licentia valerent; nihilominus, quia nonnulli existimant, ex clausulis litterarum dictæ Cruciatæ cuicunque ipsius Societatis privilegio derogari, & propterea ipsis religiosis hujusmodi facultatibus uti licitum esse speciali ad hoc nostro & apostolicæ Sedis opportuno remedio necesse sit. Nam, si novum remedium necessarium est; Ergo sentit Pontifex, prædictis bullis Gregor. XIII. Clement. VIII. & Gregor. XV. non satis esse provisum. Præterea, cùm referat Pontifex sententiam illorum Doctorum, qui affirmant, ex clausulis Cruciatæ nostris privilegiis in contrarium derogari, potestatemque eligendi confessorem religiosis integrè communicari, non damnat, nec reprobat, imò tacitè eam approbat, asserens, necesse esse de opportuno remedio providere.

4. Sed hæc levia sunt: nam ut ex *superiori puncto* constat, Bulla Cruciatæ solùm facultates, indulta, & privilegia, quæ illius usui obstare possunt, revocat; secùs restrictionem, & limitationem facultatis in eadem Bulla concessæ, quæ privilegia non sunt censenda. Neque obstat, Pontificem referentem illorum sententiam, qui affirmant, clausulis bullæ prædictas restrictiones derogare, non condemnasse: sat enim in actu exercito, & opere ipso damnavit novam prohibitionem utendi cruciata expediens, quæ licet simpliciter necessaria Religiosis Societatis non esset; erat tamen opportuna ad falsam illorum sententiam de revocatione privilegiorum nostrorum comprimendam. Igitur Urbanus VIII. in prædicta Bulla inquit: *Nos pro nostri pastoralis muneris debito, ea quæ ipsius Societatis quieto, & pacifico statui, ac debitæ Superioribus obedientiæ conservandæ opportuna esse cognoscimus, salubriter providere volentes, motu proprio, & ex certa scientia maturaque deliberatione nostræ, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura*

conſtitutione ſarcimus, nulli religioſorum ejuſdem Societatis licere facultatibus Cruciatæ hujuſmodi in quacunque mundi parte publicatæ, vel publicandæ, quoad eligendum Confeſſarium, & obtinendam abſolutionem à caſibus reſervatis uti, neque eis quoad eligendum confeſſarium, & obtinendam abſolutionem prædictam facultatem Cruciatæ hujuſmodi ſuffragari; minuſque præſentes litteras ſub quibuſcunque ejuſdem cruciatæ conceſſionibus, extenſionibus, prorogationibus, & confirmationibus factis, & pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi: ſicque per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quovis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit, decernimus. Non obſtantibus, &c. Quæ litteræ in omnibus Collegiis publicatæ fuerint; eſto id neceſſarium non eſſet. Ex quibus nullus relinquitur locus dubitandi, nemini è Societate licere uti Bulla Cruciatæ ad eligendum confeſſorem, & obtinendam à reſervatis abſolutionem: neque nova Bulla cruciatæ conceſſione prædictam reſtrictionem revocari, niſi illius fuerit mentio expreſſa. Quod efficacius procedit, dum Vrbanus VIII. vixit, qui temerè præſumitur nova Cruciatæ conceſſione revocare remedium, quod ipſe motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura declaratione judicavit opportunum religioſorum ſtatui, concedereque facultatem liberam eligendi confeſſarium, quam ipſe, tum ratione, tum experientia compertum eſſe affirmat religionibus valde perniciosam exiſtere.

5. Supereſt dicendum, an ſaltem pro peccatis non reſervatis poſſint Societatis Religioſi eligere virtute bullæ confeſſarium, qui eos abſolvat? Et breviter reſpondeo, ſi vera eſt ſententia, ut mihi veriſſima videtur, Cruciatæ nova conceſſione non revocari reſtrictionem factam à Clement. VIII. & ſpecialiter pro religioſis Societatis Jeſu à Gregor. XIII. nullatenus poſſunt religioſi Societatis uti Bulla cruciatæ ad eligendum confeſſorem, etiam pro non reſervatis: quia abſolutè facultas eligendi confeſſarium abſque licentia prælati eſt, in noſtra bulla indirecta, cum clauſula irritante. Atque ita Suar. *tom. 4. de relig. tract. 8. l. 2. cap. 16. à n. 3. uſque ad* 10. At ſi ſuſtineamus ſententiam illam parum probabilem, nova, inquam conceſſione Cruciatæ prædictas reſtrictiones, declarationes, ſeu privilegia de medio tolli; ſolumque eſſe ſpectandum motum proprium noviter conceſſum Vrbani VIII. exiſtimo probabilius, poſſe religioſos Societatis eligere confeſſarium, qui eos à non reſervatis abſolvat: quia Vrban. VIII. in prædicto motu proprio ſolùm interdicit electionem confeſſarii in ordine ad obtinendam abſolutionem à non reſervatis: non verò in ordine ad obtinendam abſolutionem à non reſervatis, ut colligi poteſt ex illis verbis bis repetitis. Nulli religioſorum Societatis licere facultatibus Cruciatæ hujuſmodi in quacunque mundi parte publicatæ, vel publicandæ, quoad eligendum confeſſarium, & obtinendam abſolutionem, à caſibus reſervatis, uti, neque eis quoad hanc eligendi confeſſarium, & obtinendam abſolutionem, prædictam facultatem Cruciatæ hujuſmodi ſuffragari. Cùm enim electio confeſſarii ſolùm eſſe poſſit ad obtinendam abſolutionem à reſervatis, & non reſervatis, exprimens Pontifex, & excipiens abſolutionem à reſervatis, tacitè electionem confeſſarii ad obtinendam abſolutionem à non reſervatis permittit. Præterea id ipſum indicat dictio illa, &, quæ copulat verbum antecedens cum ſequenti, & illius eſt declaratio, ex leg. *Seiæ*, 20. §. *Caio, ff. de ſecundo inſtructo.* ubi Bartol. *n.* 1. leg. *Titiæ textores*, §. *Nihil ff. de legatis*, 1. Nam eſto, varias ſignificationes ſortiatur, uti videri poteſt in Everard. *in loco à natura opul. per totum*, quas breviter collegit Gonzalez *reg.* 8. *Cancell. gloſſ.* 3. in præſenti autem manifeſtum eſt, appoſitam eſſe ad declarationem verbi antecedentis, quod commune erat juxta ea, quæ tradit Rota *deciſ.* 327. *num.* 5. *part.* 2. *diverſor.* Socin. junior. *conſ.* 181. *n.* 35. *l.* 2. Et ita ſola electio confeſſarii ab obtinendam abſolutionem reſervatis interdicitur, Permittitur ergo electio confeſſarii pro abſolutione à non reſervatis obtinenda.

§. IV.

De facultate Confeſſarii abſolvendi à cenſuris, & pœnis.

1. *Ab omnibus cenſuris confeſſarius abſolvere poteſt.*
2. *Non poteſt abſolvere a ceſſatione à divinis.*
3. *A qua irregularitate ſit certum, non poſſe Confeſſarium abſolvere.*
4. *Ab irregularitate ex delicto tantùm, plures cenſent abſolvi poſſe.*
5. *Probabilius eſt, à nulla irregularitate, virtute Cruciatæ, abſolvi poſſe.*
6. *Oppoſita fundamenta diſſolvuntur.*
7. *A quibus cenſuris abſolvi poſſis. Proponitur dubitandi ratio.*
8. *A qualibet abſolvi potes.*
9. *Quid dicendum de licita abſolutione.*
10. *Satisfit rationi dubitandi.*

1. CErtum eſt, confeſſarium virtute bullæ abſolvere poſſe ab excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto: quia verè ſunt cenſuræ, juxta textum in cap. *Quærenti de verb. ſignificat.* & in prædicta bulla datur facultas abſolvendi ab omnibus cenſuris.

2. Duplex tamen eſt difficultas. Prima, an virtute hujus facultatis abſolvere Confeſſarius poſſit à ceſſatione à divinis. Et ratio difficultatis eſt: quia ceſſatio à divinis ſpecies eſt interdicti, & cenſura, ut tradit Covarruv. *cap. Alma. 2. p.* §. 2. *in princip.* Sotus *in 4. diſt. 22. q. 3. art.* 1. Si igitur virtute cruciatæ abſolvere confeſſarius poteſt ab interdicto, & à qualibet cenſura, etiam à ceſſatione à divinis, videtur abſolvere poſſe. Sed omnino oppoſitum tenendum eſt: quia ceſſatio à divinis non afficit perſonam, pro cujus cauſa impoſita eſt, ſed afficit locum ſacrum, in quo divinas laudes ſilere facit. At virtute Cruciatæ, qui illam habet abſolvi poteſt à cenſuris contractis, non locus ſacer: ergo virtute cruciatæ tolli non poteſt ceſſatio. Deinde ceſſatio à divinis, eſto, ſpecies eſſet interdicti localis, & cenſura; eſt tamen cenſura quæ ſolùm per judicem loco ſacro imponitur: at cenſura, pro qua bulla poteſtatem abſolvendi concedit, eſt cenſura, quam abſolvendus contrahere ipſo jure poteſt. Ergo pro ceſſatione à divinis nulla in bulla conceditur facultas, ſicut nec pro interdicto locali & tradit Rodrig. *additionib. ad Crucia.* §. 9. *n.* 60. Villalob. *clauſ.* 9. §. 2. *n.* 26. & 27.

3. Secunda, & gravior difficultas eſt, an virtute bullæ ab irregularitate poſſis abſolvi? Et quidem de irregularitate impoſita ob indecentiam, qualis eſt, quæ oritur ex bigamia, ex defectu natalium, & homicidio authoritate publica facto, omnes Doctores conveniunt te abſolvi non poſſe: quia hæ irregularitates nec ſunt cenſuræ, neque eccleſiaſticæ pœnæ; ſed quædam impedimenta ab Eccleſia ſtatuta pro ſuſcipiendis Ordinibus, beneficiiſque eccleſiaſticis in cultum, & reverentiam eccleſiaſtici ſtatus. Ob quam rationem eadem certitudine exiſtimo, te non poſſe virtute Cruciatæ abſolvi ab irregularitate contracta ex homicidio, ſive voluntario, ſive caſuali: quia eſto, illa irregularitatis impoſita ſit in pœnam delicti

commissi simul etiam imponitur ob indecentiam, & improportionem, quam habes cum ecclesiastico statu. Non enim mansuetudinem Christi, qui pro nobis vitam exposuit, vales repræsentare: cum ab alio vitam abstuleris, ideóque Sotus *lib.4. de institut. quæst.1. art.4.* etsi de aliis irregularibus pœnalibus admittat, virtute Cruciatæ te posse absolvi, de hac irregularitate omninò negat. Quapropter controversia sita est de absolutione ab irregularitate contracta ex iniqua administratione Sacramentorum, ex violatione censuræ, & apostasia, vel hæresi.

4. Ab hac irregularitate posse virtute Cruciatæ te absolvi docent Sotus *in 4. dist.22. quæst.3. art.1.* Cordub. *de indulg. quæst.43. dub.4. & in sum. q.38. & q.144.* Medin. 1.2. *q.96. art.4.* & *lib.1. sum. cap.11. fol.51.* Gutierr. *lib.1. can. qq. cap.3.* & testatur se consuluisse viros doctissimos Bannez 2.2. *quæst.64. art.8.* probabilem reputat Rodrig. *q.9. n.64.* Sà *verbo, Absolutio, n.20.* Moventur: quia prædicta irregularitas est verè censura: quia est sententia, & pœna Ecclesiastica, ut dicitur Extravag. *de privilegiis*, §. *Observent.* & colligitur ex Trident. *sess.24. cap 6.* Et esto, irregularitas hæc non sit censura: at negari non potest esse ecclesiasticam pœnam: sed bulla concedit facultatem absolvendi, non solùm à censuris, sed etiam à pœnis ecclesiasticis. Ergo concedit facultatem absolvendi ab irregularitate. Quòd si dicas, in bulla tantùm concedi facultatem absolvendi à censuris, & pœnis, non autem dispensandi: irregularitas autem non absolutione, sed dispensatione tollitur, ut tradit Sylvest. *verbo, Irregul. in fine.* Ergo pro irregularitate nulla est facultas in bulla concessa: obstat: quia sæpè irregularitas absolutione tolli censetur, teste Gerson. *al. hab.33. litt. Q.* Covarr. *in sum. q.26.* & *q.43. de indulg. dub.2. & 3.*

5. Sed oppositum longè probabilius est, nempe, à prædicta irregularitate te non posse virtute Cruciatæ absolvi. Sic docent Navar. *cap.27. num.194. & n.250.* Ledesm. 2. *part. quarti, quæst.26. art.2.* Covarr. *cap. Alma mater. 1. par. §.6. n.6.* Villadiego *tract. de irregularit. col.43. in fine.* Henriquez *l.7. de indulgent. cap.13. n 6.* & *lib.13. cap.1.* Anton. Gomez *clauf.10. in Cruciat. n.30.* Villalobos *clauf.9. n.91.* Avila *de irregularit. dub.14.* & alii communiter. Ratio præcipua est: quia nec nomine censuræ, nec pœnæ venit irregularitas. Non censuræ: quia definiens Pontifex in cap. *Quærenti. de verbor. signific.* quæ sub censura intelligantur, solùm meminit excommunicationis, suspensionis, & interdicti. Et meritò: quia hæc ad correctionem delinquentis adhibentur: at irregularitas non in correctionem, imo nec præcipuè in delicti punitionem, sed in reverentiam, & cultum ecclesiastici status constituitur à jure, ideóque à ratione censuræ omninò excluditur. Neque etiam sub nomine pœnæ, de qua in bulla est sermo, irregularitas intelligitur. Etenim pœna *ibidem* præscripta est, quæ impedit susceptionem pœnitentiæ, & Communionis, ut si Confessor te suspendisset à confessione, vel Communione suscipienda pro aliquo tempore, vel tu ob aliquam justam causam eam tibi pœnam imposuisses, vel certè, ut mihi placet, apposita est ob stylum, & usum antiquum, quo fideles à Communione arcebantur ob aliqua delicta juxta textum *in cap. Presbyter 82. dist. cap. De his verò 23. quæst.2.* Ab his ergo pœnis, si quæ sint, virtute Cruciatæ potes, absolvi non ab aliis, quæ usum pœnitentiæ, & Communionis non impediunt, uti manifestè colligitur ex ipsa Bulla dicente: *Y para que con mas puridad. de sus conciencia.* Attendit ergo ad removendas censuras, & pœnas, quæ puritati conscientiæ obstare possunt. Cùm autem irregularitas non sit pœna, quæ pœnitentiæ, & Communionis susceptionem impediat, sub concessione absolvendi à pœnis non comprehenditur. Et comprobari potest ex his, quæ tradidi *tract. de pœnit. p.14. num.16.* Deinde si virtute Cruciatæ absolvi posses ab irregularitate ob delictum contracta, ut quid Commissario concessa est potestas dispensandi in irregularitate, præterquàm homicidii voluntarii, bigamiæ, apostasiæ, hæresis? Quinimò ex parte Confessarius ampliorem haberet facultatem, quàm Commissarius: siquidem posset dispensare in irregularitate proveniente ex apostasia, & hæresi, pro qua non conceditur potestas Commissario. Adde, Trid. Episcopis concedere facultatem dispensandi in omnibus irregularitatibus, excepta homicidii voluntarii, ex delicto occulto provenientibus. At, si Confessarius virtute Cruciatæ dispensare posset in prædictis irregularitatibus, ejus potestas ad irregularitates publicas extenderetur, quia nulla est in bulla restrictio, ac proinde ampliorem Confessarii virtute bullæ haberent facultatem, quàm Episcopi ex Trident. Hoc autem verisimile non est. Ergo potestas bullæ ad irregularitates nullo modo extenditur.

6. Neque obstat oppositæ sententiæ fundamentum Admitto, aliquam irregularitatem esse pœnam ecclesiasticam: nego tamen, inde inferri, esse censuram: quia non omnis pœna censura est, aliàs degradatio, depositio, privatióque beneficii essent censuræ, & ab illis posses virtute bullæ absolvi, quod est absurdum: solùm enim à pœna, quæ medicinalis est, quæque susceptionem pœnitentiæ, & Communionis impedit, virtute Cruciatæ absolvi potes, ut dictum est. An autem irregularitas absolvatur, vel dispensetur? Respondeo, esto, aliquando absolvi dicatur, impropriè tamen dicitur, neque rescripta Pontificia eo verbo absolutionis utuntur, sed verbo dispensandi: & merito: quia ea, à quibus qui absolvitur, jure tolli postulant, eórumque sublatio juri est conformis, ideóque nomine absolutionis declaratur. Secùs est de illis, quorum sublatio juri adversatur, sicuti est irregularitas, quæ jure ipso statuente perpetua est, nec tolli debet, ac proinde ejus sublatio, utpote adversa juri, dispensatio dicitur.

7. Posito autem, quod virtute Cruciatæ ab omnibus censuris, etiam Sedi apostolicæ reservatis, absolvi possis, supereſt inquirendum, de quibus censuris intelligatur, an de censuris à jure, vel etiam ab homine latis, an de occultis, vel etiam de publicis, & ad forum contentiosum deductis: Videtur autem, ab omnibus te absolvi posse, siquidem bulla nullam apponit limitationem. Non igitur est à nobis apponenda, præcipuè cùm privilegium Principis latam admittat interpretationem. In contrarium autem est; quia ex hac absolutione non leviter jurisdictio Ordinariorum perturbaretur. Ergo non est præsumendum, Pontificem eam concedere potestatem. Quod efficaciter confirmari potest primò ex restrictione facta à Trident. *sess.24. cap.6.* Episcopus, quibus, esto, concessa sit ampla facultas absolvendi, & dispensandi in censuris, & irregularitatibus, restringitur tamen, dummodo ad forum contentiosum deductæ non sint. Non igitur est credendum, Confessario, absque ulla restrictione, facultatem concessam esse per bullam quam Episcopis Tridentin. negat. Deinde ex Extravag. Sixti IV. *Etsi Dominici, l.2. de pœnit. & remissionib.* ubi virtute bullæ, aliorúmque privilegiorum absolvi prohibetur denunciatus vel publicè diffamatus. Tandem, quia esto, privilegium Principis & potestas dispensandi latè interpretari debet, id intelligendum est, nisi in præjudicium tertii cedat: nam quoad eam partem strictam habere debet interpretationem. At ea potestas maximè odiosa est Ordinariis, & in eorum præjudicium non leviter cedit. Ergo strictè interpretanda est, ac proinde asserendum, non extendi ad censuras publicas, & ad forum contentiosum deductas.

8. Sed

8. Sed nihilominus verius existimo, virtute Cruciatæ à qualibet censura, sive à jure, sive ab homine: sive publica, sive secreta, sive deducta ad forum contentiosum, sive non, te validè absolvi posse. Ita docuit Ledesm. 2. *p.* 4. *q.*26. *art.*1. *fol.*353. Sotus *in* 4. *dist.*22. *art.*3. *vers. Primus ejus cas.* Polanc. *in directorio. c.*4. *vers. Si quis.* Angles *florib.*2. *p. q.unica de excommun c. art.*4. *diffic.*2. Hentiq. *lib.*8. *de Euchar. c.*60. *n.*4. & *lib.*7. *de indulgent. c.*13. *n.*2. Rodrig. *in addit. ad Bullam. num.*49. §. 9. Thom. Sanch. *lib.*6. *sum. cap.*17. *n.*43. Ratio est *suprà* insinuata: quia privilegium principis sine limitatione concessum non est à nobis limitandum. Si enim Trident. Episcopis non limitaret potestatem pro censuris deductis ad forum externum, sine dubio possent ab omnibus censuris, quantumvis essent ad forum externum deductæ absolvere. At Cruciata hanc restrictionem Confessario non apposuit. Ergo poterit Confessarius ab illis absolvere.

9. Notanter dixi, *validè*: nam, si de licita absolutione loquamur, credo, pendente lite illicitè concedi, nisi fortè in loco distanti, ubi prorsus censura ignoratur, uti docuit Stephan. Davila *de censur.*2. *p. c.*7. *disp.*3. *dub.*7. *concl.*3. & 4. Moveor: quia probabilis sententia est, ut posteà videbimus, absolutionem virtute Cruciatæ concessam, non solùm pro foro conscientiæ, sed etiam pro foro exteriori prodesse. At si pendente lite ea absolutio concedatur, non levia inconvenientia inde sequuntur: impeditur enim Ordinarii jurisdictio: siquidem in probabili sententia sic absolutus se gerere potest, ac si ab ipsomet Ordinario, vel ejus Superiore absolutus esset, ipséque Ordinarius neque absolvere, neque punire amplius posset: quæ sine dubio dedecent. Ergo rationi dissonum est, in ea occasione eam absolutionem præstare.

10. Neque his obstat ratio dubitandi: negamus namque, ex hac facultate jurisdictionem Ordinarii perturbari. Tum, quia illicitè præstatur absolutio, pendente lite. Tum quia Ordinarii non acquiescunt sententiæ asserenti, pro foro externo absolutionem prodesse. Ad confirmationem respondeo, ex restrictione apposita in Concilio, & in bulla omissa infertur, Bullæ privilegium extendi ad omnes censuras: neque mirum est, ex hac parte ampliorem potestatem Confessario concedi, quàm Episcopis: quia Episcopis concedebatur per viam legis, & statuti: at Confessario per viam temporalis, & transeuntis privilegii, Adde, falsum esse absolutè, & simpliciter, ampliorem potestatem Confessario, quàm Episcopis concedi: siquidem Episcopis conceditur potestas ad omnes irregularitates, quæ Confessori denegatur, & ad omnes casus occultos Pontifici reservatos. Ptæterea, si Episcopis concederetur potestas absolvendi à censuris ad forum contentiosum deductis, deberet illis concedi absque ulla dubitatione pro foro externo, ex quo aliorum Judicium jurisdictio detrimentum pateretur. Quod tamen non patitur ex concessione Cruciatæ, cum Ordinarii in foro externo absolutionem Cruciatæ non admittant. Ad Extravag. *Etsi Dominici*, tripliciter Sanch. *dicto lib.*6. *cap.*17. *num* 43. *in fine.* respondet. Primò, non interdicere absolutionem cujuscunque criminis ad forum externum deducti: sed tantùm hæresis. Secundò, non interdicere absolutionem factam virtute Cruciatæ, aliorumque privilegiorum ab aliis Pontificibus concessorum, sed absolutionem factam virtute privilegiorum, quæ ab eodem Sixto IV. sint concessa. Tertiò respondet, cessasse jam illam Extravag. quia fuit quasi clausula addita ad Bullam Cœnæ, quæ cum suo Authore expiravit.

§. V.

Qualiter absolutio à censuris impendi debeat.

1. *Impendi debet satisfacta parte, si fieri potest.*
2. *Quid si alio modo impendatur? Probatur invalidam esse.*
3. *Contrarium est satis probabile.*
4. *Nomine partis qui veniat.*
5. *Negant plures extra Sacramentum Pœnitentiæ absolutionem à censuris præstari posse virtute Cruciatæ.*
6. *Verius est præstari posse.*
7. *An absolutio virtute Cruciatæ prosit pro utroque foro?*
8. *Affirmant plures.*
9. *Verius est solùm pro foro conscientiæ prodesse.*
10. *Satisfit contrariis.*
11. *Absolutus virtute Bullæ, si in foro externo delinquat, non est ita rigidè puniendus, ac si absolutus non esset.*
12. *Qualiter probabis, te esse virtute Bullæ absolutum?*
13. *An possit Confessarius absolvere virtute Bullæ ad reincidentiam? Proponitur ratio dubii.*
14. *Resolvitur negativa pars.*
15. *Satisfit rationi dubitandi.*

1. COnstat ex verbis bullæ relatis absolutionem à censuris concedendam non esse, quin parti, si potes, satisfacias, sin minùs cautionem præstes, juxta textum in cap. *Venerabilib. de sentent. excomm. in 6.*

2. Difficultas autem est, an si de facto tibi potenti satisfacere concedatur absolutio, quin de facto satisfeceris, valeat absolutio? Et quidem esse illicitam, nemini est dubium. Quòd autem sit invalida, inde probatur: quia est collata à non habente potestatem: cùm enim potestas eligendi Confessarium, qui te à censuris absolvat, concedatur sub ea forma, ut satisfacias parti, si potes, electio Confessarii emissa tali forma invalida est: ergo & absolutio.

Dices, satisfactionem partis in hac delegatione appositam non esse, ut conditionem, sed solùm ut monitionem illius, quòd spectato jure Confessarius servare debet: quoties autem in delegatione forma juris communis exprimitur eo modo, quo jure communi expostulatur, non inducit conditionem, si aliàs jure communi non inducebat, neque irritat actum, si aliàs jure communi validus est, ut docet Glossa recepta *in Clem.*1. *de officio delegat. verbo, Receperit:* & pluribus comprobant Navarr. *cap.*27. *n.*37. Covarr. *cap. Alma, 1. p.* §. 9. *n* 8 Thom. Sanchez *lib.*3. *de matr. disp.*33. *n.*3. At satisfactio partis in absolutione à censura ita à jure expostulatur, cap. *Ex partic. el* 1. *de verbor. significat.* ut illius omissio absolutionem non irritet, neque irritare debet in hac delegatione: & ita tradit Eman. 1. *t. sum. cap.*83. *num.*4. & probabilissimum reputat Sanch. *d. lib.*3. *de matr. disp.*33. *n.*3. *circa finem.*

Sed contra: quia satisfactio partis non solùm expostulatur in delegatione Confessarii, ut ipse absolutionem concedat, sed etiam ipsi pœnitenti injungitur, ut electionem Confessarii faciat, & sub ea forma ei traditur facultas Confessarium eligendi. At jure non inest, quod electio confessarii concedatur sub partis satisfactione: ergo sic concessa conditionem importat juxta ea, quæ Gloss. tradit *in cap. Cùm dilecta de rescript. verbo Juris*, & *ibi* Abbas *n.*12. Covarr. *in cap. Alma* 1. *p.* §. 9. *n.*8. Atque ita absolutionem esse nullam, si tibi præstetur, parte non satisfacta, cùm satisfacere possis, docent expressè Ledesm. 2. *punct.*4. *q.*26. *art.*1. *fol.*353. Navarr. *l.*3. *consilior. tit. de Regul conf.*75.

conf.75. n.36. aliàs lib.5. de sentent. excommun.conf.49. n.3. Guttierr. *allegat.9. n.6.* Medin. *l.2. c.12. fol.303.* Angles *Florib. 2. p. quæst. unica, de excommunic. art.4. difficul.9.* Cordub. *sum. quæst.18. p.1. dicto 2. & q.187. p.4. & lib.5. quæstionarii, quæst.43. dub.3. in fine.* Henriquez *lib.7. de indulgent. cap.13. num.2.* Manuel sibi contrarius *in Bulla §. 9. num.52.*

3. Cæterùm, etsi hæc sententia communis sit, credo cum Thom. Sanch. *dicta disp.33. num.3.* probabiliſſimum eſſe, validam fore abſolutionem: quia ſatisfactionem partis non tibi exigit Pontifex, ut conditionem ad concedendam poteſtatem eligendi Confeſſarium, aliàs electioni Confeſſarii præmittenda foret, neque etiam ut Confeſſarius te abſolvat, ſed ſolùm præſcribit modum in abſolutione ſervandum. Quod non leviter colligitur ex verbis bullæ, ſi benè expendantur. Nam conceſſa facultate eligendi Confeſſarium, & abſolvendi ab omnibus cenſuris, & pœnis, nulla de ſatisfactione partis mentione facta, poſt modum ſubjungit: *Y en caſo que ſea neceſario ſatisfacion para conſeguir la dicha abſolucion, la hagan por ſus perſonas, y aviendo impedimento la puedan hacer ſus herederos, ò otros por ellos.* In quibus verbis nullum eſt, quod indicet poteſtatem abſolvendi ſub conditione ſatisfaciendi parti concedi, quin potiùs manifeſtè indicatur Pontificis mentem nullam aliam fuiſſe, quam monere Confeſſarium, qua ſatisfactione contentus eſſe poſſet, ad præſtandam abſolutionem.

4. Nomine partis, cui eſt ſatisfactio præſtanda, non intelligitur Judex, nec Notarius ſalarium recepturus, nec fiſcus, neque alius, cui eſt per Judicem pœna applicanda, ſed ille tantùm, cui ſatisfactio debetur, & in cujus favorem excommunicatio lata eſt, uti docuerunt Ledeſm. *2. p. 4. quæſt.26. art.1.* Cordub. *de indulg. q.43. dub 3. in fine.* Gutierr. *lib.1. qq. canon. cap.5. n.29.* Eman. Rodrig. *§.9. num.53.* Avila *de cenſur. 2. p. c.7. diſp.2. dub.7.* ubi advertit, ſemper curandum eſſe, ut ſatisfactio reipſa ante abſolutionem exhibeatur: quia obtenta abſolutione ſæpius ſolet omitti. Quòd ſi ſatisfactio incerta fuerit, vel dubia, ſub cautione validè, & licitè præſtari abſolutio poteſt, ubi notavit Navarr. *cap.26. n.7.*

5. Sed, an hæc abſolutio à cenſuris in Sacramento Pœnitentiæ, an extra, præſtari poſſit, difficultate non caret. Negati extra Sacramentum Pœnitentiæ præſtari poſſe Cordub. *in ſum. q.19. fol.60.* Navarr. *c.26. n.31. & l.1. conſ.28. tit. de ſentent. excommunicat. ad 4. quæſt. & c. Cùm contingat. de reſcriptis, cauſa 2. nullitatis, pag.12.* Covarr. *cap. Alma mater. 1. part. §.11. n.11. & 16.* Sarmiento *1. ſelect. cap.9. num.5.* Rodrig. *in expoſit. Bullæ, §.9. n.54.* Moventur ob tenorem, quem Bullæ antiquæ obſervabant in concedenda hac facultate, qui ſic ſe habebat: *Y puedan eligir Confeſor, que oidos diligentemente ſus pecados, les pueda abſolver de qualeſquier crimines, &c. y de qualeſquier cenſuras y penas, &c.* Ablativum enim illud abſolutum, *eorum peccatis diligenter auditis*, formam inducere videtur, leg. *A teſtatore, ff. de condit. & demonſtrat.* Et licet in præſentibus bullis ea verba non habeantur, videntur tamen æquivalentia appoſita eſſe: ſiquidem ſimul cum abſolutione à cenſuris abſolutionem à peccatis Pontifex conjunxit: *Y les pueda abſolver de qualeſquier pecados, y cenſuras, aun de los reſervados à la Sede apoſtolica, y de los no reſervados, todas quantas veces los confeſſaren.* Indicant ergo hanc abſolutionem in confeſſione eſſe faciendam.

6. Verùm, etſi conſultum ſit in ſacramento pœnitentiæ hanc præſtari abſolutionem; non tamen id neceſſarium eſt, ut benè tradiderunt Sotus *in 4. diſt. 18. art.5. colum.9.* Henriq. *l.7. de indulg. c.13. litt. O* affirmans, commiſſarium de hac re conſultum ſic declaraſſe. Rodrig. *in additionib.* retractans ſententiam. *§.9. n.47.* Villalob. *clauſ. n.23.* Avila *de cenſur.2. p. c.7. diſp.3. dub.13.* Garcia *de benefic. 2. p. cap.5. n.53.* Moveor: quia abſolutio à cenſura fieri optimè poteſt, ſpectato jure communi, teſte Sylveſt. *Abſolutio 3. notab.3. initio.* Rodrig. Avila, & aliis *ſuprà*, ideoque parochus abſolvere extra confeſſionem à cenſura non reſervata poteſt, ut probat Cordub. *dicta quæſt.19.* & Epiſcopus à qualibet reſervata virtute Trident. quin confeſſionem excipiat, ut eſt praxi receptum, & in articulo mortis quilibet Sacerdos poteſt à cenſuris abſolvere, nulla confeſſione audita, ut docet Navarr. *cap.27. n.270. §.6.* Sed ex bulla non colligitur obligatio præmittendi confeſſionem ſacramentalem. Nam eſto, publicaretur facultas abſolvendi à peccatis, & cenſuris ſub illo tenore, *auditis diligenter eorum confeſſionibus*, non inde infertur, confeſſionem abſolutioni à cenſuris, neceſſariò præmitti debere: illa enim verba referri poſſunt ad peccatorum abſolutionem, quæ neceſſariò exigit confeſſionem; non verò ad abſolutionem à cenſuris, quæ abſque confeſſione fieri poteſt. Præterea, illa verba non videntur importare conditionem; ſed inſtructionem illius, quod faciendum expedit, ut abſolvendi diſpoſitio apprimè cognoſcatur. At ſub illo tenore præſens bulla non publicatur; ſed potius illa verba à tempore Pii V. expuncta ſunt: fortè ne prima opinio invaleret: verba verò, ſub quibus poteſtas abſolvendi conceditur, ſolùm indicant, debere abſolventem eſſe Confeſſarium idoneum, qui poſſit à peccatis abſolvere, aliàs non erit aptus, ut cenſurarum abſolutionem concedat, ut bene advertit Suar. *t.5. de cenſur. diſp.7. ſect.6. à n.2.* Ergo ex bulla non colligitur obligatio præmittendi confeſſionem abſolutioni cenſurarum. Ergo extra confeſſionem hæc abſolutio impendi non poteſt.

7. Gravior dubitatio eſt, an hæc cenſurarum abſolutio, ſive in Sacramento Pœnitentiæ, ſive extra, conceſſa proſit abſolutio, non ſolùm pro foro conſcientiæ, ſed etiam pro foro externo, & judiciali.

Si abſolutio tibi ſolùm pro foro conſcientiæ proſit, ſic in publico te gerere debes, ac ſi adhuc in excommunicatione perſiſteres, & Judex poterit te pro delicto commiſſo punire, & cenſura ligatum reputare, ac ſi nulla abſolutio conceſſa fuiſſet. Secùs eſt, ſi abſolutio pro foro externo, & judiciali proſit: nam, ſi prodeſt abſolutè, impedit, ne Judex te ob delictum, ob cujus cauſam cenſura ligatus fuiſti, puniat, & præcipuè ne te reputet cenſura ligatum ab eo tempore, quo abſolutionem obtinuiſti. Sed eſto, divinis te immiſceueris, non poſſit te, ut cenſuræ tranſgreſſorem condemnare.

8. Plures enim Doctores non infimæ notæ tenent, virtute Cruciatæ impenſam abſolutionem prodeſſe pro utroque foro. Sic Medin. *lib.2. ſum. cap.12. circa finem.* Rodrig. *in explic. Cruc. §.9. n.55. ad finem, & in addit. n.49. & 52. & qq. regul.1. tom. quæſt.20. art.6. & quæſt.61. art.6. & in ſum. tom.1. c.83. num.9.* Ugolin. *de cenſur. tab.1. cap.10 §.4. num.5.* Bobadilla *in ſua polit. lib.2. cap.19. n.46.* Vega *in ſum. 1. p. cap.6. caſu.52.* & alii, quos refert, & ſequitur Nicol. Garcia *de benef. 2. p. cap.5. num.55.* Moventur: quia in Bulla Cruciatæ conceditur poteſtas abſolvendi abſque ulla limitatione fori interni: ergo non eſt à nobis adhibenda, cùm beneficium Principis deceat latam habere interpretationem, leg. *Beneficium ff. de conſtit. Princip.* & leg 28. *tit.34. part.7.* & in dubio interpretari debeamus actum, ut pleno jure valeat, quàm debiliori, leg. *Quoties, l.2. ff. de rebus dubiis.* Secundò, cùm Pontifex intendit, ut ſolùm pro conſcientiæ foro abſolutio & diſpenſatio proſit, ut videre eſt in facultate conceſſa Epiſcopis à Trid *ſeſſ.24. cap.6. de reformat.* & in diſpenſationibus, quæ à ſacra Pœnitentia expediuntur. Cùm ergo in Bulla Cruciatæ id non expreſſerit, pro utroque foro prodeſſe abſolutio debet.

Tertiò,

Tertiò, absolutio pro solo conscientiæ foro est nimis limitata, & restricta, ita ut nequeat absolutio simpliciter dici: siquidem virtute illius non potest absolutus se publice, & in exteriori foro divinis immiscere, quin possit per Judicem puniri. At in Bulla Cruciatæ conceditur absolutio à censura simpliciter, & absolutè: ergo de absolutione simpliciter, & absolutè intelligenda est. Quartò specialiter probatur ex declaratione Pii V. in jubileo anni 1568. 5 Kalendas Decembris, ubi inquit Summus Pontifex: *Declarantes insuper, tam præsentes, quàm alias quascunque suprà concessiones similium, vel dissimilium indulgentiarum à nobis, aut prædecessoribus nostris hactenus emanatas, & in futurum quomodolibet emanandas Litteras, Christi fidelibus ipsis, nisi ad earum effectum in foro conscientiæ, & pœnitentiali consequendum duntaxat; non autem foro fori, aut contentioso, nisi satisfecerint ullatenus suffragari.* Ex quibus verbis videtur inferri facta satisfactione facultatem absolvendi, quæ in Bulla Cruciatæ conceditur in foro contentioso suffragari: ea verò non satisfacta, solùm in foro conscientiæ, pœnitentiali.

9. Cæterum, verius existimo, absolutionem virtute cruciatæ solùm pro foro conscientiæ prodesse, & nullatenus pro foro judiciali. Sic docuit Covarr. *in cap. Alma* 1. *p.* §. 12. *n.* 16. Navar. *cons.* 23. *de pœnit. & remiss. & cons.* 11. *de sentent. excommunic. alias* 51. *&* 52. *& cons.* 4. *n.* 2. *de sepulturis.* Joann. Gutierr. *l. canon. qq. c.* 2 *per totum.* Philiarc. *de officio Sacerdot.* 1. *p. l.* 3. *cap.* 27. *ad finem.* Tolet. *sum. l.* 1. *cap.* 14. *num.* 8 *&* 9. Saytus *de censur. l.* 2. *cap.* 20. *n.* 31. Graffis *decis. aur. l.* 4 *cap.* 15. Avila 2. *p. cap.* 7. *disp.* 3. *dub.* 10. *&* 12. Suar. *de censur. disp.* 7. *sect.* 3. *num.* 21. *&* *t.* 4. *de relig. tract.* 10. *l.* 9. *cap.* 2. *num.* 34. Sanch. *l.* 6. *in Decal. cap.* 17. *n.* 41. Villalob. *clausul.* 9. *bulæ, num.* 24. Moveor: quia potestas absolvendi à peccatis, & censuris, quæ confessario electo in cruciata conceditur, est, ut majori cum puritate possis indulgentiam obtinere, sut constat ex illis verbis *Y para, que con mas puridad de sus conciencias*, &c. Sed ad hujusmodi finem consequendum sufficit absolutio pro solo conscientiæ foro: ergo non est extendenda ad forum judiciale. Secundò, sub eodem tenore verborum conceditur facultas absolvendi à peccatis, & à censuris. At ob absolutionem à peccatis excusare non potes illorum à judice punitionem, si in judicium deferantur: ergo neque ob absolutionem à censuris, cùm ab eadem forma concessionis utraque absolutio determinetur, ac proinde eundem effectum habere debet, argum. leg. *Iam hoc jure, ff. de vulgar. & pupillar.* Tertiò cùm summus Pontifex intendit absolutionem censurarum pro utroque foro prodesse, non Confessario, sed Ordinario, utpote Judici in utroque foro, potestatem concedit: quod maximè verum habet in potestate facta per Jubileum, & Cruciatam, aliudve simile privilegium, quod ad animæ puritatem dirigitur: ex quo stylo necessariò inferendum est, facultatem Cruciatæ pro solo conscientiæ foro prodesse. Quartò, credendum non est, velle Pontificem Cruciatæ Bullæ jurisdictionem ecclesiasticam Ordinarium aliqua ex parte minuere, eorumque authoritati detrahere. At, si Bulla concederet facultatatem absolvendi à censuris pro foro externo, & judiciali, graviter detrahetur ecclesiasticæ jurisdictioni, & authoritati: siquidem absolutus virtute illius à Confessario nulla venia facta Judici, à quo excommunicatus fuit, quasi in illius contemptum, se divinis miscere poterit. Ergo potestas Cruciatæ ad forum externum, & judiciale non extenditur.

10. Neque rationes contrariæ obstant. Ad primam concedo, facultatem absolutè concessam, & beneficium Principis latè interpretandum esse, nisi ex subjecta materia aliùd colligatur, ut in præsenti colligitur ob præjudicium ordinariæ jurisdictionis, cui non est visus Pontifex derogare, nisi id expressè exprimat, argumento leg. 2. §. *Si quis à Principe. ff. Ne quid in loco publico.* Ad secundum respondeo, potiùs cùm Pontifex intendit ejus rescriptum pro foro externo prodesse, id exprimit. Adde, in Tridentino oportebat exprimere facultatem ibi concessam solùm pro foro conscientiæ Episcopis concedi: quia concedebatur iis, qui in utroque foro jurisdictionem habebant, ideóque si absolutè fuisset facultas concessa, optimè præsumeretur pro utroque foro concessam esse: secùs verò est in facultate commissa Confessario, qui pro externo foro nulla gaudet jurisdictione. Et fortè ob eandem causam in dispensationibus à sacra Pœnitentiaria advertitur, pro foro conscientiæ tantùm prodesse: quia non cuicunque Confessario approbatur, sed Magistro, vel Doctori in Theologia, seu jure canonico committuntur: qui sæpè jurisdictionem habent in foro externo. Ad tertium nego, absolutionem pro foro conscientiæ deservientem non esse simpliciter absolutionem censuræ, cum de facto, & in re ipsa tollat vinculum, quo ligatus eras, téque Ecclesiæ consortio restituit, & capacem reddit illius suffragiorum, aptúmque, cui beneficia, & jurisdictiones ecclesiasticæ concedantur, & ubi cesset scandalum, te gerere potes, ac si à Judice esses absolutus. Quapropter absolutio à Judice postmodum facta, quæque pro foro externo deservit, non est propria absolutio, cum jam inveniat vinculum censuræ sublatum, sed est absolutionis factæ publica, & authentica declaratio. Ad quartum respondeo cum Covarr. *dicto c. Alma* 1. *p.* §. 12. *n.* 16. Guttier. *l.* 1. *can. qq. cap.* 2. *n.* 19. Pium V. solum declarasse, eum quem constabat parti satisfeciisse virtute Jubilei, & Cruciatæ, absolvi posse, tam in foro conscientiæ, quam externo, ad effectum consequendi indulgentiam, ita ut neque à Judice, neque à parte impediri possit, quominus confiteatur, & communicet, aliáque opera præstet ad indulgentiæ consecutionem requisita. Non tamen inde fit, censeri pro foro externo simpliciter absolutum siquidem ad alios effectus se gerere debet, ac si absolutus non esset. Quinimò, obtento jubileo, si non se Superiori absolvendum præsentet, in eandem excommunicationem in foro interno reincidit, ut satis indicat ipse Pius V. *in sua declaratione* dicens: *Quinimò eum in illas postmodum reincidisse, & in futurum reincidere* & notavit Gutierr. *dicto capit.* 2. *n.* 20. Suarez *t.* 4. *de relig. tract.* 10. *libr.* 9. *capit.* 2. *num.* 38. *& seqq.*

11. Verùm, esto, absolutio data à Confessario pro foro externo non profit; sed illa non obstante possit Judex adversùs absolutum procedere, ac si absolutus non fuisset: tamen, si de absolutione fidem faciat, temperandus est rigor in punitione: quia verè coram Deo non est censuræ violator, tametsi coram hominibus præsumatur, ac proinde sola ea punitio, quæ necessaria fuerit ad satisfactionem scandali, & aliorum exemplum, & delinquentis inobedientiam reprimendam, adhiberi poterit, ut benè notavit. Suar. *dicto t.* 4. *de relig. tr.* 10. *lib.* 9. *c.* 2. *n.* 36. *in fine.* Acosta de Andrade *in explicat. Cruciat. quæst.* 50. §. *Secunda resolutio.*

12. Quod, si roges, qualiter probabis, te esse absolutum, ut judex credere teneatur, affirmat Medin. *instruct. Confessor. c.* 12. *in fin.* Rodrig. *in addit. ad suprà dictum* §. 9. *n.* 51. te sufficienter id probare, si schedulam à confessario accipias in qua ipse confessarius testetur, te virtute cruciatæ absolvisse, parte satisfacta. Scio tamen Ledesmæ 2. *p.* 4. *q.* 26. *art.* 1. *col. penult.* & Joan. Gutier *qq. canon. lib.* 1. *c.* 2. *num.* 17. non probari dictum testimonium: quia est testimonium Confessarii, qui in judicio forensi non admittitur ut testis, cùm sit judex pro solo conscientiæ foro constitutus: ob quam causam Rodrig. addidit, adducendos esse duos testes, qui absolutioni interfint, & de illa

testificari

testificari possint. Navar. verò : *l. 5. consil. tit. de sent. ex communicat. cons. 26.* sentiens non esse sufficientem schedulam Confessoris ad faciendam fidem, neque esse tutum adducere testes, qui absolutioni, quæ frequenter datur in Sacramento Pœnitentiæ, interfint, asserit, prædictam schedulam à Confessario affirmante, satisfacta parte, absolvisse, debere accipi coram Notario, & testibus, & Notarium in fine schedulæ testari debere, se fuisse à Confessore prædicto absolutum, tali die, & loco, &c. & ad illius absolutionis fidem faciendam illam schedulam datam fuisse. Cæterùm existimo, solum testimonium Confessarii, ostensa bulla, sufficere, ut Judex teneatur credere, te fuisse absolutum, & rigorem pœnæ ordinariæ temperet. Nam, cùm, satisfacta parte, non agatur de præjudicio tertii, videtur Confessario credendum, qui ob officium Judicio in foro conscientiæ incapax non est testificandi ex licentia pœnitentis, & in illius favorem in foro externo: si enim contrahens secundas nuptias ob acceptum nuncium de morte uxoris, qui falsus fuit, excusatur à pœnis, quibus afficiendus erat ob contractum matrimonium, vivente conjuge: quia prudenter processit, fidem testi aliàs idoneo adhibens, ut probat textus in cap. *In præsentia de sponsalib.* cur non poterit Judex te excusare à censuræ violatione ob dictum Confessarii testantis te absolvisse ? Certè potest.

13. Tandem decidendum supereſt, an Confessarius virtute Cruciatæ absolvere possit ad recidentiam ? Ratio difficultatis est : quia, cui competit absolvendi potestas, competit potestas ligandi, cum utraque ab eadem jurisdictione originem ducat, ex Gloss. celebri *cap. Cùm dilectus de consuetud.* Sed virtute Bullæ competit confessori potestas absolvendi, saltem pro foro conscientiæ. Ergo etiam competit potestas ligandi. Ergo potest absolvere ad reincidentiam, quæ est absolutio, & ligatio simul. Deinde, cui plus conceditur, minus concessum esse censetur *ex reg. juris, in 6. Cui licet.* Sed virtute bullæ conceditur facultas absolvendi in totum, saltem in foro animæ. Ergo conceditur facultas absolvendi pro aliquo determinato tempore, quod minus est.

14. Nihilominùs sententia verissima est, non posse virtute Cruciatæ absolutionem concedi ad reincidentiam. Quam docuit Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 3.* Navarr. *cap. 27. n. 15.* Cordub. *in sum. quæst 29.* Cov. *cap. Alma 1. p. §. 1. n. 6.* Man. Rodrig. *in Cruciat. § 9. n. 57.* Acosta *quæst. 91.* Gomez *claus. 7. n. 27.* Villal. *§. 2. n 26. eadem clausul.* Ratio est manifesta : quia absolutio ad reincidentiam, non tam est absolutio censuræ, quàm illius suspensio pro limitato tempore, ut probat Joan. Andr. *in cap. Veniens, el 2. de testib.* cum Felino *in cap. Ad reprimendum de officio Ordinar. col. 2.* At in bulla non datur facultas suspendendi censuram, sed ab illa absolvendi : ergo virtute bullæ non potes ad reincidentiam absolvi. Deinde, si ut aliis placet, absolutio ad reincidentiam non sit effectuum censuræ suspensio, sed illius absoluta sublatio pro limitato tempore, simul est ejusdem censuræ moraliter nova impositio. At Confessario virtute bullæ non conceditur facultas imponendi censuram, sed tantùm illam tollendi. Ergo non est concessa potestas absolvendi ad reincidentiam.

15. Ad primam rationem dubitandi admitto, cui ex jure communi, & ordinario competit absolvendi potestas, competit etiam potestas ligandi : secùs si ex privilegio competat. Ad secundam concedo, cui conceditur plus, concedi id, quod minus est, si sub eo contineatur : secùs si diversum sit, ut est in præsenti: non enim sub potestate absolvendi à censura, continetur potestas absolvendi ad reincidentiam : quippe est potestas omninò diversa : nam vel est potestas suspendendi censuræ effectus pro aliquo determinato tempore, vel tollendi illam, & denuò imponendi : quodcunque elegeris, manifestum est, diversum esse à potestate absolvendi simpliciter. Adde, majus quid esse, potestas absolvendi ad reincidentiam, quàm absolvendi simpliciter : quia est potestas ad duplicem actum diversum, absolvendi, inquam, & ligandi, cùm tamen potestas absolvendi simpliciter unicum absolutionis actum respiciat.

Punctum IX.

De facultate concessa in Bulla commutandi vota.

1. *Extenditur privilegium.*
2. *Differt potestas commutandi à potestate dispensandi.*
3. *Gaudens potestate commutandi non potest dispensare : benè è contra.*
4. *Commutatio in melius propria authoritate fieri potest : in æquale, & à fortiori in minus, authoritate Prælati facienda est, & ex causa.*
5. *Nequit potestatem habens tantùm commmutandi, præstare commutationem in rem minorem.*
6. *Quæ causa requiratur ad commutationem, & qualis sufficit virtute Cruciatæ.*
7. *Quale sit subsidium belli, an spirituale sufficiat.*
8. *Verius est solum temporale sufficere.*
9. *Limitatur hæc sententia, ut procedat in commutatione adæquata, secùs in partiali.*
10. *Fertur judicium de prædicta limitatione.*
11. *Dissolvuntur rationes oppositæ.*
12. *Ad hanc votorum commutationem non est opus confessione sacramentali.*
13. *Omnia vota, tribus exceptis commutari possunt.*
14. *Non excluduntur ab hac commutatione vota post publicationem emissa, neque emissa fiducia obtinenda commutationis.*
15. *Finito anno publicationis, expirat potestas commutandi.*
16. *Qualia sint vota religionis, castitatis, & peregrinationis ultramarinæ, ab hoc privilegio excepta.*

1. AB hac materia breviter me expediam, colligens ea, quæ latiùs tradidi *tract. 15. de voto, a punct. 14.* ubi ferè omnia, quæ difficultatem aliquam ingerere in præsenti possunt, explicui.

Bulla ergo Latina sic privilegium refert : *Conceditur illis vota (ultramarino, castitatis, & religionis duntaxat exceptis) in aliquod subsidium hujus expeditionis per eundem Confessorem commutari.* Hispana verò sic habet : *Podra tambien el Confessor commutar los qualesquier votos en algun socorro desta expedicion, excepto los de castidad, y religion, y ultramarino.*

2. Pro hujus explicatione ex *ibi* dictis adverte, aliud esse commutare vota, aliud dispensare. Commutare votum est transferre vinculum, & obligationem voti ex una materia in aliam, hoc est, ut loco unius obligationis alia subrogetur. Dispensare verò est vinculum voti ex aliqua rationabili causa, Superioris authoritate omninò relaxare. Unde, ut benè inquit Suarez *tom. 1. de relig. lib. 6. cap. 11. n. 14.* commutatio, & dispensatio differunt, tanquàm majus, & minus diversorum generum : differunt enim ut pars, & totum : nam commutatio etiam est aliquo modo dispensatio, non absoluta, sed quoad determinationem materiæ : quippe loco illius materiæ determinatæ, de qua votum erat, alia suscipitur cum eadem obligatione.

3. Hinc manifestè infertur, gaudentem sola potestate commutandi vota, uti gaudet Confessarius per Bullam electus, nullatenus posse vota dispensare : quia dispensatio, quid majus est, & difficilius, graviorémque causam expostulat, quàm commutatio.

E contra verò gaudens poteſtate diſpenſandi, vota commutare poterit ex reg. juris, in 6. *Cui licet, quod eſt plus, licet utique, quod eſt minus*, & pluribus firmat Suar. *dicto lib.6. de voto, cap.12. n.9.* Leſſius *de voto dub.31. n.94.* Sanch. *ib.4. ſum. c.53. n.4.* & diximus *dicto tr. de voto, punct.14. n.4.* tametſi plures oppoſitum probabiliter ſentiant.

4. Tripliciter fieri commutatio poteſt, in melius, in æquale, in minus bonum. Ut commutatio in melius fiat, neque ſpecialis aliqua cauſa requiritur, neque authoritas Prælati, ſed propria voventis authoritate fieri poteſt, niſi alicujus legis eccleſiaſticæ adſit prohibitio, ut ex communi ſententia docent Suar. *dicto lib.6. cap.18. à n.2.* Sanch. *lib.4. de voto, c.50 à n.15.* Leſſius *dub.11. concl.1. & ſeqq.* Ratio eſt manifeſta: quia Deo, in cujus obſequium votum eſt emiſſum gratius eſt, quiquid melius fuerit. At commutationem in æquale, etſi aliqui ſentiant propria voventis authoritate, & abſque aliqua cauſa præſtari poſſe, verius cenſui *dicto tract.15. punct.15. n.4.* Prælati authoritate indigere: quia, cùm Deo creditori gratior non ſit ſolutio, præſumi nequit illam acceptam habere, quinimò præſumi debet gratius illi eſſe, cæteris paribus, ut vovens ſtet promiſſis, quàm ut ab aliis recedat: Prælatus verò ad hanc commutationem faciendam, etiam in rem æqualem, ex cauſa rationabili neceſſariò moveri debet; aliàs nulla erit commutatio: quia Prælatus in hac commutatione non ut dominus, ſed ut œconomus Dei, & illius miniſter, & diſpenſator procedit: ergo procedere debet juxta Dei imperium, & voluntatem, aliàs erit infidelis. At Deus præſumi non poteſt voluntatem habere, ut abſque ulla cauſa ſibi debita relaxentur, etiam aliis debitis æqualibus ſubrogatis, cùm in hac ſubrogatione nullus ſpecialis honor, & gloria ei accreſcat. Ergo nequit Prælatus abſque cauſa commutationem voti facere in rem æqualem & ita docet Suar. *dicto lib.6. de voto. cap.17. à n.5.* Sanch. *lib.4. cap.50. à num.14.* & nos diximus *punct.15 illius tract.* Hinc à fortiori conſtat, in rem minorem non poſſe etiam à Prælato fieri commutationem abſque cauſa.

5. Sed an, cauſa intercedente, fieri commutatio poſſit in rem minorem ab eo, qui ſolùm poteſtatem delegatam habet commutandi, affirmant plures relati à Suar. *lib.6. de voto, c.19. n.7.* Sed rectiùs negant Panormit. Gregor. Sylveſt. Lopez, Cajet. Navar. quos refert, & ſequitur Suar. *loc. all g.* quia commutatio eſſentialiter deſignat ſolutionis æqualitatem. Qua enim parte ab æqualitate diſcedit, non commutatio, & ſubrogatio, ſed pura relaxatio, & diſpenſatio dicenda eſt.

6. Cauſa autem requiſita ad commutationem in rem æqualem præſtandam levis eſt, uti docuit Suar. *dicto c.9. n.5.* Sanch. *c.50. n.17.* Imò Leſſius *dub.11. n.96.* affirmat ſolam majorem propenſionem voventis in materiam, in quam facienda eſt commutatio, eſſe ſufficientem cauſam honeſtandi commutationem. Pro commutatione verò facienda virtute Cruciatæ nulla alia cauſa exigitur, quàm ea, quam ſecum trahit materia ſubroganda, ſcilicet, ſubſidium ad belli expeditionem: quia hæc commutatio in bonum commune cedit, ut benè notavit Sanch. *dicto lib.4. de voto cap.50. n.19.* æqualitas autem hujus commutationis arbitrio prudentis Confeſſarii relinquitur, qui eo ipſo, quòd bona fide procedat, commutatio effectum habebit, ut tradunt prædicti Doctores, & diximus *illo tract.15. de voto punct.15. in fine.*

7. Solùm eſt difficultas, quale ſit hoc ſubſidium belli, in quod neceſſariò facienda eſt commutatio per bullam; an, inquam, ſit tempore, vel ſufficiat ſpirituale, nempe, orationes, aliàque pia opera pro felici expeditione belli facta? Sufficere ſpirituale affirmat Alph. Deza, Theologus Societatis Jeſu, Compluti *in publicis prælect.* teſte Vivaldo *Candelab. Sacram. 3. p. c.14. n 39.* quòd & ipſe probabile reputat, & caſu, quo vovens pauper ſit, nec valet temporale ſubſidium ſpirituale ſufficere, Llamas *method. curat. 3. p. cap.4. §.42. ad fin.* Leſſius *lib.2. de juſtit. cap.40. dub.11. n.95. in fine.* Anton. Gomez. *clauſul.10. n.54.* Suar. *tom.2. de relig. lib.6. de voto, cap 19. n.28.* & probabile reputat Sanch. *lib.4. cap.54. n.56.* Ratio ea eſt: quia Bulla ſolùm exigit fieri commutationem: ergo æquè de ſubſidio ſpirituali, ac temporali intelligi debet. Deinde debet intelligi ſubſidium, qualiter humano, & morali modo poſſunt præſtare ii, quibus vota ſunt commutanda. At pauperes ſolùm ſpirituale ſubſidium præſtare poſſunt, divites verò temporale: ergo à pauperibus ſolum ſubſidium ſpirituale eſt exigendum.

8. Cæterùm verius exiſtimo, commutationem hanc neceſſariò faciendam eſſe in belli temporale ſubſidium: quia ea eſt intentio Pontificis, & Regis: quippe intendunt ſubſidio per commutationem votorum erogato bellum contra infideles efficaciter, & in re ipſa, & cum effectu promovere. At orationes, aliáque pia opera non ſic promovent bellum, cùm non habeant effectum infallibilem: ergo hæc comprehenſa non fuerunt ſub ſubſidio, in quod ſint vota commutanda. Et confirmo. Orationes, aliáque opera pia ex ſe non valent multiplicare milites, neque illis animum, & fortitudinem injicere, neque illorum ſumptus ſuppeditare, aut Eccleſiæ hoſtes conterere ſed ſolùm conducunt, ut hæc omnia à Deo impetrentur, non efficaciter, ſed prout ipſi placitum fuerit. Ergo orationes non ſunt propriè belli ſubſidium, ſed ſubſidii impetrationes non infallibiles, ſed congruæ tantum. At Pontifex præſcribit commutationem fieri in belli ſubſidium, ergo fieri non poteſt in orationes, aliáque pia opera. Deinde, cùm Pontifex in Bulla orationes, & alia pia opera pro felici belli expeditione à fidelibus exigit, id exprimit, eáque expoſtulat, ut compleant cauſam legitimam pro Indulgentiarum, & privilegiorum conceſſione requiſitam. Sed in commutatione votorum neque orationes, aliave pia opera expreſſit, neque ea neceſſariò requiruntur ad complendam legitimam cauſam commutationis; quando quidem ſolo ſubſidio temporali erogato abunde completur. Ergo, &c. Denique illa diſtinctio de ſubſidio temporali pro divitibus, & ſpirituali pro pauperibus, videtur abſque fundamento excogitata: ſiquidem Bulla indifferenter, & abſque ulla diſtinctione in ſubſidium belli exigit fieri votorum commutationem, ſive vota ſint pauperis, ſive divitis. Ergo, ſi pro divitibus poſtulat Bulla ſubſidium temporale, & pro pauperibus exigendum eſt: è contra verò, ſi pauperibus ſufficit ſpirituale ſubſidium, & divitibus ſufficere debet: quia in hac parte non eſt ſpectandum, quid unuſquiſque poſſit; ſed, quid privilegium exigat. Atque ita pro omnibus ſubſidium temporale neceſſarium eſſe, docuerunt Navar. *ſum. c.22. n.80.* Cord. *in ſum. q.149. & 159.* Vega 2. *tomo ſummæ, c.129. caſu 106.* Ludov. Lopez 2. *part. Inſtruct. c.58. col.3.* Petr. de Ledeſm. *tom.1. ſum. tract.10. cap.8. in fine.* Garnic. *in expoſit. Cruciat. fol.44.* Man. *ibi, §.9. n.109. & in addit. ad eundem n....* Villalob. *clauſul.9. n.37.* Sanch. *lib.8. de matr. diſp.15. n.1. & lib.4. ſum. ca.54. num.57.*

9. Supradictam ſententiam limitant Vivald. *Candelabr. Sacram.33 part. n.39.* Henriq. *lib.7. de Indulg. cap.30. num 6.* Suar. *lib.6. de voto, cap.19. num.18.* Sanch. *dicta diſp.15. de matrim. num.1. circa finem. & cap.54. Decalog. num.58.* quibus favent Azor. 1. *part. lib.11. cap.18. quæſt.9.* Sayrus *in clavi regia, lib.6. cap.12. num.17. fine*, ut procedat in commutatione adæquata: ſecùs in partiali, & minùs principali: exiſtimant namque prædicti Doctores, commutationem

sionem votorum fieri posse, partim in subsidium temporale, partim spirituale orationum, aliorúmque piorum operum. Moventur tum ex illis verbis Bullæ id indicantibus, in aliquod subsidium hujus expeditionis commutari, id est, aliquam commutationis partem in subsidium belli fieri debere : sed non omnem, tum, ut expeditio belli promoveatur, quæ sine dubio magna ex parte impediretur ; si omnis commutatio in subsidium temporale facienda esset : perpauci enim essent, qui valerent pecuniam erogare æqualem voto commutando : & esto, id possent, difficillimè præstarent, ob quod à tali commutatione abstinerent, præcipuè cùm virtute privilegiorum Ordinibus mendicantibus concessorum, absque prædictæ pecuniæ erogatione, obtinere commutationem possent, sicque non leviter defraudaretur Pontificis, & Regis intentum. E contra verò concessa facultate commutandi vota, partim in belli temporale subsidium, partim in spirituale, suavior fit commutatio, & omnes, tam divites, quàm pauperes eo modo commutationis utentur, cùm ratus sit, qui per se, vel per amicum non possit aliquam pecuniam erogare. Deinde colligit Sanchez hanc esse Pontificis intentionem ex privilegio in Bulla compositionis concesso : ubi Pontifex pro minima quantitate in hujus belli expeditionem impensa remittit magnam incertis creditoribus debitam : quid ergò mirum, quòd pro levi quantitate pecuniæ in subsidium hujus expeditionis erogatæ commutationem votorum permittit, compensata commutationis æqualitate, aliis bonis operibus.

10. Verùm, etsi prædicta limitatio probabilis sit, ut ultra Doctores relatos affirmat Vill. *clauſ. 9. Bullæ, n. 38.* Joannes de Salas *in Manuscript. qu. 21.* & ex æquitate sustinenda : attamen spectato juris rigore mihi non probatur, sicuti nec Soto *lib. 7. de just. qu 4. art. 3. ad finem corp.* Arag. 2. 2. *qu. 88. art. 12. vers. Et ad argumentum.* Ludovicus Lopez *1. part. instruct.* ubi de clavib. *c. 9. ad finem.* Rodrig. *ad Cruciat. §. 9. n. 109.* & *in additio. ibi.* Imò nec Navarr. Cordub. Vegæ, Garnic. & aliis *superiùs* relatis qui nulla facta mentione hujus limitationis, absolutè affirmarunt, in temporale subsidium commutationem necessariò faciendam. Moveor quia vel nomine subsidij, in quod ex præscripto Pontificis commutatio facienda est, intelligitur non solùm temporale pecuniæ, sed etiam spirituale orationum, vel tantùm temporale. Si temporale tantùm intelligitur, uti ipsimet Doctores apponentes prædictam limitationem, fatentur, & *superiùs* probatum est, nequit virtute bullæ in aliud subsidium fieri commutatio : quia est alienum à Bullæ concessione. Illa autem verba, *in aliquod subsidium*, non indicant aliquam commutationis partem in subsidium expeditionis fieri debere, sed potiùs denotant, omnem commutationem faciendam esse in eam eleemosynam, quæ censeatur esse aliquod subsidium hujus expeditionis. Si verò sub nomine subsidij non solùm temporale, sed etiam spirituale orationum, aliorúmque piorum intelligatur, certè nulla est ratio, ob quam commutatio integrè fieri non possit in orationes, aliáque pia opera, cum æquè ac pecunia sub nomine subsidij comprehendatur, neque Bulla distinguat de partiali, vel totali commutatione.

11. Rationes verò, quibus Sanchez movetur ad summum probant, expedire, ut sic facultas concederetur, non tamen, quòd de facto concessa sit. Adde, esto, expeditio belli videatur conveniens aliquo subsidio temporali erogato commutationem fieri : at rectè Ecclesiæ regimini fortè non expedit, eam facultatem ita amplam cuilibet Confessario concedere, ne passim vota absque subrogatione æquali commutentur. Præterea ipsemet Sanchez *num. 58.* fatetur, præcipuam commutationis partem in belli temporale subsidium faciendam esse : quia hoc est Regis, & Pontificis intentum, neque satisfacere, si minima quantitate pecuniæ contributa in pia opera fiat commutatio. At inde fit (ut ipse nobis objiciebat) expeditionem belli retardari ob difficultatem gravis quantitatis erogandæ, pluréſque impotentes esse, eam pecuniam erogare, cujus quantitas præcipuam commutationis partem constituat, copiosiórque eleemosyna congregaretur, si cujuslibet pecuniæ erogatione, secundùm cujusque devotionem, commutatio concedatur. Hoc autem nec Sanchez admittit, neque est admittendum. Ergo affirmandum est, omnem commutationem in temporale belli subsidium faciendam esse. Neque obstat, aliquos hoc privilegio frui non posse sicuti non obstat, quòd plures indulgentiis Bullæ non gaudeant : quia illam sumere non possunt : aliunde enim eorum necessitati Pontifex providit, varia privilegia Religionibus concedere.

12. Hæc autem commutatio, ut benè observat. Henriq. *lib. 7. de Indulgent. cap. 30. n. 6.* Sanch. *lib. 8. de matr. disp. 15. n. 25.* & *lib. 4. de voto cap. 54 n 16.* Villalob. *clauſul. 9. n. 36.* fieri potest extra confessionem : quia ex nullis Bullæ verbis colligitur obligatio illam in confessione faciendi. Quinimò, nec necessarium est, quòd Sacerdos electus ad hanc commutationem sit ordinarius Confessor voventis : satis enim est, quòd possit esse, sitque ab Ordinario approbatus, sicuti docuit Sanchez. *dicto cap. 54. n. 17.*

13. Vota verò, quæ virtute Bullæ commutanda veniunt, sunt omnia vota, illius tribus exceptis, castitatis, religionis, & peregrinationis Hierosolymitanæ.) Igitur illa vota commutari possunt, etiamsi jurata sint, uti dixi *tract. 14. de juram. disp. 3. qu. 1.* eò quòd obligatio, tam voti, quàm juramenti Deo facti, sub eadem sit religionis specie, ac proinde cui delegatur facultas commutandi votum, & commutandi juramentum delegatur. Dixi, *Deo facti* : nam juramentum factum in favorem hominum, & in illorum gratiam, tametsi iniquè fuerit exortum, *ibidem punct. 3. in fine*, defendi, ut probabilius, relaxari non posse ex sola facultate concessa commutandi, vel dispensandi in votis : quippe illud juramentum in gratiam Dei factum non est, ac proinde voti rationem non inducit.

14. Ab hac commutatione non excluduntur vota, vel juramenta, eò quòd emissa sint post publicationem, vel susceptionem Bullæ : quia privilegium commutandi, sicut & absolvendi toto anno publicationis dulat, & cum sit absolutè concessum, omnia vota, sive ante, sive post publicationem emissa comprehendit, ut benè tradunt Navarrus *c. 12. n. 80.* Henriquez *lib. 6. de pœnit. c. 16. n. 3.* & *lib. 7. de Indulg. c. 30. num. 5.* Sà *verbo, Votum, in fine.* Azor. *tom. 1. lib. 11. c. 18. q 9.* Rodriguez §. 9. *in Cruciat. num. 111.* Suarez *lib 6. de voto, cap. 13. à num. 4.* Sanchez *lib. 4. summ. cap. 3.* Neque item excluduntur à commutationis privilegio, esto, fuerint emissa ex fiducia obtinendæ commutationis, sicuti neque à potestate absolvendi excluduntur ea peccata, quæ ea fiducia absolutionis obtinendæ sunt commissa : quia ea fiducia privilegio absolutè concesso non adversatur, ut docet Sanchez *lib. 4. sum. cap. 4. n. 18.* Rodriguez §. 9. *Cruciat. n. 99.* Acosta de Adrade *q. 43.* Anton. Gomez *clauſ. 11. n. 5.*

15. Finito anno publicationis, expirat potestas commutandi, sicut, & omnia alia privilegia *ibidem* concessa : quippe pro solo eo anno conceduntur. Huic tamen cessationi non obstat, quòd si Confessarius electus tua vota, durante anno, commutaverit, in illud subsidium, quod ipse, vel alius vir doctus judicaverit expedire, non possit Cófessarius, vel ille vir doc-

tus, finito anno, deſignare ſubſidium, in quo votum præteritum ſubrogatur: hæc enim deſignatio non eſt commutatio voti, ſed complementum commutationis antèà factæ. Sic Sanch. *l.8. de matr. diſp.15.n.15.* & *l.4. Dec. c.54. n.31.* Sayro *in clavi regia, l.6. c.12. n.21. in fine.* Graffis *1.part. deciſ. l.4. c.15. num.47.* Rodr. *in addit. ad Bull. §.9. n.115.* Vill. *cl.9. n.41.*

16. Tria illa vota caſtitatis, religionis, & peregrinationis Hieroſolymitanæ, quæ ab hac commutandi facultate eximuntur, debent eſſe abſoluta, & omninò perfecta, non conditionalia, & limitata, Unde votum caſtitatis debet eſſe caſtitatis integræ, & perpetuæ, non pro limitato tempore. Votum item religionis debet eſſe religionis propriæ. Votum denique peregrinationis debet eſſe factum cauſa devotionis illorum locorum, aliàs non cenſebuntur excepta, ſed poterunt virtute Bullæ commutari, uti docent Doctores ſtatim referendi. Etenim illa exceptio votorum odioſa eſt, utpote facultatis generalis commutandi reſtrictiva: debet ergo ſtrictè interpretari, ac proinde de ſolis votis abſolutis, & perfectis, caſtitatis, religionis, & peregrinationis Hieroſolymitanæ intelligi. Adde, Bullæ Cruciatæ privilegio intendit Pontifex, quoad votorum commutationem præter vota, quæ ſibi ſpecialiter reſervatur, omnia alia Confeſſario concedere, ſicuti Epiſcopis jure ordinario conceſſa ſunt, ut benè docent Sayr. *in clavi regia, l.6. c.11. à n.72.* Suar. *l.6. de voto, c.26.n.17.* Sanchez plures referens *l.8. de matr. diſp.15. à n.3.* & *l.4. ſum. c.54. n.19.* At Pontifici ſolùm ſunt reſervata vota abſoluta caſtitatis integræ, & perfectæ, religionis propriæ, peregrinationis Hieroſolimytanæ ex devotione, uti dixi *tract. de voto, diſp.3. part.11.* Ergo hæc tantùm à privilegio Bullæ excipiuntur, ſicuti excipiuntur à poteſtate ordinaria Epiſcoporum.

Punctum X.

De ſuſpenſione & revelatione Indulgentiarum, & facultatum facta à Commiſſario.

1. *Statuitur poteſtas Commiſſarii.*
2. *Non ſuſpenduntur facultates jure ordinario Epiſcoporum competentes.*
3. *Neque indulgentiæ ab ipſis Epiſcopis conceſſæ.*
4. *Neque facultates in corpore juris inſertæ.*
5. *Neque facultates, & privilegia omninò diſſimilia.*
6. *Neque facultates, & privilegia Superioribus Mendicantium quoad Fratres.*
7. *Qui ſuſpendantur in omnium ſententia.*
8. *Aliqui affirmant, facultates abſolvendi, & diſpenſandi, Religioſis conceſſas in ordine ad ſæculares ſuſpendi.*
9. *Verius eſt non ſuſpendi.*
10. *Diſſolvitur fundamentum oppoſitum.*
11. *Quæ ex ſupradicta ſententia inferantur.*
12. *Novitii gaudent Religioſorum privilegiis.*
13. *Ceſſat dubium in uſu facultatum Religioſis conceſſarum, ſi Religioſus vel ſæcularis ſumat Bullam.*

1. COnſtat ex tenore Bullæ concedi Commiſſario facultatem, ut ſuſpendere poſſit anno publicationis Bullæ omnes ſimiles, aut diſſimiles Indulgentias, & facultates à Sede apoſtolica, vel ejus authoritate quibuſvis Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, piis locis, Univerſitatibus, Confraternitatibus, ſingularibus perſonis, & regnis, in ſolis terris, locis, & dominiis Regis Philippi, etiam in favorem fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de urbe, vel alterius ſimilis Cruciatæ, ſi quæ in regnis, terris, inſulis, & dominiis præfatis receptæ adhuc durant, conceſſas hujuſmodi, etiam ſi clauſulas aliquas contra ſuſpenſionem facientes continerent, ita ut interim, neque prædicari poſſint, neque publicatæ cuivis hominum communiter, vel diviſim ſuffragentur, exceptis tamen conceſſis mendicantium Ordinum Superioribus, quoad eorum Fratres tantùm. Item, conceditur facultas Commiſſario, ut per ſe, vel per alium, ſeu alios, quando, & quoties ſibi videbitur, Indulgentias, & alias gratias per eum ſuſpenſas in favorem illorum, qui præſentium gratiarum in hanc cauſam pro Religionis defenſione conceſſarum participes effecti fuerint revalidare abſque aliquo præmio poſſit. Et ita Commiſſarius ſuſpendit omnes dictas Indulgentias, & facultates, & iterum eas revalidat ſumentibus Bullam in hæc verba: *Y nos el dicho Commiſſario general de la ſanta Cruzada, para que tan ſanta obra no ſe impida, ni ceſe por otras indulgencias, ſuſpendemos, durante el ano de la publicacion, y predicacion della todas. y qualeſquier gracias Indulgencias, y facultades ſemeiantes, à diferentes concedidas por ſu Santidad, ò por los ſumos Pontifices ſus anteceſores; ò por la ſanta Sede apoſtolica, ò por ſu authoridad en todos los dichos reynos, y ſeñorios de ſu Mageſtad à todos, y qualeſquier Yglesias, Monaſterios, Hoſpitales, ò otros lugares pios, Univerſidades, Confradias, y ſingulares perſonas, aunque las dichas gracias, y facultades ſean en favor de la fabrica de San Pedro de Roma, ò otra ſemejante Cruçada, Y aunque todas, ò qualeſquiera dellas tangan clauſulas contrarias à eſta ſuſpenſion, aunque para las ganar, y publicar ſe les aya dado licencia nueſtra. Por manera que durante el ano de la publicacion, y predicacion deſta Bula ninguna perſona pueda ganar, ni goZar de algunas otras gracias, Indulgencias, y facultades, ni ſe puedan publicar, excepto las concedidas à los Superiores de las Ordenes mendicantes, en quanto a ſus Frayles, y en favor deſta dicha Bula, por la miſma authoridad apoſtolica declaramos, que los que tomarem eſta preſente Bula, puedan goçar, y gocen de todas las gracias, facultades, è Indulgencias, Jubileos, y perdones, y remiſion de pecados, que les ayan ſido concedidos por nueſtro muy Santo Padre. Ny por otros ſumos Pontifices paſados de felice recordacion, ò por la ſanta Sede apoſtolica, ò por ſu authoridad comprehendidas en la dicha ſuſpenſion, las quales en virtud de la dicha comiſion apoſtolica revalidamos, y por la miſma authoridad apoſtolica ſuſpendemos el entredicho, ſi le hubiere en qualquier lugar, donde ſe hiciere la publicacion, y predicacion deſta Bula por ocho dias antes, y ocho deſpues, que en la Bula de ſu Santidad ſe contiene.*

2. In hac ſuſpenſione, & revalidatione ſunt aliqua omninò certa, alia ſub opinione. Primò certum eſt, non ſuſpendi facultates abſolvendi, & diſpenſandi, & commutandi vota, quæ Epiſcopis jure ordinario competunt, vel extraordinario, tanquam à Sede apoſtolica delegatis: quia hæ facultates, eſto, authoritate Sedis apoſtolicæ conceſſæ ſint, ſunt tamen conceſſæ ex delegatione generali, & per modum ſtatuti, & non ſingularibus perſonis; ſed earum dignitati; ac proinde non comprehenduntur in hac ſuſpenſione, uti eſt praxis recepta, & docent omnes.

3. Secundò, non ſuſpenduntur Indulgentiæ, & facultates, quas Epiſcopi aliquibus locis piis, vel perſonis concederent: quia hæc non ſunt immediatè conceſſa authoritate apoſtolica, ſed authoritate Epiſcopali: & Commiſſarius ſolùm habet poteſtatem ſuſpendendi Indulgentias, & facultates à Sede apoſtolica, vel ejus authoritate immediatè dimanantes: & notavit Henriq. *lib.7. de Indulgent. c.29. num.2.* Villalob. *claſ.12. num.17.*

4. Tertiò, neque ſuſpenduntur privilegia, & facultates in corpore juris inſertæ, ſive ſint ſimiles, ſive diſſimiles Cruciatæ privilegiis: ſunt enim per modum legis, & ſtatuti conceſſæ: Commiſſarius verò ſuſpendit, quæ ex ſpeciali Sedis apoſtolicæ delegatione conceduntur. Præterquàm quòd privilegia in

corpore

corpore juris inserta non derogantur per clausulam generalem *non obstantibus*, nisi eorum fiat expressa mentio, uti docuit Bart. communiter receptus *in Extravag. Ad reprimendum, verb. Non obstantibus n.*11. Atque ita docet in præsenti Rodrig.§. 12. Villal. *claus.*12. *n.*14. *&* 15.

5. Quartò, non suspenduntur privilegia, & facultates Universitatibus, privatisque personis concessæ, quæ omninò sunt dissimiles iis, quæ in Cruciata conceduntur, quales sunt facultates testandi, celebrandi in altari portatili, ingrediendi Monialium Monasteria,&c. quia hæc Bullæ Cruciatæ usum non impediunt. Neque obest, Commissarium suspendere gratias, & facultates non solùm similes, sed dissimiles: quia intelligi debet de iis, quæ solùm quoad modum aliquem sunt dissimiles; non verò quoad substantiam. Præterquàm quod potest intelligi suspendere omnes facultates, & privilegia similia, & dissimilia, quæ occasione impetrandæ Indulgentiæ fuerint concessa, sicuti in simili docuit Navarr. *de Iub l. notab.*33. *num.*2.

6. Quintò, non suspenduntur gratiæ, & facultates, Superioribus Ordinum mendicantium concessæ quoad eorum Fratres: quia hæ à suspensione excipiuntur.

7. E contra verò suspenduntur, nec publicari poterunt Indulgentiæ, & facultates concessæ Hospitalibus, Monasteriis, locis piis, Confraternitatibus &c. His enim solent Indulgentiæ concedi pro visitantibus tali, vel tali die Ecclesiam, vel altare, pro offerentibus Sacrificium. Hæ enim omnes suspenduntur, neque obtineri possunt. An autem suspendantur comparatione Religiosorum mendicantium, si eorum Monasteriis concessæ sint, posteà examinabimus.

Secundò, & certiùs suspenduntur concessæ singularibus personis aliquam imaginem deferentibus,vel aliquid in illius honorem recitantibus: quia hæ Indulgentiæ non sunt specialiter in Religiosorum favorem concessæ, sed omni populo Christiano communes: quod maximè verum habet, quando hæ Indulgentiæ fuerunt concessæ ad instantiam alicujus Principis. Nam, si hæ indulgentiæ ad instantiam Superiorum Ordinum mendicantium concessæ sint, probabile tenet Joan. de Salaz *in Manus. in Cruc. qu.*25. *p.ſt. med.* comparatione Religiosorum mendicantium non suspendi: & favent Rodrig. § 12. *n.*4. & Villal. *claus.*12. *n* 3. dicentes quoad Mendicantes non suspendi Indulgentias, eorum Monasteriis concessas pro eorum Ecclesias visitantibus.

Tertiò, suspenduntur, si quæ facultates sunt aliquibus Ecclesiis, monasteriis, vel singularibus personis celebrandi, ante auroram, vel post meridiem, assistendi tempore interdicti divinis, celebrandi, vel faciendi celebrare in Oratorio privato,eligendi Confessorem quoad peccatorum absolutionem, vel votorum commutationem, &c. quia hæ, utpote omninò similes iis, quæ in Cruciata conceduntur, obstant maximè ejus expeditioni. Verùm hæc omnia, quæ à Commissario suspenduntur, iterum revalidantur suscipientibus Bullam, ut constat ex Bullæ clausula: *Ne Bullam suscipientibus ulla gratia aejit* uti notant omnes Doctores. Hæc sunt certa.

8. Dubiæ tamen quæstionis est, an suspendantur potestates, quas Religiosi obtinent comparatione sæcularium, absolvendi à reservatis, & vota commutandi: ita ut si nec Religiosus, nec sæcularis Bullam habeant, nequeant illa potestate uti? Affirmant suspendi Navarr. *lib.*5. *conſ. in* 2. *edit. de privil. conſ.*16. *n.*1. Ludovic. Lop. 2. *p. inſtr. conſ.* ubi de clavibus *c.*2. *col.*10. Rodrig. *Cruciat.*§. 12. *n.*4. Moventur ex clausula Bullæ, qua Commissarius omnes Indulgentias, gratias, & facultates concessas Monasteriis, Universitatibus, & singularibus personis, suspendit, exceptis concessis Ordinum mendicantium Superioribus quoad eorum Fratres tantùm: sed illæ facultates absolvendi, & commutandi vota sunt concessæ Monasteriis, ex quibus Religiosorum Ordo constituitur, atque sunt concessæ singularibus personis eorumdem Religiosorum authoritate apostolica. Ergo censentur suspensæ. Et confirmari potest ex exceptione facta: illa enim exceptio contineri debet sub regula, atque adeo sub suspensione facta, sed excipit à suspensione facta indulgentias, & facultates absolvendi, dispensandi, & commutandi concessas Superioribus Ordinum mendicantium quoad eorum Fratres. Ergo relinquuntur suspensæ quoad sæculares. Deinde Pontifex specialiter favere voluit Religiosis mendicantibus: siquidem eos excipit à suspensione generali facta. At, si facultates, & Indulgentiæ Religionibus concessæ non suspenduntur, qui favor fit Mendicantibus? quandoquidem non Mendicantes Indulgentias, & facultates sibi concessas retinent.

9. At tenendum est, nequaquam suspendi prædictas facultates: quippe non sunt concessæ uni, vel alteri Monasterio, sed toti Religioni in commune fidelium bonum. Bulla autem solùm videtur suspendere, quæ singularibus Monasteriis, Universitatibus, piis locis, & singularibus personis, qua tales sunt, conceduntur. Ergo prædictas facultates non suspendit. Atque ita docent expressè Emmanuel mutans sententiam *addit. ad Cruc* §.12. *n.*4. & *qq. regul. t.*1. *q.*61. *art.*14. Henr. *lib.*6. *de pœnit. c.*16. *n.*7. & *lib* 7. *de Indulg. c.*28. *n.*7. & *in comm. litt. Z.* Sanch. *l.*4. *ſum. c.*54. *in fin.* Cillal. *claus.*11. *n.*4

10. Neque obstat contrarium fundamentum: negandum enim est, excipi à suspensione Indulgentias, & facultates absolvendi, & dispensandi concessas Religiosis ratione status: quia hæ potestates, tam mendicantibus Religionibus, quàm aliis non mendicantibus competentes sub suspensione generali comprehensæ non erant,utpote quæ in bonum commune Ecclesiæ sunt concessæ, & plures ex illis communi jure approbatæ. Illæ ergo facultates, & non aliæ, censeri debent suspensæ, quæ singularibus Monasteriis, vel personis particularibus concessæ sint: secùs verò, quæ toti Religioni conceduntur & singularibus personis, non quà tales; sed, quatenus illius Religionis membra persistunt. Neque inde infertur, non fieri speciale privilegium Mendicantibus in illa exceptione: fit utique: quia ex vi illius exceptionis non suspenduntur Mendicantibus Indulgentiæ, facultates, & gratiæ concessæ singularibus Monasteriis ad instantiam suorum Superiorum, quæ tamen non Mendicantibus suspenduntur.

11. Ex dictis colligitur, non suspendi potestatem, quam habent plures Religiones suspendendi generale interdictum in suis Ecclesiis pro aliquibus Festivitatibus: quia hæc potestas non singulari. Conventui, sed toti Ordini est attributa, quæ in prædicta suspensione generali non continentur: & tradit expressè Villal. *tract.*22. *Bullæ, claus* 12. *n.*8. Secundò, colligitur Indulgentias illas, quæ non alicui Monasterio, vel loco pio, seu imagini annectuntur, sed omnibus Religiosis, quà tales sunt, conceduntur, suspensione prædicta non comprehendi, atque adeò tam Mendicantes, quàm non Mendicantes eas obtinere posse,quia hæ directè statui religioso conceduntur, & inde ad singulos Religiosos derivantur, ex San. & Vill. *loc all.* Tertiò, fit, solas eas facultates, & gratias, ac indulgentias prædictæ Bullæ clausula suspendi,quæ Monasteriis, singularibus,vel piis locis fuerint concessæ. Has ergo, secluſa bulla non poterunt religiosi non mendicates obtinere: at mendicantes eas obtinere poterunt, quia Superioribus suis, id

eſt, ad eorum inſtantiam fuerunt conceſſæ: & Bulla excipit, quæ conceſſæ fuerint Superioribus Ordinum mendicantium quoad eorum Fratres. Quòd ſi non mendicantes communicationem habent in privilegiis cum mendicantibus, eaſdem Indulgentias, & facultates poterunt obtinere, ſicuti, ut probabile, defendit Villalob. *cl. inſ.* 12. *num.* 11. adversùs Rodriq. §. 12. *n.* 15. Neque inde licet colligere exceptionem mendicantium eſſe inutilem, quandoquidem non mendicantes etiam excipiuntur: quia non excipiuntur per ſe, ſed per accidens ex privilegio communicationis diſtincto: quod fortè non omnibus non mendicantibus competit. Quæ dicta ſunt de Religioſis, intelligi debent de monialibus quæ verè Religioſæ ſunt, ut benè notavit Rodrig. §. 12. *à n.* 9. Villalob. *clauſ.* 12. *n.* 15.

12. Duo exiſtimo certa. Primùm, Novitios, ſicut & reliquos Religioſos privilegiis Religioni conceſſis gaudere: & in prædicta ſuſpenſionis exceptione comprehendi, ſicuti docuerunt Rodr. *d.* §. 12, *n.* 6. Villal. *clauſ.* 12. *n.* 12. Nam eſto, ſpectato verborum rigore Religioſi non ſint, ſunt tamen ſecundùm communem modum loquendi, qui maximè in favorabilibus attendi debet: c. *Ex litteris, el* 1. *de ſponſ.* & leg. *Liberorum* §. *Quòd autem Caſſii, ff. de leg.* 3. & tradit Navar. *c.* 27. *n.* 255. Rebuff. *prax. benef. tit. de diſpenſ. cum regul. pag.* 422.

13. Secundum eſt, ſi Religioſus, vel ſæcularis Bullam ſuſcipiat, abſque ulla prorſus dubitatione gaudere poterit poteſtate abſolvendi, & diſpenſandi Religioſis conceſſa: quia, ſumpta Bulla, omnia privilegia ſuſpenſa revalidantur: neque opus eſt, ut uterque Religioſus, & ſæcularis Bullam ſumant: ſatis eſſe videtur, ſi unus ex illis ſuſcipiat, & maximè Religioſus: nam ipſi privilegio revalidato, conſequenter ſæculari revalidatur, ut poſſit illo uti.

Punctum XI.

De aliis facultatibus, quæ in Bullæ Cruciatæ Commiſſario conceduntur.

1. *Conceditur facultas taxandi eleemoſynam, quam ſumentes Bullam debent erogare.*
2. *Conceditur facultas componendi ſuper fructus amiſſos ob omiſſam Horarum recitationem.*
3. *De poteſtate diſpenſandi in irregularitate.*
4. *Prodeſt hæc poteſtas, tam pro foro conſcientiæ, quàm externo.*
5. *Commiſſarius omnes irregularitates diſpenſat.*
6. *Quatuor tamen excipiuntur.*
7. *Datur facultas Commiſſario diſpenſandi in impedimento affinitatis ex fornicatione.*
8. *Sub quibus conditionibus hæc poteſtas concedatur.*
9. *Deinde habet poteſtatem Commiſſarius diſpenſandi in ſuperveniente dicto impedimento, ut debitum coniux impeditus petat.*
10. *Extendunt aliqui hanc poteſtatem ad impedimentum cognationis ſpiritualis. Sed rectiùs alii negant.*
11. *Nobilibus poteſt Commiſſarius concedere, ut per horam ante lucem, & poſt meridiem cele.rent, vel celebrari faciant.*
12. *De obligatione, quam habent omnes Epiſcopi, applicandi omnes pœnas in ſubſidium Cruciatæ.*

1. ULtra facultatem *ſuperiori puncto* explicatam ſuſpendendi, & revalidandi Indulgentias, gratias, & facultates, conceditur Commiſſario poteſtas taxandi eleemoſynam, quam erogare debent Bullam ſuſcipientes, ut illis proſit, ut conſtat ex verbis Bullæ ibi: *Y por quanto vos N. diſteis dos reales de plata, que es la liſmona, que avemos taſado, y declarado,* &c.

2. Secundò, datur facultas eidem Commiſſario componendi cum his, qui ad reſtitutionem fructuum ex omiſſione Horarum canonicarum tenentur, ita ut quantitas compoſitionis pro medietate Eccleſiis, vel aliis locis piis, quarum, vel quorum rationes Horas prædictas recitare debent, & pro altera mediatate in ſubventionem hujus negotii detur. De qua facultate qualiter intelligatur, *punct. ult.* ubi de Bulla compoſitionis agendum eſt.

3. Tertiò, ſimiliter conceditur facultas dicto Commiſſario diſpenſandi, & componendi ſuper irregularitate cum his, qui quibuſcunque eccleſiaſticis cenſuris ligari Miſſas, & divina Officia (non tamen in contemptum clavium) celebraverunt, ſeu aliàs ſe immiſcuerunt, & ſuper alia illis qualibet irregularitate præterquàm ratione homicidii voluntarii, aut ſimoniæ aut apoſtaſiæ à fide, aut de hæreſi, vel propter malam Ordinum ſuſceptionem contractam cum retentione beneficiorum, & fructuum ex eis perceptorum, & infamiæ, aut inhabilitatis exinde provenientis abolitione, & executione Ordinum non malè ſuſceptorum.

4. Circa quam poteſtatem adverte, concedi, tam pro foro conſcientiæ, quàm externo, & judiciali: cum enim ſit conceſſa aliàs jurisdictionem habenti abſque ulla limitatione fori interni, ſicut fit Epiſcopis in Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 6. & ipſimet Commiſſario in poteſtate diſpenſatur cum his, qui impedimento affinitatis ligati bona fide contraxerunt, fatendum eſt pro utroque foro prodeſſe poſſe, ut benè notavit Henriq. *lib.* 7. *de Indulg. c.* 13. *n.* 5 Rodrig. *in addit. ad Cruciat.* §. 13. *n.* 1. Didac. Nuño *in expoſit. Bullæ*, §. *ult.* Villalob. *clauſ.* 13. *n.* 6. Acoſta *q.* 97. Avil. 7. *p. de cenſ. diſp.* 10. *dub.* 5. *concl.* 2. & 3.

5. Irregularitates autem, in quibus Commiſſarius diſpenſare poteſt, ſunt omnes, & ſolæ, quæ ex delicto proveniunt, quatuor exceptis, uti notarunt Rod. Nuno, Villal. *loc. alleg.* & colligitur apertè ex illo verbo, *ſuper alia qualibet irregularitate* verbum enim, *aliud*, quod relativum eſt, præcedentis qualitatem refert, ut conſtat ex leg. *Si fugitivi*, ibi, *alia pœna*, *C. de ſervis fugitivis uncta Gloſſ. fin.* quæ ait, *alia pœna*, ſcilicet ſimili: & docet Anton. Gab. *t.* 1. *comm. verb. Alius.* Menoch. *l.* 1. *de arbitr. q.* 80. *n.* 122. Sed irregularitas præcedens pro qua datur poteſtas Commiſario diſpenſandi, provenit, ex delicto: ergo de irregularitate ex delicto intelligi debet verbum illud, *alia qualibet irregularitate.* Idémque confirmari poteſt ex exceptione, quæ immediatè ſubſequitur, ſub qua nulla irregularitas comprehenditur, quæ non ſit ex delicto. Atque ita docent Nuño, Villal. Rodr. *ſup.* Unde colliges, non poſſe Commiſſarium in irregularitate ex defectu natalium, ex homicidio authoritate publica facto, in bigamia propria, vel interpretativa diſpenſare: quia hæ irregularitates non in pœnam alicujus delicti: ſed ob indecentiam, & perfectæ ſignificationis defectum imponentur; benè tamen poterit diſpenſare in irregularitate ſimilitudinaria; quia hæc ex delicto provenit. Sic Henriq. *l.* 7. *c.* 13. *à n.* 5. Avila 7. *p. de cenſ. diſp.* 6. *dub.* 4. *concl.* 6. Rodr. *in addit.* §. 13. *n.* 3. & 9 Villal. *clauſ.* 12. *n.* 7. & 8.

6. Excipiuntur quatuor irregularitates à poteſtate Commiſſarii. Prima, ex homicidio voluntario, ſub qua comprehendi non debet irregularitas proveniens ex voluntaria mutilatione, aut ex homicidio caſuali: quia ſunt diſtinctæ: & exceptio, cum odioſa ſit, reſtringi debet, non ampliari. Atque ita docet Rodr. *in additionib.* §. 13. *n.* 6. Villal. *clauſ.* 13. *n.* 7. Secunda eſt, quæ provenit ex ſimonia. Tertia, quæ provenit ex apoſtaſia à fide, ſeu hæreſi: quia pluribus Doctoribus placet ſimoniacos in Ordine, & Hæreticos eſſe irregulares. Sed alii cenſent, ſimoniacum in Ordine ab uſu Ordinum tantùm ſuſpenſum eſſe: Hæreticum

verò

verò, si publicus sit, & notorius, esse irregularem: secùs si sit occultus. Quarta irregularitas excepta provenit ex mala Ordinum susceptione, eò quòd Ordinem furtivè susceperis.

His ergo quatuor irregularitatibus exclusis, omnes aliæ sub potestate Commissarii comprehenduntur, in quibus sic dispensare Commissarius potest, ut si fortè beneficium aliquod, stante irregularitate, receptum sit, possit ad illud habilitare, & fructus inde perceptos concedere, uti colligitur ex illis verbis: *Cum retentione beneficiorum, & fructuum ex eis perceptorum, & infamiæ, ac inhabilitatis exinde provenientis abolitione.* Etenim, cùm irregularitas beneficio suscepto adveniens non privet beneficio, neque ad illud retinendum reddat irregularem inhabilem, potestas dispensandi in retentione beneficiorum, & illorum inhabilitate, non de beneficiis ante irregularitatem susceptis; sed de beneficiis post irregularitatem susceptis intelligi debet, sicuti bene advertit Rodrig. *in addit* §. 13. *n.* 9. Villalob. *claus.* 14. *n.* 10.

7. Quartò, datur facultas dispensandi, nullis datis litteris, seu per Confessorem laniatis, cum his, qui primo, & secundo affinitatis ex fornicatione contractæ gradibus conjuncti matrimonium contraxerunt, dummodo si post Concil. Trid. ipsius formam servaverunt, ac impedimenta hujusmodi penitùs occulta sint, & alter contrahentium tempore contracti matrimonii impedimenti ignarus extiterit, & altero ità prædictum impedimentum ignorante de nullitate prioris consensus priùs certificato, tacitaque, si videbitur ad evitanda scandala, causa nullitatis, matrimonium inter se etiam secretè de novo contrahere possint in foro conscientiæ duntaxat, ad evitanda gravia scandala, dispensandum judicaverint, dispensare, prolémque susceptam, & suscipiendam legitimam decernere.

8. Pro hujus potestatis supplicatione suppono ex Trid. *sess.* 24. *c.* 4. affinitatem contractam ex copula illicata in primo, & secundo gradu esse impedimentum dirimens matrimonii contrahendi. Igitur, si aliqui hoc impedimento ligati contraxerint, datur Commissario facultas in foro conscientiæ duntaxat, ad evitanda scandala in prædicto impedimento dispensandi, & media dispensatione, & matrimonii nova celebratione, & non aliàs prolem susceptam, & suscipiendam legitimam decernere, ut advertunt Sanch. *lib.* 8. *de matr. disp.* 6. *n.* 25. Nuño §. *ult. in expos. Cruciat.* Villal. *claus.* 13. *n.* 12. & 13. Hæc autem potestas conceditur Commissario quatuor concurrentibus conditionibus. Prima, ut matrimonium sit celebratum juxta formam Trid. *sess.* 24 *cap.* 1. scilicet, coram Parocho, & testibus, & præmissis denunciationibus, nisi fortè in eis fuerit per Ordinarium dispensatum. Secunda, ut impedimentum illud sit occultum, hoc est, non publicum, neque ad forum contentiosum deductum, tametsi probabile sit, & ab aliquibus cognitum: quia, dum à majore parte Collegii, vel viciniæ ignoratur, occultum esse censetur ad hunc effectum, ut benè Navar. *cap.* 27. *n.* 214. Sanch. *lib.* 8. *disp* 34. *n.* 55. Villal. *claus.* 13. *n.* 15. Tertia, ut bona fides adfuerit, saltem ex parte unius contrahentis ignorantis impedimentum, tempore, quo matrimonium celebratum est. Quarta, ut conjux, qui ignoravit impedimentum, certior fiat de prioris consensus nullitate. Non tamen est opus declarare nullitatis causam: sed eo ipso, quo dicat alteri conjugi se tempore contracti matrimonii non habuisse consensum liberum, & legitimum, qui necessarius est ad matrimonium contrahendum; velléque denuò ob securitatem suæ conscientiæ contrahere; satis hoc dicto de prioris consensus nullitate certiorem conjugem reddit, uti notavit Villalob. *dicta claus.* 13. *num.* 18.

Sub prædictis conditionibus, & non aliter dispensabit Commissarius: quam dispensationem concedet absque expeditione litterarum, vel, si placuerit litteras expedire, id faciet suppressis dispensandorum nominibus, & per Confessorem concessa dispensatione litteris dilaniatis, uti usui est sacræ Pœnitentiariæ, & cavetur in prædicta facultate. Conjuges verò obtenta dispensatione iterum inter se absque Parocho, & testibus contrahent. Nam, esto, gravis sit difficultas, an revalidatio matrimonii, quod nullum est, fieri debeat coram Parocho, & testibus, in casu præsenti locum non habet, cùm expressè Pontifex declaraverit ad contractus prædicti revalidationem sufficere utriusque conjugis secretum, & occultum consensum, sicuti advertit Villalob. *d. claus.* 13. *Bullæ num.* 19.

9. Quintò, conceditur Commissario facultas dispensandi in superveniente simili affinitatis impedimento post matrimonium contractum, ut debitum petere possit, qui eo impedimento ligatus erat: etenim affinitas ex fornicatione contracta, quæ antecedens matrimonium illud dirimit, matrimonio superveniens petitionem debiti impedit, ut probat textus in cap. 1. *de eo, qui cognovit consanguin. uxor.* Hoc igitur impedimentum potest Commissarius tollere, sicut etiam potest Episcopus, & Superiores Ordinum mendicantium, ut dicemus *tract. de matrim.* & videri potest Sanch. *lib.* 8. *disp.* 15. *n.* 13. Man. Rodrig. 1. *tom. sum. edit* 2. *c.* 245. *n.* 12. & *in addit. ad Cruciat*, §. 13. *n.* 17. Villalob. *ibi clausul.* 13. *n.* 20.

10. Extendit autem Rodriguez *dicto* §. 13. *n.* 17. & Villalob. *n.* 21. hanc Commissarii facultatem ad impedimentum cognationis spiritualis: tum, quia est quidam incestus: tum quia est levius impedimentum, & cui conceditur majus, & minus censeri debet concessum, ex reg. *Cui licet de reg. juris in* 6. præcipuè cùm hæc Commissarii potestas latè sit interpretanda, utpote favorabilis, & in nullius præjudicium cedens. Sed rectiùs Sanch. *d. disp.* 15. *n.* 13. negat prædictam facultatem extendi. Tum, quia fornicatio, cum spirituali cognata, non incestus, sed sacrilegium est: & esto, incestus esset facultas dispensandi, non pro quolibet in cestu facta est; sed pro impedimento proveniente ex incestu in primo, & secundo gradu: at impedimentum cognationis spiritualis omninò diversum est: ergo ad illud prædicta facultas extendi non potest: quippe facultas quantumvis latè interpretanda sit, extendi non debet ad casum sub lata verborum forma non comprehensum.

11. Sextò, Commissario facultas conceditur pro personis nobilibus, & qui juxta ipsius Commissarii arbitrium qualificati fuerint, ut Missas per horam ante lucem, & post meridiem audire, & celebrare facere valeant, indulgere possit. In hac concessione nihil speciale notandum occurrit, præter ea, quæ dixi *tract. de sacrific. punct.* 7. *à n.* 12. Solùm adverto, non permitti Commissario hanc dispensationem quibuscunque concedere; sed nobilibus, & qui juxta ejus arbitrium qualificati sint. Nobilius autem est, qui jure communi vel statuto, vel consuetudine patriæ nobilis creditur, ut dixit Menoch. *lib.* 1. *de arbitrar. casu* 67. & pluribus tradit Tiraquel. *de nobilit à c.* 3. *& seqq.* Qualificatus verò, qui aliqua qualitate generis, vel officii illustris insignitus est, ideóque illustris, seu egregius vir dici poterit, de quo late Menoch. *casu* 68. & 70.

12. Ad extremum adverto, præceptum esse à Sede apostolica, & à Commissario promulgatum, ut omnes Episcopi in his Hispaniarum regnis, ejúsque ministri, seu Officiales, aliique Prælati ecclesiastici inferiores omnes pœnas pecuniarias applicent in subsidium hujus sanctæ expeditionis. Quòd si non fecerint, ultra peccatum commissum applicatio sibi, vel alteri

facta nulla est, ut cavetur *in prædicta Bulla*; & notavit Rodrig. *in addit. ad Cruciat. §.13. in fine.* Acosta *quæst.*89. Villal. *claus.*13. *n.*23. Neque video, quo titulo ab hoc præcepto, & obligatione rationi consona excusari possint, nisi fortè ob receptam consuetudinem contrariam, etiam stante Bullæ publicatione. A qua tamen applicatione excipiunt Acosta, & Villab. *sup.* partem accusatori, scilicet, fiscali competentem ex præsumpta voluntate Pontificis, ut ad accusationem faciendam & delictorum punitionem procurandam moveatur. Quinimò illa pars, quæ accusatori applicatur, quodammodo ab ipso condemnando debita est ante condemnationem, lege sic disponente, & applicante.

Punctum XII.

De Bulla Cruciatæ pro defunctis concessa.

1. *Statuitur concessio.*
2. *Non est opus, te esse in gratia, ut obtinere defunctis Indulgentiam possis.*
3. *Sumpta una Bulla, an expediat alias sumere. Proponitur ratio dubitandi.*
4. *Certum est expedire.*

1. POntifex ex thesauro satisfactionum Christi, & Sanctorum non solùm vivis fidelibus favores impendit, sed etiam defunctis, ideóque plenissimam Indulgentiam concedit defuncto, in cujus gratiam vivus erogata eleemosyna Bullam sumpserit, ut constat ex tenore Bullæ, qui sic se habet: *Nuestro muy santo Padre Paulo V. de felice recordacion concedio plenissima Indulgencia, y la mando publicar nuestro muy santo Padre Urbano VIII. con que podamos sacar las ammas de los, que acaqueſimos bien de aquellas penas de Purgatorio, y poner las en la gloria, dando por esta Bula para la defensa de la Yglesia, y rescate de nuestros difuntos, y en acrecentamiento de nuestros meritos, la limosna tasada por vos N. Commissario apostolico general de la santa Cruzada. Y por quanto vos N. disteis dos reales de plata, en favor del anima de N. y recibistes en vos esta Bulla les es otorgada la Indulgencia sobredicha.*

2. Quæ in hac concessione aliquam possent difficultatem ingerere, *superiori tract. de suffrag. & Indulgent.* præcipuè *punct.*1. *& ult.* enodata sunt: ibi enim explicuimus, qualiter operari debeas, ut indulgentia defunctis concessa prodesse possit. Nam, esto, non desint Doctores, Cardin. *Clement.*2. *de pœnit. & remiss.* Angel. *verbo, Indulgent. num.*21. qui censeant, opus esse, ut in gratia existas, cùm opus injunctum ad obtinendam defuncto indulgentiam exequeris: quia nequis esse potentior ad obtinendum beneficium alteri, quàm tibi ipsi, ad obtinendam autem tibi indulgentiam necessariò requiritur gratia: ergo etiam erit requisita pro obtinenda defuncto. Communis tamen sententia docet, ut videre est in Navarr. *de Jubileo, notab.*17. *n.*4. & *notab.*32. *n.*3. Cordub. *de Indulg. q.*17. & 26. Suar. *tom.*4 *de pœnit. & suffrag. disp.*52. *sect.*4. *n.*6 Rodrig. *ad Bullam, §.*8. *num.*13. Acosta, *q.*21. Villalob. 1. *p. sum. tract.*28. *n.*3. necessarium non esse, te in gratia, cùm Bullam pro defuncto sumpseris, ut ei prosit. Non enim tu sumens Bullam pro defuncto ei satisfactionem concedis, qua pœnæ debitæ remittantur, sed solùm apponis conditionem quamdam piam, & religiosam, qua posita Pontifex ex thesauro satisfactionum Christi, & Sanctorum sufficientem solutionem exhibet pro pœnis ab illo defuncto debitis. At eam conditionem sumendi Bullam satis præstare potes, tametsi in peccato existas: ergo status gratiæ tibi requisitus non est, ut Bulla à te sumpta defuncto prosit.

3. Sed, an sumpta una Bulla expediat alias pro eodem defuncto sumere, aliqui dubitarunt, eò quod videatur judicari Indulgentiæ concessionem veram non esse: nam, si vera est concessio, cùm ex parte defuncti in Purgatorio existentis nullum sit impedimentum, quin ei integrè indulgentia applicetur, efficitur statim in cœlum evolare, ac proinde inutiliter in ejus favorem novam indulgentiam applicari.

4. Nihilominùs omninò tenendum est, plures pro uno defuncto Bullas sumi posse, & expedire, ut benè notavit Gab. *in canon. lect.*57. Navarr. *de indulg. notab.*22. *n.*50. Acosta *in explicat. Cruciat. q.*22. Nuño *in præsenti, §. ult. circa finem.* Villalob. *dicto tr.*29. *n.*5. Ratio est manifesta: etenim indulgentiæ valor maximè pendet ex causa finali, & motiva concessionis: continget enim aliquando concedi indulgentiam plenariam ex causa, quæ solùm erat sufficiens pro remissione tertiæ partis peccatorum concedenda: & quis scit, an in præsenti sic contingat? Quare eo casu manifestum est, expedire non solùm unam, sed plures Bullas sumere, ut multiplicata remissione illius tertiæ partis plena remissio obtineatur. Item, certum non est, sed sub opinione positum, an indulgentia applicata pro defunctis infallibilem effectum habeat, neque etiam est indubitatum, an status gratiæ in exequente opus injunctum requiratur. Itémque nemini constare potest, an opera ad indulgentiæ applicationem requisita exequatur, prout Pontifex intendit, & necessarium est ad indulgentiæ valorem, saltem integrum. Denique fieri potest, etiam te ignorante, ut eleemosyna pro Bulla erogata ex aliis debitis sit, vel Quæstorem alienam dedisse Bullam, essèque illius raptorem, & simulatorem, neque proprium Cruciatæ ministrum. Quæ omnia abunde probant expedire, plures Bullas pro uno defuncto sumi, ut quoad fieri possit prædicta inconvenientia vitentur.

Punctum Vlt.

De Bulla Cruciatæ, quæ vocatur Compositionis.

SUmmus Pontifex concedit omnibus Christi, fidelibus, cujuscunque status, conditionis, Ordinis, vel Religionis, sive Ecclesiastici sint, sive sæculares, etiamsi sint ex Ordinibus mendicantibus, qui in hujusmodi Hispaniarum regnis assistunt, vel ad ea quomodolibet declinaverint, ut erogatis duobus argenteis in subsidium belli contra infideles, quantitas duorum millium marapetinorum, infrà, de debitis incertis remittatur, obtineréque possint remissionem usque ad quantitatem debitam centum millium marapetinorum: sed ultrà nequeant, nisi ex beneplacito Commissarii generalis, ex ejus tamen consensu, & voluntate optimè possint. Debita autem debent esse contracta absque fiducia hujus remissionis, aliàs huic Indulgentiæ non erit locus. Quæ omnia expressè habentur in prædicta Bulla.

§. I.

Qualiter debitorum incertorum, virtute hujus concessionis, fiat remissio.

1. *Nulla de debitis certis fit remissio.*
2. *Quid, si creditor ita absens est, ut nequeat debitum ei reddi? Verius est locum esse remissioni.*
3. *An sit licita, & valida hac remissio.*
4. *Resolvitur, esse validam, & licitam.*
5. *Nullus alius, præter Pontificem, stante ejus lege, hanc remissionem facere potest: secus ea lege secluſa.*

6. *Plures*

6. *Plur^es censent, comparente creditore, te esse obligatum, residuum restituere; neque prodesse remissionem, nisi dum non comparet.*
7. *Oppositum probabilitate non caret.*
8. *Solvuntur fundamentum oppositum: & ibi, an prosit remissio pro foro judiciali.*
9. *Quid dicendum, si Judex te condemnet ad solvendum.*

1. NUllade debitis certis, hoc est, certo creditori debitis, quæque ipsi restitui possunt, virtute hujus bullæ fit remissio: quippe hæc cum dominum agnoscant, non vult Pontifex ulli operi, quantumvis pio, contra ejus voluntatem applicare: ergo fit de debitis, quorum creditor non comparet.

2. Quòd si creditor comparet, at ita absens est, ut nequeas debitum illi persolvere, neque speras brevi tempore posse, ob cujus causam excusaris à restitutione facienda, etsi Sotus *in* 4. *dist.*21. *q.*2. *art* 4. *& lib.*4. *de justit. q.*7. *art.*1 existimet compositioni locum non esse: quia absolutè, & simpliciter non est debitum incertum, sed certum, & bulla solùm remissionem debitorum incertorum concedit. At rectius Covarrv. *in reg. Peccatum*, 3. *p* §.1. Rodrig. *in præsenti*, *dub.*2. Villal. *n.*12. Acosta *q.*95. oppositum censent: quia eo casu illud debitum humano, & morali modo reputatur incertum, eò quòd domino reddi non potest. Domino enim perinde est carere debito, quia absens, vel quia debitori est ignotus, si æquè ex absentia, ac ignorantia excusantur debitor à restitutione illi facienda.

3. Duplex tamen est in hac compositione difficultas. Prima, an licita, & valida sit, ita ut virtute illius excuseris à debiti integra solutione, saltem dum creditor non comparet? Non defuerunt, qui ausi sunt affirmare, illicitè, & invalidè hanc remissionem concedi. Sic videtur sentire Bannes 2.2.*q.*62. *art.*5. *dub.*7. Domin. Sotus *in* 4. *dist.*21. *q.*2. *art.*4. Moventur: quia hæc remissio fit in præjudicium pauperum, quibus illa restitutio facienda erat ex textu in c. *Cùm tu de usuris*, & occasionem præbet plura latrocinia committendi: ergo est illicita, & invalida.

4. Et quidem, si absque ulla causa remissio fieret, admitto, illicitam esse, in quo sensu credo, Bannes, & Sotum fuisse locutos, valida tamen esset, si ex bonis ecclesiasticis, vel temporalibus ad ditionem Pontificis pertinentibus fieret: quia horum distributio ipsi, utpote supremo gubernatori, competit. Quippe in omnia bona, quorum dominus non comparet, vel possidens succedit: vel saltem respublica, quæ suo gubernatori tradit potestatem ea pro suo arbitrio distribuendi. Secùs verò videtur dicendum, si absque causa fieret remissio debiti temporalis, quod non est sub ditione Pontificis, vel Regis: quia esse remissio debiti contra voluntatem domini, qui non est Pontifex, nec Rex Hispanus, sed alia respublica, illiusque gubernator. Quod intelligendum est casu, quo respublica domina sit bonorum incertorum, & non ipse retentor.

Verùm in præsenti hæc omnia cessant, cùm manifestissimum sit, causam hujus remissionis legitimam esse. Etenim fidelium conscientiæ ære alieno gravatæ, & ob hanc causam difficillimè ab statu peccati resurgentes, hac remissione facta obligationi satisfaciunt, & peccatum depellunt, illáque eleemosyna, etsi minima, sæpiùs tamen multiplicata non leve subsidium confert ad infideles conterendos, & debellandos, & nostramque catholicam fidem augendam. Quæ nequaquam obtinerentur, nisi gravis illa quantitas sub levis eleemosynæ erogatione remitteretur: ex alia etiam parte bona illa, quæ remittenda sunt, Pontificis, vel Regis distributioni competunt, cùm sint sub Regis, vel Pontificis editione. Ergo est valida, & licita eorum distributio, & remissio. Solùm esse poterat difficultas, quando bona remittenda per se alteri Reipublicæ, & gubernatori, quàm Pontifici, vel Regi Hispaniarum pertinent. Et in hoc casu etiam existimo, licitam, & validam esse hanc Pontificis remissionem. Nam, cùm satis dubium sit, sub opinionéque positum, an bona incerta jure divino, & naturali debeant reipublicæ concedi, vel possit ipse, qui possidet, ea retinere, dum dominus non comparet, meritò Summus Pontifex, ne hac occasione fideles aliena surriperent, & aliorum bonis in grave suarum conscientiarum præjudicium ditarentur, præcepit in cap. *Cum tu*, *de usuris*, ut omnia iniquè parta pauperibus restituerentur. Loco ergo hujus restitutionis contentus est Pontifex illa levi eleemosyna duorum argenteorum, reliqua debiti parte remissa, ob bonum fidei, & religionis. Neque verum est, pauperes dominos esse illorum bonorum. Non enim illis ea bona aliquo jure naturali, vel divino competunt, sed solùm jure positivo ecclesiastico, in quo ipse Pontifex, utpote illius conditor, ob hanc honestissimam causam dispensat. Quòd si ex hac dispensatione plures sumant occasionem aliena surripendi, non dispensationi, quæ justissima est; sed eorum malitiæ est tribuendum.

5. Secunda versatur difficultas, an alii præter Pontificem hanc remissionem facere possint? De Gubernatore Reipublicæ, & de Episcopo dubitari potest. Breviter respondeo, secluſa lege pontificia, lata in cap. *Cùm tu*, *de usuris*, optimè potest Princeps sæcularis hanc facere remissionem de bonis temporalibus incertis, sivè benè, sivè malè ablatis, secùs de ecclesiasticis bonis. E contra verò de ecclesiasticis bonis poterit Episcopus: secùs de temporalibus. Utramque partem probo: quia illa bona incerta temporibus, casu, quo jure naturali non competant occupanti, competunt reipublicæ, & consequenter ejus gubernationem: ecclesiastica verò bona Ecclesiæ, ejusque Gubernatoribus debentur. Ergo sæcularia bona benè poterit Princeps sæcularis remittere; Episcopus verò in sua diœcesi poterit ecclesiastica. Notanter dixi, *secluſa lege pontificis*: nam, ea stante, nequit alius, præter Pontificem, hanc facere remissionem, quia, neque Episcopus, nec Princeps sæcularis, dispensare possunt in prædicta lege, & cùm ex ea obligentur aliena occupantes integrè restituere, excusari non possunt ob remissionem Principis, vel Episcopi, & fortè ob hanc causam, & in hoc sensu negarunt Sylvester *Restitutio.* *q* 7. *&* 8. Cordub. *lib* 3. *de Indul. q.*4. Rodrig, *in præsenti dub.* 4. *&* 5. Principes sæculares, & Episcopus hanc remissionem facere posse.

6. Tertio, gravior difficultas est, an remissione facta virtute hujus bullæ, si creditor compareat, tenearis, ea bona restituere. In qua difficultate est certum, te non esse obligatum restituere eam partem, quam in subsidium belli impendisti, ut benè notavit Soto *dicta dist.*21. *q.*2. *art.*4. Bannes 2.2. *q.*62. *art.*5. *dub.*8. Nunno *in explic. Cruc. ad finem*, *dub.*2. Rodrig. *in præsenti*, *dub.*6. *n.*8. quia ea pars ex præsumpta creditoris voluntate, & authoritate Principis consumpta est: aliàs ea compositio in damnum tui cederet. Secundò, certum esse debet, si post factam compositionem debita consumpsisti, neque ditior es factus, nullam tibi superesse obligationem restituendi: quia facta compositione bona fide possedisti, & consumpsisti: commune autem est, possessorem bonæ fidei obligatum non esse restituere, quæ bona fide consumpserit. Atque ita docent Sotus, Cordub. Rodrig. *locis allegatis*, Henriq. *lib.*7. *can.*34. *n.*4. Villalob. *tract.*29. *n.*9. Tertiò est certum, excusatum te esse à restitutione, si post remissionem factam tempus prescriptioni necessariam currit: quia, cùm bona fide possideas, præscribere optimè potes, uti notavit Villalobos *suprà*.

Quare

Quare controversia inter Doctores est, an, si bona, quæ tibi in hac compositione remissa, sunt, extent in specie, vel æquivalenter, quatenus eorum occasione ditior factus es, cùm creditor comparet, neque præsumptione te tueri dotes, tencaris ea creditori reddere? Affirmant Cajet. 2. 2. *q.* 61. *art.* 6. Cordub. *lib* 5. *quæst. q. ult.* Rodrig. Villalob. *suprà* Moventur: quia Pontifex non absolutè remittit omnia illa debita; sed, dum creditor non comparet: quia non videtur rationi consonum, dominio suorum bonorum creditorem ignotum absolutè spoliare. Præterquàm quòd hæc remissio fit ex præsumpta creditoris voluntate, quæ præsumi non potest absoluta; sed conditionata, & limitata, dum ipse non comparuerit: id enim est ei utilius. Secundò, creditor poterit debita illa ubicunque invenirit, vendicare, eamque postulare in judicio, & Judex obligatus est reddere, uti tanquàm certum affirmat Villalob. *dicto tract.* 29. *n.* 8. quæ omnia cùm non nitantur falsæ præsumptioni, obligationem in foro conscientiæ probant.

7. Nihilominùs, etsi prædicta sententia tenenda, & consulenda sit, probabilitate non caret, nullam tibi esse obligationem in foro conscientiæ restituendi residuum, saltem quousque à judice condemneris. Sic docuerunt Bannez, & Sotus *suprà*, Henriquez *lib.* 7. *de Indulg cap* 34. *num.* 5. Acosta de Andrade *in præsenti*, *q.* 93. & 94. Ratio est: quia negari non potest, posse Pontificem ea bona incerta sic absolutè distribuere, ut nulla sit obligatio ea reddendi domino postmodum comparenti. Quippe ea distribuit, legitimus dispensator, & in bonum commune Ecclesiæ, quale est belli contra infideles subsidium. Itémque in spirituale bonum creditorem: siquidem in ipsorum gratiam ea remissio fit. Quod autem de facto sic fuerit distributio, & remissio facta, probat tenor concessionis, in quo nulla conditio est apposita: sed absolutè facta est remissio totius debiti, erogata eleemosyna taxata: ergo absque fundamento asseritur, limitatam esse pro tempore, quo dominus non comparet, cùm beneficium Principis restringi non debeat, & licèt hoc beneficium sic latè interpretatum cedat aliquo modo in creditorum præjudicium, patienter illud sustinere debent ob boni communis augmentum. Quippe hujusmodi liberalitate, & absoluta remissione incitantur debitores ad hanc compositionem faciendam, quu subsidium belli maximè promovetur.

8. Hinc solutum manet oppositum primum fundamentum. Secundum autem petit, an hæc remissio pro solo conscientiæ foro prosit; an etiam pro externo, & judiciali? Negant Cordub. Rodrig. & Villalob. *locis citatis.* Sed rectiùs Acosta *q.* 94. affirmat, eo quòd Commissarii potestas ad hanc remissionem, & compositionem faciendam restricta non sit pro foro conscientiæ, sicuti fuit restricta potestas dispensandi in impedimento affinitatis. Qua ratione diximus, potestatem dispensandi in irregularitatibus, in interdicto, &c. pro utroque foro prodesse: quia non fuit sub limitatione fori interni concessa. Verùm, ut hæc compositio in foro externo tibi prosit, & creditorem exigentem debitum possis exceptione compositionis repellere, debes, cùm compositionem, & remissionem obtines, præmittere authoritate Commissarii informationem, te non posse creditori debitum reddere, vel, quia non comparet, vel, quia ita est absens, ut moraliter sit impossibile. Aliàs, sic hæc informatio compositioni non præcessit, non poteris in foro exteriori adversùs creditorem te tueri: quia non constat de compositionis justitia.

9. Quod si Judex ob defectum hujus informationis, vel esto, ea facta sit, quia credit remissionem factam esse à Pontifice, non absolutè, sed, dum creditor non comparet, præcipiat tibi reddere debitum, dificultate non caret, an in foro conscientiæ obligatus sis obedire. Quippe videtur illud præceptum niti præsumptioni falsæ, quod Pontifex non fecerit absolutam remissionem. Verius tamen censeo, te obligatum esse obedire, & debitum reddere, non, quia remissio absoluta non fuerit, sed, quia non fuit absoluta certò, & infallibiliter, sed solùm sub opinione. Quo casu Judex justè procedit, imponens præceptum de illorum bonorum restitutione: Judex namque potestatem habet judicandi secundùm eam opinionem, quæ sibi verior, & probabilior visa fuerit. Cùm autem ipse credat satis probabiliter, Pontificem fecisse remissionem, non absolutè, sed pro tempore, quo dominus non comparet, justè præcipit ea bona domino comparenti reddere: tu verò videris obligatus parere: quia præceptum illud non præsumptioni falsæ, sed probabili nititur.

§. II.

Expenduntur sigillatim casus, in quibus locum habet prædicta compositio.

1. *Omnia injustè acquisita componi possunt, non comparente creditore post debitam diligentiam: & qua diligentia censeatur sufficiens.*
2. *De fructibus beneficiorum qualiter geri possit compositio.*
3. *Non habet locum in Canonicis non residentibus, neque in Episcopis, & Parochis.*
4. *Compositio fieri potest in medietate legatorum, quæ in satisfactionem bonorum malè acquisitorum facta fuerint, si legatarii per annum negligentes extiterint.*
5. *Compositio fieri potest de legatis, quorum legatarii post debitam deligentiam ignorantur.*
6. *Judicibus ordinariis, vel deligatis permittitur compositio rebus susceptis ob iniquam sententiam.*
7. *Item, patrocinanti causam injustam datur facultas se componendi.*
8. *Testi ob falsum testimonium, accusatori ob falsam accusationem, vel ob omissam accusationem debitam.*
9. *Judicibus fiscalibus, & ecclesiasticis in causis temporalibus, ob administrationem justitiæ.*
10. *Scribis, Notariis, aliisque ministris justitiæ, ob accepta ultra taxam.*
11. *Lusoribus ob iniquè in dolo parta.*
12. *His, qui ob simulationem paupertatis, vel sanctitatis, aliquid acceperunt.*
13. *Venatoribus, & piscatoribus damna inferentibus.*
14. *Mulieribus inhonestis, causa turpitudinis aliqun recipientibus.*
15. *Falsificantibus mensuras, vel alia via proximos decipientibus.*
16. *Inventoribus bonorum, quorum dominus ignotus est.*
17. *Omnibus illicita acquirentibus permittitur compositio, domino non comparente, dummodo sub fiducia compositionis acquisita non sint.*

1. PRimò, inquit generaliter Pontifex, compositionem fieri posse de rebus furto, rapina, usura, & alio quovis modo illicito acquisitis, si creditor facta debita diligentia non comparet. Quæ autem debita diligentia censenda sit, arbitrio prudentis relinquitur, spectata debiti qualitate. Illud certum, illam diligentiam sufficientem, esse, quam homines timoratæ conscientiæ in simili negotio præstarent, uti docent Cordub. *lib.* 1. *qq. q.* 1. 2. Medin. 1. *q* 76. *art.* 2. *in fine.* Rodrig. *in præsenti*, *dub.* 8. *n.* 10. Villalob. *n.* 14.

2. Secundò, Ecclesiastici compositionem facere possunt de fructibus beneficiorum, aliisque Ecclesiasticis emolumentis malè perceptis; vel, quia non recitarunt Officium divinum, vel, quia beneficium habuerunt

habuerunt absque titulo ; vel, quia excommunicati, aut irregulares extiterunt : hac tamen conditione, ut ultra illos duos argenteos, quos in subsidium hujus expeditionis erogant, pro remissione duorum millium marapetinorum alios duos argenteos tribuant Ecclesiæ in qua est beneficium, pro quo fit compositio. Etenim cùm jure positivo ecclesiastico non recitantes Officium divinum impediantur ab acquisitione dominii fructuum beneficiorum, sicuti, qui nullo beneficii titulo legitimo gaudent, & in probabili sententia, qui irregulares, vel excommunicati existunt, debeántque ex ipsomet jure positivo restituere fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus omnes fructus sic acquisitos, meritò Pontifex, qui bonorum ecclesiasticorum dominus, seu dispensator est, hanc remissionem concedit sub prædicta conditione, ut ultra eleemosynam in subsidium alia similis fabricæ Ecclesiæ concedatur.

3. Hæc tamen compositio locum non habet in Canonicis non residentibus, quando ob eorum defectum aliis interessentibus fructus accrescunt : quia eo casu non est creditor incertus, sed certus, ut benè notavit Acosta *quæst.66.* Rodrig. *hic, dub.2. num.16.* Villalobos *tract.27 claus.13. num.2.* & *tract.29. n.20.* Similiter etiam huic compositioni locus non est fructibus amissis ab Episcopo, Parocho, alióve curam animarum habente, ob non residentiam. Nam esto, prædicti fructus creditori certò restitui non debeant, sed Ecclesiæ, vel pauperibus sint erogandi. Concil. Trident. *sess.25. c.1. de reformat. vers. Si quis autem* expressè prohibuit hanc fieri compositionem, ibi : *Prohibita quacunque conventione, vel compositione, quæ pro fructibus male perceptis appellatur*, & notavit Navarr *c.25. n.122.* Rodrig. *ad Cruciat. n.18.* Villalob. *num.20.*

4. Tertiò, promittit Pontifex compositionem in medietate legatorum, quæ facta fuerint in satisfactionem bonorum malè acquisitorum, si legatarii per annum negligentes steterint in prædictis legatis recuperandis. Cùm enim prædicta legata ex bonis iniquè partis, & aliàs debitis facta fuerint, & legatarii illorum dominium non acquisierint, imò in ejus acquisitione negligentes extiterint, Pontifex, tum in pœnam negligentiæ, tum in bonum Ecclesiæ, & fidei augmentum, esto, creditores sint certi, hanc compositionem permittit, non quidem de integro legato, sed de illius medietate. Quapropter legatario integra alia medietas est concedenda, debent tamen legata non excedere summam centum mille marapetinorum, aliàs Commissarius generalis consulendus est, & solùm ex ejus consensu compositio fieri potest. Atque ita tradunt Rodrig. *n.19.* Villalob. *n.21.*

5. Quartò, est locus compositioni in legatis : & idem est de fideicommissis, juxta leg. *A Tito. ff. de verbor. obligat.* leg. *illud. ff. ad leg. Aquil.* ante à factis, vel tempore publicationis faciendis, quorum legatarii, vel fideicommissarii facta debita diligentia ignorantur. Differt hic casus à præcedenti : quia in præcedenti, eò quòd noti erant legatarii, non permittebatur integra legati compositio, sed solùm de medietate. At in præsenti integra permittitur, eò quòd legatarii ignoti sint. Item, in præcedenti casu legata erant in satisfactionem bonorum malè acquisitorum, quod tamen in præsenti non requiritur, uti advertit Rodrig. *n.10.* Villal. *n.22.*

6. Quintò, Judicibus ordinariis, vel delegatis permittitur compositio in rebus susceptis ob iniquam sententiam, ob dilationem causæ, vel aliam similem injustitiam in patris præjudicium. Circa quam concessionem adverte, parti læsæ satisfactionem integrè esse præstandam, neque in hac satisfactione locum esse compositioni : quia est creditor certus, & injustè vexatus. Deinde, si Judex pecuniam acceperit ob iniquam sententiam, vel aliam similem injustitiam faciendam, neque tamen præstitit, non erit locus compositioni, sed necessariò reddenda est pecunia ei, qui dedit, utpote qui non absolutè, sed sub conditione prædictæ injustitiæ concesserit, qua conditione non posita dominium non amisisse videtur. At posita ea injustitia, esto, aliqui censeant nulla obligatione restituendi Judicem astringi, sed in foro conscientiæ prædicta sic turpiter acquisita retinere posse : quia tamen alii plures Doctores contrarium firmant, utpote conscientiæ securius, & utilius, Pontifex illorum remissionem, & compositionem concedit. Quòd si Judex non ob iniquam, sed potius ob justam sententiam ferendam aliquid accipiat, distinguendum est, si datum fuit ob redemptionem vexationis, & ob justum timorem, ne à parte contraria subornaretur, compositio fieri non potest, sed danti debet restitui, cùm illius dominium non amiserit : : at, si datum fuit liberaliter, ut eo munere motus danti favorem præstaret, locus est compositioni in sententia affirmante, obligationem esse Judicibus restituendi ea, quæ adversùs leges positivas, prohibentes munerum receptionem, accipiunt : at in sententia negante prædictam obligationem, quousque sententia condemnatoria accedat, cessat compositionis necessitas.

7. Sextò, Doctor, qui ob patrocinandam causam injustam, sciente eo, in cujus favorem patrocinatur, aliqua accepit, compositionem de acceptis obtinere potest. Nam esto, non sit apud Doctores certum, prædictum Advocatum obligationem habere restituendi sic accepta : est tamen plurium Doctorum : ideóque Pontifex compositionem concedit, ut omnem delinquens securitatem obtineat. Ob hanc tamen compositionem non excusatur delinquens à satisfactione omnium damnorum, quæ parti contrariæ ob injustum patrocinium facta fuerint, ut in prædicta Bulla exprimitur : & meritò, quia adest creditor certus, & injustè damnificatus, ut benè notarunt Rodrig. *in præsenti num.14* Villalob. *n.24.*

8. Septimò, in idem recidit testis, qui ob falsum testimonium ferendum, accusator, qui ob falsam accusationem, vel ob omittendam accusationem, ad quam erat obligatus, & generaliter omnes Notarii. Scribæ, aliíque ministri publici vel personæ privatæ, qui ob injustitiam faciendam, vel diligentiam præstandam, ut fieret, aliqua acceperunt, compositionem obtinere possunt de sic acceptis ; facta tamen parti læsæ integra satisfactione. Accepta enim ob turpem causam, casu, quo restituenda sint, pauperibus, vel piis operibus restitui debent ideóque Pontifex potest compositionem concedere, sicuti tradunt Rodrig. *n.25. & 29* Villalob. *n.25. 26. & 29.*

9. Octavò, Judices sæculares, & ecclesiastici in causis temporalibus, qui ob administrandam justitiam aliqua acceperunt, compositionem de sic acceptis possunt obtinere. Quod intelligendum est, quando, qui dedit, ignoratur, vel datum fuit in causa dubia ob finem subornationis : nam extra hos casus, ut benè advertit Villalob. *num.27.* non est locus compositioni, sed danti debet fieri restitutio, si notus est, casu, quo in redemptionem vexationis dederit ; si autem omninò liberaliter, cessat in probabili sententia restitutionis obligatio, quousque Judicis sententia accedat, & consequenter compositionis necessitas. Notanter Pontifex, & Commissarius expressérunt, cùm de Judicibus ecclesiasticis loquerentur compositionem facere posse de acceptis ob administrationem justitiæ in causis temporalibus, quales sunt punire ecclesiasticum ob aliquod delictum, illúmve ad solutionem debiti compellere, tacitè indicantes, accepta ob administrationem justitiæ in causis spiritualibus, quales sunt matrimoniales, beneficiales, & ad Sacramenta, ecclesiasticáque præcepta pertinentes, compositionem esse non posse : quia est simonia : &

ita Rodrig. *in præſenti n.*27. Villalob. *tract.* 29. *n.* 27. Cæterùm exiſtimo; etiam de acceptis ob adminiſtrationem juſtitiæ, & cauſis ſpiritualibus, compoſitionem eſſe poſſe: quia ſatis probabile eſt, non eſſe reſtituenda danti, utpote turpitudinem committenti, ob quam jure poſitivo ei repetitio denegatur, & dati jure, & dominio privatur, pauperibuſque applicatur, in quorum locum ſubrogatur à Pontifice hoc belli ſubſidium. Pontifex autem, & Commiſſarius expreſſerunt compoſitionem de acceptis ob adminiſtrationem juſtitiæ in cauſis temporalibus: quia ſic accepta reſtitui neceſſariò debent pauperibus, cùm dominus eſt ignotus, vel cauſam ſubornationis dedit. At accepta ob adminiſtrationem juſtitiæ in cauſis ſpiritualibus, exploratum non eſt, an, & cui ſint reſtituenda, ideóque Pontifex abſtinuit à prædicta compoſitionis expreſſione, opinionibus locum relinquens, vel certè id factum eſt, ut indicaret Pontifex compoſitionem in alia materia nunquam fore neceſſariam: quia nunquam præſumit, tam grave, atróxque delictum eſſe à Judicibus eccleſiaſticis committendum, ut ob adminiſtrationem juſtitiæ in cauſis ſpiritualibus pretium ſint recepturi.

10. Nonò, conceditur Scribis Notariis, aliiſque juſtitiæ miniſtris, ut compoſitionem obtinere poſſint de acceptis ultra taxam ſui laboris: quippe ea, quæ taxam excedunt rationem pretii obtinere non poſſunt. ac proinde abſque titulo accipiuntur: debent ergo reſtitui; reſtitutio autem facienda eſt danti, ſi fieri poteſt: quia fuit deceptus, & eo caſu non conceditur compoſitio. Si verò ipſi non poteſt fieri, pauperibus eſt facienda: & tunc eſt locus compoſitioni. Sic Rodrig. & Villalob. in præſenti uterque *n.* 18.

11. Decimò, compoſitio permittitur luſoribus in iis, quæ ludo acquiſierunt, quorum reſtitutio facienda ſit pauperibus. Hoc autem nunquam contingit, niſi quando ei, à quo fuerunt acquiſita, reſtitui non poſſunt. Sed, quando acquiſita ludo reſtitutioni obnoxia ſint, petendum eſt ex tract. de ludo, quem Deo dante, breviter in lucem edemus. Interim videri poteſt Navar. *in ſum. c.*19. Ludov. Lopez 2. *p. inſtructor. c.*33. *& ſeqq.* Joan. Medin. *de reſtit. q* 21. Sotus *lib.* 6. *de inſt. q* 5. Alcozer *de ludo per totum.*

12. Undecimò, compoſitionem facere poſſunt, qui ſimulantes ſanctitatem, vel paupertatem, aliquid datum ob hanc cauſam non motivam, ſed finalem acceperunt, nec valent dantibus reſtituere. Quippe tunc obligati ſunt pauperibus, vel aliis piis operibus reſtrictionem facere, cùm illius dominium non acquiſierint: datum enim ob cauſam, ceſſante cauſa, datum non eſſe cenſetur, de quo Rodrig. *n.*47. Villal. *n.* 31.

13. Duodecimò, qui occaſione venationis, piſcationis, vel alia via alienis ſatis, hærediratibus, animalibus damnum intulerint, cum obligatione reſtituendi, beneficio compoſitionis uti poſſunt, dummodo creditoribus, quibus damnum factum eſt, reſtitutio non poſſit fieri. Quando autem obligatio reſtitutionis ex venatione, ſeu piſcatione in alienis montibus, vel fluminibus, ex arborum inciſione contingae, *in tract. de reſtit.* examinandum eſt: interim videri poteſt Rodriq. *in præſenti caſu* 12. *à n.*53.

14. Decimotertiò, mulieres inhoneſtæ, quæ meretrices non ſint, compoſitionem facere poſſunt, ſi aliquid ob actum turpem acceperint: ſimiliter etiam homines ob prædictam cauſam à mulieribus non uxoratis aliquid accipientes. Tacitè in hujuſmodi conceſſione indicatur, accepta à meretricibus compontioni non ſubjici: & meritò: quia eſto turpiter accepta ſint, non turpiter retinentur: ex permiſſione enim reipublicæ fuerunt recepta. At accepta à mulieribus inhoneſtis, quarum turpitudo à republica punitur, plures Doctores firmant, reſtitutioni obnoxia eſſe, tametſi plures alii contrarium ſentiant: & ob hanc cauſam Pontifex compoſitionem permittit. Idémque eſt dicendum de hominibus, qui ob eandem turpem cauſam à mulieribus non uxoratis aliquid acceperint: permittitur enim illis compoſitio ob dubium, quod eſt, an ſint obligati ſic accepta reſtituere. Neque huic compoſitioni obſtat, quod notus ſit is, à quo ſic accepta ſunt: quia ratione turpitudinis commiſſæ dominium illorum perdidit, & pauperes, jure ſic diſponente, ſuccedunt. Notanter Pontifex, & Commiſſarius expreſſerunt mulieres non uxoratas: nam uxoratæ, utpote nullam bonorum ſuorum adminiſtrationem habentes, niſi ex conſenſu, & voluntate mariti nihil donare poſſunt, ac proinde quidquid ab illis fuerit acceptum, maritis reſtitui debet, neque compoſitionis eſt locus.

15. Decimoquartò, acquiſita adulterinis mixtionibus, falſiſve ponderibus, aliáque ſimili deceptione, componi poſſunt, dummodo deceptis fieri non poſſit reſtitutio: quia pauperibus debentur, de quo Rodrig. *caſu* 14 *num* 68. Adverte, in prædicta deceptione plerunque creditorem notum eſſe, ſaltem in genere, tametſi in particulari notus non ſit. Notum enim eſt hominibus illius reipublicæ, damnum eſſe factum: qui autem ſint ignoratur: ergo reſtitutio reipublicæ facienda eſt, ut hac via damnificati, quoad fieri poſſit, ſatisfactionem accipiant, & conſequenter non eſt locus compoſitioni, ſicuti ſi ſcires, uni ex duobus rem à te poſſeſſam deberi, non poſſes compoſitione uti, ſed inter illos obligatus es dividere. Ergo ſic eſt dicendum in præſenti: Atque ita tradit Villalob. *tract.* 29. *n.*37. & conſtat ex his, quæ diximus *tract.* 1. *de conſ. diſp.* 3. *p* 3.

16. Decimoquintò, permittitur compoſitio bonorum inventorum, quorum dominus facta debita diligentia non comparet. Nam eſto, plurium Doctorum ſententia firmet, inventorem ea bona retinere poſſe; alii oppoſitum cenſent: quam opinionem, utpote ſecuriorem, Pontifex amplectens compoſitionem concedit.

17. Tandem inquit Pontifex: *Beneficio compoſitionis uti poſſunt quicunque rem alienam, quacunque forma, & modo, etiam illicito, acquiſitam retinent, creditore non comparente, dummodo non acquiſierint ſub ſpe, & fiducia hujus compoſitionis.* Quæ quidem generalis clauſula ſupradicta ſpecialia, & alia, quæ referri poſſunt, comprehendit. Cenſebuntur autem ſub fiducia hujus compoſitionis acquirere, ſi ejus occaſione moveantur ad ſic acquirendum, credentes beneficio compoſitionis retinere ſic acquiſita poſſe, ſaltem ex parte. Secùs eſſet, ſi futura compoſitio ſperata cauſa, non fuerit iniquæ acquiſitionis, tametſi iniquam acquiſitionem comitetur, ut bene advertit Rodrig. *in præſenti. n.*75. Villalobos *num.*37.

TRACTATUS XXVI.

ET

DISPUTATIO UNICA,

DE SACRAMENTO EXTREMÆ-UNCTIONIS.

Aprime hujus Sacramenti explicatio, Pœnitentiæ Sacramenti, & Indulgentiarum explicationi annectitur : quia Pœnitentia ad delenda peccata : extrema-Unctio ad reliquias quæ ex ipsis remanere solent, instituta est. Ideóque Concilium Trid. *sess.*14. *cap.*1. hoc Sacramentum appellavit, *Pœnitentiæ consummativum* : quia consummat, & perficit Pœnitentiam, delens peccatorum reliquias ; & Christianæ vitæ, quæ perpetua Pœnitentia esse debet, finem imponit.

PUNCTUM I.

De nomine, institutione, & natura extremæ-Unctionis.

1. *Nomen, & institutio extremæ-Unctionis.*
2. *Quid Hæretici objiciant.*
3. *Solvuntur Hæreticorum objectiones.*
4. *Non fuit hoc Sacramentum institutum, cùm Christus Apostolos misit ad prædicationem, sanandósque infirmos : sed ibi tantùm fuit adumbratum.*
5. *Quo tempore fuerit institutum.*
6. *Convenientia institutionis.*

1. EXTREMA-Unctio appellatur : quia omnium unctionum, & Sacramentorum, quæ fidelibus conferuntur, extrema est : & quia in extremo vitæ constitutis confertur. Est unum ex præceptis novi Testamenti Sacramentis à Christo Salvatore nostro institutum, uti definit adversùs Hæreticos Concil. Florent. *in decreto unionis*, & Trid. *sess.*7. *can.*1. & *sess.*14. *c.*1. ex illo Jacobi Apostoli *cap.*5. ubi inquit Apostolus : *Infirmatur quis in vobis inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis est, dimittentur ei* Quibus verbis, ut notavit Conc. Trid. *d. sess.*14. *c.*1. quidquid ad Sacramentum requiritur, expressum est. Sacramentum enim est signum practicum gratiæ sanctificantis. At ibi exprimitur signum exterius, scilicet, unctio, & oratio Presbyteri, tanquàm signum gratiæ sanctificantis : quippe utentibus ea cæremonia promittit Jacobus peccatorum remissionem : ergo. Cùm autem sua propria authoritate eam remissionem promittere non posset, quia nemini à Christo gratiæ authori data est potestas annectendi signis externis gratiam, peccatorúmque remissionem : efficitur sanè hoc Sacramentum à Christo esse institutum. Et præterea, quia Apostolus præcepit fideles ungi in nomine Domini, id est, unctione à Domino Jesu instituta, argum. *Actorum* 10. & 19. ubi refertur fideles baptizari in nomine Jesu, id est, Baptismo à Domino Jesu instituto : & ita ex communi Ecclesiæ traditione, cujus nullum extat initium, tradidit Innocent.I. *epist. ad Decentium Eugubinum Episcop. cap.*8. ejúsque verba referuntur, & approbantur in Conc. Vvormacienſi, sub Adriano II. & Ludovico Imperatore II. *can.*72. & in Concil. Cabilonensi sub Carolo Magno *can.*48. & in Aquisgranensi sub Gregor. IV. & Ludovico Pio Imperatore *can.*8. & Moguntino sub Leone Papa IV. *c.*26. & ab Innocent.III. *in c. unico, de sacra Unctione.* Idem testatur August. *serm.*215. *de tempor. circa med.* & author. *lib.*2. *de visitat. infirm c.*4. & *lib. de rectitudine catholicæ conversar.* qui Augustino tribuitur Chrisostom. *lib.*3. *de Sacerdotio, c.*6. Petr. Damian. *serm.*1. *in dedicat. Eccles.* Beda & Theophylact. *in cap.*6. *Marci*, & alii passim. Ex quibus constat, insolentissimæ insaniæ esse, ut dixit August. *epist.*118. hanc veritatem in dubium vocare.

2. Sed quia Hæretici quælibet firma evertere moliuntur, & lucidissimam quamque veritatem tenebris sui erroris offuscare procurant, hoc clarissimum Jacobi testimonium usu, & praxi totius Ecclesiæ ; & Patrum consensu firmatum rejiciunt primò : quia non est Scripturæ sacræ, Secundò, quia soli orationi concedit Jacobus peccatorum remissionem, non unctioni : neque hanc remissionem concedit ex opere operato : sed per modum impetrationis, & non semper, & infallibiliter : sed aliquando, quando in peccatis infirmus extiterit : inquit enim Jacobus : *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* supponens, nullam conferri gratiam, nullàque remitti peccata, si infirmus illis gravatus non sit. Tertiò, quia ad remittenda peccata est Pœnitentiæ Sacramentum institutum. Non igitur aliud expediebat instituí, aliàs Pœnitentiæ Sacramentum necessarium non esset. Quartò, unctio signata à Jacobo ejusdem est rationis cum ea, qua Apostoli usi sunt Marci *cap.*6. quæ non ad remittenda peccata, sed ad concedendam miraculosam corporibus sanitatem assumebatur, cujus effectus cùm jam cessaverit, & hæc sacra Unctio cessare debet.

3. Sed hæc frivola ſunt, & inania. Primò, ſatisfaciunt optimè Bellarmin. *lib.1. de hoc Sacramento, c.3.* & Greg. de Calen. *diſp.1. q.1. p.7.* aliique plures, qui in Epiſtolam Jacobi commentaria ediderunt, probántque, eam Epiſtolam catholicam eſſe, & ut talem ab eccleſia receptam. Ad ſecundum nego, ſoli orationi conceſſum alleviare infirmum, & peccata remittere; ſed unctioni ſub ea oratione facta idem tribuendum: ſpecialiter autem orationis fit mentio: quia eſt forma hujus Sacramenti, & principalior cauſa prædicti effectus. Effectum autem remittendi peccata admittimus non eſſe hujus Sacramenti primum, & per ſe; ſed per accidens, quando alia via obtineri non poteſt. Effectus autem primarius, ut ex Trid. *ſeſſ.14. cap.2.* conſtat, & *infrà* dicemus; eſt gratia habitualis quatenus ſecum trahit gratias prævenientes, & excitantes, quibus infirmus divinæ miſericordiæ fiduciam concipit, & morbi incommoda, ac labores patienter ſuſtinet, & tentationibus Dæmonis fortiter reſiſtit: & ex his tertium fundamentum ſolutum eſt. Ad quartum nego, eandem eſſe unctionem, cujus Jacobus fecit mentionem, ac fuit illa, qua Apoſtoli uſi fuerunt Marci *c.6.* & Matth. *c.10.* Etenim illa unctio, qua Apoſtoli miſſi à Chriſto ad prædicandum Evangelium uſi fuerunt, non fuit ritus permanens, neque ad ſanandas animas inſtituta: ſed aſſumpta illo tempore ad miraculoſas corporum curationes. Item, non fuit collata à Sacerdotibus: quia apoſtolico tempore ſacerdotio non erant inſigniti, neque fuit fidelibus: ſed potius infidelibus applicata, quæ in hac unctione ab Jacobo promulgata aliter procedunt. Non enim hæc unctio inſtituta eſt, ut remedium certum, & infallibile ad curandas infirmitates corporis: quia neque id erat expediens, neque ut via illius moreretur: ſed potius eſt inſtituta ad animarum medelam, ut ex ipſa forma, ſub qua miniſtratur colligi poteſt: ad ſanandas verò infirmitates corporis juſtituta eſt, non abſolutè; ſed, ſi id expedire viſum fuerit. Deinde miniſtratur à Sacerdotibus, ut manifeſtè probant illa verba: *Inducat Presbyteros*; ac tandem non infidelibus confertur, ut indicavit Jacobus, cùm dixit: *Infirmatur quis in vobis.* id eſt, inter vos, qui fideles eſtis.

4. Hinc conſtat, hoc Sacramentum non eſſe inſtitutum eo tempore, quo Chriſtus Apoſtolos miſit in prædicationem Evangelii: & virtutem curandi infirmos per unctionem conceſſit: quod ſatis Trident. ſignificavit dicens, ibi fuiſſe inſinuatum. Cùm ergo non dixerit, inſtitutum, manifeſtè convincitur, ibi inſtitutum non eſſe: ſed ſolùm adumbratum in quadam ſimilitudine, & figura, ut benè docent Valent. *t.4. diſp.8. q.1. p.1. verſ. Marci.* Suar. *diſp.39. ſect.1. n.4* Coninch. *diſp.19. dub.1. à n.3.* Laym. *l.5. ſum. tract.8. c.1. ſub n.1.* Bonac. *diſp.7. de Sacram. Vnctionis, q.unica punct.1. propoſit.3.* Sayro *lib.2 de Sacr. cap.2. q.3. n.5.*

5. Sed, quo tempore hoc ſacramentum fuerit inſtitutum à Chriſto Domino, incertum eſt. Verius exiſtimo cum Suar. *diſp.39. ſect.2. circa finem, n.5.* Laym. *dicto lib 5. ſum. tract.8. c.1. n.2.* Chriſtum inſtituiſſe poſt ſuam reſurrectionem, eo tempore, quo ſacramentum Pœnitentiæ perfectè inſtituit Joan.20. Etenim hoc extremæ-Unctionis Sacramentum conſummativum eſt Pœnitentiæ, ut inquit Concilium: expediebat ergo Pœnitentiæ inſtitutionem non præcedere, ſed potiùs ſubſequi.

6. Convenientiam hujus inſtitutionis ſatis expreſſit Concilium *in proœmio dictæ ſeſſ.14.* dicens, clementiſſimum Redemptorem noſtrum quovis tempore ſervis ſuis voluiſſe de ſalutaribus remediis eſſe proſpectum, ideóque pro totius vitæ curſu omnia Sacramenta: pro fine vitæ hoc ſacramentum tanquam firmiſſimum quoddam præſidium, præparavit, quo muniti in ſpem divinæ miſericodiæ erigantur, & tela nequiſſimi hoſtis acriùs tunc pugnantis evertant.

Punctum II.

Quæ ſit materia remota hujus ſacramenti.

1. *Oleum olivarum eſt materia remota.*
2. *debet eſſe ab Epiſcopo benedictum.*
3. *Aliqui cenſent, ſufficere à ſimplici Sacerdote benedictum eſſe: ſed verius eſt, requiri eſſe benedictum ab Epiſcopo.*
4. *Benedictio præſcripta ab Eccleſia non eſt de neceſſitate Sacramenti, ſed præcepti.*
5. *Sacro Chriſmate hoc Sacramentum confici poſſe, aliqui exiſtimant. Verius eſt oppoſitum.*
6. *Inde non infertur, oleum balſamo mixtum non poſſe eſſe hujus Sacramenti materiam.*
7. *Satis probabile eſt, olim oleum balſamo mixtum fuiſſe.*
8. *Probabilius eſt nunquam habuiſſe mixtionem.*
9. *Satisfit oppoſitis rationibus.*
10. *Quæ ſit ratio, ob quam oleum confirmandorum, & baptizandorum ſit mixtum balſamo: ſecus infirmorum.*
11. *Duo certa inferuntur ex ſupradicta doctrina.*
12. *Qualiter pecces ungens infirmum oleo non eo anno, ſed præterito, benedicto.*

1. MAteria remota hujus ſacramenti eſt oleum olivarum quia ſolùm ipſum dicitur ſimpliciter oleum, reliqua impropriè dicuntur, ac proinde à materia hujus ſacramenti excluſa ſunt. Aptiſſimè Chriſtus Dominus hanc aſſumpſit materiam, ad ſignificandos hujus Sacramenti effectus. Cùm enim hoc ſacramentum ſpem divinæ miſericordiæ excitet, & infirmum ſublevet, & roboret, tum ad patienter ſuſtinendum infirmitatem, tum ad ſuperandas nequiſſimi inſidias, & aliquando corporis ſanitatem, concedat aptiſſimè hæc omnia oleo olivarum ſignificantur, quod infirmum conſolidat, ſanitatem reſtituit, & divinam miſericordiam promittit, juxta illud Geneſ.8. *Venit ad eum portans ramum olivæ foliis virentibus.* Ex alia parte eſt materia, quæ ubique præ manibus habetur, quod expediebat Sacramento fidelibus neceſſario.

2. Inſuper debet eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum. Nam; licèt Jacobus *dicto c.5.* hujus benedictionis mentionem non fecerit, ex communi Eccleſiæ traditione à Concilio Florent. *in decreto Eugenii, de litteris unionis* & à Trident. *ſeſſ.14. c.1.* declarata & approbata, neceſſariò requiritur, uti comprobat D. Th. *in 4. diſt.22 q.1. art.2. qq.2.* Bonav. *art.1. q.2.* Palud. *q.1. art.2.* Valent. *diſp.8. q.1. part.2. in princ.* Suar. *diſp.40. ſect.1. n.3.* Ægid. de Coninch. *diſp.19. dub.2. concl 2.* Bonac. *de Sacram. extremæ Vnctionis, diſp.7. q.unic. part.2. n.3.* Laym. *l.5. ſum. tract.8. c.2. n.2.* & alii. Unde audiendus non eſt Victoria *in ſum. de Sacr. q.217.* cui ſub dubio favet Cajet. *3. p. q.72. art.3.* aſſerens ſolùm ex præcepto benedictionem requiri, non ex Sacramenti neceſſitate. Ratio concluſionis, ſola eſt voluntas Chriſti ſic ſacramentum inſtituentis. Congruentia ea eſt: quia decebat, materiam permanentem, quæ ad effectus ſupernaturales elevanda erat, priùs à profano, & communi uſu ſecerni, niſi fortè ipſamet elevatione ſecernatur, ſicuti in Euchariſtia contingit.

3. Notanter dixi *benedictum ab Epiſcopo.* Nam, eſto, graves Doctores, Cajet.2.2. *q.72. art.3.* Vict. *de extrema Vnct. n.216.* Henriq. *l.3. c.8. n.2.* Zambr. *de extrema-Vnct. cap.5. n.3.* non improbabiliter cenſeant, ex commiſſione Pontificis oleum à ſimplici Sacerdote benedictum ſufficere. At verius, & ſecurius eſt

neceſſa

necessariò ab Episcopo esse benedicendum : quia Florent. & Trid Concilia æquè dicunt, materiam hujus sacramenti esse oleum, ac esse ab Episcopo benedictum. At ex commissione Pontificis oleum mutari non potest : ergo neque mutari potest episcopalis benedictio, sicuti, aliis relatis, tradunt Barbos. *alleg.* 30. *n.* 6. & *alleg. n.* 14. Val. *disp.* 8. *q.* 1. *p.* 2. *in princ.* Suar. *d.* 40. *sect.* 1. *n.* 8. Con. *disp.* 19. *dub.* 2. *concl.* 2. Bellar. *de extrema-unct. c.* 7. Laym. *l.* 4. *sum. tract.* 8. *c.* 2. *n.* 1. Bonac. *disp.* 7. *q. unic. n.* 2. Illud verò est omninò certum, secluſa Pontificis commissione, oleum à simplici Sacerdote benedictum, materiam insufficientem esse, ut benè notavit Coninch. *d. disp.* 19. *dub.* 2. *num.* 6.

4. Præscripta ab Ecclesia benedictio, qua oleum infirmorum consecratur, non est de necessitate sacramenti, sed præcepti : quia Cocinlia solùm expressérunt benedictionem episcopalem, ut necessariam : modum autem benedicendi Ecclesiæ determinationi reliquerunt. Quocirca, si Episcopus oleum alia distincta benedictione consecraret, quàm ab Ecclesia præscripta, posset (esto illicitè) ex illo extremæ-Vnctionis sacramentum confici, sicuti optimè notavit Suar. *disp.* 40. *sect.* 1. *n.* 1. Bonac. *disp.* 7. *quæst. unic. punct.* 1. *n.* 4.

5. Hinc inferet fortè aliquis, sacri Chrismatis unctione confici posse hoc Sacramentum : quia verè est oleum ab Episcopo benedictum, tametsi diversa benedictione : & quamvis balsamo mixtum sit, balsami mixtura in levissima est quantitate, quæ oleo impedire non potest esse materiam. Atque ita colligitur ex Suar. *disp.* 40. *sect.* 1. *à n.* 10. *usque in finem.* Henriq. *lib.* 3. *c.* 8. *n.* 2. Sed admittenda non est illatio : nam esto; benedictio olei infirmorum non fuerit à Christo, quoad formam, specialiter præscripta; credendum est, quoad intentionem præscriptam esse. Benedictione enim deputatur materia ad Sacramenti usum : at benedictione Chrismatis non deputatur Chrisma pro sacramento extremæ Unctionis, sed sacramento Confirmationis : igitur censendum non est, ex illa benedictione esse oleum infirmorum benedictum. Atque ita sentire videntur Valent. *tom.* 4. *disp.* 8. *part.* 2. *ante medium*, Bellarminus *de extrema-Vnctione*, *c.* 7. Bonac. *disp.* 7. *q. unic. part.* 2. *n.* 5. Barbos. *de potest. Episcop. alleg.* 31. *num.* 16.

6. Sed hinc inferre non licet, oleum balsami mixturam habens non fore materiam : ex mixtione enim balsami, vel alterius liquoris, impediri oleum benedictum è materia non potest, si mixtio in levi sit quantitate, ita ut ab oleo longè superetur, & communi æstimatione, & usu oleum esse censeatur, sicuti in pane, vino, & aqua aliisque sacramentorum materiis cernere licet. Ita Henriq. *l.* 3. *c.* 8. *n.* 2. Navarr. *c.* 22. *n.* 13. Bonac. *disp.* 7. *q. unic. part.* 2. *n.* 7.

7. Quinimò satis probabile est, olim oleum ex balsamo mixtum ad unctionem infirmorum deservisse, æqueque pro Sacramento Confirmationis, & extremæ-unctionis ab Ecclesia benedici, uti comprobat Suar. *d. disp.* 40. *sect.* 1. *circa fin.* Henr. *l.* 3. *cap.* 8. *n.* 2. Primò, ex Innocent. I. *epist. ad Decentium*, relato in conc. Vvormacienſi, *can.* 72. & *in decretis*, 95. *dist. can. Illud superfluum* ibi : *Cæterùm, si Episcopus, aut potest, aut dignum ducit, aliquem à se visitandum, & benedicere, & tangere Chrismate, sine cunctatione potest, cujus est i sum Chrisma conficere.* Et quòd loquatur de proprio Chrismate, indicat verbum, *conficere*, quod non solùm benedictionem simplicem significat, sed mixtionem. Secundò, ex Concilio Aquisgranensi, *can.* 8. juncta epistola Fabiani II. ubi cavetur, Chrisma singulis annis conficiendum esse ab Episcopo feria 5. & per omnes civitates, seu diœceses distribuendum, in quo salvatio infirmorum creditur. Tertiò, ex Cypriano *epist.* 70. Dionys. *c.* 3. *de eccl. Hierarch.* appellantibus Chrisma oleum sanctificatum, eóque baptizatos ungi, neque ullam distinctionem statuentibus inter oleum simplex, & ex balsamo confectum, quin potius semper ex balsamo confectum esse satis indicavit Greg. I. *lib.* 3. *ind tione* 12. *epist.* 9. *ad Januarium*, asserens eodem Chrismate ungi baptizatos à Presbytero in pectore, & postmodum ab Episcopo in fronte.

8. Tametsi hoc satis probabile sit, credo probabilius cum Soto *in* 4 *dist.* 23. *q.* 1. *art.* 3. *ad.* 1. Valent. *disp.* 8. *q.* 1. *p.* 2. *ante medium*, Zambrano *de extrema-unctione*, *c.* 5. *dub.* 4. quos refert, & sequitur Laym. *lib.* 5. *sum. tr.* 8. *c.* 2. *n.* 3. oleum infirmorum semper fuisse simplex, & distinctum à Chrismate Sacramento Confirmationis destinato. Colligitur ex cap. un. *de sacra Unctione*, & cap. 1. *de custodia Eucharistiæ*, & ex diverso modo loquendi Conciliorum Florentini, & Trident. nam pro Sacramento Confirmationis oleum mixtum balsamo expostulant : at pro Sacramento Unctionis oleum tantum. Signum ergo est, nunquam utrique Sacramento idem oleum deservisse. Præterea, ut constat ex Durando *in Rationali divinorum Officiorum*, *lib.* 6. *cap.* 74 Ecclesia ab antiquo tempore solita est oleum sub triplici diversitate consecrare. Primum, & præcipuum est oleum olivarum mixtum balsamo, quódque appellatur Chrisma, quo baptizati unguntur in verice, confirmandi in fronte, Episcopus, dum consecratur, in capite, & in manibus : ac denique quo Ecclesia altaria, calix, patena, fons baptismalis consecrantur. Secundum est oleum catechumenorum, quo baptizandi unguntur inter scapulas, & in pectore, ut undique muniti sint adversùs Diaboli insidias; eóque unguntur Ecclesia, & altare ante chrismationem, Reges & Principes, juxta textum in c. 1. §. *Vnde de sacra Unctione*. Tertium est oleum infirmorum, nullo alio liquore mixtum, quod solùm pro Sacramento Unctionis ministrando deservit. De hoc triplici oleo meminit Concilium Meldense, prout refert Buchard. *lib.* 4. *c.* 75. & Ino 1. *p. c.* 269.

9. Neque ratione in contrarium urgent. Ad primam ex Innocentio respondeo cum Glossa *in dicto cap. Illud superfluum* nomine Chrismatis quodlibet oleum designari, ut manifestè colligitur ex dicto c. 1. *de custodia Eucharistiæ* : & ex Rituali Romano. Neque ex verbo, *confectum*, colligi contrarium potest : solùm enim denotat, perfectum esse : quia est consecratione præparatum. Secunda probat, oleum infirmorum etiam esse singulis annis consecrandum, & per omnes civitates, sive diœceses distribuendum, prout semper est Ecclesiæ consuetudo. Ad tertiam rationem propositam nego, nullam agnovisse illos Patres distinctionem inter oleum infirmorum, & baptizatorum, tametsi inter oleum, quo unguntur baptizati, & confirmandi nullam agnoverit Gregor.

10. Quòd si inquiras, quare oleum baptizatorum, & confirmatorum mixtum est balsamo, non verò oleum infirmorum? Respondet optimè Altisiodorensis *lib.* 4. *sum. tract.* 7. & ex illo Suar. *disp.* 40. *sect.* 1. *circa finem*, Laym. *lib.* 5. *sum. tract.* 8. *cap.* 2. *n.* 2. Ut ex odore balsami admoneantur baptizatus, & confirmatus de obligatione, quam habent, rectis operibus, & exemplis bonum de se odorem præbere : at, quia mox morituri sola pace, & tranquillitate conscientiæ, & Spiritus Sancti gratia indigent, ideò oleum nullam balsami mixtionem habet.

11. Ex his sic deductis duo certa inferre potes. Primum, nullo modo licitum esse, deficiente oleo infirmorum, oleo catechumenorum, vel confirmatorum uti : tum, quia est adversùs Ecclesiæ consuetudinem : tum, quia est satis probabile, ex eis non posse sacramentum Unctionis perfici, utpote quæ in ordine ad hoc sacramentum consecrata non sunt. Atque ita tradit Laym. *lib.* 5. *sum tract.* 8. *c.* 2. *n.* 3. Secundum est, si

per errorem Chrismate infirmum unxeris, te posse dissimulare: tum, quia est satis probabile, infirmos eo antiquitus ungi, verúmque sacramentum confici: tum, quia hoc sacramentum non est præcisæ necessitatis: tum, quia rarò scandalum vitari potest. Verùm, si hæc ratio scandali cesset, ut facilè monendo circunstantes de errore commisso fieri potest, verius est, te oblitum esse sacramentum Unctionis repetere, adhibito oleo simplici, ab Ecclesia designato: quia probabilius est.

12. Superest dicendum, an pecces, si ungas infirmum oleo benedicto non eo anno præsenti, sed præterito? Et quidem, si urgeat necessitas, neque ad manum habeas oleum benedictum eo anno, omnes conveniunt, tibi licitum esse oleo antiquo uti: at extra necessitatem communior sententia docet, te peccatum committere. Quia singulis annis ex consuetudine Ecclesiæ, & præscripto Clement. VIII. chrisma, oleúmque infirmorum, & catechumenorum consecratur, & per singulas Ecclesias distribuitur, juxta textum in cap. *Litteris, de consecrat. dist.3.* ut veteri combusto, uti novo possis. Atque ita docent Bonac. *disp.7. q.unic. part.2. num.6.* Possevin *de officio Curati, c.9. n.2.* Zambrana *de Extrema-Vnctione, cap.5. dub.4. n.5.* Non tamen explicant ii Doctores, an hoc peccatum mortale sit. Et quidem cùm materia gravis sit, si præceptum adsit, culpam gravem constituere debet. Ex quo infertur, debere Parochum, cùm primùm commodè possit; oleum eo anno benedictum ad se deferre, ne ob necessitatem cogatur antiquo uti. Cæterùm Henriquez *lib.3. c.p.8. n.2.* & Emmanuel Sà *Extrema-Vnctio num.6* censent adhiberi posse oleum non eodem anno benedictum, deficiente benedicto ejusdem anni: quia præceptum solum est de chrismate comburendo, cap. *Si quis de alio, de consecrat. dist.4.* non de oleo catechumenorum, vel infirmorum.

Punctum III.

Quæ sit proxima hujus Sacramenti materia.

1. *Materia proxima est unctio.*
2. *Sub forma Crucis debet fieri, sed non ex necessitate.*
3. *Quibus in partibus facienda sit unctio.*
4. *An sit de necessitate Sacramenti unctio quinque sensuum.*
5. *Qua possit casu hoc sacramentum ministrari sub unius sensus unctione, ex pradicta sententia.*
6. *Omnes unctiones quinque sensuum sunt de necessitate hujus Sacramenti, juxta communem, verámque sententiam.*
7. *Numquam est ministrandum hoc sacramentum sub unius sensus unctione.*
8. *Satisfit oppositis rationibus.*
9. *Non est opus ad essentiam sacramenti, utrumque oculum, vel aurem ungi.*
10. *Infirmus manibus, vel oculis carens, ungendus est in parte proxima.*
11. *Ordo in his unctionibus ab Ecclesia præscriptus, non est de essentia hujus Sacramenti.*

1. Cum hoc sacramentum non in aliqua re permanenti; sed in usu illius constat, sicuti Baptismus, Confirmatio, aliáque sacramenta, præter Eucharistiam, efficitur sanè, materiam proximam hujus sacramenti unctionem esse: quod satis indicavit Jacob.5. dicens: *Ungentes eum oleo sancto*, & Tridentinum *sess.14. cap.1.* subdens causàm, quare oleum sit materia hujus sacramenti: quia, videlicet, unctio aptissimè Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima inungitur, repræsentat. Si igitur per unctionem olei, gratia Spiritus sancti repræsentatur, ut in signo practico, unctio materia est proxima hujus Sacramenti & oleum remota.

2. Hæc unctio sub forma Crucis debet fieri: quia omnia sacramenta sub hac forma peraguntur, ut tradidit August. *tract.118. in Joann.* & colligitur ex cap. *Nunquid de consecrat. distinct.1.* & *ibi* Glossa *verbo. Nisi Cruce.* Sed non ex necessitate sacramenti, cùm neque ex Scriptura, neque ex Conciliis, neque ex traditione ea necessitas colligatur. Nam Jacobus solùm dixit: *Ungentes eum oleo.* Concilium item Florent. & Trident. accurate materias, & formas sacramentorum exprimentia, Crucis formationem in hoc Sacramento non expressérunt, sicuti sacramento Confirmationis factum est: Et meritò, quia ibi armatur miles signo Crucis ad eam confitendam, & defendendam. Quinimò existimo, seclúso contemptu, non esse gravem culpam, illius Crucis omissionem: quia ungere sub forma Crucis, esto, piissimum sit, & consuetudine Ecclesiæ firmatum, non videtur gravis materia, neque sub gravi obligatione receptum, uti dixit Suar. *disp 40. sect.2. n.3.* Filliuc. *tract. cap.4. quæst 8. n.5.* Zambran. *de extrema-Vnctione c.5. n.12.* Coninch. *disp.19. dub.2. in fine.* Layman. *lib.5. sum. tract.8. c.3. in fine.* Bonac. *disp.7. quæst. unic. part.2. in fine.* Quinimò, si periculum mortis instar, & commodius absque Crucis formatione peragi sacramentum possit, nullum erit peccatum, Crucis formationem omittere, ut testantur Suarez, Coninch. Layman. *loc. allegat.*

3. Porrò fieri debet hæc unctio ex Florent. Concilio in septem corporis partibus, videlicet, in auribus, & naribus, in ore, in manibus, in pedibus, & renibus. Non tamen in iis omnibus ex necessitate Sacramenti, imò, neque universalis præcepti: nam unctio in renibus ferè ubique omittitur, & ita expedit maximè in fœminis ob honestatem, & decentiam, sicuti monet Tolet. *lib.7. cap.5.* Valent. *tom.4. disp.8. quæst.1. part.2.* Suarez *disp.30. sect.2. n.6.* Zambran *c.5. princ. n.4.* Bellarm. *lib. de extrema-Vnctione. c.10.* Emmanuel Sà *verbo. Extrema-Vnctio n.12.* Henriq. *lib.3. c.12. n.2.* Coninch. *disp.19. dub.3. n.8.* Laym. *lib.5. sum tract.8. cap.3. n.5.* Bonac. *disp.7. quæst.unic. part.5. n.18.* Unctio verò pedum non ita universaliter omittitur, ideóque in ea adhibenda, vel omittenda, servanda est cujusque Ecclesiæ consuetudo, uti docuerunt Suar. Sà, Con. Laym. Bonac. & alii *suprà.* Neque his obest Florentinum exprimens septem illas unctiones, quia non expressit illas ut necessarias; sed ut usitatas ab aliquibus Ecclesiis. Quocirca unctiones tantùm quinque sensuum sunt ab universali Ecclesia præcepto: & meritò, quia organum, receptaculúmque peccati necessariò est aliquis sensus: nihil enim ad intellectum, & voluntatem devenire potest, nisi priùs fuerit in sensu. Ergo adhibito sensibus remedio omnia curata censentur.

4. An autem sint de necessitate Sacramenti, difficultate non caret. Nam aliqui, quos tacito nomine refert Suar. *disp. 40. sect.2. n.8.* Bellarminus *de Extrema-Vnctione, c.10.* existimant, nullius determinati sensus unctionem esse necessariam; sed sufficere, si in qualibet parte corporis unctio fiat: quia ex Jacobi loco, & ex Trid. non colligitur, aliquem determinatum sensum ungi debere, sed solùm hominem ungendum esse. Florentin. verò etsi expresserit unctionem quinque sensuum, non videtur, tanquam necessarium necessitate Sacramenti, expressisse, cùm etiam unctionem pedum, & renum expresserit, quæ necessaria non est. Alii verò, esto, admittant unctionem alicujus sensus necessariam esse, quippe fieri non potest unctio, quin in aliquo sensu saltem tactus fiat: at omnium sensuum affirmant necessariam non esse, sed, posita unica unctione, Sacramentum, saltem partiale, essentialiter perfici, & ad ejus perfectionem, & integritatem reliquas subsequentes pertinere, sicuti

in

in Sacramento Ordinis, & Euchariſtiæ cernere licet, in quorum qualibet parte eſſentia Sacramenti ſita eſt, atque ad unam completam, & perfectam ſignificationem omnes partes Euchariſtiæ, & Ordines aſſumpti referuntur, non plura, ſed unum Sacramentum perfectum complent. Sic indicarunt Scotus *in* 4. *diſt.* 23. *quæſt. unica*, *ad* 2. Adrian. *in materia de confeſſ. qu.* 4. §. *Sed dubium* Joannes Medin. *Cod. de confeſſ. qu.* 11. §. *Secundò*, *idem* Favet D. Thomas *in ſupplement. qu.* 29. *art.* 2. quatenus cum unitate Euchariſtiæ hoc Sacramentum comparat. Expreſsè eam firmarunt Doctores Lovanienſes, cum ſuo Archiepiſcopo; teſte Suarez *diſp.* 41. *ſect.* 3. *in fine.* Chapeavilla *c.* 5. *qu.* 30. Ægidius de Coninch. *diſp.* 19. *dub.* 3. Et probabilem reputant Suarez, Laym. Coninch. *locis referendis*, & verè probabilis eſt. Ratio à priori ex inſtitutione Chriſti deſumenda eſt: Chriſtum autem ſic Sacramentum extremæ Unctionis inſtituiſſe, ut cuilibet unctioni ſuus effectus gratiæ correſpondeat. Unde colligere poſſumus, quia ſic aptius hominibus animam agentibus eſſet proviſum, cùm aliqui ante finitam ultimam unctionem ſoleant decedere. Præterquàm quòd quælibet unctio ſub ſua forma diverſum eſt ſignum ſenſibile gratiæ ſanctificantis, & cùm ſit ſignum practicum, operari debet effectum in eo inſtanti, ac perficitur: cui operationi non obeſt, quòd ſub forma deprecativa unctio peragatur. Nam, eſto, ad veritatem orationis deprecativæ ſatis ſit, quòd illius effectus ſuo tempore concedatur: at ad veritatem orationis deprecativæ practicæ neceſſariò expoſtulatur, quòd eo tempore, quo perficitur, effectum habeat, aliàs aſſerere poſſemus, finitis omnibus unctionibus effectum gratiæ differri poſſe. Adde, ſi finita unius ſenſus unctione, Sacerdos redderetur impotens reliquas perficiendi, ab alio miniſtro abſque repetitione peragendæ eſſent. Ergo ſignum eſt, quamlibet unctionem ſub ſua forma partiale Sacramentum conſtituere, & omnes unctiones integrum, & perfectum, utpote quæ reddant homini integram ſanitatem. Neque obeſt, quòd unum peccatum mortale non poſſit remitti ſine alio: quia hoc Sacramentum non eſt per ſe ad remittenda peccata inſtitutum; ſed ad concedendam Spiritus Sancti gratiam auxilia prævenientia ſecum trahentem, quibus roboratur infirmus adversùs Diaboli inſidias. Neque item obeſt, quòd per quamlibet unctionem expoſtuletur ſpecialium peccatorum remiſſio: quia non petitur horum remiſſio cum aliorum excluſione, ſi fortè adſint: quinimò tacitè omnium remiſſio expoſtulatur, cùm expoſtulatur gratia, quæ omnibus peccatis repugnat.

5. Ex hac ſententia manifeſtè infertur, ſi Sacramentum extremæ Unctionis integrè miniſtrari non poteſt; benè tamen quoad partem, vel quia infirmus creditur ante finitas unctiones deceſſurus, vel, quia plures eodem periculo laborant, quibus Sacramento unctionis integrè miniſtrato ſubveniri non poteſt; poſſe Sacerdotem, ſaltem conditione mente retenta, ſub una unctione Sacramentum miniſtrare, eo modo, quo in manuali Mechlinienſi à Doctoribus Lovanienſibus approbato ſtatutum eſt, ſcilicet, ungendo organum ſenſus magis obvium, dicendo: *Per iſtam ſanctam unctionem, & piiſſimam ſuam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquiſti per viſum auditum, odoratum, guſtum, tactum, & greſſum.*

6. Cæterùm communis ſententia, & omninò tenenda docet, omnes unctiones quinque ſenſuum ita eſſe de neceſſitate Sacramenti, ut nulla illarum per ſe ſumpta verum Sacramentum, etiam partiale, ſicuti contingit in Euchariſtia, & Ordine, conſtituat. Sic Sotus *in* 4. *diſt.* 14. *qu.* 1. *art.* 3. *concluſ.* 2 Henriquez *lib.* 3. *cap.* 8. *n.* 2. Suarez *diſp.* 40. *ſect.* 2. *n.* 8. & *diſp.* 41. *ſect.* 2. *n.* 13. Cardinalis Bellarminus *lib. de extrema Unctione*, *cap.* 10. Valentia *tom.* 4. *diſp.* 8. *q.* 2. *part.* 2. Ægidius de Coninch. *diſp.* 19. *dub.* 3. *n.* 2. Laym. *l.* 5. *ſummæ, tractatu* 8. *c.* 3. *n.* 2. Bonac. *diſp* 7. *qu. unica, par.* 3. *n.* 16. & alij apud ipſos. Fundamentum eſt. In his, quæ pendent, non tam ex ratione, quàm ex inſtitutione, conſenſus Eccleſiæ, & Doctorum maximè habendus eſt. At ferè omnes Doctores cenſent, approbante Eccleſiæ conſuetudine quinque ſenſuum unctiones eſſe de neceſſitate Sacramenti. Aliàs, quoties plures in extremo vitæ periculo adeſſent, nec poſſet omnibus integrè unctio miniſtrari, vel quoties timeretur infirmus abſque unctione deceſſurus, vel Sacerdoti periculum contagij, permitti deberet unica unctio. At contrarium eſt uſu, & praxi receptum. Ergo ſignum eſt, omnes unctiones neceſſarias eſſe. Præterea eſt congrua ratio: nam cùm Chriſtus Dominus, cùm in terris viveret, nemini dimidiatam ſanitatem conceſſerit, ſed potiùs integram; præſumendum non eſt, Sacramentum inſtituiſſe, quod hominem dimidiatè ſanaret, præcipuè cùm ſatis intelligi non poteſt, in quo dimidiata ſalus conſiſtere poſſit: non enim in peccatorum mortalium remiſſione, quæ integrè per gratiam excluduntur; neque etiam in remiſſione venialium: nam, eſto cum gratia compati poſſint; compati tamen non poteſt eorum dimidiata remiſſio, ſtante diſpoſitione omnium remiſſionem exigente: neque denique in gratiis prævenientibus, cùm quælibet illarum hominem totum roboret in extrema lucta, & in ſpem divinæ miſericordiæ erigat.

7. Hinc referendum eſt corollarium oppoſitum ei, quod prior ſententia intulit, ſacramentum extremæ-Unctionis nunquam eſſe incipiendum miniſtrari, ſi timeatur non poſſe omnes unctiones perfici. Movent tamen Coninch. Laym. Suar. *loc. allegat.* aliquando in caſu valdè urgenti, ſcilicet, cùm ægrotus nullum aliud ſacramentum recipere poteſt, & timetur deceſſurus, ſi omnes unctiones integrè peraguntur; poſſe ſub unius formæ prolatione virtualiter omnes comprehendente quinque ſenſus in capite ægroti inungi.

8. Rationes oppoſitæ ſententiæ non urgent. Nam eſto, ob illam congruentiam, quæ in argumento refertur, ſalubrius eſſet, ſi per quamlibet unctionem ſuus effectus gratiæ independenter ab alia unctione correſponderet, ob congruentias in probatione noſtræ concluſionis adductas, noluit Chriſtus Dominus id præſtare. Ad ſecundum concedo; quamlibet unctionem ſub ſua forma habere diſtinctam ſignificationem phyſicam; ſed non ſacramentalem, eò quòd non perfectam, & integram hominis ſanitatem ſignificet, quod ad eſſentiam hujus ſacramenti, ut probatum eſt, requiritur. Et ad primam impugnationem concedimus, neceſſarium eſſe, ad veritatem orationis deprecativæ practicæ, ut finita ejus perfecta ſignificatione effectus rogatus concedatur; nego tamen, finita qualibet unctione, ſub ſua forma ejus perfectam ſignificationem ſacramentalem finiri, & compleri, quouſque omnes unctiones adhibeantur. Ad ſecundam concedo cum Emman. Sà *verb. extrema Unctio*, *n.* 10. alium ſacerdotem reliquas unctiones perfecturum, ſicuti in ſacrificio Miſſæ contingit, quod perficitur ab alio Sacerdote, nihil ex ſubſtantialibus legitimè factis repetito. Ad tertium, eſto, effectus proprius, & per ſe hujus ſacramenti non ſit peccatorum remiſſio: quia tamen eſt gratia quæ omnia remittit, & ad omnes tentationes vincendas roborat, ea de cauſa per ſingulas unctiones non conceduntur: quia repræſentatur ſub forma ſignificationem reſtrictam, & partialem habente, & à gratia habituali, auxiliiſque prævenientibus non adæquare.

9. Illud verò reputo certum cum Henr. *l.* 3. *cap.* 12. *num.* 1. Emman. Sà *verbo, Extrema Unctio, num.* 12.

Suar. *disp.40. sect.2. n.5.* Zambran *de Extrema-Vnct. cap.5. in princ. n.9.* Layman. *lib 5. tract.8. cap.2. n.5.* Bonac. *disp.7. quæst. unic. c.5. in fine,* necessarium non esse ad essentiam Sacramenti, utrunque oculum, utramque aurem, utramque manum injungere: siquidem ex unius unctione optime dicitur sensus unctus; eáque de causa, stante gravi necessitate; nullum esset peccatum sic unctionem peragere, ut rectè notavit Suar. *dicta sect.2. n.5.* Verùm, secluſa ea necessitate, credo cum prædictis Doctoribus mortale committi ob Ecclesiæ consuetudinem, si in utraque parte, ubi virtus potentiæ urget, non fiat unctio.

10. Sed, quid, si infirmus oculis, auribus, vel manibus careat? Ungendus est in parte propinquiori: quia moraliter reputatur unctus ea in parte, in qua potentia viget. Neque obest, quòd nunquam peccarit, neque peccare potuerit ex vi illius sensus, uti contingit cæco, vel surdo à nativitate: quia id est per accidens: & esto peccare non possit quoad effectum; benè tamen quoad affectum. Neque hoc sacramentum expostulat necessariò infirmum quolibet sensu peccasse, aut peccare potuisse, ut satis indicat forma, sub qua ministratur, quæ sensum conditionalem præstat. Idem est dicere: *Indulgeat tibi Deus, quidquid peccasti per visum.* ac dicere: Indulgeat tibi Deus, si quid peccasti per visum. Quare solùm requiritur, quòd infirmus aliquo sensu peccare possit. Atque ita sustinent, aliis relatis, Layman. *lib.5. sum. tractat.8. cap.2. in fine.* Eman. Saà *Extrema-Unctio, numer.13.* Suar. *disp.41. sect.2. in fine,* & *disp.42. sect.3. num.5.* Bonac. *disputat.7. de Sacrament. quæst. unic. part.5. num.16.*

11. Denique ad sacramenti essentiam necessarium non est, ordinem in his unctionibus ab Ecclesia præscriptum servare: quia ex illius inversione significatio perfecta, & integra non omittitur, ut intuenti constare potest. At grave esset peccatum, utpote contra Ecclesiæ consuetudinem, cum ordinem invertere ut ex communi docet Suar. *disp.40. sect.2. in fine.* Eman. Saà *n.12.* Bonac. aliis relatis *disp.7. de Sacram. q.unic. punct.5. n.20.*

Punctum IV.

Quæ sit legitima forma hujus Sacramenti.

1. *Sub forma deprecativa hoc Sacramentum ministratur.*
2. *Congruentia hujus institutionis.*
3. Ungo te, ut Deus tibi remittat. *esto aliqui teneant, non esse formam sufficientem, rectius alii oppositum docent.*
4. *Quæ verba essentialia sint pro forma hujus Sacramenti.*
5. *Invocatis Trinitatis non est de essentia.*

1. COnstat ex Florent. *in decreto Eugenii, de litteris unionis,* & ex Trident. *sess.14. cap.1.* & ex perpetua Ecclesiæ Romanæ traditione, formam, legitimam hujus sacramenti esse: *Per istam sanctam Unctionem, & suam pissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum,* & sic in reliquis sensibus fit repetitio. Et licèt D. Bonav. *in 4. dist.23. art.1. q.4.* Richard. *ibi ad 2.* Durand. *qu.3. art.3.* referant, D. Ambrosium in Ecclesia Mediolanensi hac forma usum fuisse: *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: ut more militis uncti præparatus ad certamen, aereas possis superare potestates.* quam Paludan. *quæst.1. art.2.* approbat. Et Palacios *eadem dist.23.* testatur, eandem formam contineri in libro Sacramenti Venetorum, approbato à Leone X. Attamen credendum est, illam formam, non ut substantialem Sacramenti, sed ut præparatoriam ad formam substantialem adhibitam esse, uti explicuit D. Thom. *in 4. dist.28. quæst.1. art.4. qq.2. ad 3.* & Durand. *loc. alleg.* & Val. *disp.8. punct.2. post med.* Suarez *disp.40. sect.3. n.8* Coninch. *disp.19. dub.4. n.14.* Eman. Saà *in edit. Roman.* plures refert. *n.13.* Nam, cùm forma deprecativa, & indicativa omninò distinctæ sint distinctámque significationem habeant, nequeunt uni Sacramento accommodari. At ex usu perpetuo Romanæ Ecclesiæ à Conciliis approbato, cui nullus error subesse potest, *cap. Ad abolendam de Hæretic.* constat, formam hujus Sacramenti deprecativam esse. Ergo quælibet alia, indicativo modo proferatur, insufficiens est. Ratio autem, quare hoc Sacramentum sub forma deprecativa ministretur, reliqua verò Sacramenta sub forma indicativa, præcipua est Christi voluntas quam ex verbis Jacob. c.5. *Orent super eum.* Ecclesia collegit. Nam esto, verba, quibus Sacramentum Baptismi conficitur, Sacerdotis supplicationem appellaverit Augustinus *lib.6. de Baptismo contra Donatistas. c.25.* & verba, quibus absolutio in Sacramento Pœnitentiæ conceditur appellaverit Leo I. *epist.91. ad Theodorum,* Sacerdotis supplicationem: id tamen factum est; quia in fide promissionis Christi proferuntur; non, quia propriæ, & formales deprecationes sint. At, cùm Jacobus expressam orationem ad hujus Sacramenti essentiam postulaverit, non de virtuali, & impropria deprecatione; sed potiùs de formali, & propria intelligendus est.

2. Congruentia autem hujus institutionis multiplex à Doctoribus adducitur. Prima, quia reliqua Sacramenta semper aliquem effectum infallibilem habent, vel characteris, vel gratiæ sacramentalis: ideóque meritò per verbum indicativum efficaciam actualem aptiùs declarans ministrari debebant. At hoc Sacramentum sæpè ob indispositionem recipientis suo effectu primario, qui est gratia sanctificans, impeditur, sæpè etiam secundario, qui est corporis salus, quia non expedit. Et licèt in Sacramento Pœnitentiæ hæc differentia non procedat, quia ob indispositionem recipientis sæpè illius effectus impeditur, maximè, in sententia negante dari sacramentum informe: at, quia ministratur per modum judicii: expedit sententiam absolutionis indicativo modo proferri. Secunda quia hoc Sacramentum conceditur homini viribus jam destituto, & pro se quasi impotenti satisfacere, ideóque ad divinam misericordiam confugienti, quam expedit omninò implorare. Tertia, quia est Pœnitentiæ consumativum, & perfectivum: quod enim in Sacramento Pœnitentiæ, ob diminutam suscipientis dispositionem, remissum non est, id hoc Sacramento à divina misericordia remitti postulatur, sicuti prosequitur S.Thom. *in supplement. q.29. art.8.* & *dist.28. quæst.1. art.4. qq.1.* Bonavent. *dist.23. art.1. q.4. ad finem.* Henriq. *c.8.* Suar. *disp.40. sect.3. n.10.* Laym. *lib.5. tr.8. c.3. in princ.* Bonav. *disp.7. de Extrema-Unct. q.unic. part.3. n.3.* Bellar. *c.7. vers. Tertio nota.* & alii.

3. An verò illa forma: *Ungo te, ut Deus tibi remittat, quidquid deliquisti per visum,* sufficiat? Negat Bonac. *disp.3. n.4.* quia versùs Deum unctioni deprecatio non adjungitur: sed rectiùs Suar. *disp.40. sect.3. n.10.* Laym. *lib.5. tract.8. cap.3. circa finem,* quia in actu exercito videtur facta unctio ad impetrandam peccatorum remissionem. Illud certum, esse graviſſimum peccatum ea uti, tum ob dubium de valore sacramenti tum ob omissum ritum ab Ecclesia Romana præscriptum.

4. Sed, quæ verba ex supradicta forma essentialia sint, petendum est ex his, quæ diximus *tract.18. de Sacram in genere.* Et in primis quoad præceptum, & obligationem, necessariò, ut jacent in Rituali, exprimenda sunt. Nemini enim licitum est, ordinem ministrandi Sacramenta sua propria authoritate invertere;

vertere. Quoad essentiam verò ea verba, sine quibus unctio, & peccatorum remissio deprecativè significari non potest, essentialia reputari debent. Unde, si omitteres dicere, *Per hanc sanctam Unctionem*; esto ungeres, sacramentum non conficeres. Secùs, si solum illud verbum *sanctam*, relinqueres. Item, si imperativo modo peccatorum remissionem promitteres, dicens *per hanc sanctam Unct. onem remittatur tibi, quidquid peccasti per visum*, quia huic formæ oratio, & deprecatio, & propria essentialis est. Omissionem autem illorum verborum, *per piissimam misericordiam tuam*, incertum est essentialem esse. Aliqui affirmant, alii verius negant. Suar. *disp.* 40. *sect.* 3. *n.* 13. Conin. *disp.* 19. *dub.* 3. *num.* 15. Bonac. *disp.* 7. *de sacram. quæst. unic. part.* 3. *circa finem*. Propterea, quod in verbo, *Indulg.* videntur contineri, cùm non alia via, quàm ex piissima sua misericordia remittere possit Deus nostra peccata. Secùs est de verbis subsequentibus, quæ reputo essentialia: necessariò enim remissio peccatorum deprecativo modo in hac forma exprimenda est: quia, cùm hoc sacramentum institutum fuerit, ut illo Deus per Indulgentiam concedat quidquid in judicio pœnitentiali superfuit ex justitia solvendum, ob quam causam Pœnitentiæ consummativum appellatur, meritò hæc remissio, & Indulgentia exprimi in petitione debebat. Quinimò non solùm exprimi debet peccatorum remissio utcunque, sed organa sensuum, utpote illorum peccatorum radix, & origo, ut signum esset, hoc Sacramento hominem perfectè sanari. Gravior dubitatio est, an essentiale sit cuilibet unctioni suam formam distinctè repetere: an verò sufficiat quinque unctionibus celeriter factis unicam formam, omnes alias virtualiter continentem, exprimere, sicuti *superiori puncto* diximus, præscriptum esse tempore pestis in Manuali Melchlinienſi. Et verius existimo cum communi sententia, & consuetudine recepta, singulis unctionibus suam formam partialem repetendam esse. Sed, quia contrarium probabilitate non caret, consultum puto, si urget gravis necessitas ægroti, eò quòd timeatur probabiliter decessurus, antequam omnes formæ distinctè exprimantur sub conditione, oportere sub prædicta forma sacramentum ministrari, quia in ea administratione Sacramento nulla fit injuria, & ægroto ad salutem æternam prodesse potest, ut benè notavit Suar *disp.* 40. *sect.* 3. *num.* 16. & *disp.* 41. *sect.* 3. *in fine*.

5. Illud certum, invocationem Trinitatis, neque ex Sacramenti necessitate, imò secundùm veriorem sententiam, neque ex præcepto necessariam fore: quia neque in Conciliis, neque in Rituali Romano cavetur, Trinitatem invocandam esse: imò nec videtur expediens, & deprecationi accommodata, ut benè aliis relatis firmant Coninch. *disp.* 19. *dub.* 4 *num.* 5. Suar. *disp.* 40. *sect.* 3. *in fine*. Bonac. *disp.* 7. *de Sacram. quæst. unic. part.* 3. *num.* 2. Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 8. *cap.* 3. *in fine*. Eman. Saà *verbo*, *Extrema-Unctio*, *n.* 7. *in addit.*

Punctum V.

De effectu hujus Sacramenti.

1. *Varios effectus hoc Sacramentum operatur.*
2. *Gratiam habitualem, quatenus est peccatorum venialium remissiva, affirmant plures, esse præcipuum effectum hujus Sacramenti.*
3. *Contrarium est probabilius.*
4. *Solvuntur oppositæ rationes.*
5. *Gratia habitualis secum trahens auxilia ad alleviandum, & confortandum infirmum, est præcipuus effectus hujus Sacramenti.*
6. *Explicatur, qualiter hoc Sacramentum abstergat peccatorum reliquias.*
7. *Effectus secundarius primus est remissio peccatorum tum venialium, tum mortalium, si infirmus gravatus illis sit & obicem remissioni non ponat.*
8. *Potest dari casus, in quo Sacerdos debeat administrare hoc Sacramentum ei, quem solùm esse attritum reputat.*
9. *Item, effectus secundarius est remissio pœnæ temporalis.*
10. *Item sanitas corporis, si expedit.*
11. *Expenditur sententia Soti qualiter hic effectus intelligatur, & rejicitur.*
12. *Solvuntur Soti rationes.*
13. *Quando, seu quo tempore hoc Sacramentum prædictos effectus operetur.*
14. *An hoc Sacramentum habeat effectum recedente fictione, quando ob peccatum habere non potuit.*

1. Constat ex Trid. *sess.* 14. *in proœmio hujus Sacramenti, & cap.* 2. hoc Sacramentum varios effectus habere, nempe: Spiritus Sancti gratiam, quæ delicta, si quæ sint expianda, delet, peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, & morbi incommoda, ac labores leviùs fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo insidiantis faciliùs resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur. Dubium ergo est primò, quis ex his sit primarius, & præcipuus hujus sacramenti effectus, & qui sint secundarii. Secundò, quo tempore ii effectus concedantur?

2. Circa primum, fuit opinio plurium, Bonavent. *in* 4. *dist.* 23. *art.* 1. *q.* 1. Durand. *q.* 1. *art.* 2. *n.* 9. Richard. *art.* 1. *q.* 5. Altisiodoren *lib.* 4. *sum. c. de Extrema-Unct. q.* 1. Abulens. *super.* 8. *cap. Matthæi*, *quæst.* 8. Navarr. affirmantium esse communem *cap.* 22. *num.* 13. & aliorum, quos referunt Suarez, & Coninch. & alii *locis referendis*, gratiam, inquam, habitualem, quatenus ex divina institutione est peccatorum venialium remissiva, esse hujus sacramenti præcipuum effectum. Primò quia ille est præcipuus effectus, qui per formam significatur: at per formam nihil aliud expressè postulatur, quam peccatorum remissio. Ergo, &c. Secundò Trident. effectum hujus sacramenti enumerans, primo loco instituit peccatorum remissionem ibi: *Gratia Spiritus Sancti, quæ delicta, si qua sunt expianda, abstergit.* Tertiò, quia esto, Pœnitentia ad remittenda peccata mortalia, & venialia fuerit instituta; id non obest, quin extrema-unctio ad venialia saltem remittenda instituta fuerit, præcipuè ad ea remittenda peccata, quæ per Pœnitentiam deleri non possunt: siquidem diverso modo per sacramentum unctionis, ac per sacramentum Pœnitentiæ delentur: nam per Pœnitentiam non videntur deleri posse, nisi illorum fiat dolorosa confessio: at per extremam Unctionem ex eo præcisè, quòd illorum non habeas complacentiam. Quartò, Catechismus Romanus Pii V. expressè asserit, hoc sacramentum ad remittenda venialia præcipuè esse institutum.

3. Cæterum communis est sententia apud D. Th. *in* 4. *dist.* 23. *q.* 1. *art.* 2. *qq.* 1. & *ibi* Paludan. *q.* 4 Sotum *q.* 1. *art.* 2. Bellarmin. *c.* 8. Eman. Saà *num.* 16. *in addit.* Valen. *t.* 4. *d sp.* 8 *q.* 1. *pun.* 3. Suar. *disp.* 41. *sect.* 1. Laym. *lib.* 5 *tract.* 8. *c* 5 *n.* 2. Coninch. *disp.* 19. *disp.* 5. *a n.* 16. remissionem venialium factam per gratiam non esse hujus sacramenti primarium effectum. Ratio præcipua est quia primarius, & præcipuus sacramenti effectus non sub conditione; sed absolutè conceditur: quia est infallibilis, & certus non ponentibus obicem: at peccatorum remissio competit huic sacramento, non primò, & per se; sed per accidens: quia per accidens est, quòd recipiens extremam unctionem in peccatis existat, ut satis indicant illa verba Jacob. 5. *Et si in*

peccatis ſit, remittuntur ei. Secundò, nulla eſſet ratio ſingularis, ob quam hoc ſacramentum potiùs moribundis, quam ſanis miniſtrandum eſſet, cùm omnes æquè peccatorum venialium remiſſione indigeant. Tertiò, non expediebat miniſtrari ei, qui nullum peccatum veniale commiſiſſet. Quartò, ex nullo loco Scripturæ, aut Conciliorum comprobari poteſt, venialium potiùs, quàm mortalium remiſſionem effectum hujus ſacramenti eſſe: nam Jacobi *c.5.* & Concil. tum Florentinum, tum Tridentinum, affirmantia, vi hujus ſacramenti peccata remitti, ſi illud ſuſcipiens in peccatis eſt, doctrinam ad peccata venialia non reſtrinxerunt, quinimò abſolutè promiſerunt peccatorum remiſſionem. At ſub peccati nomine mortale potiùs, quàm veniale intelligitur.

4. Neque obſtant rationes contrariæ. Ad primam fateor, illum eſſe primarium effectum ſacramenti, qui per formam abſolutè ſignificatur: ſecùs, qui ſignificatur ſub conditione, & quaſi præter intentionem. Idémque dicendum eſt ad ſecundam. Quòd ſi roges, quare forma hujus ſacramenti non primarium, ſed ſecundarium effectum, & per accidens contingentem expreſſerit: dicendum eſt, id ex inſtitutione Chriſti, uſu, & definitione Eccleſiæ comprobata pendere. Congruentia ea eſſe poteſt, ut ſignificaretur, hoc ſacramentum eſſe, tum Pœnitentiæ conſummativum; ſiquidem conſummat: & perficit quod per Pœnitentiæ ſacramentum conſummari non potuit: tum ultimo diſpoſitivum ad gloriæ introitum, qui peccatis occluditur, & impeditur. Ad tertiam concedo, nullum eſſe inconveniens, quod Chriſtus, ſi vellet, inſtituiſſet duo ſacramenta ad venialium remiſſionem: nego tamen id factum eſſe: ſatis enim ſaluti hominum providit, unicum ſacramentum pro venialium remiſſione per ſe inſtituens. Ad quartam reſpondet optimè Valent. *diſp.8. qu.1. part.3. poſt med.* ideò Catechiſmum Pii V. aſſerere, præcipuè inſtitutum eſſe hoc ſacramentum ad venialium remiſſionem, non, quia hic ſit primarius effectus; ſed quia ſæpius horum remiſſio contingit vi hujus ſacramenti, quàm mortalium, quæ plerunque Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramento deleta ſunt.

5. Igitur effectus primarius hujus Sacramenti eſt gratia habitualis, non utcunque: ſed ſecum infallibiliter trahens auxilia, & gratias prævenientes, quibus ægroti animus alleviatur, confirmatur, & roboratur; tum ad fiduciam de divina miſericordia concipiendam, tum ad morbi incommoda, & labores leviùs ferendos; tum ad tentationibus Dæmonis calcaneo inſidiantis reſiſtendum, uti dixit Trid. *ſeſſ.14. c.2.* & *in proœmio.* Et ſatis indicavit Jacobus dicens: *Et oratio fidei ſalvabit infirmum & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, & remittentur ei.* Remiſſionem enim peccatorum poſtremo loco conſtituit, primo integram animi ſanitatem, & robur. Atque ita tradunt Suar. *diſp.41. ſect.1. num.11.* Coninch. *diſp.19. dub.5. concl.1.* Valent. *t.4. diſp.8. q.1. pun.3.* Laym. *lib.5 ſum. tract.8. cap.5. n.2.* Ratio deſumitur ex Trident. *ſeſſ.14. in proœmio*, aſſerente, clementiſſimum Redemptorem noſtrum, qui omni tempore ſervis ſuis de ſalutaribus remediis adverſus hoſtium tela proſpectum eſſe voluit, in ultimo vitæ agone conſtitutos hoc ſacramento munire voluiſſe, ne ob virium imbecillitatem, & acriorem hoſtis pugnam deficiant, & pereant. Eáque de cauſa non ſanis, ſed infirmis miniſtratur: quia in hac inſtitutione non utilitas, ſed ſpecialis neceſſitas ſpectata fuit. Dixi, effectum eſſe gratiam habitualem ſecum trahentem auxilia, &c. quod intelligi debet, quando illis auxiliis ægrotus indigeat: ſecus ſi illorum incapax eſt; vel, quia eſt phreneticus, vel ſenſibus deſtitutus, vel immediatè poſt ſuſceptam unctionem è vita decedit. Neque obinde fit, ſacramentum privari ſuo primario effectu, qui eſt gratia ſanctificans: non, quæ ſecum trahat auxilia actualiter, & de facto; ſed, quæ illa ſecum trahat, ſi illis infirmus indiguerit. Neque quæ ſint ſemper efficacia, ſed quando divinæ bonitati placitum fuerit; bene tamen quæ ſint abundantiora, quàm aliàs concederentur.

6. Hinc fit, qualiter hoc ſacramentum inſtitutum ſit ad reliquias peccatorum abſtergendas. Ex peccato namque originali relicta eſt in anima quædam pronitas, & inclinatio ad malum, & difficultas in bonum, quæ fomes peccati appellatur. Ex actuali verò relinquitur phantaſma, vel habitus, quæ vitium facile reddunt, & virtutem difficilem. Præterea, ex peccato remiſſa culpa, & pœna æterna, temporalis ſupereſſe ſolet, ſacramentum igitur Unctionis ad concedendum promptitudinem in bonum, & difficultatem in malum, inſtitutum eſt: non quidem tollendo fomitem corruptæ naturæ innatum: ſic enim nunquam tollitur: neque tollendo habitum parvum, aut phantaſma ex actuali peccato relicta; quia ad hæc tollenda nullum eſt ſacramentum inſtitutum; ſed concedendo robur mediis auxiliis, gratiiſque excitantibus, quibus difficultates ex his cauſa provenientes ſuperentur.

Pœnæ item temporales, eſto, propriiſſimè dici poſſent peccatorum reliquiæ: non tamen earum remiſſio effectus eſt primarius hujus ſacramenti. Tum, quia hic eſt effectus primarius ſacrificij: tum, quia abſque infuſione gratiæ concedi poteſt: tum quia ſacramenta non in ſatisfactionem peccat, ſed in reconciliationem, & unionem hominis cum Deo primò inſtituta ſunt: ſunt etenim ſigna gratiæ ſanctificantis. Atque ita docuit Suar. *diſp 41. ſect.1. n.9.*

7. Effectus ſecundarius hujus ſacramenti triplex eſt. Primus, remiſſio, tum mortalium, tum venialium, ſi fortè infirmus illis gravatus ſit, eórumque remiſſioni obicem non ponat, uti manifeſtè colligitur ex loco Jacobi: *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* & ex Trid. *ſi quæ ſunt expianda*, & ex verbis formæ: *Quidquid peccaſti.* Quæ omnia æquè de mortalibus, ac venialibus, intelliguntur: neque ea conditio apponeretur, ſi ſolùm pro venialium remiſſione eſſet hoc ſacramentum inſtitutum; cùm vix ullus reperiatur, qui gravatus venialibus non ſit. Inſtitutum igitur eſt hoc ſacramentum, ſaltem ſecundariò, ad peccatorum tum mortalium, tum venialium, remiſſionem. Et probari inſuper poteſt ex Trid. *ſeſſ.14. in proœmio*, aſſerente, hoc ſacramentum eſſe Pœnitentiæ, & totius vitæ Chriſtianæ conſummativum: hoc autem fieri non poſſet, niſi peccata, tum mortalia, tum venialia, quæ per pœnitentiam deleta non ſunt, abſtergeret. Atque ita tradit ex omnium ſententia Suarez *diſp.41. ſeſſ.1. n.14.* Valen. *diſp.8. q.1. p.3. in princ.* Bon. *diſp.7. q.unica, 6. in princ.* Coninc. *diſp.19. dub.5. concl.2.* Laym. *lib.5. tr.8. cap.5. n.2.* Notanter dixi, *ſi obicem non ponat*: nam ſacramenta, eſto, ſint cauſæ infallibiles ſuorum effectuum, cùm ritè, & legitimè ſuſcipiuntur: ſæpè ob indiſpoſitionem ſuſcipientis eorum efficacia impeditur: impedis autem prædictum effectum, ſi peccati mortalis conſcius ſacramentum recipias: quia non eſt inſtitutum per ſe in mortalium remiſſionem, ſed quaſi per accidens, quando, ſcilicet, alia via remitti non poſſunt. At, ſi reputans te eſſe contritum, cùm tamen ſolùm attritus exiſtas hoc Sacramentum recipias, ſine dubio peccatorum remiſſionem obtinebis. Nam, eſto, in aliis Sacramentis vivorum ex benigna Dei miſericordia credatur ea bona fide ſuſcipientes gratiam obtinere, modò attriti ſint; in hoc tamen ſacramento tanquàm certum concedendum eſt, utpote quod ad peccatorum remiſſionem eſt per ſe, licèt ſecundariò, inſtitutum. Adde, ſi in prædicto caſu hoc ſacramentum

effica

efficaciam non habet peccatum remittendi, nullus casus dari potest, in quo peccatum remittat. Atque ita docent Paludan. *in 4. dist. 23. quæst. 1. art. 3. concl. 3.* Suar. *disp. 41. sect. 1. n. 19.* & *disp. 42. sect. 1. in fine.* Laym. *lib. 5. tr. 8. c. 5. n. 2.* Coninch. *disp. 19. dub. 5. circa finem.*

8. Ex qua Doctrina prædicti Doctores inferunt, & benè posse Sacerdotem ministrare hoc sacramentum ei, quem probabiliter credit in peccato mortali existere, & solùm attritum esse, quando ipse infirmus ad contritionem conari non potest; vel quia credit contritum esse, vel, quia est sensibus destitutus: quia Sacramentum confert ritè ad ejus effectum suscipiendum dispositio. Semper tamen de quolibet Catholico præsumendum est, in eo periculo non solùm attritum, sed & contritum existere, nisi moraliter constaret de contrario, ut, si post peccatum nullus fuit ei locus ad contritionem concessus, ut rectè notavit Coninch. *disp. 17. dub. 5. n. 19.* De peccatis venialibus aliter dicendum censeo: hæc enim credo virtute hujus sacramenti remitti ex eo præcisè, quod illorum complacentiam non habeas: nam virtualis Sacramenti susceptio est virtualis illorum detestatio: & indicat Suar. *disp. 41. sect. 1. n. 21.*

9. Secundus effectus secundarius est remissio pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, non quidem omnis, aliàs vix ullus Catholicus rite unctionem suscipiens in Purgatorium iret: sed secundùm eam mensuram, quæ divinæ bonitati, & Christi institutioni consentanea fuerit, uti advertit Coninch. *dub. 5. n. 19.* Layman. *tract. 8. c. 5. n. 3.*

10. Tertius secundarius effectus est sanitas corpori, si id saluti animæ expedierit, ut docuit Trident. *sess. 14. c. 2. in fine*, & tradunt ferè omnes Doctores; sumiturque ex Jacobi verbis: *Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus*, quæ non de solo levamine, & sanitate spirituali; sed corporali debent intelligi; sub illa tamen conditione, si salus corporis animæ expedierit: quia hæc corporalia spiritualibus subordinata esse debent; & ob illa tantùm expostulari.

11. Sed est difficultas, qualiter hoc intelligendum est. Nam Sotus *in 4. distinct. 23. quæst. 1. art. 2.* ausus fuit affirmare hoc sacramentum nunquam habere effectum, prout expedit, vel non expedit animæ; sed prout morbi vis eum admittit. Movetur primò: quia sæpè recipientes Confirmationem, & Eucharistiam, ita tepidi esse solent, & in malum proclives, ut non obstantibus auxiliis ex Confirmatione, & Eucharistia concessis deficiant. Ergo etiam recipientes extremam-Unctionem ita viribus destituti esse possunt, ut, non obstante auxilio ex unctione concesso, nequeant salutem recuperare. Secundò, sæpè moriuntur, qui si viverent, meliores existerent: alii vivunt, qui deteriores fiunt: ergo extrema-Unctio non concedit salutem, cùm expedit. Tertiò, sæpè concederetur salus præter omnem medicinæ spem, & naturæ leges, si concedenda sit, cùm animæ expedit. Ergo miraculosè.

Hæc tamen sententia ut omninò improbabilis rejicienda est, quippe est contraria, tum communi sententiæ Theologorum, tum Trident. & Florentin. Conciliis, definientibus, interdum sacramentum sanitatem corporis conferre, videlicet, cùm animæ expedierit. Ratio ex institutione Christi peti debet. Congruentia ex ejus benignitate desumitur; qui non dedignatur integram homini sanitatem concedere.

12. Rationes verò Soti levissimæ sunt. Ad primam concedimus, sæpè auxilia ob confirmationem, & Eucharistiam concessa non obtinere effectum: quia eorum efficacia pendet ex humana libera voluntate, quæ eam impedire potest. At effectus sanitatis corporalis ob extremam-unctionem concedendus, si animæ expedit, cùm non dependeat à libero hominis arbitrio, necessariò sequendus est. Aliàs fatendum est, virtutem sacramenti ita limitatam esse, ut nequeat gravitatem morbi superare; quod absurdum est, cùm sacramentum non operetur virtute naturali; sed supernaturali, quæ quamlibet infirmitatem, quantumvis gravissimam, vincere æquè potest, ac levem. Ad secundam dico, incertum esse, an illi, qui moriuntur, meliores forent: & esto, aliquando meliores existerent, postmodum mutarentur. Quòd verò alii vivant, qui deteriores fiunt, non inde infertur, Sacramentum illis sanitatem concessisse, cùm possint à causis naturalibus illam habere. Præterquam quòd pro aliquo tempore illa sanitas expedire animæ saluti potest, & ob eam causam vi Sacramenti concedi, tametsi tentationibus occurrentibus prædictus fructus amittatur. Neque enim, ut benè advertit Suar. *disp. 41. sess. ult. n. 5.* fructus spiritualis, ob quem salus corporis vi Sacramenti interdum conceditur; non necessariò debet esse permanens, & perpetuus per totam vitam; sed secundùm ordinem divinæ dispositionis. Ad tertiam admittimus, sæpè salutem corporis vi hujus Sacramenti admitti, præter communes naturæ leges; neque obinde miraculosa salus est absolutè appellanda; quia est concessa juxta leges à Christo præscriptas in hujus Sacramenti institutione, sicuti nec transubstantiatio, miraculosa mutatio dicitur, esto, sit præter naturæ leges: sufficit enim, quòd sit juxta leges statutas à Christo.

13. Quoad secundum, quando hoc Sacramentum prædictos effectus operetur? Breviter respondeo, stante communi sententia quam defendimus, hoc Sacramentum essentialiter non perfici, quousque sensuum unctiones sub suis formis fiant, asserendum est illo instanti, in quo verum est affirmare, Sacramentum perfectum esse, conferri primarium effectum, qui est gratia habitualis, cum ordine, & connexione ex promissione divina ad gratias prævenientes, quia effectus sacramenti, quousque sacramentum sit, concedi non potest. Atque ita docent Suar. *disp. 41. sect. 2. num. 3.* Laym. *tract. 8. c. 5. circa finem.* Bon. *disp. 7. de Sacram. q. un. p. 6. n. 2.* Coninch. *disp. 19. dub. 6. à n. 21.* Val. *disp. 8. q. 2. p. 2. vers. Effectus.* At in sententia Adriani, Medinæ, & aliorum, quos referunt Suar. Coninch. Laym. *loc. alleg.* & Henriq. *l. 3. c. 12.* affirmantium, in qualibet unctione sub sua forma sacramentum essentialiter perfici, tametsi partiale, & minùs perfectum, necessariò fatendum est, effectum gratiæ concedi qualibet finita unctione, ut rectè notarunt Suar. Laym. Coninch. *loc. alleg.* quia sacramentum, cùm sit signum practicum gratiæ sanctificantis, esse non potest absque gratiæ productione, si ex parte suscipientis nullus datur obex.

Gratiæ verò prævenientes huic gratiæ habituali annexæ conceduntur necessariò eo instanti, quo gratia habitualis conceditur: quia eo tempore fortè non erant commodæ. Conceduntur tamen: quoties ex institutione Christi, & ordinatione divina infirmus in illa ægritudine constitutus illis eget ad excitandam spem divinæ misericordiæ, ad leviores labores, & infirmitatis incommoda ferenda, & ad resistendum Diaboli tentationibus. Finita verò infirmitate, non conceduntur quia hæc remedia, ut ex Trid. *sess. 14. de extrema unctione, in proœmio*, solùm pro periculo mortis ob gravem illius necessitatem provisa sunt. Nam pro toto vitæ decursu, ut ipsummet Concilium inquit, reliquorum sacramentorum effectus sunt designati, ut advertit Suar. *disp 41. sess. 1. n 24.*

De remissione peccati, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam, idem dicendum est, ac de gratia habituali; concedi, inquam, eo instanti, quo sacramentum perficitur, si ex parte suscipientis nullus potur obex: quia nulla est causa, ob quam in aliud

tempus

tempus differatur. Idem videtur affirmandum de ſanitate, tametſi non oporteat integram ſtatim concedi ; ſed paulatim , & quaſi inſenſibiliter , ne ægroti conſcii ſint ritè ſacramentum ſuſcepiſſe , & gratiam obtinuiſſe.

14. Solùm ſupereſt dubium, an, ſi ob indiſpoſitionem ægroti ſacramentum effectu careat , ſublata indiſpoſitione effectus prædictos habeat ? Et quidem, ſi perſeverante infirmitate , fuerit obex ſublatus, probabiliſſimum credo , effectus habiturum : quia , cùm ſupradictum ſacramentum iterari non poſſit eo tempore, expediebat , ne infirmus iterum diſpoſitus effectibus illius privaretur. At , infirmitate finita , cùm infirmus capax eſſe non poſſit ; tum gratiarum prævenientium , quæ ſunt quaſi effectus primarii hujus Sacramenti ; tum ſanitatis recuperandæ, gravius dubium habet. Piè tamen credi poteſt, effectum gratiæ habitualis ex ſe dicentem ordinem ad gratias prævenientes, ſi fortè ægrotus illarum capax ſit, ſublato obice, concedi, uti docuit Suarez *diſp.* 41. *ſect.* 23. & 24.

Punctum VI.

De ſubjecto , ſeu ſuſcipiente unctionem.

1. *Subjectum unctionis eſt homo viator.*
2. *Baptizatus.*
3. *Adultus qui aliquando rationis uſum habuit.*
4. *Satisfit cuidam objectioni.*
5. *Aliqui exiſtimant , non eſſe miniſtrandum hoc ſacramentum pueris rationis uſum habentibus ; ſed oportere ætatem habere puberem.*
6. *Rejicitur prædicta ſententia, & adſtruitur impuberibus dari poſſe.*
7. *Non eſt neceſſarium, quod ſuſcipiens aliquando peccaverit : ſufficit peccare potuiſſe.*
8. *Solvuntur oppoſitæ rationes.*
9. *Adultus , ſi immediatè poſt Baptiſmum ſuſceptum, in morbum incidat , poteſt hoc Sacramentum ſuſcipere.*
10. *Debet ſuſcipiens infirmus exiſtere.*
11. *Qualiter infirmitas requiratur.*
12. *Non eſt expectandum ultimum vitæ periculum.*
13. *Stante dubio, an mobus periculoſius ſit, ab hoc Sacramento ſuperſedendum eſt.*
14. *Non eſſe de Sacramenti eſſentia , quòd miniſtretur infirmo periculoſo , affirmat* Coninch.
15. *Verius eſt oppoſitum.*
16. *Solvuntur rationes contrariæ.*
17. *Sæpiùs hoc ſacramentum ſuſcipi poteſt , ſi ſæpius in novam infirmitatem incideris.*

1. SUbjectum capax unctionis tantùm eſt homo, viator capax, adultus , in periculo mortis, ob infirmitatem , conſtitutus. Concluſio eſt ab omnibus recepta quam oportet per partes explicare. Primò, debet eſſe viator : ſacramenta enim ſolùm pro viatoribus ſunt inſtituta. Quare ; ſi dubium ſit , infirmum è vita deceſſiſſe , nec veritas explorari poteſt abſque periculo manifeſto omittendi unctionem, non abſolutè , ſed ſub conditione , ſaltem mente retenta , miniſtranda unctio eſt , ut benè notavit Navar. *c.* 22 *n.* 13. Suar. *t.* 4. *in* 3. *p. diſp.* 42. *ſect.* 1. *n.* 1. Eman. Saà *verbo, extrema unctio , n.* 15. Layman. *lib.* 5. *tract.* 8. *c.* 8. *n.* 2. Bonac. *diſp.* 7. *q. unic. punct.* 5. *n.* 9. Quia hac conditionali miniſtratione ſacramenti irreverentia vitatur, & infirmi utilitati conſulitur , ſi capax exiſtit.

2. Secundò , debet eſſe baptizatus : quia abſque Baptiſmo nemo capax eſt ullius ſacramenti recipiendi, ut docuit Florent. *in decreto Eugenii* , & colligitur ex Trident. *ſeſſ.* 14. *cap* 3. affirmante unctionem eſſe Sacramentum conſummativum totius vitæ Chriſtianæ, quæ in Baptiſmo inchoatur.

3. Tertiò , neceſſariò debet eſſe adultus , id eſt, qui rationi uſum habeat , vel aliquando habuerit : infantes namque, aut perpetuo amentes , hujus ſacramenti incapaces ſunt. Ut ex communi ſententia colligunt Valen. *diſp.* 8. *q.* 2. *p. ult.* Suar. *diſp.* 42. *ſect.* 1. *n.* 3. Laym. *lib.* 5. *ſum. tract.* 8. *c.* 4. *n.* 2. Coninch. *diſp.* 19. *dub.* 7. *concl.* 1. & 2. Bonac. *diſp.* 7. *de Sacram. unct. q. unica , p.* 5. *n.* 1. & colligitur manifeſtè tum ex illis verbis Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros* , tacitè indicans , infirmum extremam unctionem petere debere. Tum ex illis : *ſi in peccatis ſit, remittentur illi* , à quibus deſumpta eſt forma , ſub qua hoc ſacramentum miniſtratur , quæ neceſſario ſupponit ſaltem potentiam peccandi. Tum ex Trident. aſſerente , eſſe Pœnitentiæ conſummativum, quod in infantibus , & perpetuò amentibus eſſe non poteſt : quippe pœnitentiæ incapaces exiſtunt.

Notanter dixi ; *Qui rationis uſum habeat , vel aliquando habuerit.* Nam eſto , conſultiſſimum ſit , hoc Sacramentum , quoad fieri poſſit , infirmo rationis uſum habenti miniſtrari , tum ob reverentiam ſacramenti, tum ob devotionem ſuſcipientis , tum ut effectus ſpeciales hujus ſacramenti communicari poſſint : at neceſſarium non eſt neceſſitate ſacramenti , imò nec gravis præcepti , ut ſatis confirmat uſus , & praxis Eccleſiæ concedentis hoc ſacramentum infirmis uſu rationis carentibus. Sic Suar. *diſp.* 42. *ſect.* 1. *num.* 6. Navarr. *cap* 22. *n.* 13. Coninch. *diſp.* 19. *dub.* 7. *concl.* 2. Laym. *lib.* 5. *ſum. tract.* 8. *c.* 3. *n.* 3. Bonac. *diſp.* 7. *de Sacram. q. unic. p.* 5. *n.* 1. Ratio ea eſt : quia hoc ſacramentum inſtitutum eſt, ut , quæ per Pœnitentiam , & Euchariſtiam fortè remiſſa non ſunt , vel non potuerunt remitti, eò quòd infirmus extiterit incapax Pœnitentiæ , & Euchariſtiæ recipiendæ , virtute hujus ſacramenti remittantur : ad cujus effectus conſecutionem decebat maximè , ut hoc ſacramentum miniſtrari poſſet infirmis ; tametſi vim rationis actualiter non habuerint : modò aliquando eo uſi fuerint.

4. Neque obſtat , debere infirmum hoc ſacramentum petere , ſicuti colligitur ex Jacob. 5. *Infirmatur quis in vobis : inducat Presbyteros*, &c. ubi Presbyteri ab infirmo vocandi ſunt quia non exigitur eorum actualis , & præſens vocatio , & ſacramenti petitio : ſufficit habitualis , & quæ aliquando præceſſit. Hæc autem præſumitur ex eo tantum , quòd chriſtianè infirmus vixerit , neque peccato mortali affectum eſſe conſtiterit : eo enim ipſe petit ſibi conferri opportuna ſalutis remedia , ut bene tradit Coninch. *diſp.* 19. *dub.* 7. *concl.* 3. *n.* 24. Henriq. *l b.* 3. *c.* 13. *n.* 1. Suar. *diſp* 42. *ſect.* 2. *n.* 6. Bonac. *diſp.* 7. *de Sacram. unct. q. un. p.* 5. *n.* 3. Quocirca, ſi poſt peccatum commiſſum , v. g. duellum ; tempus ſuperfuit, quo vulneratus pœnitere potuit, præſumendum eſt pœnituiſſe, niſi contrarium manifeſtè conſtiterit, ſicuti notavit Con. *diſp.* 19. *dub.* 6. *n.* 19. Quo caſu abſolvendus eſt infirmus primò ab excommunicatione , ut dixit Eman. Saà *verbo extrema unctio , n.* 1. & deinde miniſtranda unctio, ſaltem ſub conditione mente retenta , ſi forte ad effectum ſacramenti diſpoſitus infirmus exiſtit. Quoties autem phrenetico unctio miniſtranda eſt, ſpectari maximè debet ne cum ſacramenti irreverentia fiat , aliàs ſi alicujus irreverentiæ periculum adſit , omittenda omninò eſt : quia ſemper poſtponi debet privata utilitas Sacramenti reverentiæ , ut ex D. Thom. communique ſententia docuit Suar. *diſp.* 42. *ſect.* 1. *n.* 9. Bonac. *diſp.* 5. *qu. un. p.* 5. *n.* 1.

5. Aliqui Doctores non infimæ notæ ſentiunt, eſto, validè conferri poſſit unctio iis , qui rationis uſum habent , ſeu aliquando habuerunt : at nequaquam licitè concedi , niſi puberibus , quique ad Euchariſtiam recipiendam apti ſunt. Sic docuit Sotus *in* 4. *diſt.* 23. *quæſt.* 1. *art.* 2. *concl.* 4. Vivald. *de extrema unctione , c. de ſuſcipientibus , numer.* 7. Et movetur ex conſue

consuetudine recepta, quæ ferè ubique viget, negandi extremam unctionem impuberibus : quibus , ob exiguam discretionem, Viaticum denegatur. Deinde, quia extrema-unctio Pœnitentiæ , & Eucharistiæ succedit , illorúmque vices supplet. Ergo inepti ad Pœnitentiam , vel Eucharistiam recipiendam, etiam ad extremam-unctionem inepti judicandi sunt.

6. Cæterùm, hæc consuetudo toleranda non est; sed omninò à Prælatis curandum, ut pueris, qui sufficientem ad peccandum discretionem habent,ut plerumque sunt septenni,quíque capaces sunt Pœnitentiæ recipiendæ, extrema-unctio concedatur : quippe extrema-unctio est pœnitentiæ sacramenti consummarium. Ergo capaces Pœnitentiæ , & extremæunctionis censeri debent, præcipuè cùm pueri rationis usum habentes; tametsi decimumquartum annum non attingant , gratia hujus sacramenti indigere maximè possint ; tum ad concipiendum spem divinæ misericordiæ , tum ad infirmitatem patienter sustinendam , tum ad tentationes Dæmonis superandas, tum ad peccatorum remissionem, tum ad salutis corporalis consuetudinem. Atque ita sustinent Zambr. *de extrem. Vnctione , dub.*1. Laym. *lib.*5. *sum. tract.*8. *c.*4. *n.*2. & indicant Nav. *c.*22. *n.*13. Sà *verbo, Extrema Vnctio, n.*2. Graff. 2. *p. decis. l.*1. *c.*8. *n.*16. Quod omninò servandum existimo, casu, quo impubes incapax extiterit alterius Sacramenti recipiendi : fortè enim ex hujus Sacramenti receptione æterna salus impuberis infirmi pendet. Fateor tamen, Parochos à peccato excusari , negando impuberibus extremamunctionem , si ea consuetudo ab Episcopis tolerata vigeat : quippe non est consuetudo manifestè irrationabilis , & iniqua : & notavit Laym. *d.c.*4. *n.*2.

7. Alij insuper requirunt ad susceptionem hujus sacramenti actuale peccatum , saltem veniale , infirmum commisisse : tum, quia est institutum ad peccata, seu reliquias peccatorum actualium abstergendas, ut ipsa forma indicat : tum,quia est consummativum Pœnitentiæ, quæ absque peccato confici non potest : tum , quia Sanctissima Virgo capax esset extremæunctionis. Sic docet Did. Nunez *in* 3. *p. q.*32. *art.*2. Sed contrarium tenendum est cum communi sententia , teste Nav. *c.*22. *n.*13.Henr. *l.*3. *c.*8. *n.*4. & *cap.*12. *num.*8. Coninch. *disp.*19. *dub.*7. *n.*23. Suar. *disp.*42. *sect.*2. *à n.*8. Bon. *disp.*7. *de Sacr. qu. un. punct.*5. *circa finem.* Ratio est minifesta : quia hoc sacramentum non est per se institutum ad remittenda peccata ; sed ad remittenda , si forte extiterint , ut colligitur ex verbis Jacobi , & ex forma, sub qua hoc Sacramentum ministratur, quæ sensum conditionalem præstat. Ergo opus non est, ut actuale peccatum commiserit, qui hoc sacramentum suscipere debet. Adde , hoc Sacramentum præcipuè institutum esse ad roborandum infirmum mediis auxiliis, & gratiis prævenientibus , ut leviùs infirmatus, & labores sustineat , & faciliùs tentationes Dæmonis superet , quod nullam à peccato commisso dependentiam habet.

8. Et ex his solvuntur oppositæ rationes. Ad primam concedo , institutum hoc Sacramentum esse ad remittenda peccata non absoluè, sed sub conditione, si extiterint. Item , institutum esse ad remittendas reliquias peccatorum , tum originalis, tum actualis, quales sunt pronitas ad malum , & difficultas in bonum eo tempore , quo debilitate corporis, & morbi ægritudine facultates impeditæ sunt : quæ reliquiæ, cùm solùm remittendæ sint mediis auxiliis, & gratiis prævenientibus , fieri optimè potest earum remissio, tametsi nullum actuale peccatum commissum sit. Ad secundam fateor extremam-unctionem consummare Pœnitentiam : quia remittit, tum peccata, tum pœnam pro peccatis debitam , quæ per Pœnitentiam fortè remissa non sunt : & quia plerunque est ultimum sacramentum, quod in vita suscipitur, eaque de causa terminus , & consummativum omnium sacramentorum appellari potest. Ad tertiam concedo, Beatissimam Virginem hujus sacramenti capacem esse , ut latè probat Suar. *tom.*2. *in* 3. *p. disp.*18. *sect.*3. *circa medium , vers. Alij* , & *t.*4. *disp.*42. *sect.*2. *circa finem* , quia Beatissima Virgo capax fuit primarij hujus sacramenti effectus , qui est habitualis gratia secum trahens auxilia ad superandas inimici insidias, quæ tempore mortis occurrere solent. Si enim , ut communior fert sententia , capax fuit susciendi Baptismum , ex eo , quòd, spectata ejus natura, peccato originali fuerit subjecta ; tametsi ab Spiritus Sancti gratia præventa illud non contraxerit ; quid mirum , quòd extremæ-unctionis capax fuerit , quæ non directè ab remittenda peccata; sed ad roborandum animum , ne in peccata infirmus labatur institutum est? Quòd si dicas, Beatissimam Virginem nullam infirmitatem passam esse , eáque de causa incapacem esse sacramenti, quod infirmis tantum ministratur ? Respondeo , nullam infirmitatem ex humorum inordinatione habuisse : at ex debilitate naturæ , & humidi radicalis consumptione infirmam fuisse:quod sufficit , ut hoc sacramentum ei ministrari possit, sicuti credunt Albert. Magnus *in Manuali Virg.c.*72. *&* 74. Antonin. 3.*p. tit.*14. *c.*8. §.3. & Canisius *l.*1. *de B. Virg. c.*9. & alij , ministratum esse.

9. Hinc fit , si adultis immediatè post Baptismum susceptum in morbum incidat periculosum, posse, & deberi ei Unctionem ministrari: quia ad illius susceptionem non expostulatur actualiter peccasse , sed ex se , & spectata suscipientis natura , peccare potuisse, capacémque suscipientem esse gratiæ sacramentalis, quæ medio hoc Sacramento communicatur. Sic tanquàm certum tradit Suar. *disp.*42. *sect.*2 *n.*9.Henr. *lib.*3. *c.*11. *num.*3. aliis relatis Bonac. *disp.*7. *qu. unic. p.*5. *n.*14.

10. Quartò requiritur , quòd suscipiens infirmus sit , vel infirmitate proveniente ex humorum inordinatione , vel ex naturæ debilitate , ut in senibus, vel ex vulnere accepto. Colligitur manifestè ex Jacobo, solis infirmis concedente , ut Presbyteros vocent ad unctionem; & ex Florentino Concilio asserente,aliis ab infirmis dari non debere : & ex Trid. *sess.*14. *c.*3. dicente , solis infirmis adhibendam unctionem esse. Quapropter , si aliis ab infirmis , esto in discrimine vitæ constitutis Unctio ministraretur , non solùm peccatum gravissimum esse; sed ea ministratio nullius esset effectus, uti ex communi Ecclesiæ praxi notavit Suar. *disp* 42. *sect.*2. *in princ.*

11. Quinimò non quibusvis infirmis hoc sacramentum ministrandum est; sed iis, quibus infirmitas, Medicorum judicio , periculum vitæ inducit ; aliàs grave peccatum committeretur , uti ex communi docet Suar. *disp.*42. *sect.*2. *n.*3. & 4. Valent. *d.*8. *qu.*2. *p.*2. *post. princ.* Coninc. *disp.*19. *dub.*7. *n.*23. *&* 24. Laym. *l.*5. *sum. tract.*8. *c.*4. *circa finem.* Bonac. *disp.*7. *q. unic. p.*5. *n.*5. & colligitur manifestè , tum ex usu Ecclesiæ , tum ex Florent. Concilio dicente : *Hoc Sacramentum dari non debet nisi infirmo , de cujus morte timetur.*

12. Neque inde fit , expectandum esse , ut infirmus sensu careat : id enim potius est contra reverentiam sacramenti. Neque item, ut salus viribus naturæ omninò desperata sit ; sed eo ipso, quòd prudenter judicatur , infirmum periculo vitæ laborare , ministrari Unctio potest,ut rectè dixit Suar.*dicta sect.*2. *n.*5. Coninch. *dub*7. *n.*24. Henr. *l.*7. *c.*11. *n.*3. Bon. *disp.*7. *de Sacram. q. unic. p.*5. *n.*7. Quapropter censerem , quoties Viaticum infirmo ministratur, statim & ministrari unctionem posse & expedire : quia jam censetur infirmitas grave periculum vitæ inducere.

13. Stante autem dubio absque opinione , an morbus de se , vel in hoc individuo sit periculosus, esto,

eſto, cenſeat Chapeavilla *de miniſtrat. Unction. c. 5. q. 11.* miniſtrandam eſſe unctionem ſub conditione : at verius exiſtimo cum Layman. *tract. 8. c. 4. circa finem*, ab hoc ſacramento ſuperſedendum eſſe : tum, quia non eſt ſacramentum neceſſitatis, tum, & præcipuè, quia ſacramentum miniſtrari non poteſt ei, quem ſaltem ſub opinione probabili non conſtiterit, illius fructus eſſe capacem : tum, quia eſt præceptum, ne aliis, quàm vita periclitantibus miniſtretur ; cujus præcepti tranſgreſſioni exponitur, qui infirmo dubium vitæ periculum tantùm habenti unctionem concederet.

14. Sed, an hoc periculum vitæ requiratur non ſolùm ad licitam, ſed etiam ad validam miniſtrationem, difficultate non caret. Coninch. *diſp. 19. dub. 7. num. 25.* negat requiri. Movetur, tum ex Jacobo, qui ſolùm expoſtulat infirmitatem, nullius periculi mortis mentionem faciens, ibi : *Infirmatur quis in vobis : inducat Presbyteros*, &c. tum ex Trid. *ſeſſ. 14. c. 3.* aſſerente, hanc unctionem eſſe infirmis adhibendam, illis præſertim, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur : ubi notandum eſt verbum, *præſertim*, quod indicat aliis infirmis ab iis, qui conſtituti ſunt in exitu vitæ, Unctionem eſſe adhibendam : tum ex Florent. dicente, his tantùm infirmis Unctionem dari debere, de quorum morte timetur. Expendo verbum, *debere*, quod licitum uſum, non valorem ſpectat, aliàs loco, *debere*, uteretur Concilium verbo, *poſſe*. Tum ratione, quia, ſi ad valorem ſacramenti periculum mortis expoſtulatur, cùm hoc incertum ſit, ſæpè hoc ſacramentum invalidè conferretur, neque deberet unquam miniſtrari abſolutè, niſi cùm periculum mortis certum eſſet, ac proinde expectandum eſſet, ut infirmus animam jam ageret : quod eſt contra *ſuperiùs* dicta, & receptam conſuetudinem.

15. Cæterùm communior ſententia tenenda eſt, invalidum eſſe ſacramentum infirmo miniſtratum, qui nec ratione infirmitatis, nec ob debilem ejus complexionem periculum mortis judicio peritorum ſubiit. Sic tradit Suar. *t. 4. in 3. p. diſp. 42. ſect. 2. n. 4. & 5.* Bonac. *diſp. 7. de unct. q. unic p. 5. n. 5.* Moveor primò ex Trident. *ſeſſ. 14. in proœmio hujus Sacramenti*, aſſerente, inſtitutum eſſe à Chriſto Domino, ut finem noſtræ vitæ, tamquam firmiſſimo quodam præſidio, muniter adversùs Diaboli inſidias. Supponit ergo, non aliis, quàm iis, qui in fine vitæ eſſe creduntur, miniſtrandum eſſe. Quòd optimè confirmari poteſt ex eo, quòd ſit totius vitæ Chriſtianæ (ut inquit Concil.) conſummativum. Secundò, ſi quilibet infirmus hujus ſacramenti capax eſſet, eique validè miniſtrari poſſet, nulla apparet ſufficiens ratio, cur Eccleſia ſolis infirmis periculoſis hoc ſacramentum concederet, & aliis denegaret : injuſtè enim viderentur privari tanto ſacramenti fructu, quo ex inſtitutione Chriſti capaces exiſtunt.

16. Neque rationes in contrarium urgent. Ad locum Jacobi reſpondeo, etſi non expreſſerit infirmitatis qualitatem, ex Eccleſiæ uſu, & praxi recepta ſatis expreſſam eſſe : ſiquidem non permittit aliis infirmis, quàm vita periclitantibus, Unctionem miniſtrari. Ad ſecundam ex Tridentino, nego, ex verbo, *præſertim*, indicari, quibuſvis infirmis Unctionem miniſtrari poſſe : imò potiùs colligitur, ſolis periculo vitæ laborantibus eſſe miniſtrandam : ſiquidem dixit Concilium, Unctionem infirmis adhibendam eſſe : illis verò præſertim, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur. Notandum, inquam, eſt verbum illud, *qui tam periculosè decumbunt* : ſupponit, inquam, alios infirmos, quibus unctio miniſtranda eſt, periculosè decumbere debere, tametſi non ita periculosè ut in exitu vitæ conſtituti cenſeantur : ſunt enim gradus periculi. Ad tertiam ex Florent. reſpondeo, fortè uſum eſſe, verbo, *debere*, ut contrariæ ſententiæ aliquam probabilitatem relinqueret. Præterquàm quòd, cùm Conc. in eo loco declaraverit, hujus ſacramenti ſubjectum, & ſolùm deſignaverit illud, de cujus morte timetur ; quodlibet aliud cenſetur excluſiſſe, tametſi uſum non fuerit verbo, *poſſe* ; ſed verbo, *debere*. Ad quartam ex ratione petitam reſpondeo, hoc ſacramentum non eſſe miniſtrandum, niſi cùm de periculo vitæ moraliter conſtet. Neque inde fit, ſacramentum invalidum eſſe, ſi fortè in re periculum abſit : quia, cùm Chriſtus Dominus hujus ſacramenti miniſtrationem hominibus reliquerit ; credendum eſt, ſic eam reliquiſſe, ut quoties prudenter judicaverint infirmum periculo vitæ laborare, concedere poſſint.

17. Supereſt dicendum, an ſemel, vel ſæpiùs hoc ſacramentum ſuſcipi poſſit. Et quidem, durante eodem periculo morbi, nullatenus repeti poteſt. Secùs verò illo periculo ſublato, & novo adveniente, ſecundùm peritorum judicium, tametſi non longum tempus præceſſerit, ſicuti docet S. Thom. *in Supplem. q. 33. art. 2. & in 4. diſt. 23. q. 2. art. 4.* Pal. *ibi. q. 4.* Sylveſt. *verbo, Unctio. q. 8.* Eman. Sà *n. 4.* Henriq. *l. 3. c. 19 num. 3.* Suar. *diſp. 40. ſect. 4. à n. 4.* Coninch. *diſp. 19. dub. 8.* Laym. *l. 5. ſum. tract 8. c. 4. in fine.* Valen. *diſp. 8. q. 2. p. 2. in fine.* Bonac. *diſp. 7. q. un. pun. 6. n. 4.* & alij. Prior pars, ſcilicet, durante eodem periculo, repeti non poſſe, conſtat, tum ex praxi Eccleſiæ, tum ex ſufficientia hujus ſacramenti, quod ſemel legitimè ſuſceptum, ſufficientiſſimum eſt ad roborandum, & muniendum infirmum in eo periculo conſtitutum adversùs Diaboli inſidias : Secundam partem, ſcilicet, repeti Unctionem poſſe, novo periculo adveniente, etiam Eccleſiæ praxis confirmat : & probat ratio : quia hoc ſacramentum inſtitutum eſt, ut firmiſſimum infirmorum vita periclitantium præſidium. Cùm igitur non tantùm ſemel, ſed ſæpè quis infirmari poſſit cum periculo vitæ, decuit, ut toties hoc præſidium applicaretur. Quod ſatis indicat Concilium aſſerens, ſolùm Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem imprimere characterem, tacitè indicans, reliqua Sacramenta repeti poſſe.

PUNCTUM VII.

De Miniſtro Unctionis.

1. *Nullus alius à Sacerdote eſt miniſter.*
2. *Sacerdos tamen, eſto degradatus, verum Sacramentum conficiet.*
3. *Ut licitè Sacerdos miniſtret, juriſdictionem habere debet.*
4. *Ex ratihabitione de futuro hoc Sacramentum miniſtrari poteſt.*
5. *Si Parochus nolit miniſtrare, nec dare alteri licentiam, quilibet Sacerdos poteſt ex præſumpta Epiſcopi, vel Pontificis facultate ſacramentum conficere.*
6. *Unus tantùm Sacerdos requiritur, nec debent eſſe plures.*
7. *Neceſſitate urgente, plures adhiberi poſſunt.*
8. *Quilibet ex dictis Sacerdotibus neceſſariò unctionem ſimul cum forma præſtare debet, neque poteſt unus unctionem, & alter formam conficere.*

1. SAcerdotem, & neminem alium extremæ-unctionis Miniſtrum eſſe docuit Florentinum Concilium *in illo decreto de Armenis*, & Trid. *ſeſſ. 14. c. 3. & can. 4.* & colligitur apertè ex *illo* Jacobi 5. *Inducat Presbyter.* Nomine enim Presbyteri in novo Teſtamento ſolos Sacerdotes intelligi probat Paulus 1. ad Timoth. 4. *Cum impoſitione manuum Presbyterii*, & Innocent. I. *epiſt. ad Decentium*, Anaclet. *epiſt. 2. decr.* Cyrill. *lib. 2. in Levitic.* Chryſ. *lib. 3. de Sacerdotio, c. 6.*

Ratio

Ratio est voluntas Christi. Congruentia desumi debet ex eo, quòd hoc sacramentum institutum sit ad sanctificandos fideles, cujus officium ad Sacerdotes pertinet, & ex eo, quòd dignitati hujus sacramenti conveniebat, ne per alios, quàm per Ministros consecratos concederetur, præcipuè cùm in hoc sacramento non adsit ea necessitas, quæ in Baptismo, ob quam Batismus à quolibet ministrari permittitur. Hinc fit, ministratum hoc sacramentum ab alio, quàm à Sacerdote, nullius effectus esse: quia ad essentiam sacramenti necessariò concurrere debet causa efficiens, quæ est minister à Christo institutus. Neque obstat Innocent. I. *in dicta epist. ad Decentium*, asserens, non solùm Presbyteris, sed omnibus etiam Christianis licitum esse, uti oleo sacro in sua, & suorum necessitate ungendo: quia non de unctione sacramentali, sed de unctione pia, & devota intelligendum asserunt Alphons. de Castro *lib. de hæresi, verbo, Extrema-Vnctio*, & Sotus *in 4. distinct. 23. quæst. 2. art. 1.* teste Valent. *t. 4. disp. 81. quæst. 2. p. 1.* Quòd si de unctione sacramentali Innocentius loquatur, ut manifestè colligi videtur ex contextu, præcipuè cùm in fine concludat, hanc unctionem genus esse sacramenti, dicendum est cum Jansenio *in c 6. Marci*, & *ibi* Maldonato. Bellarmin. *lib. 1. de Sacramento, c. 9.* Suar. *disp. 43. sect. 1. in fine.* Ægid. de Coninc. *disp. 1. dub. 8. n. 27.* Innocentium locutum esse, non de usu activo hujus sacramenti, seu de illius ministratione: sed de usu passivo, hoc est, de illius susceptione, quam asserit, cuilibet Christiano in sua, & suorum necessitate licere, vocando, scilicet, Presbyteros, qui se, & suos in necessitate ungant.

2. At eo ipso, quo quis sacerdos est constitutus, licet degradatus, vel excommunicatus existat, validè hoc sacramentum conficere potest: quia retinet sacerdotii qualitatem, quæ sola requisita est in ministro ad sacramentum hoc validè conficiendum, ut apertè colligitur ex Jacobo, & ex Florentino, & Tridentino. Neque hoc sacramentum, sicuti Pœnitentia, administratur per modum judicii, & sententiæ, ut jurisdictionem expostulet in Ministro ad illius valorem, sed administratur, tum unctione, tum deprecatione, quæ actiones non essentialiter exigunt jurisdictionem. Ergo quilibet simplex sacerdos valide hoc sacramentum ministrare potest. Atque ita docuit Suar. *tom. 4. in 3. p. disp. 43. sect. 1. n. 4.* Bonac. *disp. 7. de Sacram. q. un. p. 4. n. 3.*

3. Verùm, esto, valide quilibet sacerdos hoc sacramentum ministrare posse, illicite tamen ministraret, nisi jurisdictionem habeat in infirmum ab Ecclesia non impeditam: ac proinde nisi Parochus sit, vel à Parocho potestatem habeat. Quia pascere fideles spirituali sacramentorum cibo munus est Pastoris, ut rectè notarunt Valen. *disp. 8. q. 2. p. 1.* Coninc. *disp. 19. dub. 8. n. 28.* Laym. *tract. 8. c. 6. n. 1.* Bonac. *disp. 7. q unic. p. 4. n. 5.* & colligitur aperte ex Clem. 1. *de privilegiis*, ubi Religiosi exempti, qui hoc sacramentum, absque Parochi licentia administrare præsumunt, ligantur excommunicatione Pontifici reservata; quam tamen non contrahunt alii Clerici sæculares.

4. Ab hac illicita administratione excusantur, tum Religiosi, tum alii Clerici sæculares, si ex ratihabitione de futuro probabiliter præsumpta administrent, uti docuerunt in præsenti Valent. *d. disp. 8. q. 2. pun. 1.* Emm. Sà *verb. Extrema-Vnctio*, *n. 8.* quia actiones, quæ non ut validè, sed, ut licèt fiant, consensum alterius expostulant, si hic probabiliter præsumatur, licitæ fiunt jure sic disponente.

5. At si contingat casus, quo infirmus Unctione indigeat: Parochus verò, vel non possit, vel nolit ministrare, nec alteri Sacerdoti facultatem concedere; & communiter Doctores docent, teste Valent. *disput. 8. quæst. 2. p. 1.* Coninch. *disput. 19. dub. 9.* Laym. *lib. 5. tract. 8. cap. 5. num. 2.* Suar. *disp. 44. sect. 2. n. 3.* Henriq. *lib. 3. c. 13. n. 4.* Bonac. *disp. 7. de Vnctione, quæst. unic. p. 4. n. 6.* quemlibet Sacerdotem non excommunicatum, nec suspensum posse, & debere Unctionem ministrare: quia eo casu ex licentia Episcopi, vel Summi Pontificis ministrat, qui censentur Parochi defectum supplere. Non enim præsumendum est, velle Ecclesiam, ob iniquitatem Parochi, privare infirmum eo salutari præsidio, fortè ad æternam salutem necessario.

6. Dixi, solum sacerdotem esse Ministrum hujus sacramenti: sed an unus, vel plures, nonnulla est difficultas ob Jacobum dicentem: *infirmatur quis in vobis: inducat Presbyteros.* Si enim unus tantùm Presbyter, inducendus esset ab infirmo, non assereret Jacobus, Presbyteros inducendos. Cæterùm dicendum est, unicum sacerdotem sufficere, ut probat praxis, & usus Ecclesiæ; & Florentin. & Trident. asserentia, Ministrum hujus sacramenti esse Sacerdotem. Neque repugnat Jacobus, tametsi dixerit: *Inducat Presbyteros.* sumit enim plurale pro singulari, ut est frequens in sacro elogio, juxta illud Matth. 27. *Et latrones improperabant ei*, cùm tamen, ut constat ex Luc. 23. unus tantùm improperabat.

7. Quinimò extra necessitatem illicitè plures ministri adhiberentur, cùm juxta usum, & praxim Ecclesiæ omnes unctiones ab eodem ministro, si fieri potest, peraguntur. At stante necessitate non solùm validè, sed licitè à pluribus ministris confici hoc sacramentum potest. Necessitas autem potest intervenire vel ex parte Ministri, si inter ungendum deficiat, vel ex parte infirmi, si timeatur decessurus, antequàm omnes unctiones ab eodem Ministro perficiantur. His enim casibus asserunt Suar. *disp. 43. sect. 2. à num. 4.* Coninch. *disp. 19. dub. 9. in fine.* Laym. *lib. 5. tract. 8. cap. 5. à n. 3.* Bon. aliis relatis, *disp. 7. de unct. q. unic. p. 4. n. 8. & 9.* posse, & debere plures sacerdotes concurrere ad conficiendam unctionem. Et quidem si necessitas urget ex parte infirmi adhiberi possunt plures Sacerdotes, quorum singuli suas unctiones sub suis formis peragant. Si verò ex parte Ministri contingit necessitas, alius sacerdos perficere debet unctiones, quas sacerdos deficiens omisit. Nam esto, quælibet unctio sub sua forma sacramentum essentialiter non constituit panis consecratio calice non consecrato: at habet suam perfectam significationem per se ordinatam ad conficiendum cum aliis unctionibus unicum sacramentum, ideóque ab unico sacerdote completè facta reperenda non est, sed ea supposita aliæ sunt peragendæ.

8. Illud verò est omnino certum, uti tradunt Suar. Coninch. Layman. Bonac. & alii *suprà*, nullatenus posse à diversis Sacerdotibus, quorum unus unctionem, alter formam proferat, sacramentum hoc perfici; sed necessariò debere eundem sacerdotem ungere, & formam proferre, ut satis indicavit Jacobus cùm dixit: *Inducat Presbyteros qui orent super eum, ungentes eum* &c. Illi enim Prebyteri qui super infirmum, orare debent, hoc est, formam hujus sacramenti proferre, simul ungere debent. Non enim orare debent, nisi ungentes, neque ungere, nisi orantes. Præterquàm quòd verba formæ *Per hanc sanctam Vnctionem*, cùm practica sint, nullo modo significant unctionem ab alio factam, sed factam ab eo, qui formam profert.

PUNCTUM VIII.

De obligatione, tum fidelium ſuſcipiendi hoc Sacramentum, tum Parochi illud miniſtrandi: & de tribus obſervandis in illius adminiſtratione.

1. *Non eſt præceptum de ſuſcipiendo hoc Sacramento.*
2. *Si abſque cauſa juſta illius ſuſceptio omittatur, peccatum eſt veniale.*
3. *Ex accidenti peccatum eſſe poteſt mortale illius omiſſio.*
4. *Quæ ſit obligatio Parochi miniſtrandi hoc Sacramentum.*
5. *Qualiter tempore peſtis teneatur Parochus*
6. *Qualiter alii Sacerdotes.*
7. *Quam diſpoſitionem habere debeat Sacerdos, ut ritè miniſtret: & ſuſcipiens ut ritè ſuſcipiat*
8. *Qualiter Sacerdos debeat eſſe à cenſura liber. ut rite hoc ſacramentum miniſtret.*
9. *Præſente Parocho excommunicato non tolerato, ſimplex ſacerdos adminiſtrare debet, ſecus ſi toleratus ſit.*
10. *Suſcipiens ab omni cenſura debet eſſe liber.*
11. *De ritibus obſervandis, & primo, quibus veſtibus ſacris indutus miniſtrare ſacerdos debet.*
12. *Adhibendus eſt miniſter.*
13. *De orationibus, & exhortationibus præmittendis.*
14. *Recitandi ſunt Pſalmi ab abſtantibus.*
15. *Qualiter unctiones peragendæ ſunt.*
16. *Illis peractis ſunt partes abſtergendæ.*
17. *Peracta miniſtratione quid faciet Sacerdos.*
18. *An hoc ſacramentum ante Viaticum, vel ſumpto Viatico debeat miniſtrari.*

1. NUllum eſſe præceptum impoſitum fidelibus recipiendi hoc ſacramentum, communis ſententia docet cum D. Thom. *in 4. diſtinct. 23. artic. 1. quæſt. 3.* Paludan. *quæſt. 3.* Soto *quæſt. 1. artic. 1.* Navar. *c. 22. n. 16.* Covarru. *c. Alma 2. part. §. 2. n. 6.* Suar. *diſp. 44 ſect. 1. n. 1.* Coninc. *diſp. 19. dub. 10.* Layman. *tr. 8. c. 7.* Bonac. *diſp. 7. q. unica, part. 5. n.....* Emm. Sà *verbo, Extrema Vnctio, n. 5.* & aliis. Etenim hoc ſacramentum non eſt inſtitutum, ut medium neceſſarium ad peccatorum remiſſionem, Baptiſmo namque, & pœnitentia remittuntur pecata neque item eſt, medium unicum, quo infirmus inſidias, & tentationes inimici ſuperare debeat; cùm id mediis orationibus, & ſacrificio obtinere poſſit: ergo ex vi inſtitutionis hujus ſacramenti non obligantur fideles ad illud ſuſcipiendum. Præceptum autem divinum de hac ſuſceptione nullum eſt: nam Jacobus hoc ſacramentum promulgans nullum verbum protulit obligationem apertam inducens: illa enim verba *Infirmatur quis in vobis: inducat Presbyteros* ſatis convenienter de conſilio intelligi poſſunt. Ex Pontificibus verò, & Conciliis nullatenus hæc obligatio colligitur. Nam eſto Concilium Colonienſe *part. 7, c. 50.* dixerit: *Eſt autem unctio impendenda cum expoſit. unctionis, & mandati apoſtolici, quod ſic habet: Infirmatur quis in vobis* nomen *mandatum*, latè ſumendum eſt, prout ordinationem ſuperioris, & illius voluntatis expreſſionem ſignificat, vel referendum eſt ad mandatum de ritu, & forma, ſub qua hoc ſacramentum miniſtrandum eſt, non ad uſum illius, Trident. vero *ſeſſ. 14. cap. 3.* eſto, dixerit, non poſſe à fidelibus ſine peccato contemni, quod veriſſimum eſt, non inde fideles arctantur per ſe illud ſacramentum recipere: ſiquidem abſque ullo contemptu omittere poſſunt, ſicuti omittunt alia media ad ſalutem maximè utilia. Ex conſuetudine autem, quæ communiter viget apud omnes fideles, ſuſcipiendi hoc ſacramentum, non poteſt obligatio ſtricta colligi: quia illud non ut neceſſarium, ſed ut maximè utile recipiunt. Denique, ſi ſuſceptio hujus ſacramenti in præcepto eſſet morituris, ſicuti eſt ſuſceptio Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, tempore interdicti permitteretur, uti permittuntur Ponitentia, & Euchariſtia, contra textum in cap. *Quod in te de pœnitent. & remiſſ.*

2. Verùm eſto, fideles per ſe nullo præcepto teneantur ad hujus ſacramenti ſuſceptionem, non eſt dubium, ſaltem peccati venialis reos eſſe, ſi abſque ulla juſta cauſa (quæ rarò contiget) illius ſuſceptionem omittant, vel docuit Coninch. *diſp. 19. dub. 10. num. 03.* Laym. *lib. 5. ſum. tract. 8. in cap. 7. in princ.* & ſupponit Suar. *diſp. 44. ſect. 1. num. 4.* quia contra rationem eſt, tam ſalutiferum ſalutis remedium in occaſione ita urgenti, & periculoſa negligere. Sed, quia aliis remediis, licet non æquè benè, juvari poſſunt, ea de cauſa non eſt mortalis illius omiſſio, tametſi contrarium ſentiat Petr. de Soto *tect. 2. de extrema-Vnctionem.*

3. Ex accidenti autem, certum eſt peccare poſſe mortaliter infirmum, hoc Sacramentum omittentem. Primò, ſi omittat ex contemptu, qui vix eſſe poteſt abſque hæreſi. Non enim contemnere cenſetur, qui ex negligentia, & acedia omittit; vel qui omittit, quia non reputa ſibi neceſſarium, ut benè Eman. Sà *verb. Extrema Vnctione, n. 5.* Suar. *diſp 44. ſect. 1. n. 6.* ſed, qui omittit, nihil hoc Sacramentum æſtimans, quod, ut dixi, ſine errore infide conſiſtere vix poteſt.

Secundò, eſt peccatum mortale, ſi ex illius omiſſione ſcandalum generetur, uti docent ex communi ſententia, Emm. Sà, Suar. *loc. alleg.* Coninc. *diſp. 19. dub. 10. n. 30.* Laym. *c 7. n. 2.* Bon. *diſp. 7. q. un. pun. 5. n. 10.* Hoc autem ſcandalum regulariter cenſebitur datum, ut benè advertunt Coninch. & Laym. *ſuprà*, ſi rogatus infirmus, an velit ſibi Unctionem deferri, nulla abhibita cauſa reſpuat abſolutè. Secùs, ſi differat paratus commodioti tempore ſuſcepturus. Scandalum verò, quod ex hac omiſſione timeri probabiliter debet, ut ratione illius peccatum ſit mortale, eſt, ſi inde alii occaſionem ſumant ſacramenta ſalutis parvi pendendi, de infirmi ſpirituali, & æterna ſalute malè ſentiendi, & ſimilia, &c Tertiò, mortale erit peccatum, ſi conſcius peccati mortalis nullum aliud ſacramentum recipere poteſt: quod certè vix continget, ſi ipſe ratione utatur, cum ſacerdos, qui miniſtraturus eſt Unctionem, & Pœnitentiæ ſacramentum miniſtrare poſſit, & debeat. Sed dato, quòd Sacerdos nolit, vel non poſſit Pœnitentiæ Sacramentum miniſtrare: adhuc non eſt ita certa obligatio infirmi ſuſcipiendi hoc Sacramentum: etenim cùm ad hujus Sacramenti ſuſceptionem, neceſſariò ſuſcipiens ſe debeat contritum reputare, eo ipſo condemnationis morale periculum evitat. Præterquàm quòd non ſit certum, Unctione hoc periculum vitari: non enim eſt certum, ſed ſub opinione poſitum. Unctionem attrito gratiam conferre. Cæterùm quia communiter Doctores docent, Unctionem efficacem eſſe ad conferendam gratiam ei, qui bona fide exiſtimat, contritum eſſe, cùm tamen ſolùm attritus exiſtat, & plerumque quis decipiatur, putans eſſe contritum, cùm tamen non ſit, & damnum, quod inde imminet, ſit irreparabile; verius cenſeo, lege charitatis obligatum eſſe eo caſu Unctionem ſuſcipere, ut media illa ſecuram viam ſalutis reddat, quoad fieri poſſit: quippe quilibet Chriſtianus videtur obligatus, ſaltem media ordinaria pro ſecuritate ſuæ æternæ ſalutis adhibere.

4. Quoad obligationem Parochi miniſtrandi hoc Sacramentum, dicendum eſt, obligatum eſſe ratione muneris, hoc Sacramentum infirmo miniſtrare, peccaréque mortaliter, ſi ita differat, ut periculo infirmum exponat abſque unctione decedendi. Nam eſto, hoc Sacramentum neceſſitatis non ſit; eſt tamen ſummæ utilitatis: Parochus autem non ſolùm remedia

neceſ

necessaria; sed valdè utilia à Christo instituta; & ab Ecclesia usitata providere subditis debet, & maximè rogatus, ut benè notavit Suarez *disp.44. sect.2. n.1.* Coninch. *disp.19. dub.10. concl.2. numer.31.* Laym. *tract.8. de Unctione capit.7. num.3.* Bonac. *disp.7. q. unic. p.5. n.12.*

5. Ad autem tempore pestis teneatur Parochus hoc Sacramentum suis subditis ministrare, sicuti diximus teneri Pœnitentiam, & Eucharistiam; non est constans sententia. Certum existimo, obligatum esse, si periculum contagionis vitare possit, obligando infirmum, ut in loco puro, & patenti collocetur, tum sumendo antidota, & præservativa; tum ungendo infirmum virgula aliaqua oblonga; tum ministrando ea tantùm, quæ essentialia sunt: quia, secluso periculo contagionis, nulla adest causa, quæ Parochum excusare possit ab hujus Sacramenti administratione, cùm ad id ex officio teneatur, & sub ea conditione à subditis alitur, eique obedientiam, & reverentiam præstant. Verùm si, tentatis omnibus, periculum morale contagionis vitari non possit, quod difficile est, censeo probabilius cum Suar. *disp.44. de Unctione, sect.3. in fine, n.20.* obligatum Parochum non esse: quia eo Sacramento absolutè infirmus non indiget: quod maximè procedit, si inde alii privarentur Pœnitentiæ, vel Eucharistiæ administratione: quippe deficiente eo Parocho, non facilè invenietur, qui illius vices suppleat.

6. Si verò de aliis Sacerdotibus loquamur, & absit proprius Parochus, vel nolit hoc Sacramentum ministrare, distinguendum est. Si infirmus nullum aliud Sacramentum suscepit neque illi ministrari potest, tenentur sub gravi culpa ei Unctionem concedere: quia lege charitatis obligatur quilibet subvenire proximo graviter indigenti, cùm commodè potest. At infirmus eo casu præsumi debet graviter indigere Unctione: fortè enim ex illius ministratione æterna salus infirmi pendet. Verùm, si alia Sacramenta suscepit, non videtur sub mortali culpa obligari Unctionem ministrare: quia moraliter præsumi non potest infirmus ea graviter indigere. At à culpa veniali gravi nequaquam excusari possunt, cùm privent proximum, absque rationabili causa, remedio ita utili, & ad salutem convenienti. Sic docuit expressè Paludan. *in 4. dist.23. quæst.1. art.2. concl.2.* Conin. *disp.19. dub.10. in fine conclus.3.* Laym. *lib.5. sum. tract.8. capit.7. in fine, n.3.*

7. Quòd si roges, quam dispositionem habere debeat, tum Sacerdos, ut hoc Sacramentum convenienter ministret, tum infirmus, ut illud ritè suscipiat? Breviter respondeo ex dictis *tract. de Sacrament. in genere*, utrunque in gratia existere debere; Sacerdos namque; quia est consecratus Minister ad hujus sacramenti collationem, ideóque si gravatum morali se sentiat, conteri debet, priusquàm sacramentum ministret. Neque excusari potest, ut inquit Suar. *disp.44. sect.2. n.5.* ob infirmi necessitatem, cùm brevissimo tempore divina gratia adjutus habere contritionem possit. Suscipiens verò etiam se reputare debet in gratia existere: quia hoc Sacramentum non mortuorum, sed vivorum est: si tamen aliquando contingat in peccato existere, & bona fide Sacramentum suscipiat, illius remissionem obtinebit; quia ad hunc effectum est per se institutum, juxta illud Iacobi: *Et si in peccatis sit, remittuntur ei.*

8. Deinde sacerdos liber debet esse excommunicatione, aliáve censura, utpote quæ privat sacramentorum administratione; si tamen ea excommunicatio denunciata non sit, administrare sacramentum poterit rogatus, licitéque infirmus eam ab illo ministrationem rogare poterit. At, si sacerdos excommunicatus denunciatus sit, vel manifestus Clerici percussor, credit Suarez *disp.44. sect.2. num.5.* nequaquam posse hoc sacramentum ministrare, tametsi infirmus ob eam causam sine Unctione discedat: quia non est sacramentum præcisæ necessitatis, sed solùm utilitatis, quam Ecclesiam omittendam judicat ob rigorem excommunicationis servandum, sicuti ob servandum populi interdictum, nec dare, nec suscipere hoc Sacramentum eo tempore permittit. Ob suspensionem autem credit idem Suar. *num.6.* Sacerdotem impeditum non esse, quin possit Unctionem ministrare, quia non usu Ordinis, sed jurisdictionis privat. Sed verius existimo, suspensum, & excommunicatum posse hoc sacramentum infirmo ministrare, si nullus alius adsit, qui velit, vel possit: quia ea obligatio cedit in grave detrimentum infirmi, & fortè in illius æternam damnationem. Non igitur est credendum de benignitate Ecclesiæ velle eo tempore observari. Præterea, suspensio ab officio æquè privat Ordinis usu, sicuti excommunicatio: sed non obstante ea privatione, suspenso permittit Suar. hujus sacramenti ministrationem. Ergo etiam permittere debet excommunicato. Neque est simile de interdicto populi, in cujus observatione bonum commune spectatur, & singulari simpliciter, non necessariò præfertur.

9. Illud verò reputa certum, præsente Parocho excommunicato denunciato, si adsit alius sacerdos, etiam simplex, non impeditus, posse, & debere unctionem ministrare: præferri enim debet simplex sacerdos, qui jurisdictione positivè privatus non est. Administrat verò sacramentum, non tam ex facultate & licentia Parochi excommunicati denunciati; sed ex facultate Episcopi, vel summi Pontificis, quæ præsumitur eo casu concessa, ne infirmus sine unctione decedat, neve positivè privatus jurisdictione, & Ordinis usu, sacramenti administrationi se ingerat. Atque ita docuit Suarez *disp.44. sect.2. num.6.*

10. Suscipiens autem hoc sacramentum, ab omni excommunicatione, & interdicto liber esse debet. Quapropter, si aliqua ex his censuris ligatus creditur, absolvendus primò est, antequam hoc sacramentum ei conferatur, ut benè notavit Emm. Sà *verb. Extrema Unctio, num.1.*

11. Denique, quod ad ritus, & cæremonias attinet, servandi sunt ab Ecclesia præscripti, quoad fieri possit, neque absque gravi necessitate omittendi. Videatur Rituale Romanum de *ordine ministrandi hoc Sacramentum.* Ex cæremoniis igitur hæ sunt præcipuæ. Prima est, ut Sacerdos ministraturus hoc sacramentum, accedat superpelliceo, & stola indutus: & absque his vestibus sacris peccatum esset mortale, si sacramentum ministraret; tametsi infirmus absque Unctione decederet: quia reverentia sacramenti cuilibet privatæ utilitati præferenda est, uti tradunt, tanquàm certum, Suar. *disp 44. sect.2. in fin.* Naldus *verb. Extrema unctio. n.1.* Bonac. *disput.7. q. un. p. ult. in fine.*

12. Secundò, adhibere debet Sacerdos Clericum, vel saltem, unum, qui ei ministret. Quod si id commodè fieri non potest, non erit peccatum absque illo unctionem ministrare, sicuti docuit Tolet. *de Extrema Unctione c.2.* Emm. Sà *n.9.* Bartholom. ab Angelo *dial.3. §.153.* Bon. *disput.7. de Unctione. q. un. p. ult. num.9.* Laym. *lib 5. tract.8. c.8 n.2.* & colligitur aperrè ex cap. *de verb. signific.* & *ibi* Glossu.

13. Tertiò, tenetur sacerdos, dum pervenit ad locum ubi jacet infirmus, dicere: *Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.* Deinde infirmo Crucem piè osculandam porrigere; cubiculum, & circunstantes, in modum Crucis, aqua benedicta aspergere. Quòd si ægrotus velit confiteri, tenetur illum audire. Præterea piis verbis debet infirmum consolari, & de hujus sacramenti vi, ac efficacia si tempus ferat, breviter admonere; & quantum opus sit, ejus animum confirmare, & in spem erigere vitæ æternæ. Mox subjungat orationes, quæ in Rituali præscribuntur, quarum

omiſſionem abſque neceſſitate non eſt dubium, peccatum mortale eſſe, ut notavit Bon. *d. diſp. 7. q. un. ult. num. 7.* At ſi neceſſitas urgeat, tum ex parte infirmi, quia eſt nimis morti propinquus: vel ex parte miniſtri, cui adeſt periculum contagii, ſi detineatur; poterunt ſupradicta omnia omitti ut ex communi ſententia teſtatur Zambr *de extrema unctione, in princ. n. 10.* Laym *lib. 5. tr. 8. c. 8. n. 1.* Suar. *diſp. 44. ſect. 2. in fine* Bonac. *loc. alleg.* & notatur in Rituali Romano reformato.

14. Quartò, debent aſtantes dum infirmus à ſacerdote ungitur, Pſalmos pœnitentiales, & Litanias recitare: quorum omiſſionem etiam abſque neceſſitate, non reputarem peccatum mortale: quia plerumque abſque ſcrupulo omittuntur, ſicut notavit Bonac. *diſp. 7. q. un. p. ult. n. 7.*

15. Quintò, præſtare debet unctiones pollice dextro intincto oleo ſancto, & ungere infirmum ſub præſcripta forma verborum. Quòd ſi infirmus peſte, aliáve contagioſa infirmitate laboret, poterit ſacerdos virgula argentea, vel alia ſimili unctionem præſtare, uti docuit Chapeavilla *de Vnctione, c. 5. §. 39.* Suar. *diſp. 44. ſect. 3. in fine, n. 20.* Laym. *lib. 5. ſum. tr. 8. c. 8. n. 1.* In his tamen unctionibus ſervandus eſt ordo præſcriptus, ut priùs in oculis, deinde ad aures, &c. unctio fiat, neque abſque gravi peccato credere, poſſe hunc ordinem inverti: ungere tamen utrunque oculum, aures, manus, & pedes, tametſi ad eſſentiam Sacramenti non pertineat, ideóque urgente neceſſitate poſſit ſacerdos unius partis unctione contentus eſſe: attamen per ſe grave eſſet peccatum, ſi ſecluſa ea neceſſitate unicus tantùm oculus, vel auris injungeretur. Zambran. *de extrema unct. in princ. n. 9.* Emm. Sà *n. 12.* Suar. *diſp. 40. ſect. 1. n. 5.* Laym. *l. 5. ſum. tr. 8. c. 8. n. 2.* Movet tamen Rituale Romanum reformatum, Sacerdotibus non eſſe ungendas manus interiùs, ſed exteriùs, idque notavit, Sà *verbo, Extrema - Vnctio, in fine edit. Rom.* Prætereà advertit Rituale, unctionem ad lumbos in fœminis ob decentiam debere omitti: in viris verò, ſi ob infirmitatem vix, aut ſine periculo moveri non poſſunt. Illud verò eſt certum, opus non eſſe infirmum in lecto decumbere, ſed quocunque loco exiſtat, ſin periculo mortis verſatur, ungi poſſe, ſicuti docent Suar. *d. 44. ſect. 2. in fine.*

16. Sexto, peracta qualibet unctione, Miniſter, ſi eſt in ſacris, ſin minùs Sacerdos tergere debet loca injuncta ſtupa, aliáve ſimili re, & in vaſe mundo depoſitam ſtupam, & ad Eccleſiam delaram poſtmodum comburere, cineréſque projicere in ſacrarium, uti habetur in Rituali, & docuit Sà *n. 14.* Laym. *c. 8. n. 3.*

17. Quibus peractis, Sacerdos, antequam diſcedat, debet aliquas orationes in Rituali præſcriptas recitare, & ſalutaria monita pro perſonæ qualitate infirmo præbere.

18. Ad extremum dubitare quis poteſt, an hoc Sacramentum ante, vel poſt ſumptum Viaticum miniſtrandum ſit? Et quidem conſuetudo ſatis recepta viget, quòd priùs Viaticum miniſtretur, quàm unctio. Ob quam cauſam Catechiſmus Romanus *2. part. c. 6. num. 12.* inquit: *Servanda eſt Eccleſiæ catholicæ perpetua conſuetudo, ut ante Extremam-Vnctionem, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtretur.* Neque ratio congrua deeſt, cùm Euchariſtia cibus ſit alens, & confortans eos, qui in via Domini procedunt, ideóque expedit, priùs miniſtrari, quàm Sacramentum pro exeuntibus ex hac vita inſtitutum. Et fortè ob hanc cauſam gravius vitæ periculum expoſtulatur ad concedendam Unctionem, quàm ad concedendum Viaticum.

Verùm, ut rectè notat Suarez. *diſput. 44. ſect. 1. num. 8* hæc conſuetudo, tanquàm rationabilis, & maximè expediens introducta eſt, non tanquàm ſub gravi culpa obligatoria, quia neque Pœnitentia, neque Euchariſtia ſunt per ſe diſpoſitiones ad Unctionem, & ſæpè convenit, unctionem ante Viaticum miniſtrari; quia Viaticum ſumi non poteſt; quia non adeſt Hoſtia conſecrata, vel infirmus incapax eſt illud recipiendi. Quinimò tempore antiquo Viaticum poſt Unctionem concedebatur, ut tradit textus in cap. *Ab infirmis. 26. quæſt. 7.* ibi: *Infirmos poſt confeſſionem ſacra Vnctione injunctos Communione Viatici eſſe reficiendos*, & S. Bernard. *in vita Malachiæ*, ejus mortem deſcribens, ibi: *Vngitur, & ſumpto Viatico Fratrum ſe orationibus, & Fratres commendans Deo, ad lectum revertitur.* & pluribus aliis exornat Suarez *dicta diſp. 44. ſect. 1. numer. 8.* Congruentia autem conſuetudinis fuit, ut ſignificaretur, Euchariſtiam finem eſſe, & perfectionem reliquorum Sacramentorum, ad eámque accedere debere infirmum plenè, & perfectè purgatum, tum Pœnitentia, tum Unctione, quæ Pœnitentiæ conſummatio eſt. Illud verò eſt certum, ſi poſt ſumptam Unctionem infirmus aliquo tempore vivat, poſſe, & debere, ſi petat ei Viaticum miniſtrari, tametſi ante Unctionem reciperit, ſicuti benè advertit Suar. *d. ſect. 1. num. 8. in fine.* Laym. *tract. 8. cap. 8. in fine.* & fortè, ut inquit Suarez, textus in dicto cap. *Ab infirmis.* & D. Bernard. Aliique Patres, quos ipſe refert, de hoc repetito Viatico intelligendi ſunt: neque enim cenſendi ſunt negare, ante Unctionem fuiſſe infirmis Viaticum miniſtratum.



TRACTATUS XXVII.

ET

DISPUTATIO UNICA,

DE SACRAMENTO ORDINIS.

PUNCTUM I.

De nomine, & natura Ordinis, ejúsque institutione.

1. *Nomen Ordinis varie sumitur.*
2. *Definitio Ordinis, seu Ordinationis*
3. *Ordo. Sacramentum est à Christo institutum.*
4. *Institutum est in ultima Cœna.*

1. NOMEN Ordinis variè à Doctoribus accipitur, uti refert Ambros. Calepin. *in suo Dictionario.* Propriè sumitur pro digestione, seu rei cujusque in loco collocatione, veluti in exercitu, ubi pedites, ubi aleæ, cæteráque omnia, suo quæque ordine collocantur. Unde August. *lib. 9. de civitate Dei, cap.* 13. definiens ordinem, inquit: *est parium, dispariúmque rerum sua cuique loca tribuens dispositio.* Secundò, & principaliter sumitur pro qualitate, & statu hominum: qua ratione Romæ tres erant hominum ordines, seu status; senatorius, equestris, & plebejus: & in Christiana republica duo sunt, sæcularis, & clericalis, juxta textum in cap. *Duo sunt* 12. *quæst.* 1. Hinc per antonomasiam status Clericorum, Ordo dicitur: quia ex divina ordinatione, & dispositione, consecrantur, & deputantur in Dei obsequium, cultum, & honorem, uti tradit Bellarmin. *lib. 1. de Cleric. cap.* 1.

2. Actio autem, qua prædicti homines consecrantur, & deputantur ad prædictum munus, & Officium, Ordinatio dicitur, quam Doctores cum Mag. *in* 4. *d.* 24. communiter definientes asserunt esse cæremoniam sacram, qua ordinato conceditur potestas ad aliquod altaris officium seu ministerium peragendum firmiter, & stabiliter, ita ut revocari nunquam, possit, aut deleri, tametsi ejus exercitium possit suspendi, uti dixit August. *lib. de bono conjugali, cap. it.* 24. ideóque Tertull. *lib. de præscript.* notavit Hæreticorum proprium esse, ut cras sit laïcus, qui hodie est Minister.

3. Ordinem, seu Ordinationem Sacramentum esse à Christo institutum, definivit Conc. Florent. *in decreto fidei, potest sess. ult.* § *Sextum sacram.* Trident. *sess.* 7. *can.* 1. & *sess.* 23. *cap.* 3. & *can.* 3. & pluribus comprobant adversùs Hæreticos nostri Scriptores, præcipuè Bellarm. *tom.* 2, *lib. de Sacram. Ordinis à c.* 2. & Gab. Vasq. *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 235. Et ratio deducta ex fidei principiis est manifesta. Nam signum visibile, quo gratia sanctificans confertur, sacramentum est: at in Ordinatione adest hujusmodi signum visibile, scilicet, manus impositio, quo gratia sanctificans ordinato confertur, ut constat ex illo Paul. 1. ad *Tim.* 4. *Noli negligere gratiam quæ data est tibi per prophetiam* (id est, per negligentiam,) *quàm à Christo accepi, ut te in Episcopum eligerem cum impositione manuum presbyterii* id est, medium manuum mearum impositione, quæ ad conferendum presbyterium ordinatur, uti clariùs dixi 2. ad Tim. 1. *Admoneo te ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Quòd verò in prædictis locis Paulus nomen, *gratia,* non solùm pro potestate consecrandi, offerendique sacrificium, sed etiam pro ipsa gratia habituali usurpaverit, colligitur apertè ex ratione, quam subjungit, ob quam Timotheus debeat gratiam suscitare, scilicet, quia non dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, dilectionis, & sobrietatis. At spiritus virtutis, dilectionis, & sobrietatis est charitas gratiáque justificans: ergo per impositionem manuum hæc gratia confertur. Deinde ad ritè peragendam consecrationem offerendúmque sacrificium, gratia habitualis necessaria est: debuit ergo simul cum illa potestate habitualis gratia conferri, præcipuè cum collata sit cæremonia, & ritu externo firmo, & stabili.

4. Hoc Sacramentum institutum est à Christo Domino in ultima Cœna, cùm Apostolis concessit potestatem, & imposuit præceptum, suum Corpus, & Sanguinem consecrandi, Lucæ *cap.* 22. ibi: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quod expedens Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. *post. med.* inquit: *At sub earundem rerum symbolis Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, & eisdem eorúmque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem.* uti semper Catholica Ecclesia intellexit. Et licèt Concilium non definierit, an supradictis verbis in Sacerdotes Apostolos ordinaverit, manifestè deducitur vel illis, vel aliis *paulò ante* dictis ordinatos fuisse: siquidem præcipiebat Sacrificium offerre, ad cujus oblationem necessariò Minister consecratus requirebatur. Quinimò verosimilius est, ut rectè advertit Vasq. *t.* 3. *in* 3. *p. disp.* 236. *c.* 1. *n* 2. illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Christum Dominum, & Apostolis præcepisse suum Corpus, & Sanguinem consecrare; & simul in Sacerdotes illos constituisse.

PUNCTUM II.

Quotuplex sit Ordo, & quæ ejus officia,

1. *Referuntur variæ sententiæ.*
2. *Septem Ordines sunt in Ecclesia.*

3. *Quare ſacerdotium, diaconatus,& ſubdiaconatus ſint, & dicantur Ordines majores, & ſacri.*
4. *orater ſupradictos,nullus eſt alius Ordo perfectus.*
5. *Proponuntur rationes contrarium probantes, illis que fit ſatis.*
6. *Epiſcopatus non conſtituit diſtinctum Ordinem.*

1. ORdinationes, ſeu Ordines, novem eſſe, affirmant Canoniſtæ,ut videre eſt apud Felin. *cap. Scut. el3. de ſimonia,num.* 2. Covar. *in cap. Nos,de teſtamentis n.*4. Gregor. Lopez *in proœmio,tit.*6. *part.*1. Zenedo *ad decret. collect.*105. *numer.*2. nempe primam tonſuram,quatuor minores Ordines,& tres majores, & epiſcopatum. Alii, ut Titelman. *lib..de Sacram. c.*3. addunt prædictis Ordinem pſalmiſtarum, ſive cantorum, , quibus favet Concil. Carthaginenſe IV. *c.*10. enumerans cantores eccleſiaſticos Ordines, ideóque decem Ordines conſtituunt. Alii verò excludentes cantoriam, & primam tonſuram ab Ordine,conſtituunt octo. Sic Cajetan. *tom.*1. *Opuſc.tr*11. Navar. *cap.*12. *n.*18. Michaël Medina *lib.*1. *de cœlibatu, cap.*16. Petr. de Soto *lect.*1. *&* 4. *de Sacram. Ordin.* Valen. *diſp.*9. *quæſt.*1. *punct.*2. *in fine.* Alii tandem excludentes cantoriam,& primam tonſuram ab Ordine, & epiſcopatum ſub presbyterio annumerantes,ſeptem tantùm Ordines affirmant eſſe. Quæ fuit opinio D. Thom. *in præſenti, quæſt.*37. *art.*2. Albert. Magn. *in* 4. *diſt.*24. *art.*5. Bonavent. *eadem diſt. art.*2. *q.*2. Richard. *art.*3. *q.*3. & aliorum.

2. Dicendum igitur eſt,ſeptem Ordines in Eccleſia eſſe,ſcilicet,Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolythorum, Exorciſtarum, Lectorum, Oſtiariorum, ſicuti definiunt Trident. *ſeſſ.*23. *cap.*2. *& canone* 2. Per ſex ultimos, ut inquit Concilium,velut per gradus quoſdam ad ſacerdotium, utpote ad perfectiſſimum Ordinem tenditur. Quod autem quilibet ex ſupradictis ſit Ordo,inde probatur:quia conſtituit ordinarum in gradu eminentiori inter Eccleſiæ Miniſtros, cum poteſtate inſerviendi officio,& miniſterio altaris,ut videri poteſt, ſi ſingulorum officia deſignemus. Et quidem officium ſacerdotalis ordinis eſt, ſacrificium Deo offerre, & homines Deo reconciliare: Diaconi, ſacerdoti in ſacrificio miniſtrare, calicem, ſi eſſet in uſu, populo concedere; baptizare, & prædicare ex Sacerdotis commiſſione: Subdiaconi munus eſt Diacono miniſtrare in iis, quæ ad ſacrificium peragendum fuerint neceſſaria præparat aquam ad altaris miniſterium, porrigit calicem, & patenam in uſum ſacrificii, pallas, & corporalia abluit. Acolithorum eſt, ceroferarium ferre,luminaria Eccleſiæ accendere, vinum, & aquam ad Euchariſtiam miniſtrare,ideóque Diacono, & Subdiacono inſerviunt. Exorciſtarum eſt Dæmones ab obſeſſis abjicere, ut dignè Sacrificio aſſiſtant, & aquam in miniſterium Baptiſmi præparare locúmque communicaturis concedere. Lectorum eſt legere, & canere, quæ à ſacerdote prædicantur,& quæ ipſi olim extra Miſſæ ſacrificium populo annunciabant,ut ſic præſentium animi ad reverentiam ſacrificii excitentur. Oſtiariorum eſt, pulſare cymbalum tempore ſacrificii, in illius honorem, aperire Eccleſiam, & Sacrum dignis, & librum ei, qui prædicat. Conſtat ergo omnium Ordinum munia ad altaris ſacrificium ritè peragendum dirigi, ſacerdotum Diaconorum, & Subdiaconorum,proximè, reliquorum remotiùs.

2. Hinc conſtat,quare ſacerdotium,diaconatus,& ſubdiaconatus dicantur Ordines majores, & ſacri; Acolythus, Lector, Exorciſta, & Oſtiarius, nec ſacri, nec majores appellentur. Dicuntur, *majores*: quia ſacrificio altaris, ad quod omnes diriguntur, proximè concurunt: cum tamen alii tantùm remotè, *Sacri*,quia fortè ipſi ſoli ſunt ſacramentum,non autem quatuor minores: ſed præcipuè, quia votum caſtitatis habent annexum, quo homines in Dei cultum ſacrantur.

4. Præter prædictos ſeptem Ordines verius exiſtimo, nullum alium eſſe perfectum, & completum. Colligitur ex Trident. *ſeſſ.*23. *c.*3. definiente Eccleſiæ Ordines, & ſeptem tantum enumerante. Si igitur plures eſſent, diminutè Conc. proceſſiſſet: quod dici non poteſt, præcipuè cùm intenderit adversùs Hæreticos, qui aliquos Ordines admittebant,& alios negabant, doctrinam firmam ſtabilire. Secundò, Ordines, quos præter hos ſeptem aliqui Doctores adſtruunt, vel non ſunt propriè Ordines,vel ſub prædictis ſeptem continentur.

Et in primis cantoria Ordo eſſe non poteſt: quia non eſt poteſtas ad aliquod officium, ſeu miniſterium altaris directè pertinens; neque eſt permanens, ſed ad tempus,ſecundùm Epiſcopi, imò Presbyteri arbitrium cujus erat hæc deſignatio,ut colligitur ex Concilio Carthagin. IV. *capit.*10. cum tamen reliqui Ordines ſolius authoritate Epiſcopi conferantur.

Deinde prima tonſura, qua homo ab ſtatu laïcali ſegregatur, & in ſtatum Clericorum ingreditur. Ordinem propriè non eſſe firmant communiter Doctores Theologi apud Vaſquez *diſp.*236. *c*1. *n.*9. & *diſp* 237. Bonac. *de ſacram. diſp.*8. *q. un. p.*1. *numer.*6. Coninch. *diſput.*20. *dub.*1. *num.*3. Laym. *tract.*9. *c.*1. *n.*2. & plures alii relati à Nicol.Garcia 7. *p. de benefic. capit.*1. *numero* 2. & colligitur ex Concil. Trident. variis in locis diſtinguente tonſuram ab Ordinibus. Nam *ſeſſione* 23. *capit.*2. inquit: *Cùm divina res ſit tam ſancti ſacerdotii miniſterium, conſentaneum fuit, quo digniùs, & majori cum veneratione exerceri poſſet, ut in Eccleſia ordinatiſſima diſpoſitione plures, & diverſi eſſent Miniſtrorum ordines, qui ſacerdotio ex officio deſervirent ita diſtributi, ut qui jam clericali tonſura inſigniti eſſent, per minores ad majores aſcenderent.* Et *capit.*6. inquit: *Nullus prima tonſura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus conſtitutus.* Et *capit.*10. ait: *Tonſuram, vel minores Ordines conferre.* Sentit ergo Concil. apertè, tonſuram non eſſe Ordinem. Ratio autem, quare tonſura Ordo non ſit duplex eſt. Prima, quia non eſt inſtituta ad aliquod ſpeciale munus, & ad officium altaris, ſed ſolùm ad diſponendum tonſuratum, ut in aliquod altaris obſequium conſecrâri poſſit. Ordines autem, ſive majores, ſive minores, ad altaris ſervitium per ſe diriguntur,ut conſtat ex dicto loco Trident. *ſeſſ.*23. *cap.*2. Ergo, &c. Deinde Ordo, ut ex eodem loco Concilii, & *can.*2. colligitur,eſt gradus aliquis eminentiæ, & excellentiæ in ordine ad altaris miniſterium, quo inſignitus reliquos illo carentes excedit. At tonſuratus non habet intra Eccleſiaſticos gradum aliquem,cùm omnibus eccleſiaſticis perſonis communis ſit: eſt enim tantùm perſonæ eccleſiaſticæ conſtitutio, & à ſæculari diviſio. Ergo. Tandem in Pontificali,dum agitur de creando Clerico, non dicitur de Clerico, ordinando, ſed faciendo: quo facto ſtatim ſub'ungit de ordinatione Oſtiarii, utpote ex minoribus Ordinibus prima.

5. Neque prædictis obſtant fundamenta, quibus Canoniſtæ aſſerunt, primam tonſuram Ordinem eſſe Ducuntur primò ex cap. *Cùm contingat, de ætate & qual.* ubi inquit Pontifex, per primam tonſuram juxta ordinem Eccleſiæ datam, à talibus clericalem Ordinem conferri. Secundò, ſub nomine Ordinis, & Ordinationis, prima tonſura comprehenditur, ut colligitur ex Trident. *ſeſſ.*7. *cap.*10. *& ſeqq. de reformat. & ſeſſ.*21. *cap.*1. 3. 7. *&* 9. *de reformat. & ſeſſ.*23. *cap.*8. Tertiò, ideò laici incapaces ſunt beneficiorum, juriſdictioniſque eccleſiaſticæ: quia non habent Ordinem, *cap. Ex litteris de tranſactionibus cap.*2. *de inſtitutionib.* ubi Abbas, & alii: quorum tamen inſigniti prima tonſura capaces exiſtunt. Quartò, percutientes

Cleri

Clericum tonſuratum incidunt in excommunicationem, *Si qui Suadente Diabolo.* Ergo ſignum eſt, tonſuram Ordinem eſſe.

Non, inquam, obſtant ſupradicta: ſolùm enim probant, tonſuram largè Ordinem eſſe, quatenus Ordo ſumitur pro Congregatione, & ſtatu ab aliis diſtincto. Etenim tonſura ſegregatur tonſuratus à laïco ſtatu, & in ſtatum clericalem conſtituitur: quod eſt ſufficiens, ut clericalis Ordo dici poſſit, & beneficia eccleſiaſtica conferantur, aliiſque privilegiis gaudeat. Non tamen eſt propriè ordo, ſumpto ordine pro poteſtate ad miniſterium aliquod altaris relata, quæque ordinatum non ſolùm comparatione omnium fidelium, ſed comparatione Miniſtrorum Eccleſiæ in gradu ſuperiori conſtituat.

6. Denique epiſcopatus, etſi ordo ſit, ut colligitur manifeſtè ex Trident. *ſeſſ.23. cap.4.* aſſerente, ad eccleſiaſticam Hierarchiam, & ordinem Epiſcopos ſpecialiter pertinere, eſséque ſacerdotibus ſuperiores, nihilominùs non conſtituit diverſum ordinem à ſacerdotio, ſed illum perficit, & complet, ſicuti poteſtas, quam Chriſtus Dominus Joan *cap.20.* Apoſtolis conceſſit abſolvendi à peccatis, quæque Sacerdotibus in ordinatione communicatur illis verbis: *Accipite Spiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata.* &c. non conſtituit diſtinctum, ordinem ab eo, quem conſtituit poteſtas Corpus, & Sanguinem Chriſti conſecrandi: quia hanc eſſentialiter in ſubjecto prærequirit. Sic poteſtas conceſſa Epiſcopis in eorum conſecratione, quia eſſentialiter ſacerdotalem poteſtatem ſubjecto conceſſam ſupponit, non conſtituit ordinem diſtinctum ab ordine prædictæ ſacerdotalis poteſtatis, ſed illum complet, & perficit, ut benè explicant Bellarmin. *lib. de ſacram. Ordin. c.5.* Vaſq. *diſp.240. c.5.* Coninch. *diſp.20. dub.2. in fine.* Laym. *lib.5. ſum. tract.9. cap.3. n.6.* Neque his obſtat Anaclet. *epiſt.3. c.1.* dicens: *Sacerdotum Ordo bipartitus eſt: & ſicut Dominus illum conſtituit, à nullo debet perturbari.* Et in fine: *Ampliùs quàm ibi duo Ordines Sacerdotum.* Non, inquam, obſtat quia intelligi debet de Ordine incompleto, & non adæquatè perfecto, ſecundùm quam rationem ſacerdotium ab epiſcopatu diſtinguitur, duóque Ordines ſacerdotii enumerari poſſunt, alter incompletus, & perfectibilis, qualis eſt ſimplicium ſacerdotum, alter completus, & perfectus, ſcilicet, Epiſcoporum.

Punctum III.

An omnes prædicti Ordines, tam majores, quàm minores, ſint Sacramentum.

1. *Sacerdotium eſſe ſacramentum indubitatum eſt.*
2. *De ordinatione Epiſcopi, qui negent eſſe ſacramentum, & qualiter probent.*
3. *Eſſe ſacramentum defenditur.*
4. *Fit ſatis oppoſitis fundamentis.*
5. *De Ordine diaconatus, & ſubdiaconatus plures negant eſſe Sacramentum.*
6. *Sed contrarium, tanquàm certum, tenendum eſt.*
7. *Diluuntur rationes oppoſitæ.*
8. *De inferioribus Ordinibus negant plures, & quod ſit eorum fundamentum.*
9. *Probabilius eſt eſſe ſacramentum.*
10. *Satisfit fundamento oppoſito.*

1. DE Ordine, ſeu ordinatione ſacerdotali nullus Catholicus dubitat ſacramentum eſſe, uti ex Trident. colligitur definiente *ſeſſ 23. cap.3.* & *can.3.* ſacrum ordinem, ſive ordinationem eſſe verum ſacramentum à Chriſto inſtitutum, quod verum eſſe debet, ſaltem de ordine, ſeu ordinatione præcipua. Cùm autem ſacerdotalis ordo inter omnes ordines ſit præcipuus, utpote ad munus omnium excellentiſſimum ſit relatus, nempe, ad conſecrationem Corporis, & Sanguinis Domini, ſaltem de prædicto ordine definitio Concilii intelligi debet. Præterea *can.4.* inquit Concilium, per ordinationem Spiritum ſanctum communicari illis verbis: *Accipite Spiritum ſanctum.* imprimíque characterem, ita ut qui ſemel ſacerdos fuit, laïcus eſſe non poſſit. Sed hæc ſtare non poſſet, niſi ſacerdotalis ordo ſacramentum eſſet. Ergo.

Notandum tamen eſt, in ſacerdotali ordine duplicem poteſtatem includi; alteram, qua nulla major eſſe poteſt, conſecrandi Corpus, & Sanguinem Domini, alteram abſolvendi à peccatis. Hæc neceſſariò primam ſupponit: ſed prima non prærequirit neceſſariò hanc ſecundam, ſed abſque illo poteſt, conſiſtere. Vtraque tamen poteſtatis collatio ſacramentum eſt: quia eſt ſignum ſenſibile, quo Spiritus ſanctus communicatur. Non tamen inde fit, duplex ſacramentum eſſe quia utrumque ſignum, & utraque poteſtas ad complendum ordinem ſacerdotii pertinet. Neque in collatione illius duplicis poteſtatis duplex character imprimitur, ſed character impreſſus in collatione poteſtatis conficiendi Euchariſtiam ex Dei ordinatione deſtinatur ad poteſtatem abſolvendi à peccatis abſque ulla ſui intrinſeca mutatione, vel, ut aliis placet, novo modo reali, & perfectione illi ſuperaddita.

Quapropter controverſia eſt, tum de ordinatione Epiſcopi, tum de aliis ordinibus, tam minoribus, quàm majoribus, an omnes ſint ſacramentum?

2. De ordinatione Epiſcopi negant eſſe ſacramentum Richard. *in 4. diſp.24. art.5. quæſt.2.* Bonav. *d.diſt.24. part.2. art.2. quæſt.3.* Scotus *quæſt.1. §. de tertio art.* Dominic. Sotus *quæſt.1. art.2.& 3.* & *l.10. de juſt.t. quæſt.1. art.2.* Turrecrem. *can.1. d.ſt.20.* & cap. *Cleros.2. ejuſdem diſt.§. Ad quintum. n.16.* Favet Covarr. *lib.1. varic.10. n.15.* aliique plures relati à Vaſq. *diſp.240. c.2.* Moventur: quia, ſi eſſet ſacramentum, eſſet ſacramentum ordinis à ſacerdotio diſtinctum, cum diverſo tempore, & diverſa conſecratione conferatur: Ergo eſſent plures ordines ſacramentum, quàm ſeptem aſſignati. Secundò, per ordinem, ſeu ordinationem, quam Concilium *ſeſſ.23.can.3.* definit eſſe ſacramentum à Chriſto inſtitutum, *can 4.* declarat dari Spiritum ſanctum, & imprimi characterem, quo ſemel, conſtitutus ſacerdos laïcus eſſe non poſſit: at in conſecratione Epiſcopi non videtur Spiritum ſanctum communicari, neque characterem imprimi, aliàs ſecluſo ſacerdotio Epiſcopus poſſet conſecrare, & ſacerdote eſſet ſuperior, quod eſt omninò falſum: ergo non eſt ſacramentum. Tertiò per conſecrationem Epiſcopi datur Epiſcopis poteſtas confirmandi, & ordinandi, non autem conſecrandi Corpus, & Sanguinem Chriſti: hæc enim conceſſa ſupponitur. At ordinationis ſacramentum per ordinem ad Euchariſtiæ conſecrationem conſtituitur, uti colligitur ex Trid. *ſeſſ 23.c.2.* ibi: *Cùm autem divina res ſit tam ſancti ſacerdotii miniſterium, conſentaneum fuit, quò dignius, & majori cum reverentia exerceri poſſet, ut in Eccleſia ordinatiſſima diſpoſitione plures, & diverſi eſſent Miniſtrorum Ordines,* &c. Ergo, cùm conſecratio Epiſcopi, neque ad conficiendam Euchariſtiam, neque adminiſtrandum ei, qui Euchariſtiam confecturus eſt, dirigatur, neque ordo, nec ſacramentum erit. Quartò, conſecratio Epiſcopi non fit in quatuor Temporibus ordinationum: ergo judicatur non eſſe ordinem, nec ſacramentum: ſiquidem aliorum ordinum ritum non imitatur. Tandem non apparet quæ ſit materia, & forma hujus ſacramenti à Chriſto Domino determinata.

3. Cæterùm omninò dicendum eſt Epiſcopatum, quatenus talem, non ſolùm eſſe ordinem ſed etiam eſſe ſacramentum, incompletè tantùm à ſacerdotio diſtinctum. Sic pluribus firmant Petr. de Soto *lect.4.*

de ſacram. Ordinis. Michaël de Medina *lib. 1. de ſacr. homin. continent. cap. 15. & 16.* Bellarm. *lib. de ordine, cap. 5.* Valen. *diſp. 9. quæſt. 1. pun. 4. §. Altera ſententia.* Coninch. *diſp. 20. dub. 6. concl. 1. num. 43.* Laym. *lib. 5. ſum. tract. 9. cap. 4. concl. 2.* Ratio eſt: quia Trid. *ſeſſ. 23. cap. 3.* definiens, ſacram ordinationem, ſacramentum eſſe. Id probat *ex 1. ad Timoth. 4. & 2. ad Timoth. 1.* Neque aliunde ex Scriptura probare poſſumus. At in his locis expreſsè Paulus de ordinatione Timothei in Epiſcopum locutus eſt: ergo hæc ordinatio, ſacramentum eſt à Chriſto inſtitutum. Secundò, Tridentinum colligit, ſacram ordinationem ſacramentum eſſe, quia in ipſa Spiritus ſanctus confertur illis verbis ab Epiſcopo dictis: *Accipite Spiritum ſanctum*, quæ verba in conſecratione Epiſcopi proferunt: Ergo Epiſcopi conſecratio ſacramentum eſt. Tertiò, Epiſcopus in ſua conſecratione accipit poteſtatem confirmandi, ordinandique ſacerdotes, quæ ſunt poteſtates ſupernaturales, & divinæ à Chriſto communicatæ, qua poteſtates ut ritè Epiſcopus miniſter, indiget gratia: ergo in earum collatione gratia debebat à Chriſto conferri.

4. Neque rationes contrariæ urgent. Ad primam conſtat ex *ſuperiùs* dictis: qua enim ratione diximus, epiſcopatum non eſſe abſolutè ordinem à ſacerdotio diſtinctum, quia ſacerdotium eſſentialiter præſupponit, eadem dicimus, non eſſe ſacramentum diſtinctum. Non enim diſtinguitur à ſacerdotio completè, & perfectè, bene tamen incompletè, & partialiter ex novo ſigno gratiæ ſanctificantis ſuperaddito. Ad ſecundum negamus, in conſecratione Epiſcopi Spiritum ſanctum non communicari, & characterem ſacerdoti non perfici, debet tamen Epiſcopus ſacerdos eſſe, aliàs conſecrari non poſſet, & conſecratio facta nulla eſſet. Superioritas autem, & excellentia, quam habet Epiſcopus ſupra alios ſimplices ſacerdotes conſiſtit in eo, quia ultra ſacerdotium addit poteſtatem confirmandi fideles, & ordinandi ſacerdotes, quæ nullatenus ſimplicibus ſacerdotibus competit, ob idque dignior eſt, cui latior juriſdictio concedatur. Ad tertium reſpondet Vaſq. *diſp. 240. c. 5. n. 51.* Sacramentum Ordinis non debere conſtitui ex relatione ad Euchariſtiæ conſecrationem, ſed ſufficienter conſtitui poſſe ex reſpectu ad conſecrandos Euchariſtiæ Miniſtros. Sed rectiùs Ægid. de Coninch. *diſp. 20. dub. 2. in fine*, affirmat poteſtatem conſecrandi ſacerdotes directiùs, & immediatiùs Euchariſtiæ peragendæ deſervire, quàm poteſtas Exorciſtæ, aut Lectoris imò quàm Subdiaconi, aut Diaconi, cùm ſine illa poteſtate Euchariſtia non conficeretur: quia non eſſent Miniſtri: benè tamen confici poſſet, tametſi Subdiaconi, aut Diaconi non adeſſent. Ad quartum reſpondeo, conſecrationem Epiſcopi non fieri in quatuor Temporibus, ſed in Dominica; non, quia ordo, aut ſacramentum non ſit; ſed, quia eſt ordo, & ſacramentum ſacerdotalem ordinem perficiens, conſtituitque Epiſcopum omnibus aliis ſuperiorem. Ad quintum, ſatis colligitur *ex illo 1. ad Timoth. 4. & 2. ad Timoth. 1.* qualis ſit forma, & materia hujus ſacramenti: eſt enim materia, impoſitio manuum facta à pluribus Epiſcopis: hoc enim denotat Paulus, tum utens plurali numero manuum, tum affirmans impoſitione manuum presbyterii, id eſt, Presbyterorum, gratiam eſſe communicatam: forma verò ſunt illa verba: *Accipe ſpiritum ſanctum*, quæ manuum impoſitione determinata ſignificant, electo gratiam conferri qua, in conſortium Epiſcoporum ordinantium conſtituatur.

5. Secundò, dubitari poteſt de diaconatus, & ſubdiaconatus ordinibus, an ſint ſacramenta. Negant Durand. *in 4. diſt. 24. quæſt. 2. art. 1. à n. 6.* Cajet. *t. 1. opuſcul. tract. 11. art. unico* & ſpecialiter de ſubdiaconatu docuit Mag. *in 4. diſt. 24 c. Septim. ordo, in fine.* Gratianus *in ſuo decreto, diſt. 21. in fine primi §.* Martinus de Ayala *lib. de traditionib. Apoſtol. 2. p. c. de Ordine, §. Synodus D. Sylveſtri* inclinat Alphonſ. de Caſtro *l. adverſùs hæreſes, verb. ordo ſacramentum.* Probarique poteſt hæc ſententia primo ex Anacleto *ep. 3. c. 1. in fine*, aſſerente, *Amplius quàm iſti duo* (ſcilicet epiſcopatus, & ſacerdotium) *Ordines ſacerdotum, nec nobis à Deo collati ſunt, neque Apoſtoli docuerunt.* Si igitur diaconatus, & ſubdiaconatus eſſent ſacramenta, & alii ordines eſſent nobis à Deo collati, & Apoſtoli docuiſſent. Similiter ex Damaſo *epiſt. 4. col. 4. ſub finem*, dicente: *Quia, ut præfixum eſt, Ordines ſunt duo tantùm primi in Eccleſia, id eſt. Apoſtolorum: & ſeptuaginta Diſcipulorum.* At hi omnes erant ſacerdotes: ergo extra ſacerdotium nullus eſt Ordo à Chriſto inſtitutus. Secundò, Tridentinum *ſeſſ. 23. c. 3.* probat ordinationem eſſe ſacramentum ex illo tantùm loco *1. ad Timoth. 4.* & *2. ad Timoth. 1.* ſed in prædicto loco ſolùm de ordinatione ſacerdotis, imò Epiſcopi agit Paulus: ergo extra ſacerdotium non agnoſcit Concil. aliud ſacramentum. Tertiò, ſacramentum ordinis inſtitutum eſt ad offerendum ſacrificium, hominéſque cum Deo reconciliandos. Sed hanc poteſtatem ſolùm habet ſacerdotium: nam reliqui ordines ad eam poteſtatem ſuſcipiendam diſponunt; ergo extra ſacerdotium nullus alius ordo ſacramentum eſt. Quartò, munia diaconatus, & ſubdiaconatus æquè præſtari poſſunt à non ordinatis, ſicuti ab ordinatis. Si autem eſſent ſacramenta ordinis, character in illis imprimeretur, & concederetur poteſtas ad aliquod ſupernaturale munus, quod ſecluſa tali poteſtate præſtari nulla ratione poſſet. Quintò ſi ultra ſacerdotium alii ordines in ſacramenta admittuntur, non videtur, qua ratione ſacramentum ordinis unum eſſe poſſit. Sextò ſpecialiter, quia ex nullo loco ſcripturæ colligi poteſt ſubdiaconatum, nec diaconatum eſſe ſacramentum: nam de ſubdiaconis nulla eſt in ſcriptura mentio. De Diaconis verò ſolùm fit mentio *Actor. 6.* ubi electi fuerunt ſeptem Diaconi, ut pauperum curam gererent, & illorum menſis miniſtrarent. quod officium, etſi pium, non eſt ſacrum, neque ſpecialem ordinem requirit. Septimò, nulla eſt certa forma, & materia horum ordinum, ut *puncto ſequenti* videbimus: at, ſi à Chriſto eſſent in ſacramenta inſtituti, certam formam, & materiam haberent. Ergo, &c. Octavò, ſæpè ſubdiaconatus ab illis, quàm ab Epiſcopis fuit collatus, ut loquentes de miniſtro ordinis dicemus. At ſacramentum ordinis non videtur ab alio, quàm ab Epiſcopo miniſtrari poſſe, quippe ad hanc miniſtrationem in ſua conſecratione poteſtatem accipit.

6. Nihilominùs pro certò tenendum eſt, diaconatum ad minus eſſe ſacramentum. Eſt enim omnium Doctorum ſententia, excepto Durand. & Cajet. ita ut Vaſq. *diſp 238. c. 2.* exiſtimet, abſque errore negari non poſſe ob definitionem Concil. *ſeſſ. 23. can. 6.* aſſerentis in Eccleſia eſſe Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris. Nam ibi agnoſcit Concilium ex Chriſti inſtitutione aliquos Miniſtros ultra Epiſcopos, & Presbyteros ad Hierarchiam, ſeu ordinem eccleſiaſticum pertinere, qui ad minus Diaconi eſſe debent, utpote excellentiores, & ſacrificii miniſtrationi proximiores. Secundò, Diaconus ordinatur per manus impoſitionem, & prolatis ab Epiſcopo illis verbis: *Accipe Spiritum ſanctum*, ut conſtat ex Rituali Romano. At, ſi illis verbis Spiritus ſanctus non conferretur ordinato, fruſtrà Epiſcopus ea proferret contra deciſionem Trident. *ſeſſ. 23. can. 4.* Et licèt in hac ordinatione Diaconi impoſitio manus non ſit Ordinationis materia, & illa verba: *Accipe Spiritum ſanctum*, non ſint forma: at ex eo, quòd ab Eccleſia uſurpentur in hac ordinatione, ſatis ſignificatur effectum gratiæ, qui per manus impoſitionem conferri ſolebat, in præſenti illa, vel alia cæremonia communicari. Tertiò, Anaſ-

taſius

pasius II. *in epist. ad Anastas. Imperatorem, c.7.* æquè in ordinatione Diaconi, ac Presbyteri affirmat, gratiam conferri, sicut confertur in Baptismo: *Nullum*, inquit, *de his, vel quos baptizavit Acacius, vel quos sacerdotes, sive Levitas, secundùm canones ordinavit, ulla eos ex nomine Acacii portio lasionis attingit, quo forsitan per iniquum tradita Sacramenti gratia minus firma videatur.* Quartò, Diaconi destinantur ad officium valdè eminens, & supernaturale, scilicet; ut sacerdoti, & Episcopo sacrificanti assistant, eique in necessariis ministrent, & in casu necessitatis ex ejus commissione baptizent, concionentur, & Eucharistiam populo dispensent: quinimò tempore antiquo, quo usus erat calicem laïcis porrigendi, Diaconi ministrabant. Sed ad hæc omnia præstanda pura conscientia, & morum honestas requiritur, ut expressè docuit Paulus 1. *ad Timoth.* 3. ibi: *Diaconos similiter pudicos, non bilingues, nec multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei* (id est, Eucharistiam, quæ est fidei præcipuum mysterium) *in conscientia pura. Et hi autem probentur primum, & sic ministrent nullum crimen habentes.* Ergo, cum ad hæc officia à Christo destinentur, gratia conferri debuit.

De Subdiaconatu non est æquè certum esse sacramentum: quia de ipso nulla est in Scriptura expressa mentio. At, quia Doctores paucis exceptis id communiter affirmant, ab eorum sententia recedendum non est, præcipuè, cum nulla sit ratio, ob quam prudenter negari posset, subdiaconatum sacramentum esse, ut constabit dissolvendo oppositа fundamenta.

7. Ad primum ex Anacleto & Damaso respondeo, prædictos Pontifices non definiisse nullum alium ordinem esse absolutè præter illos duos Episcoporum, & Presbyterorum, sed nullum alium esse præter illos duos in ordine sacerdotali. Ad secundum concedo, Concilium probare, Ordinem esse sacramentum ex illo Pauli *ad Timoth.* ubi de ordinatione Timothei in Episcopum agebatur: quia Concilium solum intendebat probare ordinationem conferre gratiam, verúmque esse Sacramentum: ad cujus probationem illud testimonium, utpote manifestissimum, sufficiens erat; non autem intendebat probare, quot ordines sacramentum essent, sed id scholasticæ disputationi relinquere. Ad tertium nego, quodlibet sacramentum ordinis institutum esse ad offerendum sacrificium, & reconciliandum homines cum Deo, sed solum præcipuum, reliqua autem instituta esse in obsequium, & ministrationem offerentis. Qua ratione dici possunt instituta esse ad offerendum sacrificium proximè, vel remotè. Ad quartum negandum est, munia Diaconi, & Subdiaconi æquè à laïcis exerceri posse, ac ab ordinatis: quia sic ordinati authenticè illa officia præstant, & ex authoritate à Deo, & Ecclesia accepta, & speciali gratia sacramenti adjuti, quæ non ordinatis nulla ratione competunt. Ad quintum variæ sunt Doctorum explicationes circa unitatem hujus sacramenti: illis tamen omissis dicendum est cum Vasq. *disp.237.c.3.circa finem.* Coninch. *disp.20.dub 6. n.52.* Laym. *lib.5. sum. tract 9. cap.4. in fine.* Sacramentum ordinis non esse unum unitate specifica, & atoma, sed generica: differunt enim specie diaconatus, & subdiaconatus à sacerdotio, siquidem habent diversam formam, & materiam, & diversum finem proximum; sed, quia omnes ordines sub genere ordinis comprehenduntur, & ad eundem finem principalem referuntur, scilicet, ad Eucharistiæ consecrationem, oblationem, & ministrationem, ea de causa unum sacramentum esse censentur, sicuti censentur quatuor tantum virtutes cardinales esse, prudentia, justitia, fortitudo, & temperantia; cum tamen quælibet plures alias virtutum species sub se contineat. Ad sextum admitto, de subdiaconis nullam in scriptura expressam mentionem factam esse, forte quia eorum ministerium non fuit ex tempore necessarium. Nego tamen de Diaconis non fieri mentionem alibi, quàm *Actor.6.* Nam 1. *ad Philippens.1.* & 1. *ad Timoth.3.* simul cum Episcopis, & Presbyteris junguntur: quo significatur in sacramento ordinis prædictos convenire. Ad septimum nego, quemlibet ordinem non habere determinatam materiam, & formam: habet namque tametsi inter Doctores satis exploratum non sit, alàs Confirmatio Sacramentum non esset: siquidem aliqui Doctores asserunt, unctionem ex oleo consecrato esse sufficientem materiam, aliis negantibus nisi simul cum balsamo mixtum sit. Item argumentum fieri potest in extrema Unctione, aliisque sacramentis, in quibus, esto, sit à Christo certa materia, & forma assignata, Doctores in varias opiniones dividuntur. Ad octavum fortè ex commissione Pontificis concedebatur Presbyteris Subdiaconorum Ordinatio, quæ jure proprio Episcopis competit: aliis verò solùm ex extraordinaria delegatione, ut latius Vasquez *disp.238. cap.7.*

8. Tertiò dubitabis de inferioribus Ordinibus, Acolytho, Exorcista, Lectore, Ostiario, an sint sacramenta? Negant Magist. Durand Navar. Sotus, Michaël de Medina, & alii, quos refert, & sequitur Vasq. *disp.237. cap.2.* Fundamentum præcipuum desumitur ex eo, quòd Ecclesia variè de his ordinibus sensit: aliquando enim plures, quàm prædictos quatuor ordines statuit, aliquando neque hos ordines agnovit, ut constat ex his, quæ latè refert Vasquez *dict.loco.* Ergo signum est, non esse hos quatuor ordines à Christo institutos, aliàs nulla in illis esset variatio.

9. Nihilominùs oppositа sententia affirmans, hos quatuor ordines minores esse sacramenta à Christo instituta, sustinenda est, utpote communior apud S. Thomam 3. *p. q.22. art.2.* Bellarmin. *de Sacram. Ordinis, c.6. 7. & 8.* Coninch. *disp.20. dub.6. n.47.* Valent. *tom.4. disp.9. quæst.1. p.4.* Sà *verbo, Ordo, n.1.* Bonac. *disp.8. q. unica, p.2. n.2.* Laym. *lib.5. tract.9. cap.4. circa finem*, & plures alios ab eisdem relatos. Ratio præcipuè desumitur ex Florent. & Trid. in quibus hæc sententia probari videtur. Nam Florentinum Concilium *in decreto illo Eugenii, §. Sextum sacramentum*, declarans, ordinem sacramentum esse, affirmansque, materiam esse rem, quæ in ordinatione traditur; & formam, verba, quibus ea traditio fit, exemplum adduxit materiæ presbyteratus, diaconatus, & subdiaconatus, aliorúmque ordinum, per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Ergo sentit Concilium, his ordinibus minoribus æquè rationem sacramenti, & veram illius materiam, & formam convenire, sicuti convenit presbyteravi, diaconatui, & subdiaconatui. Trid. verò ad ipsum satis insinuat. Nam *sess.23. c.2.* singulorum ordinum nomina exprimens *c.3.* & *can.3.* definit, sacram ordinationem esse sacramentum, ad cujus definitionis veritatem, etsi sufficiens sit, quod aliquis ex prædictis ordinibus sit sacramentum; attamen cum immediata subsequatur enumerationem omnium ordinum; satis probabiliter indicat, ad omnes ordines definitionem referri, maximè cum definitio fuerit absoluta. Deinde Aug. *lib.2. contra epist. Parm. cap.13.* probat ordinem esse sacramentum, sicut Baptismum, nec iterari posse: cum autem omnes ordines iterabiles sint, videtur ex sententia Augustini, omnes sacramentum esse.

10. Neque fundamentum oppositum obstat. Fateor enim, varietatem fuisse in Ecclesia in prædictorum ordinum enumeratione: quia non satis explorata erat eorum institutio: semper tamen ab initio Ecclesiæ non solum officia horum ordinum, sed & illorum nomina cognita fuerunt, ut expressè testatur Trident. *sess.23. cap.2.* quod indicat, à Christo Domino institutionem dimanasse, tametsi non satis fuerit distinctio eorum cognita.

PUNCTUM IV.

De materia, & forma ſingulorum ordinum.

1. *Materia, & forma epiſcopatus quæ ſit.*
2. *An ex diſpenſatione Pontificis unus Epiſcopus ſolus poſſit alium conſecrare. Rem ſſivè.*
3. *Quæſit materia Ordinis ſacerdotalis. Proponitur Bonaventuræ ſententia.*
4. *Traditio calicis cum vino, & patenæ cum pane, eſt materia hujus Ordinationis.*
5. *Reſpondetur fundamento pro opinione D. Bonaventuræ adducto.*
6. *Negant plures, ad ordinationem ſacerdotis pertinere, ut quid eſſentiale, illam manuum impoſitionem ſub illis verbis:* Accipe Spiritum ſanctum.
7. *Sed oppoſitum verius eſt.*
8. *Solvuntur rationes contrariæ.*
9. *De materia, & forma ordinis diaconatus. Variæ ſententiæ referunt.*
10. *Quid ſit tenendum.*
11. *Oppoſitis rationibus ſit ſatis.*
12. *Quæſit materia, & forma ſubdiaconatus, juxta opinionem Viguerii.*
13. *Approbatur ſententia communis, & certa.*
14. *Solvuntur oppoſita.*
15. *An calix, & patena ſubdiacono, & ſacerdoti traditi debeant eſſe conſecrati. Negant plures.*
16. *Verius eſt oppoſitum.*
17. *Illud certum, grave eſſe peccatum, ſi loco calicis conſecrati non conſecratus adhibeatur.*
18. *Subdiaconatus non fuit antiquitus inter ordines ſacros computatus.*
19. *Expenditur materia, & forma minorum ordinum.*
20. *An neceſſarium ſit, materiam ordinationis tangere. Et proponuntur quædam in hac re certa.*
21. *Contactum, etiam mediatum, non eſſe requiſitum ad ſacramenti valorem, plures affirmant: & qualiter probent.*
22. *Verius eſt neceſſarium eſſe.*

1. A Nobilioribus incipiens, *ex puncto præcedenti* conſtat, quæ ſit materia, & forma ordinis epiſcopatus, prout à ſacerdotio diſtinguitur, & novam illi perfectionem ſuperaddit. Eſt enim illius materia, trium Epiſcoporum manuum impoſitio. Nam, cum ad Epiſcopi conſecrationem neceſſariò plures Epiſcopi concurrere debeant, ut conſtat *ex illo* Pauli. 1. *ad Tim.* 4. juxta communem Patrum explicationem, omnes ſimul præſtare debent aliquam actionem, qua novus Epiſcopus conſecretur. At nullam aliam præſtant, præter hanc manuum impoſitionem. Ergo hanc eſſe materiam aſſerendum eſt. Deinde colligitur manifeſtè *ex dicto loco* Pauli. 1. *ad Timoth.* 4. ubi Paulus Timotheum monet, ne negligat gratiam, quæ ipſi data eſt Spiritu divino dictante, ſeu miraculosè per impoſitionem manuum presbyterii, hoc eſt cætus Presbyterorum. Nomine enim Presbyteri ſæpè in ſacris Litteris Epiſcopo, intelligi colligitur manifeſtè ex illo ad Titum: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates Presbiteros, ſicut & ego diſpoſui tibi*: At per civitates Epiſcopi conſtituebant, uti ex verbis ſequentibus colligitur: *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe*, &c. Item ex 1. Petri 5. in princ. *Seniores ergo, qui in vobis ſunt, obſecro.* Quò loci Hieronymus vertit, *Presbyteros*, cùm tamen Petrus cum Epiſcopis loqueretur. Adde Chryſoſtom. *hom.* 13. *in* 1. *ad Timoth.* 4. & *ibi* Theophylact. & Oecumen. Quòd autem prædicta Epiſcoporum manuum impoſitio habeat rationem materiæ, convincitur ex eo, quòd Paulus relatus à Trident. *ſeſſ.* 23. *c.* 3. eſtetur, gratiam per ipſam conferri. Forma verò hujus ordinis epiſcopalis ſunt ea verba, quæ ab ipſis Epiſcopis proferuntur, cùm manus imponunt, quæ efficacia debent eſſe, & gratiæ cauſativa, aliàs fruſtrà dicerentur. Et licèt generalia ſint, neque videantur effectum hujus ſacramenti, & poteſtatem conſecratio traditam ſatis explicare: at, ut conjuncta communi Epiſcoporum manuum impoſitioni, ſatis indicare videntur. Spiritum Sanctum conferri, ut in numerum ordinantium conſecrandus cooptetur. Sic, aliis relatis, tradunt Vaſq. *diſp.* 240. *cap.* 5. *num.* 58. Henriq. *lib.* 10. *de Ordine. c.* 7. *num.* 3. Coninc. *diſp.* 20. *dub.* 7. *concl.* 1. Laym. *lib.* 5. *tract.* 9. *c.* 5. *concl.* 1. Bonac. *diſp.* 8. *de ſacram. q. un. punct.* 3. *n.* 10.

2. Sed, an hæc plurium Epiſcoporum manuum impoſitio ita ſit neceſſaria ad Epiſcopo conſecrationem, ut ex Summi Pontificis commiſſione non poſſit ab uno Epiſcopo conſecratio fieri, difficultate non caret *infrà* examinanda.

3. Secundò, eſt Sacerdotis Ordinatio, cujus eſſentialem materiam affirmat Bonavent. *in* 4. *diſt.* 24. *p.* 1. *art.* 1. *quæſt* 4. eſſe manuum impoſitionem præambulam traditioni calicis cum patena. Fundamentum hujus ſententiæ deſumitur ex Concil. Carthaginen. IV. *c.* 5. ſolius impoſitionis manuum mentionem faciente, & nullam de traditione calicis cum patena. Deinde, quia Doctores communiter affirmant in Ordinatione gratiam conferri per manuum impoſitionem, idque Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 3. intulit *ex illo* Pauli 1. *ad Timoth.* 4. Sed id, per quod gratia confertur, eſt, eſt materia, vel forma Sacramenti. Ergo impoſitio manuum ad materiam hujus ſacramenti pertinet.

4. Cæterùm dicendum eſt, traditionem calicis cum vino, & patenæ cum pane, eſſe materiam hujus ordinationis; & verba illa: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium, Miſſaſque celebrandi, tam pro vivis, quàm pro defunctis.* Tunc prolata eſſe formam. Sic docent ferè omnes teſte Vaſq. *diſp.* 139. *cap.* 3. Valen. *diſp.* 9. *quæſt.* 1. *punct.* 5. *poſt. princ.* Coninch. *diſp.* 20. *dub.* 7. *concl.* 2. *num.* 60. Laym. *lib.* 5 *ſum. tract.* 9. *c.* 5. *concl.* 2. Bonac. *diſp.* 8. *de ſacram. quæſt. unica p.* 3. *n.* 1. Colligitúrque apertè ex definitione Eugenii IV. *in Concil. Florent. poſt. ult. ſeſſ.* §. *Sextum Sacramentum*, ubi ſic dicitur: *Sextum Sacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur Ordo: ſicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem.* Et paucis interpoſitis ſubjungit idem Concilium: *Forma Sacerdotis talis eſt: Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia pro vivis, & mortuis.* Ratio eſt: quia illa eſt materia, & forma cujuſlibet ſacramenti: quibus ſignificatur effectus talis ſacramenti. Sed effectus Sacramenti Ordinis presbyterii, quæ eſt poteſtas ad conſecrandum Corpus, & Sanguinem Chriſti, nullis aliis rebus aptiùs, & expreſſiùs ſignificatur, nec ſignificari poteſt, quàm prædicta traditione ſub dictis verbis: Ergo illa traditio eſt materia, & verba ſunt forma.

5. Argumentum Bonavent. facilè diſſolvitur, diſtinguendo duplicem manuum impoſitionem, quæ in conſecratione ſacerdotis intervenit. Prima ante traditionem calicis cum patena, quæ fit ab Epiſcopis, ſimul cum Presbyteris adſtantibus: & hæc non eſt materia: nec per illam ulla poteſtas ordinato confertur: aliàs, non ſolùm Epiſcopus, ſed alii Sacerdotes Sacerdotem conſecrarent: ſed eſt quædam Eccleſiaſtica cæremonia abſque ulla verborum prolatione facta. Et fortè Concilium Carthaginen. de hac manuum impoſitione locutum fuit: ſiquidem non dixit, Sacerdotem conſecrare per manuum impoſitionem; ſed cùm ordinatur, recipere manuum impoſitionem. Neque Concilium Carthaginenſe eo loco voluit ſacramentorum materias, & formas deſignare, ſed ſolùm declarare diverſos ritus, quibus ordinationes miniſtrabantur. Sed demus, Concilium locutum fuiſſe

de

declarare diversos ritus, quibus ordinationes ministrabantur. Sed demus, Concilium locutum fuisse de impositione manuum quæ sit materia consecrationis sacerdotis; eo casu asserendum est, primum impositionem manus, qua nihil Episcopus pronunciat: sed secundam manus impositionem à solo Episcopo factam sub illis verbis: *Accipe Spiritum sanctum. Quorum remiseris peccata, remittuntur eis; & quorum retinueris, retenta sunt* esse materiam hujus sacramenti, & ordinationis sacerdotis, simul cum traditione calicis, & patenæ, ut statim videbimus.

6. Est enim non levis difficultas, an hæc posterior manuum impositio, simul cum illis verbis. *Accipe Spiritum sanctum* pertineat essentialiter ad materiam, & formam consecrationis sacerdotis. Negare videntur S. Thom. *in* 4. *dist.* 24. *q.* 2. *art.* 3. & *qq.* 3. Richard. *art.* 4. *q.* 3. Durand. *quæst.* 3. *art.* 2. quatenus asserunt impositionem manus accidentalem esse cæremoniam ab Ecclesia introductam; neque alterius materiæ, aut formæ, præter supradictam, meminerunt. Expressiùs Sotus *in* 4. *dist.* 24. *q.* 1. *art.* 4. *concl.* 7. & *dist.* 20. *q.* 1. *art.* 2. Valent. *disp.* 9. *q.* 1. *p.* 5. *vers. Caterùm.*

Moventur primò: quia Florentinum exprimens singulorum ordinum materias, & formas, nullam aliam præter supradictam traditionem sub dictis verbis in ordine sacerdotis expressit. Si autem alia esset materia, & forma, Concilium non omitteret. Secundò, si aliqua alia esset materia; maximè manuum impositio: at hæc esse non potest: tum, quia in cap. *Presbyter. de sacram. non iterandis* dicitur esse ritum ab Apostolis introductum, qui, si omissus fuerit, non obinde sacramentum esse interdictum. Tum, quia hæc impositio manuum sub illis verbis: *Accipe Spiritum sanctum* in aliquibus Pontificalibus non invenitur, teste Major *in* 4. *dist.* 24. *q.* 1. *colum.* 3. *in fine.* Angelo *verbo, Ordo*, 1. *num.* 5. Tum, quia impositio manuum antecedens traditionem calicis, & patenæ, non solùm fit ab Episcopo, sed ab aliis sacerdotibus astantibus, absque ulla verborum prolatione, impositio verò subsequens traditionem, & consecrationem supponit jam sacerdotem ordinatum cum potestate in Corpus Christi verum: ergo etiam in Corpus Christi mysticum. Ergo nihil de novo per impositionem manus, & verba. *Accipe Spiritum sanctum*, conceditur: sed, quod antè erat concessum declaratur.

7. Rectius tamen alii Doctores censent, in ordinatione sacerdotis ultra prædictam materiam, & formam, aliam esse designandam, scilicet, impositionem manus sub illis verbis: *Accipe Spiritum sanctum. Quorum remiseris peccata*, &c. Etenim, cum sacerdos duplicem habeat potestatem, alteram consecrandi Corpus, & Sanguinem Christi Domini, alteram remittendi peccata, & hæc posterior, etsi necessario supponat priorem ab illa, est omninò distincta, & separabilis, manifestè infertur, signa, quibus hæ potestates conceduntur, sacramenta esse. At hæc potestas remittendi peccata, non conceditur sacerdotibus, cum calix, & patena eis traditur, illáque verba proferuntur: *Accipe potestatem offerendi sacrificium.* sed multò post, cùm, facta consecratione, imponit Episcopus manus ordinato, & profert: *Accipe Spiritum sanctum*, &c. Quòd probati potest primò quia hæ potestates divisim fuerunt Apostolis concessæ: potestas namque consecrandi concessa illis fuit in ultima Cœna: at potestas absolvendi à peccatis, post Resurrectionem, Joan. *c.* 20. uti definit. Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *post. med.* ibi: *Dominus aut Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instit. cùm à mortuis suscitatus Ioan.* 20. *insufflavit in Discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum sanctum*, &c. *& in c.* 5. idipsum declaratur. Ergo hæ potestates possunt sacerdotibus divisim concedi: prima, cum traditur calix cum patena: secunda, cum eis dicitur, media manuum impositione: *Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata*, &c. Secundò, nec traditio calicis & patenæ, neque verba, quæ tunc proferuntur, aliam potestatem denotant, præter potestatem consecrandi Corpus, & Sanguinem Domini. Ergo potestas remittendi peccata postmodum confertur, cum dicitur: *Accipe Spiritum sanctum.* Tertiò, hæc verba non frustrà Episcopus profert, sed operatoria sunt illius, quod significant, uti dixit Trident. *sess.* 13. *cap.* 3. & *can.* 4. Significant autem concedi gratiam ad remittenda peccata. Ergo hanc gratiam, & potestatem operantur. Quartò, hæc ordinatio jure divino confertur per impositionem manuum presbyterii, ut colligitur ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. ubi loquens de Ministro Unctionis inquit, proprios hujus sacramenti Ministros esse Presbyteros. Quo nomine *eo loco*, non ætate seniores aut primores in populo intelligendi veniunt, sed, aut Episcopi, aut sacerdotes, ab ipsis rectè ordinati per impositionem manuum presbyterii. Particula enim, *per*, donat, impositionem manuum causam esse ordinationis. Et licèt subdat. *presbyterii*, non inde est colligendum, ut rectè advertit Vasq. *disp.* 239. *c.* 5. *n.* 309. plurium Episcoporum manuum impositionem requiri, sicuti in consecratione Episcopi, sed id dictum fuit à Concilio, ut dignitas episcopalis denotetur. Quintò, plura Concilia, & antiqui Patres testantur, sacerdotes manuum impositione consecrari. Nam id ipsum exprimit Concil. Carthagin. IV. *c.* 3. Moguntinum sub Sebastiano Archiepiscopo, *cap.* 35. ibi: *Incoltati, ne Ordinum, quæ cum impositione manuum, velati visibili signo, traditur.* Ambros. *lib. de dignit. sacerdot. cap.* 5. inquit: *Homo imponit manus, Deus largitur gratiam.* Dionys. Areop. *p.* 1. *eccles. hier. Hierarch. capit.* 5. *p.* 2. ait: *Sacerdos coram sancto altari ponens utrumque genu, in capite habet Pontificis dextram: & in hunc modum à sacrante Præsule sanctissimis invocationib. consecratur.*

8 Neque argumenta contrariæ sententiæ obstant. Ad primum ex decreto Eugenii respondeo, cum non negaverit, aliam esse materiam, & formam, ex illius omissione inefficax argumentum desumitur, præcipuè cùm ipse non intenderit omnium materias, & formas exactè declarare; sed notiores, & principaliores, & quæ nullàm dubitationem admittebant: de aliis verò generaliter dixi, prout in Pontificali Romano latè continetur. Ad secundam respondeo, manuum impositionem præcedentem traditioni calicis ritum esse ab Apostolis introductum, ideóque si omissus fuerit, supplendus: quia non pertinet ad materiam, vel formam ordinationis, secùs de manuum impositione post factam consecrationem, & communionem sub illis verbis: *Accipe Spiritum sanctum.* Et licèt hæc manuum impositio supponat Sacerdotem ordinatum: non tamen integrè, sed solùm cum potestate in Corpus Christi verum, & non in Corpus Christi mysticum. Quòd verò in Pontificalibus aliquarum Ecclesiarum non præscribatur illa manuum impositio sub verbis: *Accipe spiritum sanctum*, non inde inferendum est, ad consecrationem non pertinere: quando quidem Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum regula est, *in suo Pontificali* eam manuum impositionem, & verborum prolationem præscribit.

9. Tertiò, est Ordinatio Diaconi in cujus materiæ assignatione varie Doctores opinati sunt. Nam Durand. *in* 4. *dist.* 24. *q.* 3. *num.* 7. & 8. cui favet Bonav. *eadem dist.* 1. *p. art.* 1. *q.* 4. existimat, in sola impositione manus sub illis verbis: *Accipe Spiritum sanctum*, totam essentiam ordinationis consistere. Movetur primò ex Concil. Carthag. IV. *c.* 4. quòd solius impositionis manuum mentionem fecit, dicens: *Diaconus cùm ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat: quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.* Quòd verò de manuum impositione non accidentali, sed essentia-

li

li Concilium loquatur, colligitur *ex capit.5.* ubi dicit Subdiacono, cùm ordinatur, ideò dari calicem, quia non accipit manus impositionem. Sensit ergo idem præstare in Diacono manus impositionem, quod præstat in Subdiacono calicis, & patenæ traditio. At hæc, ut dicemus, sunt necessaria materia pro Subdiacono. Ergo impositio manus necessaria materia erit pro Diacono. Secundò ex usu Ecclesiæ Anicensis, cujus ipse Durandus Episcopus fuit, in qua sola manuum impositione absque libri Evangeliorum traditione Diaconus consecrabatur. Tertiò, ex usu nascentis Ecclesiæ, in qua sola manuum impositione constituebantur Diaconi, *ex Actor.6.* Et certè illo tempore, quando nondum Evangelium scriptum erat, consecrari non poterant per illius traditionem. Neque vero simile est, hunc ordinem esse à Christo institutum, ut Sacerdotii sacrificanti ministret in Evangelii decantatione, cùm tempore institutionis non esset Evangelium decantandum: imò neque ex jure divino habeatur, eò quòd Evangelium in Sacrificio canatur, aut legatur. Si autem ad hanc Evangelii decantationem esset Diaconus à Christo consecratus, consequenter ex Christi institutione Evangelium in Sacrificio legendum, vel canendum esset.

Alii verò prædictæ manuum impositioni superaddunt libri Evangeliorum traditionem, & in utraque actione affirmant, materiam hujus ordinationis consistere. Sic Hosius *in confessione catholica, cap.52. aliàs 72. sub finem.* Petr. de Soto *lect.5. de Ordine, § Circa ista.* Cardin. Bellarmin. *c.9. de Ordine.* Henriq *l.10. c.8. n.2.* Coninch. *disp.20. concl.3.* Layman. *lib.5. sum. tr.9. cap.5. assert.3.* Moventur ad astruendam manus impositionem pro necessaria materia, rationibus *superiùs* adductis. Quòd verò ultra manus impositionem traditio libri Evangeliorum necessaria sit, probant ex Florent. Concilio *in decreto Eugenii post ultim. sess. §. Sextum Sacramentum.* expressè id definiente.

10. Dicendum igitur est, solam traditionem libri Evangeliorum esse materiam hujus ordinis, & formam verba, sub quibus ea traditio fit. Est communis sententia, teste Vasquez *disp.238. ànum.36.* Valent. *disp.9. q.3. punct.5. q.2.* Bonac. *de Sacram. disp.8. q. un. p.m.3.* Fundamentum est definitio Eugenii IV. nuper relata: *Diaconatus* (inquit) *per libri Evangeliorum dationem confertur.* Cùm igitur de impositione manuum nullam fecerit mentionem, infertur manifestè, manuum impositionem in hoc ordine non esse materiam præcipuam, uti voluerunt Coninch. & alii Doctores pro secunda sententia relati. Confirmarique potest ex cap. *Presbyter. de Sacramentis non iterandis*; ubi asseritur, manus impositionem, quæ in Presbytero, & Diacono fit, ritum esse ab Apostolis introductum: ergo non à Christo institutum; ideóque si omissus fuerit, non est ordo iterandus, sed cautè supplendus: at, si ad materiam ordinis pertineret, necessariò ordo iterandus esset, cùm deficiente materia nihil fiat. Deinde ratione probari potest: quia illa est materia, & forma cujusvis Sacramenti, quibus significatur effectus Sacramenti: at impositione manus Diacono facta, & verbis ibidem prolatis, officium, & munus Diaconi nullatenus significatur: verba enim, quæ proferuntur, cùm Episcopus Diacono manus imponit, sunt: *Accipe Spiritum sanctum ad robur, & ad resistendum Diabolo, & tentationib.* hæc enim verba cuilibet ordini competere poterant, quinimò nullum ordinis effectum denotant. Nam, si alicujus Sacramenti effectum denotarent, esset Sacramenti Confirmationis. Ergo in illis verbis, & manuum impositione consistere non poterat prædicti Ordinis materia, & forma. Quare illa verba, etsi imperativo modo pronuncientur; deprecatoria sunt, neque effectum habent ex opere operato: pronuntiantur tamen imperativo modo ob maximam spem, & fiduciam, quam Episcopus habet, Spiritum sanctum ordinando communicandum esse ad resistendum Diabolo ejúsque tentationibus. Econtra verò traditio libri Evangeliorum sub illis verbis: *Accipe potestatem, &c.* manifestè denotant hujus sacramenti effectum. Ergo in illis solis materia, & forma consistit. Quod ampliùs constabit, dissolvendo rationes oppositas.

11. Ad primam ex Concilio Carthagin. respondeo *in illo cap.4* non intendisse Concilium definire, quæ sit diaconatus, vel presbyteratus materia, sed quæ sit differentia in impositione manuum, quæ in utroque ordine intervenit: postmodum verò *à c.5.* materiam subdiaconatus, aliorúmque ordinum designat. Ad secundam, usum Ecclesiæ Anicensis illegitimum fuisse, & Romanæ Ecclesiæ usu emendandum, sicuti ipse Richard. emendavit. Ad tertiam admitto, tempore nascentis Ecclesiæ non traditione libri Evangeliorum, sed alterius rei traditione, vel manus impositione, sub aliquibus verbis, officium Diaconi denotantibus ordinem conferri. Neque inde fit, esse diversum sacramentum, quod eo tempore ministrabatur, ab eo, quod modò ministratur: nam esto materiæ in esse physico diversæ sint, non tamen in esse morali, & secundùm Christi institutionem. Credendum enim est, inquit Bellarm. *lib. de ordine, c.9.* quem sequuntur Coninch. *dicta disp.20. dub.7. n.65.* Laym. *cap.5. assert.3.* Bon. *q.un. p.3. num.4.* Christum Dominum non designasse materias omnium ordinum in particulari, sed generatim monendo Apostolos, ut ordinem conferrent per cæremoniam instrumentalem, qua significaretur eorum potestas. Quòd si ita factum est, potuerunt Apostoli Diaconos consecrare, vel manuum impositione, vel alterius rei traditione, tametsi post scriptum Evangelium illius traditione consecrati fuerint. Neque ex eo, quòd traditione libri Evangeliorum consecrentur, inferendum est, præcipuum munus, ad quod Christus hunc ordinem instituit, esse ad ministrandum sacerdoti sacrificanti in Evangelii decantatione, vel lectione, nam, ut rectè probat objectio facta, non est jure divino statutum Evangelium in sacrificio Missæ legi, aut decantari, sed illius libri traditione ex usu ecclesiæ denotatur munus Diaconi esse, legem evangelicam prædicare, sive in sacrificio, sive extra, & sacerdoti assistere, & inservire in omnium Sacramentorum administratione, prout ipsi visum fuerit. Neque huic potestati obstat, quòd munus prædicandi generaliter sit Diaconis interdictum: id enim factum est, quia ecclesia Presbyteris, & Episcopis abundat, per quos aptiùs hoc officium præstari potest.

12. Quartò, subdiaconatus materiam affirmavit Viguerius *in sum. instit. theolog. c.16. §. 6. vers.1.* esse traditionem libri epistolarum sub illis verbis: *Accipite librum epistolarum, & habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis, quàm pro defunctis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Probarique potest: quia, sicut proprium est Diaconi sacerdoti ministrare legendo Evangelium: sic proprium est subdiaconi ei epistolam decantando inservire. Ergo, qua ratione ordinatur Diaconus libri evangeliorum traditione, subdiaconus epistolarum traditione ordinari debet. Secundò, traditio calicis vacui, cum patena, non videtur esse posse hujus ordinationis materia: siquidem eo tempore nulla verba Episcopus profert, quæ necessariò proferenda essent, ut illam materiam determinarent. Tertiò, initio Ecclesiæ subdiaconi tangere non poterant vasa sacra, ut colligitur ex Concilio Laodicensi *can.21.* Quod nullatenus prohiberetur, si contactus sacrorum vasorum esset hujus ordinationis materia.

13. Cæterùm, communis sententia, & omninò certa, de qua D. Thom. *in 4. dist.1. q.1. art.1. ad 2.*

Richard,

Richard. *dist.24. art.3. q.4.* Durand. Paludan. Sotus, Major, & alii, quos refert, & sequitur Vasquez *disp.238. c.5. n.49.* Valent. *dist.9. q.1. p.5. vers. Tertia q.* Coninch. *disp.10. dub.7. concl.4.* Laym. *tract.9. c.5. assert.4.* Bonac. *disp.8. de sacram. quæst. un. p.3.* affirmat, materiam hujus ordinis esse traditionem calicis vacui cum patena. Sic enim definitum est in Florent. Conc. *in supradicto decreto*, ubi assignans Pontifex, per cujus rei traditionem conferantur ordines, de subdiaconatu inquit: *Subdiaconus verò per calicis vacui, cum patena vacua superposita traditionem.* Idem constat ex Concilio Carthagin. IV. *cap.5.* Ratio est: quia ea est materia ordinationis, per quam significatur præcipuum illius ordinis ministerium: sed præcipuum ministerium Subdiaconi est Sacerdoti inservire in sacrificio, ministrando calicem, & patenam, medio Diacono, quod officium nullo alio signo aptiori significatur, quam traditione calicis, & patenæ. Ergo in hac traditione materia hujus sacramenti sita est.

14. Neque rationes contrariæ urgent: nego enim, officium proprium Diaconi à Christo institutum esse legere, vel canere Evangelium in sacrificio, neque officium Subdiaconi legere, vel canere Epistolam, sed utriusque munus esse, sacerdoti, & Episcopo inservire: at, quia hoc obsequium nulla alia traditione, quàm libri Evangeliorum in Diacono significatur, ea de causa in illius traditione materia illius ordinationis consistit. In Subdiacono autem traditione calicis, & patenæ aptiùs significatur ejus munus: consistet ergo in illa traditione subdiaconatus materia. Adde traditionem libri Epistolarum non fieri ab Episcopo, sed ab Archidiacono, qui Episcopo ordinanti assistit. At materia, & forma ordinationis necessariò ab ordinante, qui est Episcopus, præstari debet: ergo in traditione libri epistolarum materia Subdiaconatus stare non poterat. Secundum argumentum petit declarare, quæ sit forma hujus ordinationis. Et commissis aliorum placitis, placet mihi sententia Vasq. *disp.238. c.5. n.51.* Coninch. *disp.10. dub.7. concl.4.* Layman. *lib.5. sum. tract.9. c.5. assert.3.* esse, inquam, illa verba, quæ Episcopus profert, postquam omnes in subdiaconatum ordinandi tetigerunt calicem cum patena nempe, *Videte, cujus ministerium vobis traditur.* Hæc enim verba, quæ moraliter cum, contactu conjunguntur, relata ad contactum calicis, & patenæ satis exprimunt officium Subdiaconi ab Episcopo traditum, & concessum. Ad tertium nego, unquam subdiaconis prohibitum esse, vasa sacra vacua tangere vasa sacra continentia Christi Corpus, & Sanguinem, ut rectè probat Vasq. *disp.238. c.6. n.61.*

15. Sed, an calix, & patena, quæ Subdiaconis, & à fortiori Presbyteris traduntur, debeant esse consecrata, non conveniunt Doctores. Negant ex necessitate consecrata esse debere, Eman. Sà *in princ. edit. verbo, Ordo, n.6.* Henriq. aliis relatis *lib.10. cap.5. in comment. litt. F & cap.8. n.3.* Filliuc. *tract.9. c.2. q.1. n.3. & q.8. n.45.* Bonac. *disp.8. unica, p.3. n.5.* quia nullibi cavetur, consecrata esse debere. Præterea, quia esto, consecrata non sint, confici potest in ipsis Eucharistia.

16. Cæterùm verius existimo, necessitate sacramenti calicem, & patenam consecrata esse debere: quia, secluſa consecratione, non sunt vasa sacrificii, neque ad sacrificium deputata. Ergo eorum traditio, & contractus ad sacrificium referri non potest, neque significare, tangentem ea vasa, eo contactu in sacrificii obsequium deputari. Quare, esto, nullibi caveatur, prædicta vasa consecrata esse debere, id ex natura rei sequitur ob significationem, quam habere debet materia ordinationis. Quòd verò in materia non consecrata Eucharistia confici non possit, non probat, materiam Ordinationis non debere esse consecratam. Etenim Eucharistiæ confectio solùm ex materia panis, & vini pendet: at Ordinatio in materia pendet ex significatione Sacrificii, quam si non obtinet, materia Ordinationis esse non potest. Præterea, si ex eo quòd Eucharistia confici possit in calice, & patena non consecratis, infertur, calicem, & patenam non consecrata deservire posse pro materia Ordinationis cujuslibet vasculi, pilei, & ligni traditio materia Ordinationis erit, cùm in his omnibus Eucharistia de facto possit confici: quod dici nullatenus potest. Requiruntur ergo necessitate sacramenti vasa consecrata.

17. Illud reputo certum, grave peccatum esse, si loco calicis, vel patenæ consecrati, non consecratus adhiberetur: tum, quia est contrarium, & usum Ecclesiæ, tum ob dubium de valore Ordinationis.

18. Ad extremum adverte, subdiaconatum tempore primitivæ Ecclesiæ non fuisse inter ordines sacros computatum, non, quia sacramentum non fuerit; sed, quia non habuit votum castitatis annexum. At tempore Urbani II. imò ante ipsum Urbanum subdiaconatus inter ordines sacros enumeratus est ut probat Innocentius III. *in cap. A multis, de ætate, & qualit.* & constat ex 6. Synodo generali, *can.6.*

19. Quintò, succedunt ordines minores, de quibus ferè nulla est dubitatio. Nam, cum Florentinum definiat, ordinationis materiam esse illam, per cujus traditionem confertur ordo, & designatur ministerium ad illum ordinem pertinens: in Ostiario autem, Lectore, Exorcista, & Acolytho constet, quæ res ab Episcopo tradantur in illius muneris significationem, manifestè liquet, quæ sit illorum Ordinum materia; Ostiario enim traduntur ab Episcopo claves Ecclesiæ sub illis verbis: *Sic agite quasi reddituri Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur*, ac proinde sola illa clavium traditio est materia, uti colligitur ex Concilio Carthaginen. IV. *c.9.* Lectori traditur liber lectionum sub ea forma: *Accipite, & estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter, & utiliter compleveritis officium vestrum, partem cum his, qui verbum Dei bene ministraverunt ab initio.* Colligitur ex dicto Concilio Carthaginensi, *c.8.* Exorcistæ traditur liber, in quo Exorcismi continentur, sub hac forma: *Accipite, & commendate memoriæ, & habere potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive cathechumenos.* Et tradit idem Concilium Carthagin. *c.7.* Acolytho autem duplex materia traditur sub duplici forma verborum, scilicet, ceroferarium cum certo extincto, sub illa forma: *Accipite ceroferarium cum cereo, ut sciatis vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipatos in nomine Domini.* Deinde traditur urceolus vacuus aquæ, & vini, sub illa forma: *Accipite urceolum ad suggerendum vinum, & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi in nomine Domini.* Hinc Doctores divisi sunt. Alii affirmant in traditione urceoli materia hujus ordinationis sitam esse: quia per hanc traditionem munus Acolythi nobiliùs, & excellentiùs significatur. Aliis placet, traditionem solam ceroferarii esse materiam, ideóque Acolythum à conferario dici. Sed verius existimo cum Vasque & aliis ab ipso relatis *disp.237. c.3. n.36.* in utriusque traditione sitam esse hujus ordinis materiam: quia, cùm utrumque munus cerof rario competat, & duplici traditione, sub duplici forma, indicetur, duplex illa traditio, materia ordinationis esse debet.

20. Tandem est dubium, an necessarium sit ordinando, tum ut validè, tum ut licitè ordinem recipiat, materiam suæ ordinationis tangere? Qua in re, aliqua pro certo habenda sunt. Primò enim, pro certo haberi debet, grave esse peccatum, si tactus alicujus materiæ omittatur: quia est contra praxim Ecclesiæ, & illius præceptum & periculum adest invalidæ or-

ordinationis. Aliqui existimant, te à peccato excusari, si mediatè materiam tetigeris, tametsi non immediatè: v. g. cùm ordinaris in sacerdotem, si calicem continentem patenam tangas, esto patenam non tetigeris. Indicat Vasq. *d sp.246. cap.2. n.19.* Sed omninò dicendum est, grave esse peccatum, illius contactus liberam omissionem: quia satis est probabile, immediatum contactum necessarium esse necessitate Sacramenti. At exponere te periculo invalidæ Ordinationis maximè sacerdotalis, est gravissimum damnum: ergo à peccato excusari non potes. Præterea, in Pontificali hic contactus immediatus præscribitur, quod Episcopus diligenter procurat observari. Signum igitur est, illius esse obligationem. Et ita docet Ægid. de Coninch. *disp.20. dub.7. concl.6.*

Secundò, debet pro certo haberi, opus non esse tangere Hostiam immediatè. Tum, quia in Rituali Romano tactus Hostiæ immediatus non præscribitur. Tum, quia vinum in calice contentum immediatè non attingitur, cum tamen illius contactus æquè, ac Hostiæ contactus deberet esse necessarius. Atque ita notarunt Vasq. & Coninch. *loc. alleg.* Bonac. *disp.8. de Sacr. quæst.un. p.3. n.11.* Valent. *disp.9. q.1. punct.5. circa finem.*

Teriò, certum esse debet, non requiri materiæ contactum eo puncto, quo verba ab Episcopo proferuntur. Satis enim est, quòd moraliter conjungantur. Sic Sà *verbo, Ordo, n.5.* Bonac. relatis aliis *dicto punct.3. n.22.* Henriq. *lib.10.c.10. n.1.* Laym. *tract.9. cap.5. n.3.*

Quartò, ferè certum existimo, non esse opus contactum materiæ immediatum ad Sacramenti valorem, sed mediatum sufficere, uti evenit, si calicem continentem patenam tangas; vel, si tangas calicem medio aliquo panno interposito: quia moraliter, & in communi hominum æstimatione tangere diceris. Sic tradunt Vasquez, Coninch. & Bonac. *loc. allegatis.*

21. Quare controversia solùm est, an contactus, saltem in genere ad sacramenti valorem requiratur? Negant Albert. Magn. *in 4. dist.24. art.38. ad 2.* Armilla *verb Ordo, n.24.* Victoria *de Sacram. Ordinis, n.230* Henriq. *lib.1. cap.9. n.11.* Vasq. *disp.246. n.19. & 20.* Cajet. *in sum. verb. Ordinandum, & ordinator. peccata.* Laym. *lib.5. sum. tract.9. cap.5. n.4.* Moventur quia hic contactus, vel necessarius est, ut ordinandus potestatem sibi traditam acceptare significet; vel, ut potestas per ordinationem tradita conferatur. At ad neutrum est necessarius contactus. Et quidem non esse necessarium, ut ordinandus acceptare potestatem significet, inde probatur: quia hæc acceptatio necessaria non est: siquidem infans ante usum rationis ordinari potest, qui tamen nullam ordinis acceptationem habet, sed solùm illius passivam receptionem. Præterquam quòd solo contactu materiæ non satis significatur illius acceptatio: sed oportebat digitis materiam stringere: aliàs non dicemur calicem capere, aut recipere. Quòd verò contactus necessarius non ut, ut potestas per ordinationem tradita conferatur, probari potest? tum, quia commune est, tam in jure civili, quàm canonico, jurisdictionem, potestatem, & dominium concedi absque rei traditæ contactu ex eo tantùm, quòd præsenti concedatur: tum exemplo matrimonii, in quo mutua potestas conjugibus traditur absque ullo contactu. Ergo idem potest in præsenti.

22. Cæterùm, verius existimo, contactum materiæ necessarium esse, ut traditio constituatur, & potestas per Ordinationem concedatur, uti ex communi sententia docuerunt D. Th. *in 4 dist.24. q.1. art.11. qq.5. ad 3.* & *in addit. ad 3.p. q.34. art.5. ad 3.* Valent. *disp.9. q.1. p.5. circa fin.* Sà *verb. ordo, n.3. in edit. refor.* secùs in priori Con. *disp.20. dub.7. concl.5.* Bonac. *disp.8. de Sacr. q. unic. p.3. n.11.* & alii apud ipsos. Moveor: quia negari non potest, potuisse Christum Dominum sic traditionem pro materia ordinationis constituere, ut non censeatur perfecta, neque in suo esse constituta, quousque ordinandus symbolum traditum tangat. Quòd autem sic instituerit, persuadet praxis Ecclesiæ, & ordinantium, & ordinandorum sollicitudo, de prædicto contactu præstando. Idque indicant illa verba ab Episcopo prolata: *Accipe potestatem.* tradito symbolo illius: traditio enim symboli indicant symbolum ab ordinando physicè accipi debere, sicuti realiter accipitur potestas illo symbolo communicata. Neque obest, quòd parvulus non voluntariè accipiat: sufficit, quòd acceptioni non repugnet, ad quam materialem acceptationem contactus sufficiens censetur, etsi digitis non stringatur.

Punctum V.

Quis sit effectus Sacramenti Ordinis, & quam ab aliis Sacramentis, & inter se dependentiam habeat.

1. *Gratia est effectus hujus Sacramenti.*
2. *Præter gratiam imprimit characterem.*
3. *Negat Vasquez, per ordinationem Episcopi novum characterem imprimi.*
4. *Verius est oppositum.*
5. *Necessariò Baptismus Ordinem præcedere debet.*
6. *Requiritur necessitate præcepti ordinandum esse confirmatum; sed, an sub gravi culpa? Communiter Doctores negant.*
7. *Dicendum est, vel nullam esse culpam, vel debere esse mortalem.*
8. *Prima tonsura ordinem præcedere debet.*
9. *Inferiores ordines prius suscipi debent, quàm superiores.*

1. NOn est dubium effectum Sacramenti Ordinis, sicut & reliquorum sacramentorum, esse gratiam habitualem cum ordine ad auxilia necessaria ad ritè, & competenter exercendum cujuscunque ordinis munus, & officium, uti definitum est à Trident. *sess.23. c.3.* ex illo Pauli: *Noli negligere gratiam, quæ tibi data est,* &c. Qui negant minoribus Ordinibus Sacramenti rationem, consequenter negant gratiam ex opere operato per illorum susceptionem communicari. Nos verò, qui communiorem sententiam sequentes asseruimus, omnes ordines, tam majores, quam minores Sacramentum esse à Christo institutum, consequenter asserimus, gratiam illis omnibus communicari.

2. Præter supradictum effectum, habet sacramentum ordinis alium proprium, scilicet, charracterem, qui est quædam qualitas supernaturalis animæ inhærens indelebilis, qua, quasi quodam signaculo, ordinatus à non ordinatis distinguitur, & ad munia, & officia ordinis suscepti exercenda destinatur. Omnia enim sacramenta, quæ reiterationem excludunt, in illius signum hunc effectum habent, ut latiùs diximus *tr. de Sacram. in genere, pu.11.* Cùm ergo tam ordines minores, quàm majores reiterationem excludant, & illis ordinati ad munia diversa destinentur, singulis ordinibus suus character imprimitur, uti dixit Val. *disp.9. q.2. p.un.* Coninc. *disp.20. dub.8.* Bonac. *disp 8. q un. p.6 n.3.*

3. Solùm est dubium, an per consecrationem Episcopi novus character imprimatur? Negat Vasq. *d.139. c.6. n.54.* imò neque præcedentem sacerdotalem characterem physicè augeri, sed solùm divina ordinatione ad novum effectum, & officium destinari. Etenim, cum ordinatio Episcopi non sit absolutè distincta à sacerdotali ordine, sed illius tantum perfectio, novum characterem non postulat, sed præcedens sufficit novam denominationem, & relationem accipiens ex

destinatione ad novum effectum, sicuti videtur necessariò dicendum in ordine sacerdotali, cujus character unus, & indivisibilis esse videtur, tametsi potestates in eo ordine communicatæ distinctæ sint.

4. Cæterùm verius existimo, diversum characterem imprimi in ordinatione Episcopi ab eo, qui impressus fuit in sacerdotali ordine & diversum characterem imprimi sacerdoti, cum ei potestas absolvendi à peccatis conceditur, ab eo, quem acceperat, cum potestas consecrandi Eucharistiam concessa fuit, vel saltem characterem præcedentem novo reali modo augeri. Sic docet Bellarm. *t. de ordine, c. 5. in fine.* Con. *disp. 20. dub. 8 n. 74.* Laym. *lib. 5. sum. tract. 9 c. 4. vers. Licet.* Ratio est: quia character, licèt non potestas physicè effectiva, est tamen signum morale potestatis in ordinatione acceptæ. At diversa potestatis in consecratione Episcopi conceditur ab ea, quæ conceditur simplici sacerdoti. Ergo novo charactere significari debuit. Idemque argumentum fieri potest in sacerdotio: traditur enim diversa potestas sacerdoti, cum ei Episcopus manus imponit sub illis verbis: *Accipe Spiritum sanctum. Quorum remiseris peccata, remittuntur*, &c. à potestate tradita, cum porrecto calice, & patena, dictum fuit: *Accipe potestatem offerendi sacrificium.* Ergo hæc nova potestas novo charactere significari debuit. Ideò namque in qualibet ordinatione distinctus character imprimitur: quia per singulas ordinationes diversæ potestates communicantur. Aliàs, qua ratione in Episcopo, & sacerdote ad novam potestatem significandam destinari præcedens character dicitur, eadem dici potest in singulis Ordinibus fieri, ac proinde opus non esset singulis ordinibus suum proprium characterem imprimi. Neque obstat, alios ordines ita inter se distingui, ut unus alium essentialiter non supponat: è contra verò episcopatus essentialiter sacerdotium supponat, & potestas absolvendi in sacerdote, potestatem supponat consecrandi. Nam esto, id verum sit solùm inde probatur, characterem communicandum in episcopatu, non debere omninò distingui à charactere, qui in sacerdotio communicatus est, sed ex divina ordinatione illum essentialiter præsupponere, sicuti præsupponitur ordinatio, & potestas. At, sicut ordinatio episcopatus, & potestas ibidem communicata est partialiter distincta ab ordinatione, & potestate præcedenti: sic character debet esse.

5. Quoad dependentiam, quam habet ordinatio ab aliis sacramentis, & inter se, dicendum est primò, necessarium esse, ut Baptismus præcedat, aliàs nulla erit ordinatio. Quod adeò verum est; ut esto per ignorantiam omissus Baptismus sit ordinatio effectum habere non possit: quia Baptismus reipsa susceptus est omnium Sacramentorum janua, & ex divina institutione dispositio necessaria: colligiturque ex cap. *Si quis Presbyter.* cap. *Veniens, de Cleric. non baptizat.* & probat Barbosa *alleg. 2. de potest. Episc. n. 9.*

6. Secundò, requiritur, non necessitate sacramenti, sed præcepti, ordinandum esse confirmatum. Inquit enim Trident. sess. 23. cap. 4. *Prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint.* Sed, an hoc præceptum obliget sub culpa gravi, non conveniunt Doctores. Negant Sotus *in 4. distinct. 7. art. 6. 8.* & *dist. 24. q. 1. art. 4.* Nav. *c. 22. n. 9.* Vivald. *in Candel. de Confirm. n. 11.* Victor. *de Sacram. Ord. n. 232.* Suar. *t. 3. in 3. p. disp. 38. sect. 1.* Coninch. *de Sacr. t. 1. n. 72. art. 8. n. 90.* & *disp. 20. de Ord. dub. 10. n. 102.* Reginald. *in praxi, lib. 28. n. 24.* Villalob. *tract. 11. de Ordine difficult. 7. n. 2.* Barbosa pluribus relatis *de potest. Episc. alleg. 2. n. 14.* Quia verba Concilii obligationem gravem non indicant, & ex natura rei nulla inter hæc sacramenta est dependentia: asserunt tamen supradicti Doctores, culpam esse venialé.

7. Cæterùm, ego crederem, vel nullam esse culpam, vel debere esse mortalem. Si enim verba Concilii præceptiva sunt, ut videtur dicendum, non est dubium, materiam gravem esse, sicuti est, ut Ordines ante primam tonsuram non recipiatur: & ita sentit Bonac. *d sp. 8. de Sacr. q. unica, part. 5. n. 9.* Si autem præceptiva non sunt, sed directiva, nullum erit per se peccatum, cum nullam inducant obligationem.

8. Tertiò, ad quemlibet Ordinem suscipiendum requiritur, primam tonsuram præcedere, uti docuit Concilium Trident. *sess. 23. cap. 2.* ibi: *Ut qui jam prima tonsura initiati essent, per minores ad majores ascenderent* Nam licèt prima tonsura Ordo non sit: est tamen ex Ecclesiæ præscripto ad omnes Ordines debita dispositio. Unde, si omissa prima tonsura aliquem Ordinem susciperes tametsi validè suscipias, ut est certum, graviter peccas, ut communis Doctorum sententia testatur ob Concilii præceptum, & Ecclesiæ praxim, Bonac. *disp. 8. q. unic. p. 3. n. 11.* Villalob. *tract. 11. difficult. 3. n. 7.*

9. Quartò, ordines inter se ita sunt distributi, ut per minores ad majores fiat ascensio, sicuti dixit Trid. *sess. 23. cap. 2.* Quare priùs debent suscipi inferiores, ut per ipsos quasi gradus ad superiores ordinatus ascendat. Quòd si hujusmodi dispositio invertatur, peccatum grave esse nemini est dubium: ordo tamen susceptus validus persistit, sicuti colligitur *ex toto tit. de Clerico per saltum promoto.* Erit autem sic ordinatus suspensus ab exercitio ordinis suscepti, cap. *Sicut olim. 46. dist. c. Solicitudo. de Cleric. per saltum prom.* quousque Episcopus dispenset, ut ordinem prætermissum suscipiat. Ut autem Episcopus dispenset, tum ut ordinem prætermissum suscipiat, tum ut ordinem susceptum exerceat, tum ut ad majorem ascendat, opus esse videtur, ne in suscepto ordine ex malitia ministraverit: quia eo ipso videtur esse irregularis, & in irregularitate publica Episcopus non dispensat: & colligitur ex Trident. sess. 23. c. 14. de reformat. *Cum promotis* (inquit) *per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare.* tacitè indicans non posse dispensare, si ministraverint, subintelligitur, *ex malitia*, ut benè advertit Villalob. *n. 11. de Ord. difficult. 7. in fine.*

Punctum VI.

De subjecto Ordinum, seu de ordinandis.

1. *Subjectum Ordinationis est vir, non fœmina.*
2. *Mulier incapax est accipiendi primam tonsuram.*
3. *Hermaphroditus capax est ordinis, si sexus virilis prævaleat: secùs, si fœmineus.*
4. *Quæ objiciant hæretici.*
5. *Facilè solvuntur.*

1. SUbjectum Ordinationes esse virum, & non fœminam tanquam certum, de fide tradit Th. *in 4. dist. 25. q. 2. art. 1 q. 1.* Bonav. *art. 2. q. 1.* Scotus *q. 2. §. Sic breviter.* Durand. *q. 1 n. 6.* Paludan. *q. 3. art. 1. concl. 1.* & alii relati à Vasquez *disp. 243. cap. 2.* Sumitúrque ex Ecclesiæ perpetua traditione, quæ optime confirmatur, cùm nec Virgini Mariæ, neque Magdalenæ, aliisque sanctissimis mulieribus nunquam Ecclesia Ordinem ullum contulerit. Si autem jure divino sexus fœmineus capax ordinationis existeret, alicui mulieri Ecclesia Ordinem communicasset. Ratio hujus incapacitatis desumitur ex effectu, & natura Ordinis, qui est constituere ordinatum in gradu superiore, & eminente inter reliquos fideles cum potestate eo docendi, & sacramenta ministrandi. At mulieres hujus superioritatis jure divino incapaces existunt, ut constat ex Paulo 1. Corint. 14. *Mulieres in Ecclesia taceant.* non enim permittitur eis loqui: sed subditas esse, sicut & lex dicit: lex, inquam,

Geneſ.3. *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* & addit Paulus. *Siquid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent: turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia.* Si autem ordinis capaces eſſent, & loqui in Eccleſia poſſent, & viris non ordinatis ſuperiores exiſterent.

2. Ex qua ratione optimè infert Vaſq. *diſp.*245. *c.*2. *n.*12. Coninch. *diſp.*20. *dub.*10. *num.*65. Layman. *lib.*5. *ſum. tract.*9. *cap.*6. *n.*2. mulierem incapacem eſſe recipiendi primam tonſuram: nam eſto, non ſit ordo eccleſiaſticus, eſt tamen eccleſiaſtica deputatio, & diſpoſitio ad ordines eccleſiaſticos ſuſcipiendos, ad quos num incapax ſit, nequit deputari, aut aliquo modo diſponi.

3. Secundò, decidit Vaſquez quæſtionem de Hermaphroditis, an capaces Ordinis exiſtant. Aſſerit namque cum Ariſtotel.4. *lib. de generat. animal. c.*3. *ſub finem*, nullum ex his monſtris habere ſexum utrumque perfectum, etſi exteriùs appareat, ſed neceſſariò unum ex illis prævalere, & alterum eſſe irritum, & inanem. Spectandum ergo eſt, qui ſexus prævaleat, an virilis, an fœmineus: nam, ſi fœmineus prævalet, incapax erit ordinis, ſecùs ſi virilis. Verùm eſto, prævaleat virilis, & capax jure divino ſit ordinis, omninò tamen ab ordine repellendus eſt: quippe ex communi ſententia irregularis cenſetur, uti multis allegatis docet Bonac. *diſp.*8. *de Sacram. q.un. p.*5. *n.*6.

4. Adversùs hanc catholicam doctrinam objiciunt Hæretici Paulum *ad Galat.*3. dicentem in Chriſto Jeſu non eſſe maſculum, neque fœminam: ergo in templo Dei, ejúſque miniſtris non debet eſſe diſcrimen maſculi à fœmina. Secundò, in veteri teſtamento, etiam in novo plures fœminæ fuerunt Prophetiſſæ. Nam *Numer.*12. Maria ſoror Moyſis prophetavit; & *Luc.*2. Anna filia Phanuël, & quatuor filiæ Philippi Diaconi, ut colligitur *ex Actis Apoſtol.* Si igitur capaces ſunt prophetiæ, etiam ordinis videntur capaces eſſe poſſe: quippe per prophetiam quodammodo aliis ſuperiores exiſtunt, eóſque docere poſſunt, quæ per prophetiam didicerunt. Tertiò, poſtquàm Paulus 1. *ad Thimotheum, cap.*3. docuit, quales eſſent Diaconi ad miniſterium eccleſiaſticum eligendi, pudicos, ſcilicet, non bilingues, &c. ſtatim ſubdit: *Mulieres ſimiliter pudicas.* indicans ejuſdem electionis capaces exiſtere. Quod amplius confirmatur ex eo, quòd *capit.*5. idem Paulus inquit: *Ne vidua minor ſexaginta annorum eligatur, & quæ ſit unius viri uxor.* Sicuti dixerat. *cap.*3. *ejuſdem* 1. *ad Timoth.* de Diacono, ne eligeretur, niſi unius uxoris vir. Quartò, tempore naſcentis Eccleſiæ non ſolùm viduæ, ſed virgines eligebantur, quæ in templo miniſtrabant, quæque vocabantur Diaconiſſæ, de quibus mentionem faciunt, Concilium Chalcedonenſe. *Act.*15. *canone* 15. & Synodus Græcorum in Titulo *can.*48. & Clemens *lib* 8. *Conſtitutionum, c.*19. & ſumitur ex Paulo ad Rom.18. *Commendo vobis Phœben, ſororem noſtram, quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ in Cenchris.*

5. Sed hæc nullius ſunt momenti. Ad primum reſpondeo, in Chriſto, ejúſque lege nullum eſſe diſcrimen quoad juſtificationem per Baptiſmum, & gratiam ibidem communicatam. De hac enim loquebatur Paulus, ut conſtat ex verbis *paulò anteà* dictis. *Omnes enim* (inquit) *filii Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu: quicunque enim baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Et ſtatim ſubjungit: *Non eſt Judæus, non ſervus, neque, liber: non eſt maſculus, nec fœmina*, &c. De miniſtris autem templi, eorúmque Ordinibus, nec verbum *in eo cap.* Paulus egit. Ad ſecundum nego, Prophetam ratione prophetiæ in alios poteſtatem habere, eóſque ex officio docere poſſe, tametſi non Prophetas in eo dono excedat, eóſque inſtruere poſſit in iis, quæ per prophetiam didicit. E contra verò ordinatus ratione ordinis, & aliis ſuperior eſt, & eos ex officio docere poteſt. Ad tertium admitto, viduas eligi conſueviſſe, non ut miniſteria ordinis exercerent; ſed ut votum caſtitatis emittentes redditibus, & eleemoſynis Eccleſiæ alerentur: hæ ergo monet Paulus, ne adoleſcentiores ordinentur, id eſt, ne in hunc ſtatum vidualem, cui votum continentiæ annectebatur, cooptentur, ne fortè poſtquàm iis redditibus, & eleemoſynis ſuſtentatæ fuerint, primam fidem, id eſt, promiſſionem continentiæ irritam faciant nubentes. Ad quartum admitto, Diaconiſſas eligi, & conſecrari tempore antiquo, ut in templo miniſtrarent Diaconis, aliiſque Eccleſiæ Miniſtris in iis, quæ ab ipſis erant mandata. Unde non conſecrabantur, ut ex proprio officio, & munere miniſtrarent, ſed, ut ex aliorum imperio inſervirent, ac proinde nullum eccleſiaſticum ordinem recipiebant; quod non obſcurè indicabat Epiphan. *hæreſ.*79. *ante medium*, cùm dixit: *Et Miniſtrarum quidem Diaconiſſarum ordo eſt in Eccleſia, ſed non ad ſacrificandum, neque ut quidquam aggredi permittantur*; ſcilicet, propria authoritate. Miniſtrabant autem in templo. Primò competebat illis inſtruere mulieres de iis, de quibus cum Diaconis, & Epiſcopis agere deberent, uti dixit Clemens Roman. *lib.*2. *Conſtitut. c.*26. *aliàs* 30. Secundò; aſſiſtebant ad templi oſtium: quo mulieres ingrediebantur, ut dignas admitterent, & indignas excluderent, de quo Clemens *dicto lib.*2. *cap.*47. *aliàs* 61. Tertiò, abſtergebant mulieres, quarum fratres oleo ſancto in Baptiſmo ungebantur, ne à viris aſpicerentur, ſicuti docuit idem Clemens *lib.*3. *Conſtit. cap.*15. & *cap.*16. affirmat, munus harum Diaconiſſarum eſſe mulieres baptizatas de ſacro fonte ſuſcipere. Quartò, ad domos mulierum mittebantur ab Epiſcopo, cùm aliquod munus ibi eſſet peragendum, ut dixit idem Clemens *dicto cap.*15. Præter ſupradicta alia ratione Diaconiſſæ, imò Sacerdotiſſæ, & Epiſcopæ aliquæ mulieres appellabantur, uti conſtat ex Synodo II. Tutonica ſub Pelagio, *can.*13. 14. & 20. & Concilio Antiſiodorenſi *can.*21. & 22. non quia aliquem ordinem acciperent; ſed quia earum viri, facta thori ſeparatione, ordinati erant Diaconi, Preſbyteri, & Epiſcopi, uti latiùs tradunt Michaël de Medina *lib.*4. *de continent. controverſ.*6. *c.*7. Gabr. Vaſq. *diſp.*245. *c.*3. *à n.*49.

Punctum VII.

De ætate ordinandorum.

1. *Ante uſum rationis docuit Durand. neminem Ordinis eſſe capacem.*
2. *Contrarium defendit communis ſententia.*
3. *Solvuntur rationes oppoſitæ.*
4. *Amens, qui aliquando rationis uſum habuit, ordinari non poteſt.*
5. *Limitant aliqui, ne procedat ſuperior doctrina in epiſcopatu. Sed non admittitur limitatio.*
9. *Quæ ætas ad licitam Ordinationem requiratur.*
7. *Ordinatus ante legitimam ætatem ſuſpenditur.*
8. *Limittant aliqui, ne procedat in Religioſis Minoribus.*
9. *Sed non admittitur limitatio.*

1. QUod ad ætatem attinet, fuit opinio Durandi *in* 4. *diſt.*25. *q.*2. *n.*8. pueros ante uſum rationis non eſſe capaces ordinis recipiendi. Moventur: quia nemini decet, Sacramentum aliquod concedi, niſi ipſe, vel alius nomine ipſius acceptet: at puer ante uſum rationis acceptare non poteſt: alium autem non decet nomine ipſius acceptare: quippe hoc Sacramentum non eſt neceſſitatis, ut Baptiſmus: ſed voluntatis, & ſuſcipientem gravibus obligationibus arc-

tat.

tat. Ergo, &c. Et confirmari potest ex ritu ordinationis, in qua ordinando traditur symbolum potestatis communicatæ sub illa forma: *Accippe potestatem*, quæ videntur postulare voluntatem liberam ordinandi, qua per symbolum traditum potestatem communicatam acceptet.

2. Certa tamen, & communis sententia est, puerum ante usum rationis capacem esse ordinationis. Sic D. Thom. *in 4. d stinct. 25. quæst. 1. art. 1. quæst. 2.* Bonav. *art. 2. q. 2.* Scotus *qu. 2.* Richar. *art. 4. quæst. 2.* aliis relatis Vasq. *disp. 246. cap. 1. n. 6.* Valen. *disp. 9. qu. 1. punct. 1.* Coninch. *disp. 20. dub. 10. concl. 3* Laym. *lib. 5. summ. tract. 9. cap. 6. assert. 2.* Bonac. *disp. 8. de Sacr. qu. unica, part. 5. num. 1.* Colligitúrque ex cap. unico, *de Clerico per saltum promoto*, ubi ordinatus ante annos discretionis minoribus ordinibus, & postmodum omisso diaconatu fuerat Presbyter factus, censetur validè minoribus ordinatus: siquidem solus diaconatus omissus recipi præcipitur: non autem minores ordines, sub quibus subdiaconatus etiam ibi intelligitur aliàs præciperetur subdiaconatum recipi. Ratio verò est: quia eo ipso, quo ordinandus non resistit ordinationi, capax est recipiendi potestatem, quæ per ipsam conceditur, sicuti capax est effectus Baptismi, Confirmationis, & Eucharistiæ: quippe materia, & forma horum Sacramentorum ex susceptientium actibus non dependet, sicuti dependent Sacramenta Pœnitentiæ, & matrimonii. Neque ad hanc validam susceptionem opus est (ut voluit Pal. *in 4. dist. 25. qu. post. 3. concl. n. 8.*) consensus parentum, vel eorum, quorum curæ ordinandus demandatus sit: quia satis est Ecclesiæ consensus, vel potiùs Christi voluntas, quæ ita Sacramentum Ordinationis instituit, ut cuicunque non repugnanti applicaretur effectum haberet.

3. Neque rationes contrariæ urgent. Admitto, dedecere sacerdotem ordinare ante usum rationis, ideóque gravissimum esse peccatum: at facto hoc peccato non dedecet id asserere, præcipuè cùm sic ordinatus obligationibus continentiæ, aliísque jure ecclesiastico inductis non astringatur. Ad confirmationem nego, traditionem symboli sub illis verbis: *Accipe potestatem*, expostulare in ordinando liberam acceptationem: sunt enim ex se efficacia ad communicandam potestatem ordinato non repugnanti.

4. Hinc tamen non licet inferre, amentem, qui aliquando usum rationis habuit, ordinari posse, si tempore discretionis ordinem non postulavit: quia sacramenta, quæ necessitatis non sunt, sed voluntàtis, repelli censentur, si non fuerunt postulata, tempore, quo liberè postulari poterant, ut advertit Vasquez *disp. 246. cap. 1. n. 8.* Coninch. *disp. 20. dub. 10. n. 100.* Bonac. *disp. 8. de Sacr. qu. unic. p. 5. n. 3.*

5. Limitant tamen prædictam sententiam S. Th. & Bonavent. *locis allegatis*, ne procedat in Episcopatu, cujus collationem factam pueris ante usum rationis, asserunt, nullam esse. Tum, quia jurisdictio, & potestas nemini communicari potest, nisi ipse, cui communicantur, consentiat. At consecratione Episcopi conceditur Episcopo potestas, & jurisdictio in omnem diœcesim. Ergo ipse debet consentire. Tum quia per consecrationem contrahit Episcopus spirituale matrimonium cum Ecclesia, in cujus Pastorem ordinatur: matrimonium autem expostulat consensum contrahentis. Ergo, &c. Sed rectiùs Dominicus Sotus *in 4. dist. 25. quæst. 1. art. 2. concl. 2.* Filliuc. *tract 9. cap. 4. quæst. 2. num 76* Vasq. *disp. 446. cap. 1. num. 11.* Bonac. *disp. 8. de Sacram. qu. un. p. 5. num. 4.* prædictam limitationem non admittunt: quia nulla est specialis ratio in Episcopatus collatione, quæ in collatione aliorum ordinum non procedat. Etenim sicut potestas ad consecrandum Corpus Christi, absolvendúmque à peccatis, puero ante usum rationis communicari potest: sic poterit potestas confirmandi, & ordinandi. Neque ex hac communicatione infertur, communicatam esse potestatem, & jurisdictionem actualem in aliquos subditos, ordinatúmque speciali alicui Ecclesiæ dispensatum esse; quia hæc jurisdictio; & dispensatio ex consecratione essentialiter non dependet, tametsi jure ecclesiastico consecrationi plerumque annexa sit.

6. Verùm esto, certa ætas ad validam ordinationem requisita non sit; ad licitam ordinationem omnes Doctores conveniunt, requisitam esse. Primò namque requiritur ætas, quæ plenam discretionem attingat. Non enim dicebat Ministros Ecclesiæ constituere insçios sui muneris, & potestatis traditæ, ideóque Bonifac. VIII. *in cap. Nullus, de temporib. Ordinat. in 6.* præcepit, ne ullus Episcopus infanti (minori septennio, inquit Glossa) clericalem tonsuram conferre præsumat. Deinde requiritur determinata ætas, quæ pro temporum diversitate diversa fuit, uti constat ex cap. 1. *& seqq. 77. dist.* & *dist. 78. c. 1. & 3.* & Clem. *Generalem 3. de ætate, & qualit. ordinando.* At novo jure Trid. *sess. 23. c. 12. de reform. 22.* annus ineptus expostulatur ad subdiaconatum, 23. ad diaconatum, & 25. ad presbyteratum; ad episcopatum verò 30. annus completus necessarius est ex c. *Cùm in cunctis de electione.* Pro minoribus Ordinibus nullam certam ætatem designavit Concilium: quare, si ea scientia ordinandus polleat, quæ *in prædicta sess. c. 4. & 11.* postulatur, & ordinari poterit. Rarò autem ante novem, vel decem annos, ullus præsumi potest ea scientia, & discretione requisita pollere, quæ ad primam tonsuram, à fortiori ad exercitium muneris commissi in aliis ordinibus sufficiat, sicuti notavit Coninch. *disp. 20. dub. 10. num. 102.* Vasquez *disp. 246. c. 4. num. 41.*

7. Ordinatus verò ante legitimam ætatem, si id ex malitia feceris, suspensus es ab ordinis susceptí exercitio, ut constat ex Extravag. Pii II. incipiente, *Cum ex sacrorum*, quam refert Navarrus *in cap. Accepta de restitut. spoliat. oppos. 8. num. 32.* & *in sum. cap. 27. num. 155.* Quaranta *in summ. Bullar. verbo, Ordo, in princ.* Quòd si bona fide fueris ordinatus, à suspensione excusatus es: quia prædicta Bulla dolum exigit ad suspensionem incurrendam, uti ex Navarr. & Covarr. observat Tolet. *lib. 1. cap 49. vers. Quarto.* Quaranta *verbo, Ordo, vers. Quibus* Bonac. *disp. 8. de Sacr. qu. unica, part. 5. n. 13.* Villal. *tract. 11. difficult. 11. n. 6.* Barbos. *allegat 16. n. 20.* Nomen tamen obinde sequitur, quòd possis ordinem susceptum exercere, sive suspensionem non contraxeris, sive ab ea absolutus sis: quia prohibens Concilium ordinari ante signatam ætatem, consequenter prohibet ordinis exercitium ante illam, uti observarunt Suar. *tom. 5. de cens. disp. 35. sect. 1. num. 23.* Avila *de censur. 3 part. disp. 5. dub 7. vers. Notandum.* Bonac. *disp. 8. de Sacr. qu. unic. part. 5. n. 13.* Villal. *tr. 11. diffic. 11. n. 7.* At si susceptum ordinem ante ætatem completam exerceas, esto, graviter pecces, irregularitatem non incurris, quia nullibi est jure expressa, sicuti notarunt Barbos. Suar. Bonacin. Tolet. Villal. *locis alleg.*

8. Limitant tamen aliqui supradictam doctrinam, ne procedat in Religiosis Minoribus, & qui in eorum privilegiis communicant ob concessionem Innocent VIII. relatam *in Monument. Ordin. fol. 65. alias 69. concess. 147.* & *in supplement. fol. 99. conc. 170.* ibi enim refertur, Innocent. VII. vivæ vocis oraculo dispensasse cum toto Ordine Fratrum Minorum: quod postquàm Fratres hujusmodi attigerint 23. ætatis annum, dum tamen sufficientes sint, possint promoveri ad sacerdotium, & Missas celebrare, non obstante jure, cæteríque contrarium facientibus, &c. Et postmodum concessit, quòd Generales, & Provinciales possint dispensare

cum Fratribus ſuis in 22. anno completo. Quod privilegium, ſicuti teſtatur Compilator *in Comp. Privilegior. Minorum, verbo, Diſpenſatio, n.*15. limitatum fuit in Capitulo generali Florent. celebrato, ut ſolum id fieret in caſu neceſſitatis, propter ſacerdotum paucitatem, & ex conſilio quatuor Guardianorum pro hac neceſſitate examinanda conſtitutorum: & poſtmodum in Capitulo generali Burgenſi decretum eſt, hanc diſpenſationem ex concilio quatuor Definitorum faciendam eſſe. Privilegia enim vivæ vocis oraculo conceſſa,& ſuſpendi,& limitari poſſunt à Capitulo generali. Et licèt Concil. Trident. hoc privilegium derogare videatur, nihilominùs Pius V. vivæ vocis oraculo conceſſit, ut in foro conſcientiæ uti Religioſi poſſint omnibus gratiis, & privilegiis ante Trident. conceſſis, eſto, per Trident, derogata, aut reſtricta ſint, uti refertur *in Compend. privileg. Societ. Jeſu. verb. Concilium Trident. §. 3.* ob quam cauſam Eman. Saà *verb. Religio n.*58. *in edit. prima*, aſſerit, Religioſos ordinari poſſe ante ætatem legitimam.

9. Cæterùm eſto, prædicta vera ſint, nullatenus poſſunt Religioſi Minores ordinari ante ætatem à Concilio præſcriptam: Etenim privilegium Innocentii à Concilio Trid. revocatum eſt: Pius verò V. ſolum in foro conſcientiæ privilegia revocata reſtituit, quæ Conſtitutio ad prædictum privilegium extendi non poteſt: quia neceſſariò exigit privilegium illud ad ſui uſum in foro externo reſtitui. Quippe omnes Religioſi literis dimiſſoriis ſui Provincialis indigent, ut ordinentur, quibus Provincialis publicè teſtatur, ætatem legitimam habere: quod teſtimonium nullatenus verum eſſe poteſt, niſi quatenus Provincialis diſpoſitionem conceſſit. Prodeſt ergo conceſſio, non pro foro conſcienriæ tantum; ſed etiam pro foro externo. Adde, hanc diſpenſationem non poſſe Provincialem facere, niſi cum conſilio definitorum examinata cauſa diſpenſationis, ac proinde in foro externo, & judiciali, juxta religionis uſum. Deinde Sixtus V. *in ſua Bulla contra malè promotos*, omnia ſupradicta privilegia, & Pii V. conceſſionem revocavit, ſtatuens ſub graviſſimis pœnis, Concilium Tridentinum obſervari in iis, quæ circa ordinem ſuſceptionem præſcripſit, ut conſtat illis verbis: *Aut ante per ætatem per ſacri generalis Concilii Trident. decreta primæ tonſuræ, aut cuique Ordini præſcriptam.* Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus apoſtolicis, ac in Conciliis, etiam generalibus editis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Et licèt Clement VIII. anno 1595. pridiè Kalend. Martii prædictum motum proprium Sixti revocaverit, id ſolum fuit, quatenus jus commune, & terminos Concil. Trident. excedebat, quatenus verò juri communi, & Trident. conformis erat, confirmavit, & revalidavit. Quapropter conceſſio Pii V. utpote per Sixtum, & Clementem revocata, neque in foro exteriori, neque in interiori prodeſſe Religioſis poteſt. Et ita docuit Manuel Rodrig. *tom.* 3. *qq. regular q.*23. *art.*6. Mirand. *Man. Prælat. t* 1. *quæſt.*39. *art.*1. Vaſq. *deciſ.*246. *c.*4. *in fine*, *n.*34. Layman. *lib.*5. *ſum. tract.*9. *cap.*7. *n.*2. Villalob. *tract.*11. *de ordine. difficult.*11. *in fine num.*8. Quòd verò ſubdit Vaſquez prædictum privilegium Pii V. ad hoc prodeſſe poſſe, ut ſi bona fide Religioante legitimam ætem ordinatus fuerit, poſſit, in foro conſcientiæ à ſuo Provinciali diſpenſari, ut in ſuſcepto ordine miniſtret ante completam ætatem, mihi non probatur, eò quod exiſtimem prædictam conceſſionem Pii V. motu Sixti V. & Clement. abrogatam eſſe. Denique huic quæſtioni & dubitationi locus non eſt, cùm Urbanus VIII. hoc anno 1632. omnia privilegia, & gratias vivæ vocis oraculo conceſſas revocaverit.

Punctum VIII.

De qualitate ordinandorum quoad mores, & ſcientiam.

1. *Quæ ad qualitatem ordinandorum pertineant.*
2. *Quid ad mores.*
3. *Qualiter reformatio facienda eſt.*
4. *Quid pro Religioſis.*
5. *Quem ſenſum habeat interrogatio Epiſcopi, an ordinandi ſint apti, & Archidiaconi reſponſio.*
6. *Affirmant, aliqui peccare mortaliter, qui primam tonſuram, Ordinéſque minores ſuſcipit animo declinandi ſæculare judicium.*
7. *Quid ſit tenendum.*
8. *Non eſt peccatum minoribus initiari animo non aſcendendi ad ſuperiores.*
9. *Neque eſt mortale ordinari minoribus animo retrocedendi poſt aliquod tempus.*
10. *Illiteratus ordinari non poteſt.*
11. *Pro minoribus quæ ſcientia.*
12. *Pro ſubdiaconatu, & diaconatu.*
13. *Pro presbyteratu.*
14. *An Epiſcopo competat Religioſos examinare de ſcientia, & doctrina. Non videtur competere.*
15. *Contrarium deciditur.*
16. *Requiraturne eadem ſcientia, & doctrina in Religioſo ordinando, ac in ſæculari? Proponitur ratio difficultatis.*
17. *Verius minorem requiri.*
18. *Quid de cantoribus, & Canonicis, & portionariis.*

1. QUæ ad qualitatem ordinandorum pertinent, ad tria capita reduci poſſunt, ut benè notavit Vaſq. *diſp.*246 *c.*6. *in princ.* ad morum probitatem, ad ſcientiam, ſeu doctrinam, & ad vitæ neceſſaria. De duplici priori agemus *in hoc puncto*, de tertio *in ſequenti*.

2. Quod ad mores attinet Concil. Trid. 23. *cap.*5. *de reformat.* pro minoribus ordinibus expoſtulat à Parocho, & Magiſtro ſcholæ, in qua ordinandus educatus eſt, bonum teſtimonium. Pro majoribus verò ordinibus requirit, ut per menſem ante ordinationem Epiſcopum adeat ordinandus, qui Parocho, vel alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus, ac deſiderio eorum, qui volunt promoveri, publicè in Eccleſia propoſitis de ipſorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita, à fide dignis diligenter inquirat, & litteras teſtimoniales ipſam inquiſitionem factam continentes ad ipſum Epiſcopum quamprimum tranſmittat, & *c.*7. decernit Sancta Synodus, ut feria quarta ante ordinationem vel quando Epiſcopo videbitur, ſacerdotibus, & aliis prudentibus viris aſcitis ordinandorum genus, perſonam, ætatem, inſtitutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter inveſtiget, & examiner. Et *cap.*13. *ejuſdem ſeſſ.* inquit Concilium: *Subdiaconi, & Diaconi ordinentur, ut habentes bonum teſtimonium, & in minoribus Ordinibus jam probati.* Et *c.*14. de ordinandis in Presbyteror aſſerit, in miniſteriis anteactus piè, & fideliter ſe geſſiſſe debere, bonúmque habere teſtimonium, atque ita pietate, ac caſtis moribus eſſe conſpicuos, ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis poſſint expectari. Etenim, cum Miniſtri Eccleſiæ gradum inter omnes fideles obtineant, eligantúrque ad populum docendum, ſalutíſque ſacramenta miniſtranda, neceſſarium erat omnibus eſſe notum ea vitæ probitate pollere, quam prædicta munera exigunt.

3. Informatio namque facienda eſt primò de natalibus; an, inquam, ſint legitimi: quippe illegitimi irregu

irregulares existunt, & an ex Hæreticis sic damnatis, ut impœnitentibus descenderint. Qui enim à Judæis originem trahunt, vel quorum majore, etsi Hæretici fuerint, emendatos tamen esse constat, & reincorporatos Ecclesiæ unitati, & pro culpa hujusmodi ad mandatum Ecclesiæ pœnitentiam recepisse, quam vel perfecerunt, vel perfectioni ejus insistunt, aut paratos fuisse ad recipiendam eandem, juxta Constitutionem Bonifacii VIII. quæ incipit, *Statutum de Hæreticis in 6.* ab ordinatione excludi non debent, nisi aliter privilegio apostolico, & confirmatione caveretur, uti ex declaratione Concilii notavit Barbosa. Quapropter testes deponentes de natalitiis horum ordinandorum, qui à sanguine infecto descendunt, jurare possunt, à Christianis antiquis descendere; quia in ea informatione solum petitur, an descendant à condemnatis parentibus, & impœnitentibus, & an ipsi ordinandi noviter conversi sint. Cum ergo non descendant à parentibus impœnitentibus, censentur descendere à Christianis antiquis, quatenus necessarii sunt ad ordinem recipiendum, ut benè probat Sanch. *lib. 1. in Decalog. cap.* 28. *n.* 16. Secundò, examinanda est persona, an, inquam, sit corpore vitiata, ob cujus vitium ab ordine removeri debeat. cap. *Quando. dist.* & *ibi* Glossa, & cap. 1. & 2. *de corpore vitiatis.* Tertiò, ejus ætas, an legitima sit. Quartò, ejus institutio, id est, quo titulo ad ordines promovendus sit, an sufficiat ad vitæ necessaria, de quo latè *in sequentibus.* Quintò, ejus mores juxta communem famam, & opinionem, quæ sufficienter probatur Parochi testimonio uti notavit Barbosa 2. *p. de potest. Episcop. alleg.* 10. *n.* 15. Sextò, ejus doctrina, & fides, de quo statim.

4. Adverto, prædictam informationem pro sæcularibus statutam esse: nam Regulares, uti declaravit Congregatio Concilii, non tenentur nomen, & desiderium suum in Ecclesia publicè proponi facere, & testimonium deferre juxta ritum in Tridentino præscriptum, sed sufficit testimonium à suis superioribus allatum. Deinde, etsi attestatio, & informatio præscripta *sess* 23. *cap.* 5. *de reformat.* pro omnibus ordinandis debeat regulariter fieri, aliquando tamen poterit Episcopus ordinandum promovere omissa prædicta informatione, si aliunde ei constet de probitate vitæ, & morum integritate, uti ex Congregatione Concilii notavit Barbosa *in remiss. d. cap.* 5.

5. Præter supradictam informationem de ordinandorum genere, ætate, moribus, & doctrina, ipso ordinationis die Archidiaconus electus, ut Episcopo assistat, alta voce interrogat adstantes, an sciant aliquo impedimento affici ordinandum, quo ordini recipiendo minùs dignus efficiatur, præcipitque, ut illud declarent, & manifestent, juxta textum in c. *Nostrum. de offic. Archid.* Quo facto, Episcopus statim interrogat Archidiaconum, an sciat, omnes ordinandos dignos esse: ipse verò respondet, & scire, & testificari esse dignos: quantum humana fragilitas nosse sinit, cap. unic. *de scrutinio in ordine faciendo.* Quæ responsio veritatem continet, dummodo sciat, ordinandos ab examinatoribus approbatos, nulliúsque impedimenti conscios: quia, dum quis non probatur indignus, dignus esse censetur. E contra, si aliquem sciret impedimento ligatum, deberet Episcopum secretò monere, ut, juxta qualitatem impedimenti, quid faciendum sit, decernat, sicuti benè notavit Barbos. *de potest Episcopi,* 2 *p. alleg.* 10. *n.* 21.

6. Sub hac conditione de vita, & moribus ordinati comprehendere possumus intentionem, quam ordinatus habere debet in prima tonsura, ordinibúsque minoribus suscipiendis. Equidem Dominic. Bannes 2. 2. *q.* 12. *art.* 1. *in* 2. *difficult. conclus. ult.* Arag. 2. 2. *q.* 12. *art.* 1. *dub.* 1. Petr. de Ledesm. *de Sacr. Ordin. c.* 7. *p. st* 3. *conclus.* Man. Rodrig. 2. *t. sum. cap.* 17. *n.* 2. & inclinat Barbosa 2. *p. de potest. Episc. alleg* 10. *n.* 20. & *alleg.* 11. *num.* 12. existimant, peccare mortaliter ordinandum, qui animo declinandi sæculare judicium, neque ad superiores ordines ascendendi, prima tonsura ordinibúsque minoribus initiatur, similitérque peccare mortaliter Episcopum ordinantem si conscius sit prædictæ intentionis. Probatur ex Trident. *sess.* 23. *cap.* 4. ubi prohibet initiari prima tonsura eos, de quibus probabilis conjectura est sæcularis judicii fugiendi fraude, & non ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus eligere. Quòd autem hæc verba præceptiva sint, & non tantùm consultiva, uti voluit Coninch. statim referendus, convincitur ex eo, quòd æquè Concilium prohibet initiari, eum de quo probabilis conjectura non sit, non sæcularis judicii fugiendi fraude ordinari, sicuti prohibere initiari eum, qui Sacramentum Confirmationis non suscepit, vel legere, & scribere nescit.

7. Cæterùm verius censeo, non esse peccatum prima tonsura minoribúsque ordinibus initiari intentione fruendi privilegiis Clericorum, illorúmque exemptione à sæculari judicio, sicuti docet Sanchez *lib.* 6. *de matrim. disp.* 31. *n.* 16. & 17. Coninch. *de Sacram. disp.* 20. *dub.* 10. *n.* 104. Bonac. *disp.* 8. *de Sacram. qu. unic. p. ult. in fine.* Layman. *lib.* 5. *sum. tract.* 9. *cap.* 7. *circa finem.* Etenim rationi consonum est, ordinem suscipere sub intentione omnium, quæ ordini annexa sunt: at ordini annexa est exemptio à sæculari judicio: ergo suscipere ordinem sub hac intentione non est dissonum rationi. Neque huic intentioni obstat Concilium: quia in hac intentione nullam fraudem ordinandus cómittit: quippe utitur jure sibi concesso. Illum ergo excludit Concilium ab ordine suscipiendo qui non, ut Deo fidelem cultum præstet, ordinatur, sed sæcularis judicii fugiendi fraude: fraus autem non est censenda committi, nisi gravi aliqua causa apud sæculare judicium incepta initiaretur: tunc enim censeretur ordinandus fraude uti in sæculari judicio fugiendo.

8. Secundo dico, nullum te peccatum committere, si prima tonsura, minoribúsque ordinibus initieris animo non ascendendi ad superiores. Sic Coninch. Sanchez, Bonac. *locis allegatis:* imò in hac conclusione consentiunt Petr. de Ledesm. Arag. Rodrig. *suprà.* Ratio est: quia nullo jure cautum est, suscipientem primam tonsuram, Ordinésque minores, obligatum esse ad superiores ascendere. Nam Trident. *sess.* 23. *cap.* 4. & 11. solùm expostulat in ordinando intentionem præstandi Deo fidelem cultum: quam intentionem habere optimè potest, tametsi intentione careat superiores Ordines assumendi. Deinde illegitimus, qui ex dispensatione Episcopi minoribus initiatur, juxta textum in cap. 1. *de filiis Presbyteror in* 6. nequit intentionem habere assumendi Ordines superiores. Ergo hæc intentio non est per se necessaria. Hinc optimè infert Sanchez *dicta disput.* 31. *num.* 18. adversùs Bartholom. de Ledesm. *de Sacram Ordinis, dub.* 5 *concluf.* 1. non peccare Episcopum conferentem primam tonsuram, aut ordines minores ei, qui intentionem habet non ascendendi ad superiores, sed solùm Deo in susceptis ordinibus famulandi: quia Episcopus obligatus non est in ordinum collatione aliam intentionem ab ordinando exigere, quam jura ab illo exigunt.

9. Tertiò dico, nec te peccaturum mortaliter, si Ordines suscipias animo fruendi aliquo tantùm tempore privilegiis Clericorum, & postmodum retrocedendi. Quia ordinatus minoribus Ordinibus retrocedere sine causa potest absque gravi culpa, & se incapacem reddere ad ordinum ministeria deinceps obeunda, ducendo viduam, cum nullo voto, promissione, aut præcepto ad perseverandum in statu assumpto astringatur, uti docent Valent. 2. 2. *disp.* 1.

q.12. part.1. post princ. Bannes 2. 2. *q.12. art.1. §. Sit tamen tertia conclusio* & aliis relatis Sanch. *lib.7. de matr. disp.31. n.20.* Tolet. *lib.4. cap.18.* Azor. *tom.1. lib.13. c.14. quæst.14.* Ergo peccare mortaliter non potest intentionem habens retrocendi, quia ea intentio deterior esse non potest ipso facto. Ex alia parte susceptio ordinis sub ea intentione retrocedendi, non est ab Ecclesia specialiter interdicta, nec jure naturali videtur saltem sub gravi culpa interdici, utpote quæ non est graviter Ecclesiæ damnosa. Quòd secùs procedit in Novitio Religionem assumente: nam esto, absque gravi culpa possit Religionem deserere; si tamen, cùm ingreditur, intentionem habeat eam deserendi, graviter peccat: quia Religionem decipit in re gravi, ejus alimenta suscipiens; secreta, institutúmque agnoscens, quæ nullatenus ipsi permitterentur, nisi sub animo, & intentione probandi, & si placuerit, perseverandi. Atque ita docent Navarr. *c.25. n.108.* Sanch. *l.7. c.31. n.16.* Coninch. *disp.20. dub.10. n.104.* Laym. *tract.9. c.7, circa finem.*

Dixi, *si absque causa.* Nam, stante causa legitima, excusabitur etiam à culpa veniali recessus ab Ordinibus, uti dixerunt Tolet. Azor. Sanch. Layman. *locis allegatis*, & consequenter etiam excusabitur susceptio ordinis sub ea intentione. Quis enim dicet, peccatum committere Universitatis Rectorem, qui, ut jurisdictionem exerceat, qua aliàs exercere non potest, prima tonsura insignitur; tametsi animum habeat postmodum deposito officio ad nuptias transeundi?

10. Quod ad secundam qualitatem ordinandorum attinet, quæ est de scientia, & doctrina: primò, statutum erat *in c. ult. de temporibus ordinat. in 6* ne ullus illiteratus ad Ordines admitteretur, Concilium autem Trid. *sess.23. c.4. de reformat.* illiteratum esse censet ad primam tonsuram suscipiendam, qui fidei rudimenta ignorat, vel legere, & scribere nescit. Quapropter prima tonsura initiandus fidei rudimenta tenere debet; item legere, & scribere, saltem in vernacula lingua, ut docuit Azor. 2. *part. lib.6. c.6. q.2.* Barbos. *alleg.11. n.5.*

11. Pro minoribus Ordinibus intellectum linguæ Latinæ expostulat Concil. *sess.23 c.11. de reformat.* ibi: *Minores Ordines iis, qui saltem linguam Latinam intelligant per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo videbitur.* Quæ verba expendens Menoch. *de arbit. casu 425. num.57. & seqq.* intelligit arbitrio Episcopi commissum esse, ut Ordines conferat ei, qui, etsi linguam Latinam non intelligit; est tamen bonæ indolis, & pro ætate docilis: quia illiteratus dici non debet, qui pro ætate didicit; quique ostendit pro tempore proficere posse, uti tradit Turrecremat. *in c. Illiteratos 36. dist.* & Geminian. *ibi*, & Innocent. *in c. Cùm in cunctis de electione*, & Rebuff. *in tract. de pacific. possessor. n.201.* ubi ex Alexand. *in annotat. ad Bart.* refert illud simile, scholasticum magni ingenii non esse à doctoratu repellendum, etiam ante quinquennium, cùm spes est, quòd ediscet. Menochium sequitur Barbosa *allegat.11. n.6.* Cæterùm, hæc sententia omninò displicet: adversatur enim verbis Concilii, & communi Doctorum sententiæ: illa enim verba, *nisi aliud Episcopo videbitur*, non ad qualitatem scientiæ referenda sunt, sed ad temporum interstitia. Concedo namque illiteratum non esse, qui pro ætate didicit, & spes est, quòd ediscet. At Concilium juxta communem omnium sensum non solùm postulavit pro minoribus Ordinibus, ne ordinandus illiteratus esset, sed insuper, ut litteratura Latinæ linguæ polleret, aliàs nulla specialis scientia, & doctrina pro minoribus Ordinibus, imò pro subdiaconatu, & diaconatu necessaria esset, quàm pro prima tonsura.

12. Pro subdiaconatu, & diaconatu præter linguam Latinam exigit Concilium *cap.13.* ordinandum institutum esse iis, quæ ad officium peragendum necessaria sunt: censebitur autem sufficienter instructus, si voluntatem habeat Rubricas Breviarii, & Missalis legendi: ex illis enim facile discere poterit, qualiter recitare Officium canonicum debeat, qualitérque munus susceptí Ordinis peragere. Quapropter, etsi ante subdiaconatum susceptum nesciat modum, & ritum recitandi, non obinde ineptus est ad Ordinis susceptionem, ut ex praxi recepta colligitur, ut tradit Vasq. *disp.246. c.6. n.53.* Coninc. *disp.20. dub.10. num.103.*

13. Tandem pro presbyteratus Ordine exigit Concilium *sess.23. c.14.* ultra supradicta, ut ordinandus diligenti examine precedenti idoneus comprobetur; tum ad docendum populum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, tum ad Sacramenta ministranda. Cæterùm, cùm nullus Sacerdos administrare sacramentum possit, nisi ab Ordinario approbetur, uti statuit Concil. *sess.23. cap.15.* efficitur sanè, scientiam requisitam pro sacerdotio suscipiendo non esse eam scientiam, quæ ad ministrandum sacramentum confessionis requiritur, uti docuit Vasq. *disp.246. cap.6. num.53.* Coninch. *disp.20 dub.10. num.103.* Laym. *tract.9. cap.7 n.2.* sed esse eam scientiam, quæ ad ministranda Sacramenta Baptismi, & Eucharistiæ requiritur: quia hæc sunt sacramenta, quæ communiter à Sacerdotibus simplicibus solent ministrari, vel saltem eam scientiam, quæ ad ministranda sacramenta in genere requisita est, tametsi non habeatur ea scientia, quæ requisita est pro sacramentorum ex officio administratione.

14. Pro supradictorum intelligentia duplex est enodanda difficultas. Prima, an Episcopo competat, Religiosos examinare de sufficientia doctrinæ ad Ordines suscipiendos. Videtur enim, id non competere Episcopo, sed Religionis Prælatis, qui litteras commendatitias concedunt. Primò, quia Eugen. IV. id expressè Minoribus concessit, uti refertur in Comp. Mendicant. *tit. Ordines sacri*, §.10. quod privilegium, utpote Religioni concessum, non videtur clausula generali, *Non obstantibus*, qua Concil. Trident. utitur, revocatum. Secundò, Trident, esto, ordinandorum examen Episcopo committat, *sess.23. c.7.* eam commissionem ad Religiosos non extendit; aliàs competeret Episcopo ætatem, mores, & genus Religiosorum investigare, & publicè in Ecclesia proponere, sicuti de reliquis ordinandis *ibidem* cavetur. Et licèt *cap.12.* expressè dixerit: *Regulares quoque, nec in minore ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscunque quoad hoc penitus exclusis*, intelligi potest de examine mediis Prælatis Religionis faciendo, non de examine ab ipsis Episcopis immediatè præstando. Tertiò, *sess.23. cap.8.* decernit Concilium, neminem esse ordinandum, cujus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio non comprobentur: & *sess.14. cap.2.* statuit ne titularis Episcopus aliquem ordinet sine ejus Ordinarii licentia: Ordinarius autem Religiosorum non est Episcopus, sed Religiosus Prælatus: ergo ipsi, & non Episcopo competit suorum subditorum approbatio.

15. Cæterùm omninò dicendum est, Episcopo competere Religiosorum examen quoad scientiam, & doctrinam, *juxta dictum cap.12.* Trid. ubi sublatis omnibus privilegiis cavetur, neminem, etiam regularem ordinari posse sine diligenti Episcopi examine: quod solùm de doctrinæ examine intelligi debet. Examen autem à Prælatis Religiosorum factum non potest dici factum ab Episcopo, cum non fuerit nomine ipsius factum, vel ab ipso postmodum approbatum. Quoad genus verò, ætatem, & mores, non Episcopis, sed Prælatis Religiosorum competit investigatio, & approbatio ex dicto cap.8. & communi consuetudine. Atque ita tradit Vasq. *t.3. in 3.*

ejúsve

p. disp.246. de Ordine, cap.6. n.55. Villal. *tract.11 de Ordine, difficult.14. in fine* Rodrig. *tom.1.qq. regular. quæst.24. art.7.* Movent tamen Rodrig. & Villalob. expedire, ut Episcopi, apqrobatione Religiosorum à suis Prælatis facta contenti sint, Si enim cujusdam examinatoris sæcularis approbationi fidunt efficaciùs fidere debeant Religiosorum Prælatis. Religiosi verò Societatis JESU, qui à Præposito generali, Jesu, qui à Præposito generali, ejúsve delegatis, quales sunt Provinciales, licentiam obtinent ad Ordines suscipiendos, non debent ab Episcopis examinari de cantu, officiis, & cæremoniis ecclesiasticis, ac aliis in aliis ordinandis requisitis, ex concess. Greg. XIII. 22. Septemb. 1582. Quod privilegium aliis Religionibus non communicatur. Verùm esto, hoc ita sit, nostri Religiosi subire examen doctrinæ non recusant, ut benè advertit Vasq. *disp.146. cap.6. n.57.*

16. Secunda difficultas est, an eadem scientia, & doctrina, quæ in sæcularibus requiritur ad Ordines suscipiendos, requisita sit in Religiosis? Ratio difficultatis est: quia Trident. æquè pro omnibus ordinandis expostulat linguam Latinam intelligere, si Ordines minores susceperuri sunt; si verò subdiaconatum, ut litteris sint instructi, si presbyteratum, ut sciant docere populum necessaria ad salutem, & sacramenta ministrare. Quo ergo fundamento Religiosi ab hac obligatione eximi possunt: præcipuè cùm Concilium *sess.23. cap.12.* statuerit, neminem ordinari sine diligenti Episcopi examine?

17. Nihilominùs verius existimo, minorem scientiam linguæ Latinæ in Religioso, quàm in sæculari Clerico expostulandam esse: quia ratione vitæ communis, quam profitetur, cum defectum supplet, tum puritate, tum prudentiæ ibidem acquisitarum aliorum doctrina, monitis, & correctione, tum Prælatorum cura, & diligentia, ne ullum errorem committat, & commissus emendetur, quæ in sæculari Clerico non procedit. Atque ita docent Abbas *cap. In cunctis de elect. n.3.* Innoc. *ibi, n.1. & 7.* Geminian. *cap. fin. de temporibus Ordinat. in 6.* D. Thom. *in 4. dist.24. quæst.1. art.3.* Sotus *dist.25. q.1. art.4. concl.3.* Rodrig. *tom.1. qq. regular. quæst.24. art.7.* Miranda *in Manuali Prælatorum, tom.3. q.8. art.7. vers. Secundò dico* Henriquez *lib.10. de Ordine, c.16. in fine.* Villalob. *tract.21. de irregular. difficult.34. n.5.* Sed, quæ scientia sufficiat, arbitrio prudentis relinquitur: illud certum, aliqualiter linguam Latinam intelligere debere. Henriquez verò, Rodrig. Mirand. Villalobos, & alii ab ipsis relati credunt, Religioso sufficere, ut omnibus Ordinibus, etiam presbyteratu, ordinetur, si sacramenta, eorúmque materias, & formas agnoscat, & rectè legere Latinè sciat, tametsi linguæ Latinæ parum intelligat. Favétque text. in cap. *Nullus Episcopus, de temp. Ordin. lib.6.* ubi infanti, & illiterato prohibetur Episcopus primam tonsuram conferre, nisi Religionem intraret. Ergo Religionem intranti concedi permittitur. Et fortè hæc spectans Glossa *in cap. Legi epistolam, verbo, Instructus, 16. quæst.1.* agens de requisitis ad Ordines, dixit: *Sufficit Monacho, quid tantum bonus sit, licèt sit illiteratus,* & Dominic. Sotus *in 4. dist.25. art. ult. pag.60.* inquit: *Quando Religiosi, qui curam animarum non habent, ordinantur, non requiritur, alia scientia, quàm ut mysterium Sacramenti intelligant.*

18. Quæ dicta sunt de diminuta Religiosorum scientia pro ordinibus suscipiendis requisita, extendit Villalobos *tract.21. de irregular. difficult.34. n.6.* ad Cantores, Canonicos, & Rationarios Ecclesiarum cathedralium ex consuetudine recepta. Sed certè non sunt habenæ laxandæ. Proh dolor! plures Ecclesiæ illiteratis abundant, & minus docti, seu potiùs insipientes pinguiores præbendas obtinent, quod in contemptum status ecclesiastici non leviter cedit.

PUNCTUM IX.

De qualitate ordinandorum, quoad vitæ necessaria.

1. *Quid in hac re sit jure statutum.*
2. *Titulus beneficii, vel patrimonii pro minoribus Ordinibus non exigitur.*
3. *Exigitur pro omnibus Ordinibus sacris, in iis, qui professi non sunt. Excipe Societatis Religiosos.*
4. *Si sub diaconatu absque beneficio, vel patrimonio sis insignitus, non potes absque eo titulo ad superiores Ordines ascendere.*
5. *Esto, aliqui censeant, ex Episcopi dispensatione aliquem posse absque prædicto titulo ordinari in sacris, rectius alii negant.*

1. CUm non deceat eos (inquit Concil. Trident. *sess.21. c.2. de reformat.*) qui divino ministerio adscripti sunt cùm ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere, uti habetur cap. *Diaconi sunt 93. dist.* statutum est Concilio Chalcedonensi relato in cap. *Neminem 70. dist.* & in Concil. Placent. relato in cap. *Sanctorum eadem dist.* irritam esse ordinationem illius, qui sine Ecclesia, hoc est, beneficio, aut loco illius, patrimonio, ordinatur. At Alexand. III. in cap. *Episcopus de præbendis,* & specialiter Innocent. III. in cap. *Cùm secundum Apostolum eodem tit.* benigniùs agentes supradictam pœnam sustulerunt statuentes; ut si quem Episcopus sine certo titulo pro vitæ necessariis ordinaret, tandiu ei necessaria subministret, donec in aliqua Ecclesia ei convenientia stipendia militiæ clericalis assignet, nisi talis ordinatus de sua, vel paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere. Quam legem explicans Bonif. VIII. *in cap. Si Episcopus, de præbend. in 6.* definivit, ut si Episcopus, cui commissum est subditos alterius diœcesis ordinare, non signatis ordinandis, aliquem sine titulo ad vitæ necessaria ordinaverit, teneantur sustentationem ordinato subministrare. Si verò potestas commissa fuit signatis ordinandis, & inter eos aliquis caret titulo, Episcopus designans, & potestatem concedens obligationem subit ordinatum sustentandi. Verùm, quia compertum fuit complures plerisque in locis ad sacros ordines nullo ferè delectu admitti, qui variis artibus, aut fallaciis confingunt se beneficium ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere statuit Trid. *sess. 21. cap.2. de reformat.* ne quis deinceps Clericus sæcularis, quamvis aliàs sit idoneus moribus, scientia, & ætate, ad sacros ordines promoveatur, nisi priùs legitimè constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiet, pacificè possidere. Id verò beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quòd ad illius beneficii titulum sit promotus neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quòd aliunde vivere commodè possis: & aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium verò, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum, eo quoque priùs perspecto patrimonium illud, vel pensionem verè ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint. Atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui vel remitti nullatenus possunt donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint, antiquorum Canonum pœnas super his innovando.

2. Pro supradictorum explicatione adverte, titulum beneficii, vel patrimonii non esse pro minoribus ordinibus expostulatum, sed solùm pro sacris, scilicet, subdiaconatu, diaconatu, & presbyteratu.

Constat

Conſtat ex uſu, & praxi recepta,& colligitur ex cap. *Tuis*, cap. *Epiſcopus.* cap. *Cùm ſecundùm, de præbendis.* & cap. *Si Epiſcopus, eodem tit. in 6.*, & ex Trid. ibi. *ad ſacros ordines.* Neque deeſt ratio : quia ab Ordinibus minoribus poteſt ordinatus retrocedere uxorem ducens, c. 1. *de Clerico conjugato* ſecùs ab Ordinibus ſacris. Atque ita docent Navarr. *lib. 1. conſil. 14. de tempor. ordinat. n. 1.* Nicol. Garcia 2. *p. de benefic. c. 5. num. 4.* Stephan. Davila 3. *p. de cenſur. diſp. 7. dub. 3. circa fin.* Aloyſius Riccius *praxi, reſolut. 271. num. 3.* Auguſt. Barboſa 2. *p. de poteſt. Epiſc. alleg. 19. n. 3.* & alii apud ipſos.

3. Prædictus tamen titulus beneficii, vel patrimonii pro omnibus ordinandis in ſacris exigitur, niſi Religioſi ſint. Religioſis enim profeſſis loco beneficii voluntaria paupertas ſuccedit, quæ Regum divitiis præſtat, ut benè notavit Henriq. *lib. 10. cap. 17. §. 3.* & ex illo Aug. Barboſ. *dicta 1. p. de poteſt. Epiſc. alleg. 19. n. 4.* Vaſq. *diſp. 246. c. 6. in fin.* Notanter dixi, *profeſſis*: nam Religioſi non profeſſi, cujuſcunque Ordinis ſint, nequeunt ad ſacros Ordines promoveri abſque titulo beneficii, vel patrimonii ex declaratione Pii V. in ſua Bulla, quæ incipit, *Romanus Pontifex*: edita anno 1568. pridie Idus Octobris, quam refert Praxis nova epiſcopalis 1. *p. cap. 1. de conferend. ordinibus num. 42.* Quæque Conſtitutio locum habet etiam in nulliter profeſſis, quia verè profeſſi non ſunt ex Rotæ deciſione relata à Garcia 2. *p. cap. 5. n. 11. & 12.* & docuit Riccius *in praxi fori eccleſiaſt. reſolut. 270. num. 2.* Barboſa *dicta alleg. 19. n. 5.* Bonac. *diſp. 8. de Sacram. quæſt. unic. p. 5. num. 19.* & alii apud ipſos. Ab hujus Conſtitutionis decreto exempti ſunt Religioſi Societatis Jeſu, vota biennii emittentes, qui, licèt profeſſi non ſint; ſunt tamen verè Religioſi, ideóque eorum paupertas, quæ ex parte eorum perpetua eſt, locum beneficii, vel patrimonii obtinet, ſicuti ſi eſſent profeſſi, ut definit Gregorius XIII. in ſua Bulla. *Aſcendente.* 8. Kalendas Junii, anno 1584. & Gregorius XIV. in Bulla, quæ incipit, *Eccleſiæ catholicæ.* anno 1591. & tradunt Praxis nova epiſcop. 1. *p. cap. 1. n. 44.* Henriq. *lib. 10 de Ordine. c. 17. §. 3.* Garcia 2. *p. de benef. c. 5. n. 13* Vaſq. *diſp. 246. de Ordine, cap. 6. in fin.* Barboſ. *alligat. 89. n. 7.*

5. Verùm, ſi ſubdiaconatu inſignitus ſis abſque patrimonio; vel beneficio, vel illud caſu amittas, non obinde potes ad ſuperiores Ordines aſcendere; ſed neceſſariò teneris quærere beneficium, vel patrimonium, aliàs graviter peccabis, uti docent Suar. *tom. 5. de cenſur. diſp. 31. ſect. 1. n. 39.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg. 20. n. 22.* Henriq. *lib. 13. cap. 37. n. 2.* Avila 3. *part. de cenſur. diſp. 5. dub. 3* Garcia 2. *p. de benefic. cap. 5. num. 122.* Propterea quòd Concil. Trident. & aliqui textus indefinitè prohibent aſcenſum ad ſacros Ordines abſque beneficio, vel patrimonio : & ratio prohibitionis non ceſſat ex eo, quòd ſubdiaconatus ſuſceptus ſit : quippe indecentia, quod aliquis Eccleſiaſticus cogatur mendicare, vel victum turpi quæſtu quærere, efficaciùs procedit in diacono, & Preſbytero, quàm in Subdiacono, Concedunt tamen Henriq. & Avila *locis citatis*, poſſe tecum Epiſcopum diſpenſare, ſi ſine titulo ordinatus fuiſti ſubdiaconatu, ut ad ſuperiores Ordines aſcendas, ſi illis ſuſceptis ſperas honeſtiùs acquiſiturus ſuſtentationem, quam in ſubdiaconatu permanens acquirere non poteris, niſi mendicando, vel aliquod vile officium exercendo : quia hæc eſt cauſa ſufficiens ut diſpenſatio concedatur.

5. Aliqui verò Doctores non infimæ notæ, nempe, Cordub. *in ſum. quæſt. 36.* Henriq. *lib. 10. cap. 17. ad finem*, & *lib. 13. c. 37. §. 2.* & *l. b. 14. c. 5. n. 3.* Vega 1. *part. ſum. c. 17. caſu 1.* Gonzalez *ſuper reg. 8. Cancell. gloſſ 4. n. 36.* Avila *de cenſur. 3. part. diſſ. 5. dub. 5. in fine*, affirmant poſſe aliquando Epiſcopum diſpenſare, ut quis abſque beneficio, vel patrimonio Ordinibus ſacris initietur, ſi ſit vir inſignis litteris, & doctrina, cui meritò præſumi non poteſt defuturum beneficium, vel præbendam. Hæc enim ſpes, ita proximè, certa loco beneficii haberi poteſt. Sed rectiùs negant hanc poteſtatem Epiſcopo Bonac. Salzedo *praxi c. 18. n. 7.* Genuenſ. *c. 8. n. 2.* Petr. de Ledeſm. *de Sacram. Ordin. c. 7. ante ult. concluſ.* Rodrig. 2, *t. c. 15. n. 15.* Et favet declaratio ſanctæ Congregationis relata à Garcia 2. *p. de benefic. c 5. n. 129.* Et colligitur ex Trident. univerſaliter prohibente, ne quis Clericus ſæcularis, quamvis alias ſit idoneus moribus, ſcientia, & ætate, ſacris initietur abſque beneficio, vel patrimonio.

Punctum X.

De qualitate beneficii requiſita ad Ordines.

1. *Beneficium debet eſſe ſufficiens ad congruam ſuſtentationem.*
2. *Ex beneficio, & patrimonio ſufficientia tituli coaleſcere poteſt.*
3. *Reditus beneficii debent eſſe certi, & à proprio labore independentes.*
4. *Beneficium debet eſſe perpetuum.*
5. *Ad titulum coadjutoriæ præciſæ ordinari non potes, neque ad titulum ſeminarii.*
6. *Benè ad titulum beneficii, cujus fructus percipere debes Presbyter factus.*
7. *Debes actu poſſidere beneficium.*
8. *Et pacificè poſſidere.*
9. *Nequis præmiſſum beneficium reſignare abſolute, niſi mentione facta te fuiſſe ad illius titulum ordinatum.*
10. *Item, nec ſub penſione, quidquid alii contrà ſentiant*
11. *Quid in permutatione dicendum.*
12. *Non vacat tibi beneficium, ſi contra Trident. formam reſignaveris.*
13. *Nequis fructus prædicti beneficii hypothecare, aut obligare.*

1. Beneficium, quod pro titulo ad Ordines requiſitum eſt, debet eſſe ſufficiens ad honeſtè Clericum ſuſtentandum. Quale autem ſufficiens cenſeri debeat, arbitrio Epiſcopi remittitur, argumento legis 1. *de jure deliberandi*, cap. *De cauſis de offic. deleg.* & tradit Henriq. *lib. 10. c. 17. §. 3.* Garcia 2. *p. de benef. c. 5. n. 112.* ubi *n. 115.* alios referens affirmat, beneficium, cujus redditus quinquaginta, vel triginta ſcuta attingant, ſufficere pro titulo ad Ordines : quia non eſt ſpectanda qualitas ordinandi, ſed illius ſuſtentatio. Caterùm, etſi qualitas ſingularis ordinandi ſpectanda non ſit : at certè ſpectanda eſt qualitas ſtatus clericalis aſſumpti, ad cujus honeſtam ſuſtentationem non videtur ſufficiens illa diminutæ quantitatis aſſignatio : ponderandum enim eſt verbum, *honeſtè*, quod Concilium non ſine cauſa addidit : indicat enim non cuicunque ſuſtentationi beneficium ſufficere debere, ſed ſuſtentationi congruæ, decoræ, commodæ, competenti, ſeu honeſtæ, ut benè notavit Barboſa 2. *p. de poteſt. Epiſc. alleg. 19. n 9. & 10.* Juvare crederem, nullius beneficii, vel patrimonii redditus ſufficientes eſſe, niſi valorem centum ſcutorum attingerent. Et colligi poteſt ex Tridentino aſſignante centum pro Rectoris congrua.

2. Contingere autem poteſt, ut beneficii vel patrimonii redditus ſeorſim ſumpti inſufficientes ſint ad congruam ſuſtentationem : at ſimul ſumpti ſufficiant, & eo caſu promoveri ad Ordines poteris : quia moraliter cenſeri debes, tam beneficium, quàm patrimonium ſufficiens habere, non per ſe, & diviſim (ſed, quatenus cum alio conjungitur, & ex utroque integra ſuſtentatio coaleſcit. Sic Zerola 1. *p. verbo. Dimiſſoria, §* 5. *dub. 2.* Genuenſ. *in praxi Neapolitana, c. 81. n. 2.* Quaranta *in ſum. Bullarum. verb. Ordo verſ.*

Circa. 23

Circa 2. Ugolin. *de potest. Episc. c.3. §.3. in fine*, & §.8. *n.*2. Barbosa *allegat.*19. *n.*14. Bonac. *disp.*8. *de Sacr. q.un. p.*5. *n.*39.

3. Redditus autem beneficii congruæ sustentationi sufficienter debent esse certi, & independentes à proprio labore, & industria, aliis cogi poteris mendicare, ut benè tradit Marc. Anton. Gen. *in praxi, dicto c.*81. *n.*2. Quare ex pitantiis, aliisque emolumentis, quæ exercitio suorum ordinum haberi possunt, sufficiens titulus non coalescit: quia ea emolumenta non computantur, ut redditus certi, uti docuit Garcia *part. c.*5. *n.*125. Addens supradictam resolutionem procedere, etiamsi Episcopus se obliget supplere, quidquid defuerit, & etiamsi ex industria, & honesto officio Musicæ, vel Grammaticæ possit sustentari. Et meritò: quia hæc cessare poterunt infirmitate superveniente. Quod adeò verum est, ut etiamsi beneficium curam animarum habeat annexam, & illius fructus insufficientes sint ad congruam sustentationem, neque habeas, unde suppleas, non tenearis intra annum ordinari, sed potiùs debeas illud beneficium dimittere, uti docuit sacra Congregatio relata à Barbosa *in remiss. Concil. sess.*21. *c.*2.

4. Quapropter beneficium, ad cujus titulum initiari debes, debet esse perpetuum, uti colligitur ex Trid. *sess* 21. *cap.*2. prohibente, ne alienari possit, & notavit Bonac. *disp.*7. *q.un. p.*5. *n*40. ideóque ad titulum vicariæ temporalis, & capellaniarum amovibilium ordinari nequis, quia potes removeri, & cessare titulus. Non enim ex eo, quod ad ipsarum titulum ordinatus sis, obligatur successor te, in supradicta vicaria, vel capellania conservare, aliàs qualitas, & natura capellaniæ, & vicariæ temporalis mutaretur: siquicem ratione Ordinis assumpti perpetua redderetur. Atque ita docent Henr. *lib.*10. *de Ordine, cap.*16. §.3. Barbosa *allegat.*19. *n.*25. tametsi contrà teneant Salzedo ad Bernard. Diaz. *c.*18. *n.*8. Flamin. *de resignat. lib.*2. *qu.*6. *n.*2. Gonzalez *in reg. Cancellar. gloss.*5. § 3. *n.*42. eò quòd provisus de vicaria temporali, seu capellania amovibili, nunquam de facto ab eis removetur, nisi alia provisione concessa, uti docuit Flamin. *qu* 4. *n.*86. & Praxis nova episcopi, 1.*p. c.*1. *n.*45. *in fine*. Sed immeritò hæc obligatio patrono imponitur.

5. Neque item ad titulum præcisæ coadjutoriæ cum futura successione poteris ordinari: quia non est beneficium; sed spes beneficii, & incerta, cùm possit proprietarius supervivere. Si tamen simul cum jure successionis aliqua portio competens & sufficiens tibi assignetur, optimè poteris ad illius titulum ordinari, sicuti ad titulum pensionis. Sic Navarr. *de orat. c.*20. *n.*8. Salzedo ad Bernard. Diaz. *cap* 18. *n.*7. Moneta *de optione, cap.*4. *qu.*8. *n.*169. Acosta de Andrade *ad Bullam*, *qu* 77. Gonzal. *gloss.*5. §.9. *n.*6. Garcia *de benefic.*2. *p. cap.*5. *n.*132. Barbosa *allegat.*19. *num.*23. Neque ad titulum seminarii poteris ordinari, nisi fortè tibi assignentur aliqui fructus in perpetuum pro servitio, ut ex sacra Congregatione decisum refert Barbosa *in remissionib. ad dist. cap.*2. *sess.*21. & pluribus firmat. 2.*p. de potest. Episc. alleg.*19. *n.*31.

6. Ad titulum autem beneficii, cujus fructus percipere non potes, nisi Presbyter factus, benè poteris ordinari: quia ea conditio non impedit tituli sufficientiam, & perpetuitatem, ut ex sacra Congregat. decisum docet Garcia 2.*p. de benefic. cap.*5. *num.*110 Franc. Leo *in thesauro fori ecclesiast. c.*39 *n.*22. Barbosa 2. *part. de potest. Episc. alleg.*19. *n.*29.

7. Deinde beneficium, ad cujus titulum ordinaris, debes actu possidere, nec sufficit illius spes certa, uti colligitur manifestè ex Trident. *dicta sess.*21. *cap.*2. Quare non sufficit, te esse nominatum, vel præsentatum, postulatum, seu electum: quia quousque possideas non diceris beneficium habere, uti tradunt Salzedo *cap.*18. *num.*6. Garcia *cap.*5. *num.*130. Barbosa *alleg.*19. *num.*28. tametsi ad titulum beneficii quærendi affirment Majol. *de irregularit. lib.*4. *cap.*15. *n.*3. Sayr. *de censur. lib.*4. *cap.*14. *num.*19. Et favet Glossa *in cap. Oleum*, *in medio*, 61. *dist.* te promoveri posse. Sed non video, qua ratione hæc sententia sustineri possit, stante Tridentini decisione.

8. Præterea requiritur, ut beneficium non solùm possideas, sed pacificè possideas, uti dixit Trident. *dicto c.*2. aliàs non habes certum titulum. Quare, si lis mota sit, sive de jure, sive de facto, super beneficium, vel omnes ejus fructus durante ea lite non poteris promovere, ex Glossa *in c. Commissa*, 35. *de elect. in* 6. *verbo*, *Pacifica*, & *in Clement. Gratiæ, verbo, Pacificè, de rescript.* & notavit plures referens Barbosa *alleg.*19. *à num.*5. Notanter dixi, *si lis mota sit super beneficium, vel omnes ejus fructus*, nam ex eò quòd moveatur circa aliquam partem fructuum, si tamen pars, quæ supersit, sufficiens sit ad sustentationem congruam, beneficium litigiosum censeri non debet, uti ex Glossa *locis allegatis*, & ex Rebuffo *de pacifico possessore, n.*168 notavit Barbosa *alleg.*19. *n.*21. Item, contingere potest, litem moveri, non super beneficium; sed super illius possessionem: & tunc existimat. Rebuff. *dicto tractatu de pacifico possessore, n.*166. Menoch. *de arbitrar. casu* 202. *n.*18. Flamin. *de resignat. lib.*2. *qu.*3. *num.*52. & alii relati à Barbosa *num.*19. beneficium non esse censendum litigiosum; sed pacificè possessum, atque adeò ad illius titulum te initiari posse. Sed rectiùs Barbosa *dicta alleg.*19. *num.*20. credit, ad prædictum titulum te ordinari non posse, eò quòd decisionem judicii possessorii judicium petitorium semper imitetur, juxta cap. *Significaverunt de testibus*, & præcipuè quia Trident. exigit beneficium pacificè possideri: quod non de proprietate beneficii, sed de ipsa beneficii possessione videtur per verbum illud, *pacificè* intelligendum.

9. Porrò beneficium prædictum, ad cujus titulum ordinatus fuisti, nequis resignare, nisi facta mentione, quòd ad illius titulum fuisti ordinatus: neque ea resignatio admittenda est, nisi constito, quòd aliunde commodè vivere potes: & aliter facta resignatio nulla est. Quare duplex conditio ad resignationem beneficii prædicti exigitur. Prima, quòd mentionem facias, te ad illius titulum fuisse promotum. Secunda, quòd constet, te aliunde habere, unde commodè sustentari possis. Quarum qualibet deficiente, corruit resignatio.

10. Hinc oritur difficultas, an possis prædictum beneficium resignare sub pensione sufficiente ad tui sustentationem, nulla facta mentione, quòd fueris ad illius titulum promotus? Videris non posse: quia illa non est plena beneficii resignatio, cùm fructus illius reserves. Et quamvis vera resignatio sit, intentioni Concilii, quæ est, ne mendicare cogaris, plenè satisfacis, ob quas rationes firmat hanc sententiam Navarr. *con.*4. *de renuntiat. in nova edit.* Flamin. *de resignat. lib.*2. *qu.*6. *n.*41. Rodrig. 2.*t. sum. cap.*15. *n.*22. Sed contrarium verius existimo, eò quòd prædicta mentio fuerit expostulata pro forma resignationis, qua deficiente corruit actus. Neque intentioni Concilii est plenè satisfactum: postulavit namque dictam mentionem, non solùm, ut constaret, te habere sufficientia bona, unde vivere posses: quia, si id tantùm intenderet in beneficii resignatione, non opus erat exigere fieri mentionem, te ad illius titulum fuisse promotum; sed solùm cavere, ne admitteretur resignatio, nisi constito, quòd habeas, unde commodè vivere possis. Cùm ergo Concilium, ultra hanc conditionem, mentionem prædictam expostulavit manifestè convincitur, aliam intentionem habere, quàm ut sufficientia bona ad sustentationem habeas. Intentio ergo Concilii fuit, ut admittens resignationem beneficii,

beneficii, ad cujus titulum fuisti promotus, loco prædicti beneficii pensionem, vel alia bona, ex quibus sustentari debes, subrogaret, & vincularet cum eisdem qualitatibus, & conditionibus, ac erat beneficium vinculatum. Cui intentioni non satisfacis, nisi in resignatione mentionem prædictam facias. Teneris ergo illam facere, aliàs nulla erit, resignatio. Atque ita tradit Garcia 2. *p. de benef. c.* 5. *n.* 215. Addito ad Navarr. *in dicto cons.* 4. Ugolin. *de potest. Episc. c.* 26. §. 8. *n.* 4. Barbosa *alleg.* 19. *n.* 42.

11. Major difficultas est, an locum habeat prædicta Concilii decisio in permutatione. Et mihi videtur affirmativè respondendum: quia permutatio est beneficii habiti resignatio, & alterius acquisitio. Si igitur Concilium prohibet resignationes, nisi facta prædicta mentione, consequenter prohibet permutationem fieri: quia sub resignatione permutatio continetur, uti docet Rebuff. *super reg. de infirmis resignantib. gloss.* 4. *num.* 1. & 3. Et præterea beneficium in permutatione subrogatum, cùm ad illius titulum non sis promotus, non erit vinculatum, sicuti erat beneficium, ad cujus titulum promotus fuisti. Debes ergo ob hanc causam prædictam facere mentionem. Atque ita docent Stephan. Gratian. *discept. forens. c.* 159. *n.* 3. Gonzalez *regul.* 8. *Cancellar. gloss.* 5. §. 10. *à n.* 43. Garcia 2 *p. de benef. cap.* 5. *n.* 218. Barbosa *alleg.* 19. *n.* 43. Quapropter maximè dubito de decisione sacræ Congregationis, relata à Gratiano, & Barbosa *supra, & in remiss. Concil.* in qua affirmatur, permutantem beneficium, nulla facta mentione, quòd ad illius titulum promotus fuerit, tutum esse in conscientia, si beneficium obtentum fuerit omninò æquivalens priori.

12. Quòd si beneficium resignaveris, non facta mentione, te ad illius titulum fuisse ordinatum, cùm resignatio nulla fuerit, non vacat tibi beneficium: quia nullibi hæc vacatio cauta est, uti tradit Zabellos *in commun. opin. qu.* 561. *num.* 21. Gonzal. *in reg. Cancellar. gloss.* 5. §. 10. *n.* 35. Barbosa *alleg.* 19. *à n.* 34. Quod intelligendum est casu, quo habeas, unde vivere possis: quia tunc non censeris ita graviter delinquere. At, si carens sustentatione resignationem feceris, & sic fuerit ab Ordinario admissa, beneficium tibi vacat, & providendum est à Pontifice, vel à Superioribus Ordinarii admittentis resignationem, juxta Constitutionem 42. Pii V. datam 6. Idus Augusti 1567. Ordinarius autem prædictam resignationem admittens suspenditur à collatione beneficiorum, & tibi alimenta præstare debet, uti constat ex dicta Constitutione Pii V. & expressiùs ex Constitutione ejusdem Pontificis incipiente, *Quanta Ecclesiæ Dei.* Data Kalendis Aprilis, anno 1568. & est 58. in ordine Bullarii. Atque ita tradunt ex sacra Congregatione decisum, Flamin. *lib.* 2. *de resignat. q.* 6. *n.* 41 & 42. Garcia 2. *p. cap.* 5. *n.* 228. Qui advertunt, in Curia Romana non admitti resignationes, nisi sub clausula, quòd aliunde habeat resignans, ex quo vivere possit.

13. Porrò non solùm beneficium, ad cujus titulum promotus fuisti, nequis resignare, nisi sub duplici prædicta conditione; sed neque fructus illius hypothecare, aut obligare: quia prohibitus alienare, & hypothecare, & obligare prohibetur: quia est virtualis quædam alienatio, argumento legis ult. *Quod de reb. alienand.* Quinimò nec in subsidium aliorum bonorum in causam judicari prædicti fructus, si egeas, capi possint: quia non obligaris solvere, nisi quatenus de congrua sustentatione tibi supereat, argumento leg. *Miles ff. de re judicata*, & pluribus firmat Barbosa *allegat.* 19. *num.* 48. & 49.

Punctum XI.

De qualitate patrimonii, seu Pensionis, pro necessaria sustentatione ordinandorum requisita.

1. *Qui possint ad titulum beneficii, vel patrimonii ordinari.*
2. *Aliqui affirmant, filium, cujus parentes divites sunt, posse ordinari. Rectiùs alii negant.*
3. *Potest filius patrem constringere, ut patrimonium ad Ordines designet.*
4. *Prædicta donatio filio facta revocari à patre non potest.*
5. *Negant plures, computandam esse in legitimam.*
6. *Rectiùs alii affirmant.*
7. *Satisfit oppositis rationibus.*
8. *In bonis immobilibus patrimonium constitui debet.*
9. *Census redimibilis sufficit.*
10. *Nequis prædicta bona absque Episcopi licentia alienare, nisi habeas, unde commodè sustentari possis.*
11. *Aliter facta alienatio nulla est.*
12. *Satisfit contrariis.*
13. *Si aliunde habeas, ex quo honestè sustentari possis, poteris, nulla licentia Episcopi requisita, alienare prædicta bona, ex communi sententia.*
14. *An, si accepisti patrimonium sub conditione retrodonandi, tenearis retrodonare. Proponuntur variæ sententiæ.*
15. *Quid tenendum.*
16. *Graviter peccas, si suscipias patrimonium sub conditione reprobata à Concilio.*
17. *Bona patrimonialia non sunt bona ecclesiastica, tametsi gaudeant privilegio fori.*

1. AD titulum patrimonii, seu pensionis, nemo ordinari poterit nisi Episcopus judicaverit, necessitati, vel utilitati Ecclesiæ, ejus ordinationem expedire; & constito, patrimonium seu pensionem, verè ab ordinando possideri, uti dixit Trid. *sess.* 23. *c.* 2. *de reform.*

2. Hinc oritur difficultas, an filius, cujus parentes sunt divites, possit sacris initiari ex eo tantùm, quòd legitimam abundantem expectet? Affirmat Surdus *de aliment. tit.* 7. *qu.* 37. *n.* 2. Moverur: quia filio congrua sustentatio deficere non potest, cùm jus habeat ex bonis paternis congruam sustentationem percipiendi. Etenim bona patris quodammodo sunt filii: ob quam causam censetur filius dives, si patrem divitem habeat, ut tradit Alexander. *in leg. Suis ff. de lib. & posth.* Alciat, *ib.*, *n.* 10. Glossa *leg.* 2. *Cod. Qui ætate, lib.* 10. & §. *Hæc autem*, & §. *Necessarii, Instit. de hæred. qualit.* Sed rectiùs Flamin. *lib.* 2. *de resignat. q.* 6. *n.* 28. Ugolin. *de potest. Episc.* 26. §. 9. *n.* 3. Aug. Barbosa *de potest. Episc. alleg.* 19. *n.* 60. Garcia 2 *part. de benefic. c.* 5. *n.* 91. negant, prædictum filium in sacris promoveri posse. Quia Concilium non solùm expostulat, ut ordinandus congruam sustentationem habeat; sed quòd illam habeat ex propriis. At vivente patre non ex propriis, sed ex alienis competit filio sustentatio. Non igitur fit satis Concilii decreto. Neque verum est, propriè loquendo bona patris esse filii; neque filium divitem esse ex eo, quòd pater dives sit: sed solùm fictione juris: Concilium autem postulat patrimonium, & pensionem, non fictè, sed verè ab ordinando obtineri. Ergo non sufficit illa patris expectativa.

3. Poterit tamen filius, qui sacris initiari intendit, constringere patrem divitem, ut patrimonium designet ad ordines suscipiendos. Si enim pro matrimonio carnali suscipiendo obligare potest patrem,

ut in dotis recompensationem constituat donationem leg. fin. *de dotis promissione*, cur non pro statu sacerdotali suscipiendo, qui est spirituale matrimonium? cùm ex matrimonio carnali ad spirituale argumentari liceat. cap. *Inter corporalia*, *de translat. Prælat.* leg. *Sancimus*, *Cod. de sacro sanctis Ecclesiis.* Atque ita tradunt. Sanch. *lib.4. de matrim. disp.26. sub. num.7.* Marc.Anton.Genuens. *in practicabilis ecclesiast.q.624.* Barbosa *alleg.19. n.63.* Gutier. *lib.2. practic. qq q.65. n.8.* Avendaño *responso 17. n.3.*

4. Donationem autem sic filio factam non poterit pater revocare, eò quòd revocatio cederet, tum in præjudicium status clericalis, tum in injuriam Episcopi, qui sub conditione donationis firmæ, & perpetuæ ordines contulit, aliàs non collaturus. Quinimò, si ex causa suscipiendi ordines pater filium melioraret, non posset meliorationem revocare, uti deciditur leg.17. Tauri, quæ nunc est lex 1. *tit.6. lib.5. novæ compilat.* & tradunt ibi Matienzo *glos.9. n.8* Azevedo *leg.10. n. n.3. 1. tit.6. lib.5. novæ recopilat.* Cifuentes *dicta leg.17. n.1.* Tellæ, *n.81.* Avendaño *responsi.17. in fine.* Covarr. *cap.* Raynald. *de testam.§. 2. n.7.* Barbosa *dicta alleg.19. n.61. & 62.* Gutierr. *dicta q.65. n.9.* Garcia *cap.5. n.156.*

5. Sed, an prædicta donatio filio facta pro suscipiendis ordinibus computari debeat in legitimam, gravis est inter Doctores controversia. Negant Anton. Gomez *leg.29. Tauri, n.21.* Ubi Tello *n.16.* & Valascus & Avend. *glos.3. n.8.* Dueñas *reg.222. n.3.* Azevedo *leg.10. n.29. & 30. tit.6. lib.5. compilat. novæ* Matienzo *leg.3. glos.2. n.14. tit.8. eodem lib.5.* Cevallos *com. opin. q.682.* Stephan. Gratian. *discept. forens. c.159. à n.32.* & aliis pluribus relatis, Barbos *alleg.19. n.99.* Moventur primò: quia hæc donatio non est necessaria. Non enim, inquit Matienzo *suprà n.8.* astringitur pater ad patrimonium filio constituendum pro ordinibus suscipiendis; sed liber est in illius designatione. Ergo, cùm patrimonium designat, non in legitimam necessariam computare debet; sed in melioratione tertii, & quinti, quam suis descendentibus præstare potest. Secundò, ut prædicta bona in legitimam computarentur, deberet filius posse de illis liberè disponere, ut docuit Cravet. *cons.136. incipiente, De anno.* At de prædictis bonis nequit filius disponere: quinimò prohibitus est ea vendere, & alienare: ergo in legitimam computari non debent. Tertiò, & præcipuè, bona prædicta filio concessa sunt pro alimentis necessariis: at ea, quæ sic conceduntur, utpote concessa ex causa necessaria non computantur in legitimam, uti tradunt Gama *decis.140. num.3.* & *decis.164* & *decis.150. n.13.* Surdus *de aliment. tit.8. q.57. n.2.* & *tit.9. q.34. in pr.* Molin. *de justit. tract.2. disp.308.* Valascus *tit.1. alleg.59. n.10.* Quartò, donata ob causam, ob quam efficiuntur castrense, vel quasi castrense peculium, in legitimam non imputantur, arg. leg. *Si filius*, *C. Familiæ erciscundæ leg.5. tit.15. part.6. leg.3. tit.4. part.3.* & pluribus exemplis exornat Matienzo *lib.3. tit.8. lib.5. novæ recopilat. glos.2. à n.3. & 11.* Sed bona collata ad ordines in titulum patrimonii, efficiuntur quasi castrensia: siquidem gaudent privilegiis bonorum ecclesiasticorum, ut multis relatis tradit Azevedo *leg.10. tit.6. lib.5. recopilat. n.30.* Ergo, &c. Quintò, expensæ factæ pro doctorando filio, in legitimam non veniunt, sicuti docent Rebuffus *de privil. scholar. privileg.55. n.3.* Valascus *de partit. cap.13. n.175.* Perez *leg. tit.2. lib.1. ordinam.* & *tit.7. lib.5. pag.208.* Neque item veniunt, quæ conceduntur pro ingredienda militia, uti resolvunt idem Valascus *d. cap.13. n.60 & 61.* & plures alii relati à Flores de Mena. ad Gam. *decis.140. in princ.* Neque, quæ dantur ad consequendam dignitatem, ut tradit Rebuff. *de privileg. scholar. privileg.55. §.1.* Neque denique, quæ pro consequendo beneficio ecclesiastico conceduntur, ut docet Guttier. *lib.2. pract. q.65. n.10.* Marc. Anton. Genuens. *in practicab. ecclesiast. q.657.* ergo à fortiori concessa pro suscipiendis Ordinibus in legitimam imputari non debent.

6. Cæterùm patrimonium à patre filio concessum pro suscipiendis Ordinibus computandum esse in legitimam, verius est, prout docent Covarr. *c. Raynaldus de testament. §. 2. n.7.* Salzedo *cap.18. n.16.* Menoch. *de succeff. creat. lib.3. §. 22. limit.17. n.44.* Gutierr. *lib.2. pract. qq. q.65. n.7.* Molin. *de justit. t.1. tr.2. disp.238. & 241.* Garcia *2. p. de benefic. cap 5. n.159.* Ugolin. *de potest. Episc. cap.28. §. 9. in fine.* Cenedo *collect.33. ad decret. num.3.* & alii apud ipsos. Ratio ea est: quia patrimonium pro suscipiendis Ordinibus designatum in consecutione Ordinum non consumitur; sed permanet pro congrua ordinandi sustentatione, cum aptitudine, ut ad hæredes transmittatur, imò ut vendatur, & alienetur habita aliunde competenti sustentatione: sed bona concessa à parte filio, quæ transmissibilia sunt ad hæredes, quæque per se alienabilia sunt, in legitimam imputantur, uti decidit lex, *Omni modo*, §. *Imputari*, *C. de inofficioso testamento.* Ergo hæc bona computanda sunt in legitimam.

7. Neque oppositæ rationes urgent. Ad primum nego donationem patrimonii ad Ordines necessariam non esse, patrémque cogi non posse ad prædictum patrimonium designandum: sicut enim cogi potest, ut patrimonium designet, filio, vel filiæ, ut matrimonium celebret, vel ut Monasterium ingrediatur, ex doctrina Bart. & Baldi *in leg.1. §. Si parens*, *ff. Si quis à parente fuerit manumissus.* sic cogi potest, ut patrimonium designet ad Ordines suscipiendos: & sicut designata in dotem matrimonii carnalis: & spiritualis religionis, testatur Bart. & Bald. computari in legitimam *ex leg. Quoniam novellæ Cod. de inofficioso testam.* eodem modo patrimonium ad Ordines computari debet. Adde, esto, designatio patrimonii ad Ordines suscipiendos necessaria non fuerit parenti, neque ad illam faciendam ulla ratione cogi possit: at semel facta, cùm fiat ob causam necessariam, scilicet, ob suppeditanda alimenta, ad quæ legitima designatur, necessariò in legitimam imputari debet. Ad secundum concedo, patrimonium donatione, aut venditione alienari non posse; sed non obinde infertur, non esse in legitimam imputandam: sufficit enim, quòd successione alienari possit. Nam eo ipso, quòd sit ad hæredes transmissibile, in legitimam venit, *ex dicta leg. Omni modo §. Imputari* ibi, *Vel certa pecunia ad ejus hæredes perveniat.* & tradit ex communi sententia Menchaca *de succeff. creat. §. 30. numero 203.* Deinde nego patrimonium donatione, aut venditione alienari non posse: potest utique per se, & absolutè alienari; tametsi per accidens, & ad tempus: scilicet, quousque ordinandus habeat aliunde, ex quo sustentetur, alienabile non sit. Ad tertium admitto, concessa pro causa necessaria alimentorum computanda non esse in legitimam, si actu consumantur: secùs verò, si concedantur, ut firma persistant, & ex illorum reditibus, & fructibus alimenta proveniant: tunc enim computari debent illa bona in legitimam esto, fructus, & redditus non computentur. Ad quartum negari potest, patrimonium effici ecclesiasticum, privilegiisque bonorum ecclesiasticorum gaudere, uti negant Covar. aliis relatis, *l.1. variar. c.4. n.4.* Menchaca *de succeff. creat §. 22. n.44.* Admissis tamen bonorum ecclesiasticorum privilegiis gaudere, dicendum est, adhuc computari in legitimam: quia non per se, sed ex accidenti, & ad tempus illis privilegiis gaudet. Ad quintum concedo bon imputari in legitimam omnia illa, quæ in prædicto argumento referuntur: quia non conceduntur in causam necessariam, nec

remanent beneficio, vel officio obtento: secus est in patrimonio ad Ordines, quod in causam necessariam alimentorum conceditur, & consecutione Ordinum non extinguitur.

8. Porrò, patrimonium debere esse constitutum in bonis immobilibus, firmant communiter Doctores. Navarr. *cons.*34. *de temporib. ordin.* Ugolin. *de potest. Episcopi, cap.*36. §.10. *n.*1. Aloysius Riccius *in praxi fori eccles iast. decis.*315. *in* 1. *edit.* & *resol.*273. *in* 2. Azor. 2. *tom. instit. moral. lib.*3. *c* 4. *q.*7. Barbosa *alleg.*19. *n.*55. Etenim constitutum in re mobili facilè extingui, & consumi potest: quo consumpto, cogitur ordinatus mendicare. Ut ergo hoc vitetur periculum, in re immobili, perpetua, & fructifera constitui debet.

9. Hinc oritur quæstio, an census redimibilis sufficiat ad legitimum tibi patrimonium constituendum; Ratio difficultatis est, quia redimi potest: qua redemptione facta, consumi potest census, interim dum non se offert occasio denuò censum constituendi. Atque adeò hoc patrimonium insufficiens esse, sentire videtur Ugolinus *de potestate Episcopi, c.*26. §.10. *n.*2. & §.12. *n.*3. Bonac. *disp.*8. *de Sacram. quæst. unica, p.*5. *n.*32. Sed dicendum est, supradictum censum sufficere ad patrimonium: cautione tamen adhibita, ut, si redemptio fiat, deponatur pecunia ex Judicis decreto apud idoneas personas, ut iterum census constituatur: si enim hoc est sufficiens pro constitutione vinculi: & majoratus perpetui, uti tradit Molina *de Hispan. primog. lib.*2. *c.*10. *n.*6. cur non sufficiet pro titulo ad ordines requisito; Illa enim cautione periculum extinctionis vitatur. Et licèt illo tempore, dum pecunia deposita est, nec se offert occasio censum constituendi, non possit ordinatus ex ea alimenta suscipere, non obinde censendus est insufficiens titulus esse census constitutus: quia illud tempus, moraliter loquendo, breve esse solet, ac proinde in considerationem non venit, ideóque reputatur census perpetuus, ac si redemptio non contigisset. Atque ita docet, plures referens, Nicol. Garcia 2. *p. de benefic. c.*5. *n*95. Flamin. Paris. *lib.*2. *de resignat. quæst.*6. *n.*15.

10. Rursus prædicta bona, ad cujus titulum promotus es, nequis absque licentia Episcopi alienare, extinguere, aut remittere, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sis adeptus vel aliunde habeas, unde vivere possis, ut expressè tradit Concil. *dicta sess. cap.*2. *in fine.* Quare post subsecutam ordinationem nequis patrimonium vendere: quia esto, pretium loco rei venditæ succedat, negari non potest, venditione rem alienari, remitti, & extingui. Deinde pretium, utpote res mobilis, facilè consumitur. Non igitur potest integrè loco patrimonii immobilis subrogari. Atque ita docuit Barbosa *alleg.*19. *n.*78. Neque potes prædictum patrimonium permutare: quia permutatio est quædam alienatio, ut multis comprobant, Tiraquellus *de retractu lignag. §.*1. *gloss.*14. *n.*30. Caldas Pereira *de empt. cap* 8. *n.*26. & 27. & docent in præsenti Steph. Gratian. *discept. for. c.*159. *n.*3. Garcia 1. *part. de benefic. cap.*5. *n.*216. Bonac. *di p.*8. *de Sacram. q.un. p.*5. *n.*41. Barbosa *alleg.*19. *n.*38. Neque potes hypothecare, aut obligare, quia obligatio, & hypotheca est quam rei hypothecatæ, & obligatæ alienatio, remissio, & exinctio, uti ex leg. ult. *Cod. de rebus alienis non alienand.* comprobat Pinel. *in leg.*1. *Cod. de bonis maternis, part.*3. *n.*19. Barbosa *in leg.*1. *ff. Soluto matr. paro.*3. *n.*39. Rebel. *de obligat. justit.*2. *p. l.*6. *q.*3. *n.*15. & tradit de hac hypotheca Aloys. Riccius *in decis. Curiæ Neapolit. decis.*212. *part.*2. August. Barbosa *d. allegat.*19. *n.*85. ubi *n.*80. *& seqq.* extendit, & benè, hanc prohibitionem, ut procedat in transactione, divisione, datione in solutum: quia hæc omnia alienationes reputantur.

11. Quod si absque Episcopi licentia patrimonium vendas, permutes, obliges, aut aliquomodo alienes, antequàm habeas, unde vivere possis, nulla est talis alienatio, ut colligitur ex Trident. prohibente prædictam alienationem sub verbo, *nullatenus*, quod tollit potentiam alienandi, & reddit actum nullum ex Glossa *in Clem.*1. *verbo, Nullatenus, de sequestrat. possess.* & *in Auth. Si qua mulier, verbo, Nullatenus C. ad Senatus. consult. Vellejanum*, & *ex verbo? Non possit.* quod etiam inducit nullitatem, utpote quod omnem potentiam ad actum refert, teste Bart. *leg. Cum lex. n.*9. & 7. *ff. de fidejussorib.* Jason. *leg. Frater à fratre, n.*44. *vers. Tertia difficultas. ff. de condit. indeb.* & pluribus aliis exornat Sanch. *lib.*6. *de matr. disp.*38. *n.*20. & tradunt in præsenti Navarr. *cons.*17. *aliàs* 21. *de temporib. ordinat.* Flamin. *lib.*2. *de resignat. quæst.*5. *numer.*1. & 35. Barbosa *alleg.*19. *numer.*77. Sanchez *libr.*6. *de matrim. disputat.*32. *numer.*7. *in fine.* Avila 3. *p. disp.*5. *concl.*2. Garcia pluribus relatis 2. *p. c.*5. *numer.*177. Mol. *de restit. tract.*2. *disp.*238. *ad finem.*

12. Contrarium hujus doctrinæ defendunt Suarez *t.*5, *de censur. disp.*31 *sect.*1. *n.*38. Petr. de Ledesm. *de Sacram. Ordinis cap.*7. *concl.*6. *diffic.*1. existimantes, validam esse alienationem patrimonii factam absque licentia Episcopi ab eo, qui non habet aliunde, ex quo sustentari possit, quia Concilium (inquit) solùm hanc alienationem prohibuit; sed factam non irritavit: sicuti fecit in alienatione beneficii, quam sine licentia Episcopi factam irritam esse decrevit. Cùm ergo in alienatione patrimonii, & pensionis hoc decretum irritans non addiderit, indicasse videtur, validam fore, si de facto fiat. Sed hæc parvi momenti sunt, ut à communi sententia recedamus. Nam esto, Concilium in alienatione patrimonii, & pensionis non apposuerit expressè clausulam irritantem; apposuit tamen illam virtualiter sub illo adverbio, *Nullatenus* juncto verbo, *possit*, quod omnem potentiam tollit, & actum contrà factum irritat, & annullat.

13. Verùm, si beneficium sufficiens obtineas, vel aliunde habeas, unde commodè vivas, poteris patrimonium, vel pensionem alienare? Aliqui existimant, ad hanc alienationem tibi opus esse Episcopi licentia, ne illa verba sine Episcopi licentia apposita à Concilio superflua sint. Quippe licentia Episcopi exigi non potest, cùm cares victu necessario: quia tunc concedi non debet, ergo solùm potest exigi, quando victus necessarius tibi suppetit: quia tunc, & non aliter, est licentia concedenda. Et ita tradunt Qranauin Dueñas *eccles. lib.*3. *num.*72. Zenedo *pract. & canon. qq.*11. Ugolin. *de potest. Episc. cap.*26. §.13. *numer.*4. Campanil. *in diversorio juriscanon. rub.*8. *cap ultimum numer.*9. August. Barbos. *alleg.*19. *numer.*50. Sed communior, veriórque sententia est, tibi opus non esse licentia Episcopi, ut tradunt Flamin. Parisius *lib.*2. *de resignat. quæst.*6. *num.*16. Ceval. *commun. quæst.*527. *n.*8. & *quæst.*561. *num.*22. & 30. Garcia 2. *p. de benefic. cap.*5. *num.*186. Stephan. Gratian. *discept. forens. cap.*159. *n.*14. Azor. 2. *p. inst. mor. lib.*3. *cap.*4. *quæst.*3. Etenim Concil. solùm tibi prohibet alienationem patrimonii, vel pensionis, donec habeas beneficium sufficiens, vel unde commodè vivas. Ergo obtento beneficio sufficienti, vel aliàs congrua sustentatione, cessat alienationis prohibitio. Dictio enim illa, *donec*, est limitativa temporis, ut tradit Cardinal. *in Clem.*2. §.1. *de ætate, & qualit.* Chassan. *in consuet. Burgundiæ, rub.*6. §.6. *num.*8. Menoch. *consc.*151. *n.*49. & *cons.*186. *n.*1. Bert. *de claus. instr. claus.*15. *glos.*4. *n.*1. *verb. Donec*, ac proinde limitare debet prohibitionem alienationis, ne ultrà procedat, quam quousque beneficium sufficiens habeas, vel unde commodè vivas. Ne-

que

que ratio in contrarium urget. Verba enim illa ; *sine licentia Episcopi*, necessaria sunt quia, ut benè advertit Garcia 2. *p. de benef. c.5. n.*188. plures causas occurrere possunt, in quibus expediat, alienationem patrimonii fieri, tametsi nec beneficium, nec victum habeas : v. g. si tu, vel tui parentes captivi existerent, expediret in eorum redemptionem patrimonium alienare. Item, si tuus pater, vel frater esset ob delictum puniendus, neque pars cessaret ab accusatione, nisi data pecunia, oporteret in eum finem patrimonium distrahere. Ut ergo in his eventibus alienatio prudenter fiat, cautum est sub decreto irritante, ne fiat absque licentia Episcopi. Qua licentia concessa, Episcopus non obligatur ad te sustentandum : quia in concessione hujus licentiæ nullam culpam committit. Secùs esset, si absque urgenti causa alienationem permitteret : quia eo casu in culpa est. Alienatio autem facta, valida persistit, sicuti notavit Garcia *dicta* 2. *p. de benefic. cap.5. n.*190. Episcopus potens hanc facultatem, & licentiam concedere, est Episcopus domicilii, vel loci, ubi patrimonium situm est, vel originis, sicuti ad ordines, ut docuit Garcia *dicto n.*190. Anton. Gomez *lib.*2. *var. c.*14. *n.*17.

14. Sed, quid, si accepisti patrimonium ad ordines sub pacto, & conditione, ut donanti reddas, vel eo non utaris, an tenearis hanc conditionem implere, tametsi nec beneficium, neque aliud habeas, unde vivas ? Navarr. *cap.*27. *n.*158. & *conf.*16. *de temporib. ordinat.* Henriq. *lib. de excommunicat. cap.*37. *num.*2. Angulo *leg. de las majoras*, *glos.*4. *n.*9. *alias glos.*10. *n.*5. Rodrig. 2. *tom. sum cap.*15. *n.*2. Tolet. *lib.*1. *c.*48. *vers.*5. existimant, susceptis ordinibus nec posse, nec valere retrodonationem : tum, quia est in præjudicium Episcopi & Ecclesiæ : tum, quia est à Concilio prædicta retrodonatio sub decreto irritante prohibita. Alii è contra censent, in hoc casu valere retrodonationem, imò te obligatum esse in conscientia retrodonare, posito, quòd admiseris sub ea conditione donationem. Sic avila 3. *p. de censur. disp.*5. *dub.*5. *concl.*3. Suarez *t.*5. *de censur. disput.*31. *sect.*1. *num.*37. multis relatis, Sanchez *lib.*6. *de matr. disp.*32. *num.*8. Moventur : quia illa donatio non fuit absoluta ; sed sub conditione retrodonandi : debes ergo retrodonare, aliàs donatio priùs facta corruit : non enim dominium rei donatæ acquirere potes, nisi pro voluntate donantis. Cùm ergo voluntas donantis non fuerit tibi dominium perpetuum concedere ; sed solùm, quousque Ordines recipias, res donata donanti devolvitur.

15. Cæterùm, tripliciter tibi prædictum patrimonium fictum donari potest. Primò, verbo tenus, absque intentione donandi vel sub pacto, & conditione, ne donatum petas, neve illo utaris : quod idem est : quia hoc pactum donationem excludit. Secundò, sub intentione donandi ; sed non absolutè ; sed pro limitato tempore, quod non est, propriè donatum ; sed commodatum. Tertiò, si tibi absolutè donetur, ita, ut in tui dominium & potestatem patrimonium transeat, sub onere tamen, & obligatione, ut receptis Ordinibus donanti reddas. Si primo, & secundo modo patrimonium donatum sit, placet mihi secunda sententia, fieri debere, & valere retrodonationem ; imò existimo, ibi non esse retrodonationem cùm nihil fuerit absolutè donatum, sed ad summum accommodatum pro aliquo tempore : quo finito devolutio fit ad priorem dominum, sicuti notavit Quint. Dueñas *lib.*3. *eccles. cap.*69. At, si tertio modo facta fuerit donatio : & conditio retrodonandi implenda erat post ordinem susceptum, credo, nullam tibi esse obligationem in conscientia retrodonandi ; sed absque ullo scrupulo posse donatione facta uti. Ratio est : quia ea conditio, utpote turpis, & contra legem, invalida est, & excluditur à donatione, ac si apposita non esset. Etenim decreto Trident. *sess.*21. *cap.*2. *de reformat.* impeditus es patrimonium, ad cujus titulum promoveris, alienare absque licentia Episcopi, donec habeas beneficium sufficiens, vel unde commodè vivas. Sed illa retrodonatio est perfecta alienatio : ergo ad ipsam nullatenus obligari poteras, sicut benè probat Garcia 2. *de benefic. c.*4. *num.*163. & *leg. Pactum*, *qua. Cod. de pactis*, & cap. *Diaconi.*28. *dist.* & *cap. Secundò*, 10. *quæst.*1. & facit cap. *Cùm M. Ferrariensis*, *de constitut.* ubi in irritum revocatur, quidquid in præjudicium alterius est attentatum. In præsenti autem hæc retrodonatio attentatur in præjudicium Episcopi, & Ordinis clericalis : ergo nullius effectus debet esse, eáque de causa etiam Doctores oppositæ sententiæ concedunt, teste Garcia 2. *p. de benefi. cap.*5. *n.*152. in foro exteriori rescindendam fore retrodonationem in pœnam donatoris intendentis decipere Ecclesiam, & Episcopum.

16. Illud verò omninò est certum, te graviter peccaturum, tum suscipientem patrimonium sub conditione reprobata à Concilio, tum suscipientem Ordines sub hoc titulo ita dubio. Secus esset, si tibi daretur patrimonium sub obligatione reddendi, cùm beneficium sufficiens fueris adeptus, vel aliunde habeas, unde vivas : quia eo casu nulla tibi obligatio imponitur juri adversa : siquidem beneficio sufficienti adepto, vel constrtua sustentatione aliunde habita, patrimonium alienare potes : & notavit Garcia *dicto cap.*5. *numer.*169. Barbosa. *allegat.*20. *numer.*31.

17. Ad extremum adverto, bona patrimonialia, ad quorum titulum ordinatus es, non obinde fieri bona ecclesiastica ; tametsi privilegio fori bonorum ecclesiasticorum gaudeant, aliàs alienari non possent ex sola Episcopi licentia uti, permittitur in Trident. sed necessaria esset solemnitas à jure requisita in alienatione bonorum Ecclesiasticorum, de qua in cap. *Sine exceptione*, 52. 12. *quæst.* & cap. *Nulli* 5. *de rebus Ecclesiæ non alienandis.* Gaudent autem privilegio fori, non quia ecclesiastica sunt bona personæ ecclesiasticæ. Vide Sthephan. Gratianum *disceptat. forens. cap.*159. *num.*27. Menoch. *de reperand. possess. rem.*15. *numer.*21. Cevallos *commun. quæst.*527. Cenedo *practic. quæst. lib.*1. *quæst.*11. *à num.*5.

Punctum XII.

Quas pœnas incurrat promovens ad Ordines absque titulo sufficienti, & ipse promotus.

1. *Promovens obligationem suscipit alendi promotum. Excipe, nisi patrem divitem habeat.*
2. *Si autem præcesserit pactum de non petenda sustentatione, triennio à collatione Ordinum suspenditur.*
3. *Quid de ordinato statutum à jure sit.*
4. *Si absque titulo promotus sis, idque constitit ordinanti, suspensus es.*
5. *Si tu falsis informationibus titulum sufficientem probasti, cùm tamen non haberes, gravès Doctores te suspensum esse affirmant.*
6. *Probabilius censeo oppositum.*
7. *Proponitur objectio ex Trident.*
8. *Fit illi satis.*
9. *Solvuntur fundamenta n.*5. *adducta.*
10. *Si sub patrimonio accepto sub conditione reddendi ordinatus sis, certius est, non incurrere suspensionem.*
11. *Quid dicendum, spectata Constitutione Urbani VIII.*

1. ADversùs promoventem ad Ordines absque titulo, si in culpa sit, statuitur in cap. *Episcopus.* cap. *Cùm secundùm Apostolum de præbend.* obligatio providendi ordinato de beneficio sufficienti, & interim omnia necessaria subministrandi. Quod aliqui, ut Flamin. *lib.2. de resignat. quæst.6. num.28.* extendunt etiamsi ordinatus patrem habeat divitem. Sed rectiùs contrarium docuit Barbosa *de potest.Episc. alleg.20. num.4.* quia prædictus ordinatus absolutè non eget, cùm jure naturali alimenta à parente debeant ei subministrari, leg. *Cùm oportet. §. Cùm autem. Cod. de bonis, quæ liberis.* leg. *Si quis à liberis agnoscendis.* Non igitur bona Ecclesiæ debent ei subministrari, quæ solùm in subsidium pauperum, & egenorum conceduntur, juxta textum in cap. *Clericos 1. quæst.2.* & cap. ult.*16. quæst.1.*

2. Si tamen sic promotus cum promovente convenerit, ipsum post susceptos Ordines non molestaturum super beneficio, & alimentis debitis, à collatione Ordinum triennio suspenditur, cap. penult. *de simonia.*

3. De ordinato autem absque beneficio, vel patrimonio sufficiente, statutum fuerat in cap. *Neminem* cap. *Sanctorum.70. dist.* irritam fore ordinationem: quod intelligendum est quoad exercitium. Postmodum verò Innocent.III. in cap. *Cùm secundùm Apostolum de præbendis*, inquit: *Licèt prædecessores nostri ordinationes eorum, qui sine certo titulo promoventur: in injuriam ordinantium irritas esse voluerint, & inanes; nos tamen benignius agere cupientes, tandiu per ordinatores, vel eorum successores providere volumus ordinatis, donec per eos ecclesiastica beneficia consequantur.* Idémque habetur in cap. *Si Episcopus eodem tit. in 6.* Quapropter ex vi prædictorum textuum, si ordinatus manifestat ordinatori, se beneficio vel patrimonio carere, nullam pœnam ordinatus incurrit: quia pœna statuta in cap. *Neminem* & cap. *Sanctorum*, abrogata est dicto cap. *Cùm secundum.* cap. *Si Episcopus.* Cæterùm Trident. *sess.21. c.2. de reformat.* decrevit, occasione plurium, qui variis artibus, ac fallaciis confingunt, se beneficium ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere, ne quis ad sacros Ordines promoveatur, nisi priùs legitimè constet, eum beneficium ecclesiasticum, quòd sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere; vel patrimonium, aut pensionem, quæ ad vitam sustentandam satis sint, priùs perspecto verè ab eo obtineri, antiquorum Canonum pœnas super his innovando.

Deinde ordinatus absque titulo, & paciscens cum ordinatore, vel præsentatore, de non petenda congrua sustentatione sibi debita, suspenditur ab exercitio Ordinis sic suscepti, cap. *Per tuas*, 3. cap. penult. *de simonia.* His positis.

4. Gravis est difficultas, an, si promovearis ad sacros Ordines absque beneficio, vel patrimonio sufficienti, secluso prædicto pacto, & conventione cum ordinatore, vel præsentatore, aliquam pœnam incurras? Et quidem, si constitit ordinanti, te prædicto beneficio, vel patrimonio carere, vel saltem illi non constitit, te pacificè beneficium possidere, vel patrimonium verè obtinere; verius existimo, non solùm obligatum esse ordinatorem tibi de beneficio providere, & interim alimenta subministrare ex textu nunquam abrogato in capite. *Cùm secundùm Apostolum, de præbendis*, capite. *Si Episcopus eodem titulo, in 6.* Sed te ab executione Ordinis suscepti suspensum esse: quia Tridentinum eo casu renovat pœnas antiquorum Canonum: antiqui autem Canones, ut benè notavit Vasquez *de Ordine, disput.246. cap.6. circa fin.* non tam censendi sunt Canones in libro Decretalium, statuti, quàm illi, qui habentur in decreto, & ob antiquitatem innovatione indigent. Ergo renovat pœnam suspensionis, statutam in cap. *Neminem* cap. *Sanctorum*, 70. *dist.* Præterea Concilium non solum pœnam, sed pœnas renovat: utitur enim numero plurali: *Pœnas* (inquit) *innovando.* ergo non solùm innovat unam, sed plures pœnas, argum.reg. *Ubi numerus, ff. de testibus*, & leg. *Libertas*, §. *ult. ff. de manum. testamento* &c. *Pluralis locutio, de reg. juris, in 6.* At in dicto c. *Cùm secundùm*, &c. *Si Episcopus* non plures, sed una tantum pœna, & hæc adversùs ordinatorem tantùm infligitur. Ergo dicendum est, innovari etiam pœnam adversùs ordinatum statutam in dicto cap. *Neminem* & cap. *Sanctorum.* Atque ita in hoc casu in quo tam ordinator, quàm ordinatus delinquunt, docent Navarr. *cons.14. incip. Quæsitum est aliàs cons.46. incip. An promotus, n.1. & 3. de temporib. ordinat.* Suar. *de censuris disp.31. sect.1. post numero 35.* Campanil. *diversor. jur. rub.8. capit.5. numer.1.* Augustt. Barbosa *de potest. Episc. alleg.20. numer.25.*

5. Verùm, si ordinanti constitit, ob falsam informationem à te factam, re beneficium pacificè possidere, vel patrimonium vere. & realiter obtinere; cum tamen contrarium te ipsa contingat: plures Doctores: etsi Episcopum eximant ab obligatione te alendi, te tamen in suspensionis pœnam damnant. Sic Suarez *disp.51. sect.1. n.33. & seqq.* Sanchez *lib.6. de matrim. disput.32. numer.8. in fine.* Bonac.8. *de Sacram. quæst. unic. punct.5. numer.24.* Paul. Laym. *lib.5. Sum. tract.9. cap.10. numer.7.* & alii plures apud ipsos. Moventur: quia in cap. *Neminem* & cap. *Sanctorum*, est imposita pœna suspensionis ordinantis sine titulo. Sed illi textus non sunt revocati quoad hunc casum per cap. *Cùm secundum Apostolum de præbendis*, cap. *Si Episcopus eodem tit. in 6.* Prædicti enim textus loquuntur casu, quo Episcopus conscius est carentiæ tituli, & ob culpam in tali ordinatione commissam obligatur ordinatum alere: non verò loquuntur, quando falsis probationibus ordinatori persuadetur adesse titulum: cùm tamen nullus sit. Ergo hujusmodi casus remanet dispositioni juris antiqui, dicti cap. *Neminem* & cap. *Sanctorum*, quibus ordinato sine titulo suspensionis pœna imponitur. Secundò, affirmat Suarez si sub hac falsa informatione impetres litteras dimissorias ad Ordines, & virtute illarum promovearis, incurrere suspensionem impositam ordinatis sine dimissoriis: quia illæ dimissoriæ nullæ sunt; quippe sunt subreptitiæ, ex falsa causa obtentæ, aliàs non concedendæ. Tertiæ, inquit Suar. sic promotus recipis Ordinem furtivè: siquidem illum recipis contra voluntatem dantis. Ergo saltem incurris suspensionem impositam in cap. *de eo, qui furtivè Ordinem suscepit.*

6. Cæterum, in prædicto casu te nullam suspensionem incurrere, tametsi gravissime pecces, probabiliùs existimo cum Henriq. *lib.13. de excommunicat. cap.37. num.2.* Avila 3. *p. de censur. disp.5. dub.4. concl.2.* & *dub.5. concl.1.* Tolet. *lib.1. cap.48. numer.18.* Sayro *de censur. lib.4. cap.14. num.16.* Gonzalez *in reg.8. Cancell. gloss.5. §.10. num.22. & 25.* Garcia 2. *p. de benefic. cap.5. à n.22.* Joann. Guttierr. *pract. qq. lib.2. quæst.65. num.11.* Cenedo *colleg.33. ad decret.* Barbos. *de potest. Episcop. alleg.20. num.27.* & aliis pluribus ab eisdem relatis, testantibúsque à sacra congregatione esse decisum. Ratio est: quia pro prædicto casu nullibi habetur, impositam esse suspensionem, aliamve pœnam. Nam textus in cap. *Neminem*, & cap. *Sanctorum 70. d.st.* quibus Doctores oppositum opinantes nituntur, expresse loquuntur, quando ordinatus quis fuit sine titulo, sciente ordinante: siquidem sic promotus suspenditur

in

in injuriam illius, qui eum ordinavit, ut dicitur in cap. *Decernimus* 16.q7. Et licet in cap. *Sanctorum*, absolutè dictum sit, ordinationem sine titulo irritam esse habendum: explicandum est juxta textum præcedentem, scilicet, quando est facta cum consensu, & scientia ordinantis. Quod non leviter colligitur ex cap. *Cum secundum Apostolum de præbendis*, ubi Innocent III. mentionem fecit illorum antiquorum Canonum; siquidem inquit: *Licet prædecessores nostri ordinationes eorum, qui sine certo titulo promoventur, in injuriam ordinantium irritas esse voluerint*, &c. Ergo usque ad Innocent. III. manifestè constat, suspensionem latam in illos, qui sine titulo promoventur, latam esse in injuriam ordinantium, ac proinde ordinantes scientes fuisse illius defectus. Ergo de prædicto casu nullus textus loquitur. Adde, etsi caput, *Neminem* & cap. *Sanctorum*, suspensionem imponerent omnibus ordinatis sine titulo, sive sciente sive ignorante ordinatore, derogata sunt per textus in cap. *cùm secundum Apostolorum, de præbendis*, & cap. *Si Episcopus, eodem titul. in 6.* uti constat ex illis verbis: *Nos autem benignius agere cupientes*.

7. Solùm difficultatem ingerit Trident. *sess.21. cap.2. de reform.* quòd ut evitet fallacias, & deceptiones illorum, qui variis artibus, & fallaciis confingunt beneficium, vel patrimonium habere, decernit, ne quis ad sacros Ordines promoveatur, quin priùs legitimè constet, beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat pacificè possidere, vel patrimonium, aut pensionem verè ab eo obtinere, antiquorum Canonum pœnas super his innovando. Ergo innovantur pœnæ latæ adversùs eos, qui variis artibus, & fallaciis beneficium, vel patrimonium habere confingunt. Sed hæ pœnæ nullæ aliæ sunt, præter suspensionem contentam in cap. *Neminem* cap. *Sanctorum.*70. *dist.* Ergo promotus sub hac fallacia pœnam suspensionis incurrit?

8. Respondeo, Concilium renovare pœnas latas adversùs illos, qui promoventur, quin legitimè constet, neque perspectum sit beneficium, vel patrimonium sufficiens habere. Quando autem testibus, etsi falsis, probati, patrimonium habere sufficiens, jam legitimè constat, vere à te obtineri, ac proinde adversùs te nullæ pœnæ innovantur: quia nullibi erant latæ. Quòd si initio illius capitis dicatur, plures esse, qui variis artibus, & fallaciis confingunt, se habere beneficium, vel patrimonium; non obinde infertur, adversùs quencunque confingentem renovare pœnas, si nullæ pœnæ statutæ erant, sed solùm infertur, inde motum esse Concilium ad statuendum, ne ullus deinceps ordinetur sacris, de quo priùs non sit perspectum, verè patrimonium obtinere. Unde, si quis absque tali examine, & probatione promoveatur, adversùs illum innovantur pœnæ latæ in cap. *Neminem*, & cap. *Sanctorum*. Adde, etsi sub nomine antiquorum Canonum non tam contenti in libro decretalium, quàm in decreto, veniant, id intelligendum est, quando prædicti Canones in decreto contenti abrogati non sunt. Abrogati namque non sunt censendi innovare, nisi clarè exprimatur: quia non sunt canones, nec leges, cum per abrogationem è canone, & lege cessaverint. Quapropter solùm videtur Concilium innovare pœnam statutam in cap. *Cum secundum Apostolum.* adversùs ordinantem: si quidem maximam vim Concilium facit, ne aliquis sine speciali delectu promoveatur, & quin legitimè constet, & priùs perspiciatur, &c. Quæ omnia ad ordinantem pertinent. Neque obstat, sub nomine plurali pœnas appellasse, cum tamen unica sit: sæpè enim Textus numero plurali pro singulari utuntur, juxta illud: *Et latrones conviciabantur ei*, cum tamen unicus solus ei conviciatus fuerit. Præterea, satis probabile est, in præsenti decreto Trident. non innovare pœnas latas in cap. *Neminem*, & cap. *Sanctorum*, neque in cap. *Cùm secundum Apostolum*: sed pœnas latas in cap. *Per tuas*, & cap. *Si quis ordinaverit. de simonia*, ubi suspensio absoluta ab Ordine imponitur ordinato, ordinanti verò imponitur suspensio per triennium ab Ordinum collatione. Cùm enim Concilium prohibuerit, ne beneficium resignetur, néve patrimonium, ad cujus titulum qui est promotus, alienetur, & facta prohibitione statim subjungat: *Pœnas antiquorum Canonum super iis innovando*, videtur solùm innovare pœnas latas adversùs eos, qui beneficium, patrimonium, vel pensionem, ad quorum titulum sunt promoti, alienant, resignant, aut remittunt ex pacto priùs facto cum ordinante, vel præsentante ad Ordines, nullam ab ipsis sustentationem expostulandi.

9. Ex his solutum est primum fundamentum pro sententia Suarez adductum. Ad secundum fateor, illas dimissorias eo titulo impetratas fore subreptitias, ac proinde nullas; sed non obinde incurris suspensionem impositam iis, qui promoventur absque dimissoriis: quia absolutè cum dimissoriis tui Episcopi promoveris, esto, invalidæ sint: oportebat enim, ad hanc suspensionem nullas ab Episcopo dimissorias obtinere, quia negatio omnia excludit. Aliàs, si fictio patrimonii satis est hanc suspensionem incurrendam, eò quòd dimissorias subreptitias reddat, etiam fictio morum, & generis sufficit: siquidem Episcopus, cognita veritate, nullo modo dimissorias concederet. Quapropter ob hujusmodi defectum existimant Avila 3. *part: de censur. disp.5. ad* 3. & Henriq. *lib.13. cap* 37. *num.*2 non contrahi suspensionem impositam promotis absque dimissoriis. Ad tertium nego, ob prædictum defectum, te recipere Ordinem furtivè: siquidem es promotus ab Episcopo, qui te agnovit, & ad suscipiendum Ordinem approbavit. Ad furtivam autem ordinationem requiritur, ut procedat ex ignorantia omnimoda personæ, ut contingeret, si sub nomine alterius te ordinandum intromitteres; cùm tamen nec vocatus, neque approbatus esses.

10. Illud verò longè probabilius est, si patrimonium habeas sufficiens ad victum, acceptum tamen sub onere, & obligatione reddendi donatori, te non contrahere ullam suspensionem: quia dici non potes promotus absque titulo, cùm verè illius patrimonii dominium habeas, sicuti notarunt Tolet. *lib.*1. .48. *vers.*15. Garcia 2. *part. de benef. c.5. n* 161. Barbos. *alleg.*20. *n.*30. esto, contrà teneant alii relati à Garc. n.135. & Barbos. *supra.*

11. Ad extremam adverte, supradicta procedere spectato jure communi, & Tridentino: at spectata constitutione Urbani VIII. edita 11. Decembr. anno 1604. quæ incipit, *Secretis æternæ providentiæ*. Hispani, Lusitani, Galli, Germani, aliíque ultramontani promoti in Italia sub falso patrimonio suspensionem Sedi Apostolicæ reservatam incurrunt, uti constat ex dicta Bulla, ibi: *promoti verò absque litteris dimissoris recognitis à Nuncio, vel Collectore, vel Vicario Summi Pontificis in ubero, perpetuæ, suspensionis pœnam, absque spe dispensationis à Sede Apostolica obtinendæ incurrant eo ipso. Insuper promotos hujusmodi, aut etiam eos, qui cum falsis, vel fictis, aut fiduciariis patrimonii tituli scienter se ad hujusmodi Ordines promoveri fecerint non solum prædictis: verùm etiam majoribus arbitrio nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis efficiendos pœnis*, &c. Et notavit Bonacina *disp.8. de Sacram. qu. un. punct.5. n.21.*

Punctum XIII.

De temporibus Ordinationum.

1. *Prima tonſura quolibet die, & hora conferri poteſt: Minores quolibet die Dominico, vel feſtivo, modò ne ſit generalis ordinatio.*
2. *Item, in quatuor temporibus.*
3. *Majores Ordines quo die.*
4. *Conſecratio Epiſcopi Dominica die.*
5. *Interſtitia quæ ſint ſervanda in Ordinibus minoribus, & ad majores aſcenſu.*
6. *Quæ ab Ordine ſubdiaconatus ad diaconatùm.*
7. *Item, à diaconatu ad presbyteratum.*
8. *Duo ſacri Ordines eodem die nemini, etiam Regulari, conceduntur.*
9. *Quis locus ſacris ordinationibus conveniat.*
10. *Graves Doctores cenſent, privilegia Religioſorum Prælatis conceſſa diſpenſandi in interſtitiis, & extra tempora, eſſe per Tridentinum revocata.*
11. *Prælati Societatis prædicto privilegio gaudent non obſtante diſpoſitione Concilii.*
12. *Satisfit contrariis.*
13. *In aliis Religionibus eſto, communiter cenſeant Doctores, revocata eſſe privilegia diſpenſandi extra tempora, & interſtitiis, probabile eſt non eſſe revocata.*
14. *Quæ pœna ſit impoſita promotis, & promoventibus extra tempora, & non ſervatis interſtitiis.*

1. PRima tonſura quovis anni tempore, qualibet die, hora, & loco conferri poteſt, uti ex omnium ſententia, & conſuetudine recepta tradunt Henriq. *lib.* 10. *c.* 12. *t.* 1. Vaſq. *diſp.* 246. *cap.* 5. *initio.* Barboſa *allig.* 11. *n.* 19. Laym. *tr.* 9. *de Ordine. c.* 8. *n.* 1. Bonac. *diſp* 8. *de Sacram. q. un. p.* 6. *n.* 1.

2. Minores Ordines quovis die Dominico, ut dicitur in Pontificali Romano, vel quovis die feſtivo conferri poſſunt aliquibus, non multis, ne generalis appareat ordinatio. Habetur c. *De eo de temporib. Ordinat.* & tradunt relati Doctores.

Diem feſtum intelligit Villalob. *tr. de Sacr. Ord. diff.* 13. *n.* 6. quem Clerus officio duplici, vel ſemiduplici celebrat ex quadam declarat. Clem. VIII. facta Joann. de S. Clemente Archiep. Compoſtell. Sed rectiùs Vivald. *in Cand. aur.* 1. *p. tit. de Sacr. n.* 35. *verſ. Tertia concl.* Azor. 2. *p. inſt. mor. lib.* 1. *cap.* 27. *quæſt.* 19. Barboſ. *de pot. Ep. alleg* 11. *n.* 18. exiſtimant ſub die feſtivo non eſſe intelligendum, quem Clerus, celebrat officio eccleſiaſtico; ſed, quem Clerus, & populus celebrant ſub præcepto: quia in communi acceptione dies feſtus dies feriatus appellatur: ſecundum quam præſumitur Pontifex locutus. Quinimo Gl. *in c. Sane, de temp Ord. verb. Ad ſacros*, non quoſcunque dies feſtos, ſed ſolemnes credit intelligendos: & Sylveſt. *Ordo, n.* 6. præcipuos: ſed immeritò, cùm Alexand. III. *in d. c. De eo*, ſolùm expoſtulaverit, diem feſtivum. Quapropter opus non eſt, ut dies feſtus univerſalis ſit: ſufficit, ſi in ea diœceſi ut talis habeatur: quia abſolutè eſt dies feſtivus, ut bene, aliis relatis, Barboſa *de pot. Epiſc. alleg.* 11. *n.* 18. Præter diem Dominicum, & feſtivum, minores Ordines conferri poſſunt ſabbatho quatuor Temporum, & ſabbatho ante Dominicam Paſſionis, ſicut & majores. Item, ex recepta conſuetudine feria ſexta in veſpere, minores conceduntur: quia illa cenſetur inchoatio generalis ordinationis in ſabbatho peragendæ, & conveniens diſpoſitio, ut majori cum ſolemnitate Ordines majores ſabbatho celebrentur, uti docuit Henriq. *lib.* 10. *cap.* 12. §. 2. Laym. *tract.* 9. *de ordine, cap.* 8. *num.* 1. Barboſa *allegat.* 11. *num.* 17. Quinimò feria quarta quatuor Temporum habere Epiſcopum poteſtatem conferendi Ordines, ex communi conſuetudine, & praxi, teſtantur Henriquez Layman. Barboſa *loc. alleg.* Emanuel Saà *Ordo numer.* 13.

3. Majores Ordines niſi in ſabbatho quatuor Temporum & ſabbatho ante Dominicam Paſſionis, & Reſurrectionis conceduntur, ex textu in cap. *De eo, de temporib. ordinat.* & cap. fin. 75. *diſt.* & Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 8. Quique conferendi ſunt tempore Miſſæ, ut colligitur, tum ex conſuetudine, tum ex cap. *Quòd ſicut de electione.* Permittitur autem Epiſcopo, ut ordinationes ſabbatho faciendas ad ſequentem Dominicam transferat ex cauſa aliqua rationabili: qualis eſſet, ſi ob infirmitatem, vel ob multitudinem ordinandorum ſabbatho non potuit Ordines peragere. Debent tamen, tam ipſe, quam ordinandus jejunium ſabbathi præcedentis continuare: ob hanc enim jejunii continuationem ordinationes factæ die Dominico retrotrahuntur ad ſabbathum, & quaſi in ſabbatho factæ reputantur, uti docuit Gloſſa *in cap. Quod à Patribus* 75. *diſt.* Henriq. *lib.* 10. *c.* 12. *num.* 2. Suarez *tom.* 5. *de cenſur. diſp.* 31. *ſect.* 1. *num.* 41. Layman. *tract.* 9 *de Ordine, cap.* 8. *num.* 5. Villalobos *difficult.* 13. *num.* 2. Ex quo fit, nullatenus permiſſum eſſe Epiſcopo diaconatus, vel preſbyteratus Ordinem concedere die Dominica ei, cui ſabbatho antecedenti ſubdiaconatus Ordinem concedere die Dominica ei, cui ſabbatho antecedenti ſubdiaconatus Ordinem contulit: quia cenſeretur duos Ordines ſacros eodem die conferre: quod, ut dicemus, prohibitum eſt: & notavit Laym. *tract.* 9. *de ordine, c.* 8. *n* 5.

4. Pro conſecratione Epiſcopi dies Dominica ex Eccleſiæ conſuetudine deſignata eſt, uti colligitur ex cap. *Quod die* 75. *diſt.* & tradunt omnes. Solùm eſt dubium, an ſi die Dominica promotus fuiſti in Preſbyterum; vel, quia privilegium ſuſcipiendi Ordines extra tempora habuiſti; vel quia jejunium ſabbathi antecedentis continuatum eſt: poſſis in Epiſcopum conſecrari. Suar. *diſp.* 31. *ſect.* 1. *n* 41. exiſtimat, id fieri non poſſe, eò quòd duplici Ordine ſacro nequis eo die inſigniri. Id ipſum docuit Barboſ. *alleg.* 1. *in fine.* Sed communis ſententia, de qua Abbas *in cap. Litteras. de temporib. Ordinat* Gloſſa *verbo Sabbatho in cap. Quod à Patribus* 75. *diſt.* contrarium firmat: quia conſecratio Epiſcopi non reputatur Ordo diſtinctus à ſacerdotio; ſed illius perfectio, & complementum, ac proinde non poteſt comprehendi ſub prohibitione cap. *Litteras*, & cap. *Dilectus de temporib. Ordinat.* ne eodem die duo ſacri Ordines alicui conferantur.

5. Temporum intervalla, ſeu interſtitia conſtat in Ordinibus minoribus non eſſe ex neceſſitate ſervanda: ſed arbitrio Epiſcopi remittitur à Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 11. Quare poterit Epiſcopus, vel ob conſuetudinem receptam, (ſi fortè adeſt,) vel ob aliam rationabilem cauſam, primam tonſuram, & Ordines minores uno die eidem conferre, uti tradunt Henriq. *lib.* 10. *cap.* 11. *num.* 4. Barboſ. *allegat.* 11. *num.* 13. & *ſeqq.* Vaſq. *diſp.* 246. *cap.* 5. Villalob. *difficult.* 12. *n.* 1. Layman. *tract.* 3. *cap* 8. *num.* 6. Ab Ordinibus autem minoribus ad majores aſcenſus nemini niſi poſt annum, permittitur, niſi neceſſitas, aut eccleſiæ utilitas judicio epiſcopi aliud expoſcat. Neceſſitate autem vel utilitate eccleſiæ interveniente, non ſolùm poterit Epiſcopus intra annum Ordinem ſubdiaconatus conferre ei, qui minores Ordines ſuſcepit; ſed in eiſdem Ordinibus: ut, ſi veſpere ante ſabbathum Ordines minores collati ſunt, poterit ſabbatho ſubdiaconatum conferre. Quinimò eodem die ſabbathi, & minores, & ſubdiaconatus ſimul conferri poſſunt: quia nullus eſt textus id interdicens. Solùm enim duos ordines ſacros eodem die conferre prohibetur

prohibetur : at ordinem sacrum simul cum minoribus conferre, nullibi est prohibitum : quare stante Ecclesiæ necessitate, aut utilitate, optimè poterit Episcopus dispensare : & sæpè in Hispania factum esse vidi. Atque ita docent Vasq. *disp.* 246. *de Ordine, cap.* 5. *à n.* 47. Henriq. *lib.* 10. *cap.* 11. *n* 4. Saà *verbo, Ordo, num.* 17. Laym. *lib.* 5. *sum. tract.* 9. *cap.* 8. *circa finem.* Villalob. *tract.* 11. *de Ordine, difficult.* 12. *numer.* 7.

Necessitas Ecclesiæ reputatur esse, quando ordinandus habet beneficium, vel capellam, cui debeat inservire : non enim obsequium per interpositam personam æquè idoneum ac decens est. Item, quando in Ecclesia, ubi ordinandus habiturus est, desunt idonei Ministri, qui solitis muneribus satisfaciant. Utilitas verò Ecclesiæ adesse censetur, si ob eam ordinationem præsumitur obsequium Ecclesiæ aptius esse præstandum, uti docent Sorbus *in addit. ad Comp. verb, Ordines sacri. vers. Et quia* Villalobos *tract.* 11. *de Ordine, difficult.* 12. *num.* 3. Rodrig. *tom.* 3. *qq. reg. quæst.* 24. *art.* 7. Annus verò interstitiorum computandus est more ecclesiastico, id est, à jejunio quatuor Temporum hujus præsentis anni usque ad simile jejunium anni sequentis, sicuti ex declaratione sacræ Congregationis testantur Farinac. & Barbosa *in Conc. d. sess.* 24. *cap.* 13. *de reformat.* & tradit Villalobos *tract* 11 *de Ordine, difficult.* 12. *n.* 6. Quaranta *verbo, Ordo, sub finem.* Bonac. *disp.* 8. *de Sacram. q. un. p.* 5. *num.* 51.

6. Ab Ordine subdiaconatus ad diaconatum nemini, inquit Trid. *sess.* 23. *cap.* 13. permittitur ascendere, si per annum saltem in subdiaconatu versatus non fuerit, nisi aliud Episcopo videatur. Ubi advertè, pro ascensu ad diaconatum, & dispensationem interstitiorum hujus Ordinis, necessitatem, aut utilitatem ecclesiæ non requiri; sed quamlibet rationabilem causam arbitrio Episcopi sufficientem esse, uti notavit Villalobos *difficult.* 12. *num.* 2. Rodrig. *tom.* 3. *qq. regul. q* 24. *art.* 24. *in fine.*

7. A diaconatu autem ad presbyteratum non datur ascensus ante annum ministrationis, nisi ob ecclesiæ utilitatem aliud faciendum Episcopo usum fuerit, uti dixit Concilium Tridentium *sess.* 23. *c.* 14. Quare in hac dispensatione præstanda non sufficit Ecclesiæ utilitas, sed necessitas adesse debet : & notarunt Vill. & Rodrig. *suprà.*

8. Duo verò sacri Ordines nemini, etiam Regulari, permittuntur eodem die conferri, non obstantibus quibuscunque privilegiis, ac indultis. ex cap. *Litteras* cap. *Dilectus de temporibus Ordinat.* & Trid. *sess.* 23. *cap.* 13. *de reformat. in fine,* & tradunt Doctores omnes.

9. Quoad locum verò, in quo ordines conferendi sunt, inquit Trid. sess. 23. cap. 8. *Ordinationes sacrorum Ordinum statutis, à jure temporibus, ac in cathedrali Ecclesia, vocatis, præsentibúsque ad id Ecclesiæ Canonicis, publicè celebrentur. Si autem in alio diœcesis loco, præsente Clero loci, dignior, quantum fieri poterit, Ecclesia semper adeatur.* Hæc tamen sub gravi culpa non obligant : quia nullum est verbum, quod præceptum indicet : Quapropter non solùm in Ecclesia, sed in capella speciali, & privata domus solent Episcopi Ordines celebrare, ex text. in cap. *Quando* 75. *dist.* tradit Gloss. *c fin. eadem dist.* Henriq. *lib.* 10. *c.* 11. §. 8. Barbosa *alleg.* 11. *de potest. Episc. n.* 20. Villal. *difficult.* 13. *n.* 7.

10. Hucusque locuti sumus, spectato jure communi, supereſt examinandum, an Regularibus concessa sint aliqua privilegia, tum ad dispensandum in interstitiis, tum ut extra tempora à jure statuta ordinatio fiat? Plures, gravissimíque Doctores affirmant, per Trid. revocata esse privilegia, quæ Regularibus erant concessa pro dispensatione interstitiorum, & extra tempora. Sic Prosper Aug. *in addit. ad Quaranta, verbo, Ordo, prope finem, pag.* 395. Aloys. Riccius *in Curia Archiepiscop. Neapolit. decis.* 83. August. Barbosa *in remiss. Concil. sess.* 23. *cap.* 11. Molfes. *tr.* 2. *cap.* 1. *num.* 56. Bonac. *disp.* 8. *de Sacram. q. un. pun.* 5. *num.* Miranda *director. Prælat. tom.* 1. *quæst.* 38. *art.* 7. Farinac. *tom.* 4. *decis.* 184. referúntque sic decisum esse à sacra Congregatione in hæc verba : *Sacra Cardinalium Congregatio censuit in ordinatione Regularium dispensationem super interstitiis pertinere ad Episcopum ordinantem : debet tamen fieri mentio in litteris dimissorialibus suorum Superiorum petentium ab Episcopo, ut super illis dispensare dignetur, attenta necessitate, vel utilitate Ecclesiæ, seu Religionis.* Ratio est : quia Trident. *sess.* 23. *cap.* 8. statuit, ordinationes statutis à jure temporibus celebrari, ita ut neque Episcopis permittat extra tempora ordinationes facere, neque aliis, quàm ipsis, concedit facultatem dispensandi in interstitiis, uti videri potest *in dicta sess.* 23. *c.* 11. 13. *&* 14. Sub nomine autem Episcopi nullatenus Prælati regulares veniunt. Neque obstat, quod *in illo cap.* 8. nulla fiat derogatio expressa privilegiorum Regularium : tacitè enim ea constitutione derogantur : siquidem observari non potest nisi prædictis privilegiis in contrarium derogatis. Præterea, *sess* 25. *cap.* 22. *de Regularibus*, præcipit Trident. hæc omnia, & singula in superioribus decretis contenta observari, non obstantibus privilegiis, &c. Ergo ex vi illius clausulæ omnia privilegia Tridentino contraria revocantur. Deinde Gregor. XIII. & Sixtus V. aliique Pontifices Religionum Mendicantium privilegia confirmarunt, dummodo contraria non essent Trident. ergo tacitè voluerunt contraria Trident. infirmare. Denique Sixtus V. Gregorii XIII. successor Breve expedivit adversùs malè promotos, quod incipit, *Sanctum & salutare*, in quo tam Regularibus, quam sæcularibus præcepit, sub gravissimis pœnis, ne extra tempora à jure statuta, neque aliter, quàm in Concilio Tridentino præscribitur Ordines suscipiantur, Et in fine subdit clausulam revocatoriam omnium privilegiorum, &c.

11. Cæterùm omninò dicendum est, Religiosos Societatis Jesu ex facultate Præpositi Generalis posse extra tempora à jure statuta, & ex facultate Provincialis, non servatis interstitiis, ad sacros Ordines promoveri, obligatúmque esse quemlibet Episcopum requisitum, Ordines conferentem, huic dispensationi acquiescere. Sic expressè docuerunt Vasquez *disp.* 246. *cap.* 52. *num.* 50. *in fine.* Henriquez *lib.* 10. *cap.* 23. *num.* 4 *& in comment. litt. M.* Rodrig. *t.* 3. *qq. regul. q.* 23. *art.* 5. Villal. *tract.* 11. *de Ordine, diffic.* 12. *in fin. & diffic.* 13. *num.* 6. Ratio desumitur ex Bulla Gregor. XIII. quæ incipit, *Pium, & utile*, cujus meminit Compend. privileg Societatis, *verbo, Ordo,* §. 3. in ea namque Gregor. XIII. intendens, ne Episcopi ob Trident. decreta à nostris observationem interstitiorum, & aliorum quæ pro suscipiendis Ordinibus requiruntur, exigerent, inquit : *Nos his incommodis, quantum in nobis est, occurrere volentes, omnibus Episcopis, & aliis Antistitibus præsentibus, & futuris in perpetuum præcipimus, ac interdicimus, ne ab hujusmodi promovendis, qui licentiam à Præposito Generali dictæ Societatis pro tempore existente, vel ab eo delegatis habuerint, quidquam prædictorum requirant, vel exigant : sed ipsos, etiam absque ulla functione in Ordinibus ipsis, interstitiorúmque ad illos suscipiendos observatione, aut inquisitione de cantu, officiis, ac cæremoniis ecclesiasticis, & idoneitate, proprii Ordinarii licentia, & aliis in aliis requisitis ad minores, at etiam extra tempora à jure statuta : tribusque Dominicis, vel aliis festis diebus, etiam continuis, ad sacros etiam presbyteratus Ordines promoveant, ac si illi omnibus requisitis præditi essent. Nos enim illis Ordines omnes prædic-*

tos ſic ſuſcipiendi, ac prædictis Antiſtitibus eorumdem ſic ſuſcipiendi facultatem tribuimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Præſentis autem gratiæ communicationem omnibus aliis, etiam qui ſua privilegia cum Societate copiosè participant, participareque poterant, quomodolibet in futurum fieri omnino prohibemus.

12. Huic privilegio obſtare non poteſt declaratio ſacræ Congregationis; partim, quia loquitur generaliter de omnibus Regularibus; partim, quia antecessit prædictam conceſſionem Gregorii novem annis, teſte Paracelſo *compend. privilegior. Mendicant. fol.* 225. & Miranda *dicto tit.* 1. *quæſt.* 38. *art.* 7. ac proinde conceſſionem Gregorii ſubſequentem limitare non poterat, partim, quia ea declaratio nititur Tridentini diſpoſitioni, quia non obſtante Gregorius XIII. Societatis Religioſis prædictum privilegium concedit. Quare, etſi dictis Concilii decretis privilegia antecedentia derogent, privilegium Gregorii ſubſequens, & conciliatis Conſtitutionis mentionem faciens non derogat. Neque item obſtat motus proprius Sixti V. Nam, ut rectè Rodrig. *t.* 3. *qq. regular. quæſt.* 23. *art.* 5. illa Conſtitutio fertur adversùs eos, qui nimia (ut inquit Sixtus) ſimplicitate, & imperitia, malitia aut fraude, ſive aliàs minùs rectè, vel etiam temerè ſe ingerunt ad ordinandum extra tempora, vel non ſervatis interſtitiis. Non igitur procedit adversùs eos, qui ex privilegio Sedis apoſtolicæ ordinantur extra tempora, aut non ſervatis interſtitiis. Prætereà hic motus proprius nullam vim ſuſtinet, utpote qui revocatus eſt per Gregor. XIV. & Clement. VIII. & reductum ad terminos juris communis, teſte Zerola *praxi epiſc.* 2. *t. verbo, Ordo, dub.* 8. Suar. *de cenſur. diſput.* 31. *ſect.* 1. *num.* 42. Toleto aliis relatis, *in additionib. l.* 1. *cap* 48. Stephano Davila 3. *p. de cenſur. diſp.* 5. *dub.* 7. *in fine.* Verùm, ut omnis dubitatio in hac parte tolleretur, Paulus V. anno 1606. Septembris 4. omnia privilegia, & gratias à ſuis prædeceſſoribus conceſſas ſpecialiter à Gregor. XIII. motu proprio, & ex certa ſcientia confirmavit, & ſic approbavit: *Nec non privilegia, facultates, exemptiones, gratias, & indulta à prædictis, & aliis prædeceſſoribus noſtris eidem Societati, & illius pro tempore exiſtenti Præpoſito Generali, & Religioſis principaliter, vel per communicationem conceſſa, qualiacunque illa ſint, ac deſuper confectas Litteras, præſentibus haberi volumus pro expreſſis, & inde ſequuta quæcunque (ſalvis Litteris piæ memoriæ Leonis Papæ X I. etiam prædeceſſoris noſtri, ſuper decimis emanatis) apoſtolica authoritate prædicta earundem tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, ac illius perpetuæ inviolabilis firmitatis, ac noſtræ, & Sedis apoſtolicæ authoritatis robur adjicimus, eáque omnia, & ſingula innovamus, & denuò concedimus, atque omnes, tam juris, quam facti defectus, ſi qui forte quomodolibet intervenerint, in eiſdem ſupplemus,* adjecta in fine clauſula derogatoria, *Quorumcunque in contrarium.* Ex qua Bulla liquido conſtat, privilegium Superioribus Societatis conceſſum, concedendi extra tempora, & diſpenſandi in interſtitiis, à Gregorio XIII. innovatum eſſe, & denuò conceſſum à Paulo V. tametſi per Sixtum V. eſſet derogatum. Etenim revocatum erat à Leone X. privilegium nobis conceſſum à Gregorio XIII. exemptionis à decimis ſolvendis. Ne ergo à Paulo V. in prædicta Bulla cenſeretur denuò conceſſum, & innovatum, debuit illam exceptionem exprimere. Cùm ergo prædictam exceptionem in nullo alio privilegio conſtituat, infertur ſanè, cætera omnia innovata, & approbata eſſe, & denuò conceſſa. Quare Epiſcopi, quibus hæc privilegia manifeſtantur, nequeunt, abſque gravi culpa noſtros à collatione Ordinum repellere ob non ſervata interſiitia, &c. quia Gregor. XIII. utitur verbo præceptivo, *præcipimus & interdicimus.*

13. Cæterum Gab. Vaſq. *diſp.* 246. *c.* 5. *n.* 50. *in fine*, & Henriq. *ſum. lib.* 10. *cap.* 23. *num.* 4. & Man. Rodrig. *tom.* 3. *qq. regul. qu.* 24. *art.* 3. Barboſ. Bonac. Mirand. Paracelſus, & alii *ſuperius* relati, exiſtimant, aliorum Religionum Prælatis ademptam à Trident. facultatem concedendi extra tempora, & diſpenſandi in interſtitiis ob rationes *ſuperius* allatas: & quia Gregor. XIII. hujus privilegii communicationem aliis Religionibus interdixit: nihilominùs ſatis probabile exiſtimo, quod tradit Rodrig. ſibi contrarius *t.* 3. *qq regul. quæſt* 23. *art.* 5. Villalob. *tract.* 11. *de Ordine, difficult.* 12. *in fine*, & *difficult.* 13. *n.* 6. nempe, Prælatos Religionum uti poſſe facultatibus in hac parte ante Trid. conceſſis, neque per Trid. eſſe derogatas. Etenim, Alexand. IV. conceſſit, quòd Prior Generalis Ordinis S. Hieronymi, & ſinguli Priores ejuſdem Ordinis præſentes, & futuri poſſent eligere quemcumque Epiſcopum catholicum communionem Sedis apoſtolicæ habentem, qui perſonas ſingulorum Monaſteriorum hujuſmodi ad id idoneas ad omnes etiam ſacros, & presbyteratus Ordines, etiam extra tempora à jure ſtatuta tribus diebus Dominicis, ſive feſtivis duplicibus ſucceſſivè promovere poſſit, diœceſanorum licentia ſuper hoc requiſita. Sic refertur in compend. Mendicant. *tit. Ordines ſacri*, § *fin.* Item, Eugen. IV. conceſſit, ut ſinguli Monachi præſentes, & futuri S. Benedicti ad id idonei, quos Prior ſui Monaſterii ad hoc elegerit, ſive nominaverit, ſemel dumtaxat anno quolibet omnes etiam ſacros Ordines, una & eadem die, etiam extra tempora à jure ſtatuta, à quibuſvis catholicis Antiſtitibus gratiam, & communionem Sedis apoſtolicæ habentibus (cujuſvis ſuper hoc licentia minimè requiſita) ſuſcipere, dictique Antiſtes eiſdem Monachis Ordines hujuſmodi conferre poſſint. Sic habetur in dicto Compend. Mendicant. *tit. Ordines ſacri*, §. 8. quibus privilegiis fruuntur. Religiones Mendicantes, & aliæ, quæ in privilegiis Religionum communicant. Hæc ergo privilegia quoad facultatem concedendi extra tempora, & diſpenſandi in interſtitiis, affirmant Rodrig. & Villalob. *ſuprà*, non eſſe à Concilio derogata; bene tamen quoad facultatem ſuſcipiendi duplicem Ordinem ſacrum eodem die, & ab Epiſcopo in aliena diœceſi abſque licentia proprii. Etenim de hac facultate ſuſcipiendi duplicem Ordinem ſacrum eodem die inquit Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. de reformat. in fine: *Duo ſacri Ordines non eodem die etiam Regularibus, conferantur, privilegiis, ac indultis quibuſvis conceſſis non obſtantibus.* De facultate autem ſe promovendi ab alieno Epiſcopo inquit Trid. cap. 8. *Quòd ſi quis ab alio, quàm a proprio Epiſcopo promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujuſvis generalis, aut ſpecialis reſcripti, vel privilegii prætextu, etiam ſtatutis temporibus permittatur.* Et *ſeſſ.* 2. *de reformat. c.* 5. ait: *Nulli Epiſcopo liceat, cujuſvis privilegii prætextu, pontificalia in alterius diœceſi exercere, niſi de Ordinarii expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubjectas*, ſeu habentes à ſuo Ordinario dimiſſorias, ut benè explicuit Rodrig. *t.* 3. *qq. regul. q.* 24. *art.* 2. Cùm ergo de facultate Religioſis facta concedendi extra tempora, diſpenſandique in interſtitiis, nulla adſit à Concilio derogatio, dicendum eſt in ſuo robore perſiſtere.

Neque verum eſt, per clauſulam illum generalem derogatoriam appoſitam *ſeſſ.* 25. *c.* 22. *de Regularibus* derogata eſſe omnia privilegia Regularibus conceſſa, adverſa Trident. ſtatutis: nam illa derogatio, utpote odioſa, non ad omnia contenta, & diſpoſita in Trid. ſed ad contenta, & diſpoſita *in illa Trident. ſeſſione* extendi debet: neque eſt ullum fundamentum, ratione

cujus

cujus debeat extendi ad omnia in Trident. contenta. Nam, si Trident. vellet omnia privilegia Regularium adversa Trident. decretis derogare, *in ultimo decreto, sess. 25. de reformat.* prædictam derogationem constitueret: quod tamen non præstitit. Igitur nulla alia privilegia quàm adversa decretis *illius sessionis* 25. illa clausula derogantur, ac proinde privilegium concedendi extra tempora, & dispensandi in interstitiis ab Alexand. & Eugenio concessum, firmum persistit. Neque ex eo, quòd Gregor. XIII. & Sixtus V. confirmaverint Religionum privilegia, quæ Tridentino adversa non erant, infertur, derogasse adversa; sed solùm infertur noluisse ea confirmare, & locum opinionibus relinquere, an essent revocata. Minùs obstat motus proprius Sixti V. qui, ut *superius* dictum est, fertur contra malè promotos, qui censeri non debent promoti ex Sedis apostolicæ privilegiis. Item, ille motus revocatus est, & ad terminos juris communis redactus. Neque denique obstat prohibitio facta à Gregorio XIII. ne alii Religiosi aliorum ordinum communicationem in dicto privilegio suscipiendi ordines extra tempora, & non servatis interstitiis, communicarent: nam hæc prohibitio solùm infert, non posse eo privilegio uti Religiosos aliorum ordinum via communicationis; non tamen impedit, quin eo uti possint, si aliunde est illis concessum, uti concessum est ab Alexand. VI. & Eugenio IV. Neque prædicta prohibitio tollit, quin alii Pontifices successores eam communicationem facere possint, uti fecit Gregor. XIV. sicuti probat Rodrig. *t. 1. qq. regular. q. 55. art. 17.* Adde, esto, per Trid. revocata essent privilegia Alexandri VI. & Eugenii IV. at Clementis VIII. speciali concessione innovata esse censentur, teste Rodr. *dicto t. 3. qq. regular. q. 25. art. 5. in fine*, & Villalob. *tract. 11. de Ordine, difficult. 12. in fine*, & *difficult. 13. n. 6.* & approbat Barbosa *in remissionib. Concil. sess. 23. cap. 8.* Affirmántque Rodrig. & Villalob. non solùm in tribus Dominicis, sed etiam in tribus diebus festivis duplicibus promoveri Religiosum posse ob concessionem Alexand. VI. & declarationem Clement. VIII. Quod credo probabiliter sustineri posse; tametsi verius censeam, quoties alicui privilegium absolutè conceditur, ut extra tempora in tribus Dominicis, vel diebus festivis ordinetur, quin additum fuerit, *duplicibus, vel semiduplicibus*, intelligi debere de festivis diebus, qui à Clero, & populo sub obligatione præcepti celebrantur: quia, ut dixi, dies hi secundùm communem hominum acceptionem festivi nuncupantur, non illi, quos Clerus officio duplici, vel semiduplici honorat.

14. Ad extremum, superest dicendum, an aliqua pœna imposita sit promotis, vel promoventibus extra tempora, vel non servatis interstitiis. Et quidem ob non servata interstitia præcisè neque promovens, neque promotus, ullam pœnam suspensionis, aut irregularitatis incurrunt; quia nullibi cautum est, sicuti notarunt Zerola *in praxi episcop. 3. p. verbo, Ordo. § 8. & 2. p. eodem, vers. Ad quintum* Riccius *in collect. decis. 3. p. collectan. 576.* Suar. *de censur. disp. 31. sect. 1. n. 41.* At, si non solùm non servasti interstitia, sed eodem die absque dispensatione Pontificis duplicem sacrum Ordinem recepisti, ab illorum executione suspensus es ex communi sententia, in cap. *Litteras de temporibus ordinat.* Quod verissimum est, si promovens ignarus sit hujus delicti, quia tunc ordinem furtivè suscipis, ac proinde incurris suspensionem latam in cap. *Innotuit. De eo, qui Ordinem furtivè suscepit.* Si verò sciente ordinante promotus fueris, meritò dubius est Suar. quia text. in cap. *Litteras*, non videtur legem ferre, sed solùm specialem casum decidere, & punire. Quòd, si omisso ordine inferiori ad superiorem ascendas, verius est, te suspensionem incurrere ex cap. *Sollicitudo 52. dist. & cap. un. de Clerico per saltum promoto*, & Trident. *sess. 23. cap. 14. de reform. in fine.* & tradit Navarr. *c. 25. num. 71. & c. 27. num. 242.* Suar. *de cens. disp. 31. sect. 1. num. 43.* Avila *7. part. disput. 9. dub. 2.* Si verò extra tempora te promoveri facias, cùm tamen privilegium à Sede apostolica non obtineas, suspensionem incurris latam à Pio II. *in Extr. Cùm ex sacrorum*, quam Clemens VIII. approbavit, & confirmavit, de qua Avila *de censur. 3. p. disp. 5. dub. 7.* Suar. *t. 5. disp. 31. sect. 1. num. 30.* Laym. *lib. 5. sum. tract. 9. c. 10. n. 2.*

Punctum XIV.

De ministro requisito ad validam Ordinationem.

1. *Minister ordinarius solus est Episcopus, tametsi excommunicatus sit.*
2. *Quod intelligendum est de Ordinibus majoribus, & minoribus.*
3. *Ex commissione Pontificis simplex Sacerdos conferre Ordinibus minores potest.*
4. *Qui Abbates, & quibus possint minores Ordines conferre.*
5. *An possint Novitiis? Affirmant aliqui.*
6. *Rectius alii negant.*
7. *Posse Pontificem facultatem dare simplici Sacerdoti Ordines sacros conferendi, affirmant plures.*
8. *In contrarium est communis sententia.*
9. *Ordinatio Presbyteri nemini alteri ab Episcopo committi potest.*
10. *Ordinationem subdiaconatus, & diaconatus probabile est committi à Pontifice posse Sacerdoti non Episcopo.*
11. *Consecrationem Episcopi non esse simpliciter necessarium fieri à tribus Episcopis, affirmant gravissimi Doctores.*
12. *Necessario est ab Episcopo facienda.*
13. *Probabilius à tribus Episcopis.*
14. *Fit satis rationibus n. 11. adductis.*
15. *Ministro delegato, si deficiat delegatio, nulla est Ordinatio.*

1. DE fide est, Ministrum ordinarium validæ ordinationis esse solum Episcopum consecratum, uti definit Eugen. IV. *in Concil. Florent. post. sess. ult. §. Sextum Sacramentum.* Trident. *sess. 23. c. 4. & can 7.* & multis comprobat. Bellarmin. *t. 1. lib. 1. de Clericis, c. 3.* Hanc tamen potestatem obtinet Episcopus, etiamsi per saltum ad Episcopatum promotus sit, nullo alio Ordine recepto, præter presbyteratus, & Episcopatus consecrationem: quia ex vi consecrationis Episcopalis, quæque à presbyteratu pendet necessariò, & non ab aliis Ordinibus potestatem accipit, omnes Ordines ministrandi, uti notarunt Henriquez *lib. 10. de Ordine: c. 20. num. 3.* Vasq: *disp. 243. c. 2. n. 3.* Laym. *l. 5. sum. tract. 9. c. 9. concl. 3.*

Neque hac potestate privatur Episcopus ob excommunicationem, suspensionem, aut degradationem, quippe est potestas ex institutione Christi per consecrationem collata, ac proinde à solo Christo, & non ab Ecclesia tolli potest, ut multis comprobant Gregor. de Valent. *t. 4. disp. 9. quæst. 3. p. 2.* Henr. *lib. 10. c. 21.* Vasq. *de Ordine, disp. 243. cap. 1. & 2.* Barbosa *alleg. 3. de potest. Episc. num. 3.* & colligitur ex cap. *Secundum 19. dist.* & cap. *Quomodo de consecratione, dist. 4.* Et licèt in cap. *in Ecclesia*, aliisque Canonibus *1. quæst. 1. & 9. quæst. 1.* asseratur ordinationem factam ab Hæretico, seu excommunicato, non esse ratam, & legitimam reputandam, intelligi

intelligi debet quoad illius executionem, & uſum; ſecùs quoad ſubſtantiam Ordinis, & Characteris. Quippe ſuſcipiens Ordinem ab Epiſcopo depoſito, vel excommunicato vitando, verùm Ordinem ſuſcipit: at ab illius executione ſuſpenditur; juxta textum in cap. 1. & 2. *de Schiſmatico, & ordinando ab eo*, & tradit Covarr. *in cap. Alma* 1. *p.* §. 6. *num.* 6. Navarr. *cap.* 27. *n.* 241.

2. Prædicta procedunt, non ſolùm de Ordinibus majoribus; ſed etiam de minoribus. Tum, quia ſecundùm probabiliorem ſententiam omnes, tam majores, quàm minores, Sacramenta ſunt à Chriſto inſtituta, ac proinde poteſtas illos Ordines conferendi à ſolo Chriſto pendet. Admiſſo autem, quòd Ordines minores ſacramenta non ſint, ſed ſacramentalia ab Eccleſia inſtituta, quæ, licèt potuerit poteſtate illos conferendi privare Epiſcopum excommunicatum, ſuſpenſum, vel degradatum: noluit tamen; partim, ne exponeretur periculo irritandi Ordines, qui vera ſacramenta eſſent; partim, ut inſtitutionem Chriſti imitaretur, qui Ordinem à ſe inſtitutum indelebilem eſſe voluit.

3. Ex commiſſione autem Summi Pontificis certum eſt, ſimplici Sacerdoti concedi poſſe facultatem, primam tonſuram, & Ordines minores conferendi. Nam Preſbyteris Cardinalibus Romanæ Eccleſiæ hæc poteſtas conceſſa eſt ex recepta conſuetudine, non in quoſcunque, ſed in ſuos familiares, uti advertit Joan. Andreas *in c.* 1. *de ſupplend. negligent. Prælat. num.* 14. Martin. Laud. *tract. de Cardin. quæſt.* 20. Major. *de irregularit. c.* 8. Bonac. *diſp.* 8. *de Sacram. q. unica, pun.* 4. *n.* 3. Barboſa *alleg.* 3. *n.* 15. Deinde Abbatibus aliiſque juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentibus conceſſa eſt in jure poteſtas prædictam tonſuram, & Ordines minores conferendi, uti traditur *can.* 1. & 2. *diſt.* 21. & *can. Quoniam* 69. *diſt.* & cap. *Cùm contingat. de ætate & qualit.* & cap. *Abbates de privilegiis, in* 6. *c.* 1. *de ſupplend. negl. Prælat.* & aliis, & *ibi* Gloſſa, & Doctores.

4. Sed non quicunque Abbates hac poteſtate gaudent, jure communi ſpectato, ſed illi tantùm, qui Sacerdotes ſunt, & baculo, & mitra utuntur, quippe ab Epiſcopo benedicti fuerint, ut conſtat ex cap. *Cùm contingat. de ætate, & qualit.* Si tamen Epiſcopus tertiò requiſitus benedictionem impertiri abſque cauſa renuerit; eo caſu electus Epiſcopus, etſi non benedictus tonſuram, ordinéſque minores conferre poterit ex conceſſione juris ſupplentis Epiſcopi negligentiam, *c.* 1. *de ſupplenda negligent. Prælat.* & notavit Gloſſa *in dicto c. Cùm contingat. verbo, Abbati.* Navarr. *c.* 27. *n.* 164 Laym. *tract.* 9. *de Ordine, cap.* 9. *numer.* 2. Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg.* 3. *num.* 6.

Verùm, Trident. *ſeſſ.* 23. *c.* 10. *de reformat.* hanc reſtrinxit poteſtatem, ne inquam, Abbates, & alii exempti, exiſtentes intra fines alicujus diœceſis, & idem eſt, etiamſi extra exiſterent, quibúſque aliàs à jure competebat ordines minores conferre, ne inquam, primam tonſuram, ordinéſque minores conferant, aliis, quàm Regularibus ſibi ſubditis.

Qua Conſtitutione extante, neceſſariò videtur dicendum, non poſſe prædictum Abbatem tonſuram, ordinéſve minores concedere ulli ſæculari, tametſi dimiſſorias à ſuo Epiſcopo habeat: ſicuti in Rota, & à ſacra Congregatione deciſum eſſe teſtatur Seraphin. *deciſ.* 985. *part.* Mirand. *in Man. Prælat. t.* 1. *qu.* 18. *art* 9. Barboſa *allegat.* 13. *num.* 11. tametſi contrarium ſentiat. Laym. *dicto c.* 9. *num.* 2. Regularibus verò, qui aliàs ſibi ſubditi non ſunt, ſi dimiſſorias ſpeciales à ſuo Superiore habeant poſſe dictum Abbatem Ordines conferre, referunt deciſum eſſe à ſacra Congregatione Barboſa *ſuprà*, & *in remiſſionib. Concil. ſeſſ.* 23. *c.* 20. Prædictæ tamen declarationi non acquieſcunt Barboſa, & Miranda *ſuprà*: & meritò quia eſto ordinandus regularis ſit; non eſt tamen ſubditus Abbatis conferentis ordines, quod Tridentinum requiſivit.

5. An autem Regularibus Novitiis ſubditis poſſit ordines conferre? Affirmare videtur Laym. *lib.* 5. *ſum, tract* 9, *c.* 9. *n.* 2. eò quòd jure antiquo in cap. *Abbates de privil. in* 6. prædictis Abbatibus conceſſa fuerit hæc facultas, ibi: *Nec eis licitum ſit aliis, quàm Monaſteriorum ſuorum Converſis, & qui ad illa convolaverint.* ſcilicet, ut ibi convertantur, & fiant Monachi (ut inquit Gloſſa) *in quos eccleſiaſticam, & quaſi epiſcopalem juriſdictionem obtinent, primam clericalem conferre tonſuram.* Quæ tamen facultas per Tridentinum non videtur reſtricta, cùm ſolùm reſtrinxerit facultatem ordinandi ſæculares, & regulares non ſubditos: at Novitii ſub nomine regulari præcipuæ in decreto favorabili veniunt, & aliunde ſubduntur ordinanti. Ergo.

6. Cæterùm verius cenſeo, nequaquam poſſe prædictos Abbates Novitiis regularibus Ordines conferre: quia Novitius, eſto, Regularis cenſendus ſit, ut privilegiis Regularium gaudeat; non tamen Abbati ſubjicitur pleno jure; ſed ſolùm quatenus ad probationem Religionis fuerit neceſſarium, uti benè notavit Sanch. *lib.* 6. *ſum. cap.* 10. *in fine.* Ad probationem autem Religionis neceſſaria non eſt ſubjectio pro Ordinibus ſuſcipiendis, ut de ſe conſtat: ergo Regularis Novitius quoad Ordinum ſuſceptionem Abbati ſubditus non eſt. At Trident. ſolùm concedit Abbatibus, ut Regularibus ſibi ſubditis Ordines conferant. Non igitur poſſunt Novitiis conferre. Atque ita tradunt ex quadam Conſtitutione Pii V. Navarr. *cap.* 27. *numer.* 158. Rodrig. *t.* 3. *qq. regular. quæſt.* 23. *art.* 2. *in fin.* Mirand. *Man. Prælat. t.* 1. *qu.* 38 *art.* 9. *concl.* 2. *in fine.* Henriquez *lib.* 10. *cap* 23. *num.* 3. *in commeni. litt. G.* Lapus *in c. Cùm nullus num.* 3. *de temporib. ordinat. in* 6. & *ibi* Ancharan. *num.* 3. Francus *n.* 5. Barboſa *de poteſ. Epiſc. alleg.* 3. *num.* 8. & colligitur ex Sanch. *ſuprà, d c* 10. *in fine*, & *lib.* 4. *cap.* 39. *num.* 21.

7. Controverſia autem eſt, an poſſit Pontifex poteſtatem conferendi ſacros Ordines aliis, quàm Epiſcopo delegare? Affirmant id fieri poſſe Abbas *in cap. Quanto num.* 9. *de conſuetud.* Gloſſa *in cap. Manus de conſecrat. diſtinct* 5. & *in cap. Pervenit.* 95. *diſt.* Angel. *in ſum. verbo, Ordo*, 2. *num.* 2. inclinat Vaſquez *diſp.* 243. *cap.* 4. & 5. Moventur primò. Conc. Florent. expreſsè dixit, Miniſtrum ordinarium ſacramenti Ordinis eſſe Epiſcopum: tacite ergo inſinuavit, Miniſtrum extraordinarium, & ex delegatione alium eſſe poſſe. Ob hanc enim cauſam loquentes de ſacramento Confirmationis diximus, ſimplici Sacerdoti committi poſſe: quia Florent. dixerat, Miniſtrum ordinarium Confirmationis eſſe Epiſcopum. Cùm ergo idem dixerit de ſacramento Ordinis; eadem ratione concedi ſimplici ſacerdoti debet, Secundò, uſu & conſuetudine conſtat, aliquorum Ordinum collationem Sacerdoti, non Epiſcopo concedi: ergo omnium concedi poterit: ſiquidem in Scriptura, & Conciliis nullum eſt fundamentum, ex quo colligatur, aliquos Ordines committi poſſe, & non omnes. Tertiò, ex Concilio Antiocheno *cap.* 10. liquet, Coëpiſcopos, qui non Epiſcopi, ſed Epiſcoporum adjutores erant, teſte Damaſo *epiſt.* 4. ordinaſſe non ſolùm Diaconum, ſed & Preſbyterum, ibi: *Nec Diaconum, nec Presbyterum audeat* (ſcilicet Coëpiſcopus) *ordinare, præter conſcientiam* (hoc eſt, conſenſum) *Epiſcopi, cui ipſe cum poſſeſſione ſubjectus eſt.* Ergo ex conſenſu Epiſcopi Diaconum, & Preſbyterum poterit ordinare. Neque id intelligendum eſt, quaſi ipſe Epiſcopus facultatem conceſſerit. Non enim ipſe facultatem

tatem concedere potest Sacerdoti, non Episcopo, Ordines ministrandi; sed facultate à jure, seu à Pontifice concessa permittit Coëpiscopo uti: quia sub ea conditione concessa illi est, ut Episcopus proprius consentiat.

8. In contrarium est communis sententia nemini alteri ab Episcopo posse Pontificem dare facultatem Ordines sacros conferendi. Sic D.Thom. *in 4.dist.25. quæst.1. art.1.* Paludan. *ibi, quæst.1. art.2.* Covarru. *lib.1. var. cap.10. num.10.* & alii plures apud Vasq. *disp.243. cap.3.* Barbosa *de potest. Episc. allegat.3.n.4.* Bonac. *disp.8. de Sacram. quæst. unica, p.4. num.5.* Bellarmin. *de Sacram. Ordin. cap.7. ad finem.* Henriq. *lib.10. cap.23.* Layman. *tract.9. cap.9. num.2.* Præcipuum fundamentum est: quia si Ecclesia posset hanc facultatem simplici Sacerdoti conferre, aliquando eam contulisset, cùm satis necessaria esset, præcipuè in remotis regionibus, ubi Episcoporum erat penuria. At nemini, qui Episcopus non fuerit, creditur Ecclesia hanc contulisse potestatem. Nam esto, aliqui Doctores referant, Cistercienſibus præcipuè ab Innocenr. VIII. concessam esse, alii graves Doctores, ut Coninch. *disp.20. dub.9. num.90.* Layman. *tract 9. cap.9. numer.4.* Barbosa *allegat.3. num.4.* dubitant, & meritò: quia si hæc facultas concessa esset, illius mentionem Trident. faceret, expressèque eam revocaret; cùm tamen nullibi appareat revocata. Nam in illo decreto *cap.10. sess.23. de reformat.* ubi de potestate, quam habent Abbates Ordines conferendi est sermo, in quo supponitur, Abbatibus, aliisque exemptis solùm competere facultatem Ordines minores conferendi, hæc potestas restringitur, ne ad alios, quam ad Regulares sibi subditos, extendatur. Si autem Abbates Cistercienses facultatem haberent Ordines majores conferendi, Concilium non ignoraret, illiúsque usum restringeret.

9. In hac controversia existimo pro certo habendum esse nemini alteri, quàm Episcopo, committi posse facultatem ordinandi Presbyterum. Tenent omnes DD. Abbates, Gloss. & Angel. exceptis: Ratio præcipua: quia nunquam hæc potestas alteri, quàm Episcopo concessa est: quod est indicium, concedi non posse. Deinde non decebat, eam alteri, quàm Episcopo concedere: quippe potestas consecrandi Corpus Christi, & reconciliandi homines cum Deo, est omnium supernaturalium perfectissima. Decebat ergo pro illa conferenda, jure, & institutione divina Ministrum consecratum esse; neque alteri, quàm consecrato committi. Neque adducta pro sententia Abbatis urgent. Ad primum respondeo, ad summum probare, aliquam ordinationem, quæ Sacramentum sit, Sacerdoti, non Episcopo committi posse; sed non omnem ordinationem. Ad secundum, etsi ex Scriptura, & Conciliis non colligatur, unam potius, quàm aliam ordinationem non Episcopo committi posse, satis id colligitur ex praxi, & usu Ecclesiæ. Ad tertium respondeo cum Bellarm. Coninch. Layman. Bonac. & aliis Doctoribus relatis, Coëpiscopos illos, quorum fit mentio in Concilio Antiocheno, esse veros Episcopos, tametsi contra Canones consecratos: etenim ibi dicitur consecratos fuisse per manus Episcoporum, qui est modus verum Episcopum consecrandi: sed, quia consecrati erant, ut illis perficerentur, quod non decebat; ea de causa eorum consecrationem Damasus *illa epist.4.* reprehendit.

10. Subdiaconatus verò, & diaconatus collationem satis probabile est, committi posse Sacerdoti, non Episcopo. Etenim graves Doctores, Major *in 4.dist.7. quæst. unica. §.2.* Victor. *in sum. summer.237.* Vivald. *in Candel. aureo, 1. p. tit. de Sacram. Ordinis, num.17. in fine.* Vasquez *disp.243. cap.4.* & alii testantur, Abbatibus Cistercienſibus hanc à Pontifice concessam esse potestatem, referúntque, non levia hujus concessionis, & usus testimonia, Quòd si Pontifex eam facultatem præstare non posset, graviter erraret eam concedens, quòd non est credendum, Christum in suo Vicario permissurum, ut benè notavit Rodrig. *tom.1. qq. regular. quæst.18. art.3.* & Victoria *numer.235.* Deinde probari potest. Concilium Florentinum dixit, Ministrum ordinarium Sacramenti Ordinis Episcopum esse: ergo extraordinarius erit Sacerdos, aliàs superflueret verbum illud *ordinarium*, si nullus alius, præter Episcopum, illius Minister esse posset. Neque huic decisioni fit satis ex eo, quod sacerdoti, non Episcopo, delegetur potestas, Ordines minores conferendi: quia Ordines minores, imò & subdiaconatus ex probabili sententia non sunt Sacramenta, sed sacramentalia ab Ecclesia instituta. At Concilium non dixit, ordinarium Ministrum Ordinis; sed Sacramenti Ordinis esse Episcopum. Ergo indicavit extraordinarium Ministrum Ordinis, qui verè, & absque opinione Sacramentum sit, esse alium ab Episcopo cum ergo solùm presbyteratus, & diaconatus Ordines sint Sacramenta certò, & absque ulla opinione, saltem de diaconatu decisio intelligenda est. Et de potestate conferendi subdiaconatum, est apertum testimonium in Concilio Meldensi sub Carolo Iuniore *can.2. & 44.* & *in epist.1. cap.8.* Gelasii Pontificis, ubi loquens de Presbyteris inquit: *Nec sibi memmerunt, ulla ratione concedi Summo Pontifici Subdiaconum, aut Acolythum jus habere ordinandi.*

Sed, quidquid sit de hac potestate, an Cistercienſibus concessa sit: illud est certum, eâ modò uti non posse, ut bene notarunt Navarr. *liber 3. consil.14. de Regularibus edit.2.* Vasquez *disp.243. cap.4. num.24.* Layman. *tract.9. cap.7. num.4.* Censetur namque usu, & consuetudine abrogata: idque indicavit Tridentin. nullam illius potestatis mentionem faciens, & solum permittens prædictis Abbatibus, aliàs potestatem habentibus, tonsuram, & Ordines minores conferre, non omnibus: sed solùm Regularibus sibi subditis.

11. Superest dicendum de consecratione Episcopi, quis sit ejus Minister. Quia in re Bellarminus *lib.4. de notis Ecclesiæ, cap.8. ante med.* & Gab. Vasquez *de Ordine, disput.243. cap.6. numer.63.* censent, ordinarium Ministrum esse tres ad minus Episcopos; sed ex delegatione Pontificis, ejúsque absoluta commissione duos, vel etiam unum esse posse. Priorem partem probant: quia ab ipsomet Ecclesiæ exordio tres ad minus Episcopi adhibiti fuerunt in consecratione Episcopali, ut manifestè colligitur ex Paulo 1. *ad Timoth.4.* & 2. *ad Timoth.3.* & *ibi* ejus Expositoribus. Quod ex necessitate ob divinam Christi institutionem factam esse testatur Anacletus *epist.2. decretali, cap.2.* ubi describens modum, qualiter Episcopus consecrandus esset, inquit, se id tradere, prout Dominus tribuit, & ut à Petro est instructus, & statim subjungit: *Hierosolymitanus primus Archiepiscopus Beatus Jacobus, qui Justus dicebatur, & secundum carnne, Domini nuncupatus est frater, à Petro, Jacobo, & Joanne Apostolis est ordinatus, successoribus, videlicet, dantibus formam eorum, ut non minùs, quàm à tribus Episcopis, reliquisque omnibus assensum prabentibus ullatenus Episcopus ordinetur.* Expendenda enim sunt illa verba, *prout Dominus tribuit*, quæ Christi institutionem indicant, ut apertè explicuit Anicetus *epist. unica ad Gallia Episcopos, cap.1. in princ.* referens prædictum Anacleti testimonium. *Si autem*, inquit, *non minus quàm à tribus Apostolis*

tolis tantum vir fuit ordinatus Epiſcopus, patet profectò, eos formam, ſtatuente Domino, tradidiſſe, non minùs quàm à tribus Epiſcopis Epiſcopum ordinari debere. Idipſum pluribus Canonibus confirmatum eſt, qui in Decreto referuntur, ſpecialiter cap. *Placet omnibus.* 65. cap. *Coepiſcopi,* 68. *diſt.* cap. *Epiſcopi,* 80. *diſt.* cap. *Epiſcopum ab omnibus* 94. *diſt.* & aliis. Accedit illuſtre teſtimonium Damaſi *epiſt.* 4. *cap.* 8. probans, Coëpiſcopos, qui ab uno tantùm Epiſcopo conſecrati erant, non eſſe veros Epiſcopos: ſicuti Ioannes III. *in epiſtola ad Epiſcopos Germaniæ, & Galliæ,* quæque refertur 2. *tom. Concil.* ibi: *Omnia quoque maxima Concilia affirmant, eum non eſſe Epiſcopum, qui minùs quàm à tribus Epiſcopis, authoritate etiam Metropolitani fuerit factus.* Unde Concilium Aquiſgranenſe talem ordinationem irritam eſſe dixit. Secundam partem, ſcilicet, ex commiſſione Pontificis unicum tantùm Epiſcopum eſſe ſufficientem Miniſtrum pro Epiſcopali conſecratione, probant primò ex Can. 1. Apoſtolorum, & ex Clemente Romano *lib.* 3. *Conſtitut. cap.* 20 ubi aſſeritur, conſecrationem Epiſcopi à duobus, vel tribus Epiſcopis fieri poſſe. Si ergo à paucioribus, quàm tribus fieri poteſt: ergo etiam ab uno: quippe omnia teſtimonia prædicta trium aſſiſtentiam exigebant. Si igitur hæc neceſſaria non ſit, neque etiam erit. Quocirca Clemens *lib.* 8. *Conſtit. cap.* 27. *aliàs* 33. inquit: *Quod ſi neceſſitas coëgerit ab uno ordinari* (ſcilicet Epiſcopum,) *quòd propter perſecutionem, aut aliam cauſam plures adeſſe non poſſunt, afferatur Decretum commiſſionis pluriùm Epiſcoporum.* Secundò, ex Conc. Arauſic. *can.* 21. ubi ſtatuitur, eum, qui per vim eſt conſecratus Epiſcopus à duobus, in locum unius ordinantis ſubſtituatur, & alius in locum alterius ordinetur. Cùm igitur non dixerit Concilium de illo, ordinato à duobus, ut iterum ordinetur, ſed *ſubſtituatur:* de alio verò in locum alterius ſubrogando dixerit, *ordinetur*; aptè indicat, ordinatum à duobus verum Epiſcopum eſſe. Tertiò, & præcipuè firmant ex facto Gregorii Magni, qui prout refertur *in reſponſionib. ad Auguſt. Epiſcopum Angliæ, cap* 8 & habetur 2 *tom. Concil. or.* conceſſit Auguſt. Epiſcopo, ut ipſe ſolus Epiſcopos conſecraret: cùm verò plures eſſent Epiſcopi, tres adhiberet, juxta Canones receptos. Veroſimile autem non eſt, tantum Pontificem in re tam gravi erraturum.

12. In hac controverſia illud pro certo habendum eſt, nemini alteri, quàm Epiſcopo committi Epiſcopi conſecrationem poſſe: quia, cum conſecratio Epiſcopi jure divino inſtituta ſit ad ſacerdotium perficiendum, & complendum, ob quam cauſam Epiſcopus eſt omnibus ſacerdotibus ſuperior, & ſupremus Eccleſiæ ordo, nequit ab alio concedi, quàm ab eo, qui in eo ordine fuerit conſtitutus. Nam, ut inquit Paul. *ad Heb.* 7. minor majori benedictionem impertiri nequit: nemo enim dare poteſt alteri, quod in ſe nec formaliter, nec virtualiter habet. Atque ita tradit Vaſquez *diſp.* 243. *cap.* 4. *num.* 42 & cap. 6. *in princ* adversùs Paludan. *in* 4. *diſt.* 7. *q.* 4. *art.* 3. *in* 2. opinione, aſſerentem, etſi ſub dubio, poſſe ſimplici ſacerdoti hanc poteſtatem conſecrandi Epiſcopum committi: & Aureola apud Capreol. *diſt.* 25. *q.* 1. *articl.* 2. *in* 2. *art. tom* 5. de omnibus ſacramentis id aſſerentem.

13. Secundò, verius exiſtimo, conſecrationem Epiſcopi ita neceſſariò à tribus Epiſcopis faciendam eſſe, ut nequeat Pontifex in hac parte diſpenſare, & uni tantùm conſecrationem committere, uti videntur docere Henriquez *lib.* 10. *cap.* 24. § 1. Paul. Comitol. *in reſponſ. moral. lib.* 1. *quæſt* 48. *numer.* 13. Marc. Anton. Genuenſ. *in praxi Curiæ archiepiſc. Neapolit. cap.* 70. *num.* 26. Barboſa *de poteſtate Epiſc. allegat.* 2. *num.* 45. Moveor: quia Pontifex nequit diſpenſare in forma, vel materia ſacramentorum: at conſecrationis Epiſcopalis materia non eſt tantùm unius Epiſcopi manus impoſitio, ſed plurium, uti conſtat ex illo ad Timoth. 6. L. *Per impoſitionem manuum presbyterii.* juncta communi Doctorum explicatione. Ob quam cauſam *ſuperiùs* diximus, etſi forma hujus ſacramenti, quæ ab uno Epiſcopo profertur, non ſatis ex ſe effectum illius exprimebat, ex impoſitione plurium Epiſcoporum ſufficientem expreſſionem accipere. Deinde teſtimonia Anacleti, Damaſi, aliorúmque Pontificum, non ſolum probant, tres Epiſcopos eſſe Miniſtros ordinarios Epiſcopalis conſecrationis, ſed eſſe omninò neceſſarios, ſicuti ſacerdos eſt neceſſarius Miniſter conſecrationis: aliàs ſi ex commiſſione unius tantùm eſſe poſſet, Pontifices decidentes, debere neceſſariò tres Epiſcopos adeſſe, adderent tres Epiſcopos, ut ordinarium Miniſtrum, ſicuti de Sacramento Confirmationis loquuntur.

14. Quæ autem adversùs hanc doctrinam Vaſquez in favorem ſuæ ſententiæ adduxit, levia ſunt. Primum namque, & ſecundum argumentum probarent, non ſolùm Miniſtrum ex delegatione, ſed ordinarium eſſe poſſe unicum, vel duos Epiſcopos. Quapropter ad primum dicendum eſt, cùm Canon Apoſtol. & Clemens expoſtulant pro conſecratione Epiſcopi duos, vel tres, ſupponit, Metropolitanum cum illis adeſſe debere, juxta textum *in cap. Archiepiſcopus de temporibus ordinat.* Ad locum adductum *ex libr.* 8. reſpondeo, plura in illo libro contineri infirmæ authoritatis. Ad ſecundum, nego illum, qui à duobus Epiſcopis fuit per vim ordinatus, denuò ordinandum non eſſe: neque obſtat, uti Concilium nomine ſubſtitutionis: id enim factum eſt: quia ſimul cum ordinatione juriſdictio ei erat concedenda. Tertium, quod difficilius eſt, probaret optimè intentum, niſi, ut benè advertit Coninch. *diſp.* 20. *dub.* 9. *numer.* 92. locus ille mendoſus eſſet, ut colligitur, tum ex pluribus, quæ in illa reſponſione referuntur, quæque ſenſum imperfectum præſtant: tum ex tenore, quo refertur eadem reſponſio *in Operibus D. Gregorii, in fin. l.* 12. *epiſtol. Regiſtri:* ibi enim dicitur: *Et quidem etiam in Angelorum Eccleſia, in qua adhuc ſolus tu Epiſcopus inveniris, ordinare Epiſcopum non aliter, niſi cum Epiſcopis potes. Nam, quando de Gallis Epiſcopi veniunt, illi in ordinationem Epiſcopi teſtes tibi aſſiſtant.* Non igitur colligi poteſt, Gregorium diſpenſaſſe, ut Auguſtinus ſolus conſecrationem Epiſcoporum præſtaret.

15. Ad extremum adverte, quoties aliquis Miniſter eſt delegatus ad ordines conferendos ſi deficiat derogatio, nulla erit miniſtratio: quia per ipſam delegationem accipit poteſtatem, qua carebit delegatione deficiente. Unde, ſi unus Epiſcopus alium vellet in Epiſcopum conſecrare, ſeclusò privilegio Sedis apoſtolicæ, nihil efficeret, etiam in opinione illorum, qui admittunt, poſſe ex Pontificis diſpenſatione, Epiſcopalem conſecrationem ab uno concedi: quia non ex conſecratione, ſed ex commiſſione habet eſſe Miniſtrum. Item, ſi Abbas, vel alius Epiſcopo inferior, ordines minores conferat, antequam benedictus ſit, vel in alienos ſubditos ſine licentia proprii Epiſcopi, vel extra ſuam diœceſim, nulla erit ordinatio, quippe limites conceſſionis excedit, à qua ſolùm habet poteſtatem, uti Paludan. *in* 4. *diſt.* 24. *q.* 3. *art.* 3. *reg.* 3. notavit Laym. *tr.* 9. *c.* 9. *n.* 7. Secus eſſet, ſi poteſtate conceſſa uſus tantùm prohiberetur, uti ſolum prohiberi videtur à Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 10.

cùm

cùm Abbatibus, aliisque exemptis non permittuntur ordines minores concedi alteri, quàm Regulari subdito: etenim Concilium non tollit potestatem, sed usum prohibet, ut indicat verbum, *Non licear*, quo utitur. Quare, si de facto sæculari laïco sublito ordines conferantur ab iis Abbatibus, tenet ordinatio: qua jure antiquo, cap. *Quoniam.* 69. *distinct.* & *cap. Cùm contingat. de ætate, & qualit.* ii Abbates omnibus sibi subditis ordines minores poterant conferre, qua potestate per Concilium privati non sunt, etsi ejus usus fuerit interdictus, uti notavit Laymann. *tractat. de Ordin. 9. cap. 9. numer. 7.* sicque decisum à sacra Congregatione refert Barbosa *in remiss. Concil. sess. 23. cap. 10.* ibi: *Quidam laicus, annis elapsis primam tonsuram suscepit, & Ordines minores ab Abbate Cassinensi, ejus in temporalibus, & spiritualibus Superiore, credens illum habere potestatem.* Sed, cum videatur esse contra dispositionem Trident. *sess. 23. c. 10.* dubitatum est, an iste indigeat dispensatione, vel cupiens esse Clericus iterum ordinari ad dictos ordines, tanquàm nulliter ei collatos. Congregatio Concilii sic respondit: *Indigebit dispensatione: sed non est necesse, quòd iterum ordinetur.*

PUNCTUM XV.

Quis sit Minister Ordinationis licitæ, & legitimæ.

1. *Quæ conditiones, tum ex parte ordinantis, tum ordinandi requirantur.*
2. *Qualiter origine subditus sit.*
3. *Qualiter domicilio.*
4. *Explicantur supradicta.*
5. *Qualiter beneficio.*
6. *Quid dicendum de familiari Episcopi.*
7. *Qualiter virtute licentiæ à tuo superiore concessa subjici possis Episcopo.*
8. *Qui dimissorias concedere possunt.*
9. *Ex parte loci requiritur, ut in eum ordinans jurisdictionem habeat, vel ex se, vel ex delegatione.*
10. *Quid dicendum de conferente ordines ex licentia ordinarii, & non ex licentia Episcopi, intra cujus diœcesim locus exemptus constitutus est.*

1. UT licita sit ordinatio, variæ conditiones, requiruntur, tum ex parte ordinatis, tum ex parte ordinati, tum ex parte loci, in quo ordinatio celebranda est. Ex parte ordinantis eæ conditiones adesse debent, quæ ad licitam cujusque sacramenti administrationem exiguntur, scilicet, ne sit aliqua censura irretitus, néve aliquo peccato mortali affectus Ex parte verò ordinanti requisitum est, ut subditus ordinantis sit. Quod dupliciter contingit; primò, per se, secundò, per dimissorias à suo superiore acceptas. Rursus, subditus ordinatis per se tripliciter esse potes, origine, domicilio, & beneficio, uti tradunt omnes Doctores, cap. *Cùm nullus de temporib. ordinat. in 6.* Quancunque enim ex his subjectionem obtineas, ordinari ab eo Episcopo poteris.

2. Origine, subditus erit Episcopo loci, in quo per se natus fuisti, ut colligitur ex leg. *Qui ex vico, ff. ad municipal. leg. 4. Cod. de incolis, lib 10.* & tradit Riccius *resolut. 257.* Notanter dixi, *per se*: nam ex nativitate per transeuntem subjectionem ad ordines non acquisisti, uti docent Navarr. *cons. 31. de temporib. ordinat.* Henriquez *lib. 10. cap. 21. num. 1.* Barbosa *allegat. 4. num. 19.* Non enim censeris originarius, seu oriundus ex illo loco, ubi mater ad breve tempus commorabatur, alibi domicilium habens, ut probat textus *in leg. Cives. Cod. de incolis, lib. 10.* & docet Abbas *in cap. Rodulphus, numer. 9. de rescript.* & *Ferd. de Castro Sum. Mor.* Pars I V. *ibi* Felin *num. 13.* Cevallos *commun. contra communes, quæst. 458. numer. 17.* Gutierr *cons. 7. num 7.* Layman. & Barbosa *suprà.* Deinde ex origine patris subjectionem ad ordines obtines, ita ut ab Episcopo loci in quo tuus pater natus est, poteris ordines, seu dimissorias suscipere, sicuti tradunt Riccius *dict. resolut 257. num. 4.* Navarr. *cons. 19. incipiente, Si filius familias, de tempo ib. ordinat.* Gutierr. *de matr. cap. 63. numer. 29* Barbosa *alleg. 4. num. 4.* & colligitur manifestè ex leg. *Assumptio, §. 1. ff. ad muni.ipal.* & leg. *Si ut proponis. Cod. de incolis, lib. 10.*

Dixi, *patris*: nam matris origio non spectatur, ex textu *in leg. 3. Cod. de municipalib. & originariis, lib. 10.* tradit Richard. *de nobilit. communicativa, numer. 9. & seqq.* Excipe tamen, nisi pater sit naturalis: quia tunc non patris, utpote minùs cogniti, sed matris origo inspicitur, *ex leg. Ejus, qui ff. ad municipal.* & tradit Barbosa *de potest. Episcop. allegat. 4. num. 15.* Quare deficiente patris origine materna spectanda est, benè Gonzalez *ad reg. Cancell. glos. 9 §. 1. n. 14.* Prax nova episcop. *cap. 1. num. 16.* Deficientibus verò paternis originibus, ut in filio expositio, locus expositionis originis paternæ subrogatur, sicuti tradit Stephan. Gratian *disceptat, forens. cap. 75. n. 12.* Præterea hæc subjectio ex origine hanc prærogativam obtinet, ut nec mutari, nec renunciari, neque ullo modo omitti possit: quia nativitas semel contingens nullam suscipere potest mutationem ex textu *in leg. Assumptio, ff. ad municipalem,* tradit Sanch. *l. 3. de matr. disp. 23. n. 4.* Stephan. Gratian. *disceptat. forens. c. 75. n. 10.* Nav. *comment. 2. de Regularib. n. 34.* & alii. Probari autem cujusvis originem ex libro Baptismi, docuit Rebuff. *in tract. de pacific. possessor. n. 217.* Gonzal. *ad reg. 8. Cancell. glos. 9. §. 1. à n. 105.*

3. Secundò, subjectionem ad ordines domicilio acquiris: domicilium autem est locus electus ad habitationem perpetuam, dum alia commodior non se offert ex text. in leg. *Cives. Cod. de incolis, lib. 10.* Quare eo ipso, quo prædictum locum eo animo incipis habitare domicilium & acquiris, & ab Episcopo illius loci ordinari poteris, ut benè Riccius *in praxi fori ecclesiast. resolut. 263.* Navarr. *cons. 10. alias 2. de temporib. ordinat.* Barbosa. *allg 4. numero 26.* Layman. *libr. 5. summ. tract. 9. capit 9. in fine.* Hunc animum habitandi ibi perpetuò declarare potes, tum verbis, tum factis, ut tradit Baldus *cons. 393. incipiente, Punctus talis, numero 2. lib. 1.* Si verbis declares, omnis dubitatio tollitur: nam in his, quæ à tuo animo pendent, simplici tuo dicto standum est, ut pluribus relatis firmat optimè Menoch. *de arbitrar. casu 84. à numer. 6.* Quod adeò verum est, ut etiamsi causa studiorum illuc te contulisses, neque majorem tuorum bonorum partem tecum detulisses, censendus esses domicilium acquirere: quia illa expressa animi declaratio tollit recedendi suspicionem quæ ex studiorum causa, vel ex diminuta bonorum asportatione oriri poterat, ut benè ex Marian. Socin. seniore, *inc. ult. vers. Sextò principaliter quaro, de foro competent.* notavit Menoch. *de arbitr. d. casu 86.*

At secluſa hac verbali declaratione, quæ expressa est facto declarare tuum animum potes: sed, quia hæc declaratio obscura est, non satis Doctores conveniunt, quo facto plenè, & perfectè censearis tuum animum de perpetua habitatione eo in loco peragenda declarare. Primò, assidua habitatione ferè omnes Doctores censent, sufficienter declaratum esse ex leg. 2. *Cod. Ubi Senatores, vel clarissimi,* ibi *Aut assiduæ conversantur.* & probat Bart. ab omnibus receptus *in leg. Hæres absens. §. 1. de judiciis,* & colligitur *ex §. Pavonum. inst. de rerum divisione, capit. Adrianus 64. dist. capit. 2. de renunciat. libr. 6.* Sed qualis censeatur assidua habitatio, non conveniunt Doctores:

decennii habitationem ſufficientem eſſe, communis eſt ſententia cum Gloſſa *in leg.2. & 3. Cod. de incolis, lib.*10. uti videre eſt in Menoch. *dicto caſu* 86. *num.*15. Qui *num.*17. Judicis arbitrio relinquit, an ex minori tempore, quàm decennio, aſſidua habitatio cenſeatur. Secundò, ſi ſimul cum habitatione majorem partem tuorum bonorum tecum aſportes, *ex dicta leg.2. Cod. Ubi Senatores, vel clariſſimi.* ibi: *Ubi larem foveat, aut ubi majorem partem bonorum poſſideat*, & *ex leg. Cives. Cod. de incolis, lib.*10. ibi: *Vbi quis larem, rerúmque ſuarum ſummum conſtituit*, & tradit Bald. *conſ.*393. *col.*1. *lib.*1. Bartol. *in leg. de jure, n.2. ff. ad municipalem.* Tiraq. *de retractu conſanguinit.*7.36. *gloſſ.*3. *num.*7. Menoch. aliis relatis, *de arbitrar. caſu* 86. *num.*18.

4. Supradicta intelligenda ſunt, niſi alia juris præſumptione infirmentur, ſicuti cenſentur infirmata, ſi cauſa ſtudiorum, vel alterius officii ſeu negotii temporalis peragendi in eum locum te contuliſſes, uti probat textus in leg. *Quæſitum in princ. ff. de legat.*3. leg. *Nihil ff. de captivis, & poſt lim. reverſis.* leg. *Ex facto l.*2. *§. Rerum ff. de hæred. inſtituendis.* & tradit Alciat. *reſponſ.*55. *num.*9. Durante enim ſtudiorum, vel officii peragendi tempore, nequaquam domicilium firmaſſe cenſeris, tametſi ultra decennium habitationem proroges, vel majorem bonorum ſummam ibidem poſſideas: quia ſemper præſumeris commorari animo recedendi, ut ex Bart. *in leg. Cornelia §. Domum, ff. de injuriis*, firmat Menoch. *de arbitrar. caſu* 86. *à num.*22. Secùs, ſi finito officio, vel ſtudiorum curſu habitationem continues, ut benè Barboſa notavit *de poteſt. Epiſc. alleg.*4. *à num.*31. Dixi, *officii, ſeu negotii temporalis:* nam, ſi officium perpetuum ſit, etiamſi ſit officium Senatoris, aut gubernatoris, manifeſtum eſt illius aſſumptione te domicilium conſtituere: ſatis enim eo caſu declaras animum ibi perpetuò manendi, ſicuti advertit Barboſa *dicta alleg.*4. *num.*34. Illud verò eſt certum, quo tempore ſub cura parentis exiſtis, domicilium patris ſortiri, neque illud amittere, eſto, aliò te transferas, niſi fortè pubes ſis, quia eo caſu permittitur tibi domicilium acquirere, ex leg. *Placet. ff. ad municipalem.* Secùs, ſi impubes, ut benè notavit Laym. *lib.*5. *ſum. tract.*9. *cap.*9. *in fine.*

5. Tertiò, acquiris ſubjectionem ad Ordines beneficio, etiamſi tenue ſit, nullámque reſidentiam exigat, ex textu in cap. *Cùm nullus de temporib. ordinat. lib.*6. nulla enim reſtrictio ibi conſtituitur, ut benè tradunt Garcia *de benefic.* 2 *part. c.*4. *num.*8. Henriq. *lib.*10. *cap.*22. §. 1. Barboſa *dicta alleg.*4. *à num.*44. Debes tamen illius beneficii poſſeſſionem habere, ut notarunt Garcia *n.*16. Barboſ. *n.*55.

In prædictis domiciliis hæc eſt notanda differentia, domicilium originis regulariter ſolùm pro ſuſcipiendis ordinibus deſervire: at domicilium habitationis præſtat, tam pro ſuſcipiendis ordinibus, quàm pro ſuſcipiendis reliquis ſacramentis. Itémque, ut conveniri poſſis, ſicuti docuit Navarr. *conſ.*4. *de conſtitut. edit.*2. Idémque eſt dicendum de domicilio beneficii, reſidentiam expoſtulantis: quia illius acquiſitione Domicilium habitationis obtines, ac proinde eo in loco, & recipere ſacramenta, & conveniri poteris, ſicuti in domicilio habitationis. Secùs verò eſt, ſi beneficium reſidentiam non exigat; nam eo caſu ſolùm tibi ad ordines ſuſcipiendos prodeſt, neque eò loci poteſt conveniri, præterquàm in cauſis pertinentibus ad beneficium. Ut benè ex Panormit. *cap. Qui tantùm, de Clericorum reſidente, in fine.* notavit Laym. *lib.*5. *ſum. tract.*9. *cap.*9. *in fine.*

6. A prædictis excipiendus eſt familiaris Epiſcopi, qui licèt, nec origine, nec domicilio, nec beneficio ſubjiciatur Epiſcopo, cui inſervit, poteſt tamen ab eo ordines ſuſcipere ex Trident. *ſeſſ.*23. *cap.*9. *de reformat.* Nomine autem familiaris ad præſentem effectum non venit intelligendus quicunque ſumptibus Epiſcopi alitur ſi abſens eſt; ſed, qui cum Epiſcopo commoratur eique inſervit, ſive ſumptibus Epiſcopi alatur, ſive non, ut benè tradit Salcedo *pract. c.*26. *verſ. Tertius caſus.* Bonac. *diſp.*8. *de ſacram. quæſt. un. p.*4. *num.*8. Barboſ. alios referens, *de poteſt. Epiſcop. allegat.*5. *num.*6. Ex triennali enim cum Epiſcopo habitatione cenſentur mores familiaris ſatis perſpecti. Quapropter oportet triennium eſſe continuum, teſte Aloyſio Riccio *in praxi fori eccleſiaſt. deciſ.*308. *in 1. edit.* & *reſolut.*267. *in 2. edit.* Sed hoc triennium computandum eſt, non à tempore, quo ejus dominus in Epiſcopum creatus eſt, ſed à tempore, quo in ejus obſequio commoratur, ut rectè Riccius *deciſ.*309. *aliàs reſolut.*268. Barboſa *alleg.*5. *num.*8. Tenetur verò Epiſcopus cùm primùm beneficium vacaverit, ſic ordinato conferre, ne mendicare cogatur. Quapropter non improbabiliter Vaſquez *diſp.*243. *cap.*5. *num.*49. cenſet familiarem ordinari poſſe abſque ullo titulo beneficii vel patrimonii: quia hic eſt favor factus Epiſcopo; ut familiaris ei commodiùs inſerviat, & ratione beneficii conferendi, quòd moraliter deeſſe non poteſt, cenſetur titulum ſufficientem habere. Sed rectiùs Barboſ. *alleg.*5. *num.*8. exiſtimat, patrimonium habere debere quia titulus familiaritatis non excuſat titulum ad ordines requiſitum, ſed præſtat ſubjectionem, quam aliàs familiaris non habet. Non enim multiplicandæ ſunt Canonum derogationes abſque manifeſto fundamento. Et ob eandem rationem nequibit Epiſcopus cum familiari illegitimo diſpenſare, etiam ad ordines minores, neque in interſtitiis, uti deciſum referunt Garcia 2. *p. de benefic. cap.*5. *num.*86. Cenedo *pract. canon. qq. lib.... quæſt.*38. *num.*31. Riccius *reſolut.*266. *in fine.* Barboſa *allegat.*5. *num.*14. Epiſcopus autem, cui familiarem ordinare permittitur, eſt Epiſcopus diœceſis proprius, non titularis: huic enim familiaris promotio interdicta eſt à Concilio *ſeſſ.*14. *c.*2. *de reformat.* ſicuti notavit Riccius *dicta reſolut.*226. *n.*2. Barboſ. *alleg.*3. *n.*17.

7. Rurſus ſubjici potes Epiſcopo ordinanti virtute licentiæ à tuo ſuperiore conceſſæ ex textu in cap. *Epiſcopum, 9. quæſt.*1. & cap.1. junctò cap. *Cùm nullus de temporib. ordinat. in* 6. quæ licentia litteris parentibus præſtanda eſt, ut tradit Felin. *in c. Super his, n.*13. *de accuſationib.* Rebuff. *in prax. benef. ſub Forma dimiſſor. litt. n.*34.

8. Has tamen litteras dimiſſorias (quæ vulgò reverendæ nuncupantur) ex Trident. *ſeſſ.*7. *cap.*10. *de reformat.* & *ſeſſ.*23. *cap.*10. *de reformat.* concedere poteſt ille Prælatus, qui ordines conferre poteſt, ex reg. *Poteſt quis per alium facere, quod per ſe ipſum præſtare poteſt.* de regul. juris, in 6. & habetur *cap.*1. 62. *diſt.* Ex illis autem Prælatis, qui ordines conferre non poſſunt, primò enumerandus eſt, qui diœceſim haberet, in quam juriſdictionem privativè ad Epiſcopum exercet cum poteſtate congregandi Synodum, & viſitandi: quia hic non videtur comprehenſus in prohibitione facta *in cap.*10. *ſeſſ.*23. Trident. uti tradit Stephan. Gratian. *diſcept. forenſ. t.*2. *cap.*112. quem refert, & ſequitur Barboſ. *alleg.*7. *n.*8. Secundò, Vicarius generalis epiſcopi: nam eſto, ſimul cum Epiſcopo idem tribunal conſtituat, non tamen poteſt ex vi vicariatus has dimiſſorias concedere, niſi fortè Epiſcopus extra diœceſim exiſtat, uti colligitur ex cap. *Cùm nullus de temp. ordin. in* 6. & tradit Guttier. *lib.*2. *can. qq c.*17. *num.*20. Petr. Greg. *ſyntagmat. juris lib.*16. *cap.*9. *poſt num.*3. Azor. *inſt. moral.* 2. *part. lib.*3. *cap.*45. *quæſt.*7. plures referens, Barboſa *alleg.*7. *n.*9. Tertiò, Capitulum, Sede vacante, eſto, jure antiquo ex cap. *Cùm nullus, de temp. ordin. in* 6. omnibus indiſcriminatim poſſet dimiſſoria

ria

rias concedere potest intra annum enumerandum à die obitus Præsulis, nisi illis tantùm, qui beneficii recepti, vel recipiendi arctati fuerint, aliàs ecclesiastico subjacebit interdicto, & ordinatus, si minoribus ordinibus initiatus fuerit, nullo clericali privilegio gaudet: si majoribus, ab executione ordinum ipso jure suspenditur ad beneplacitum futuri Prælati. Vicarius verò à Capitulo deputatus, si prædictas litteras intra annum concessit, non arctato beneficii recepti, vel recipiendi, suspenditur ipso jure per annum ab officio, & beneficio, ut habetur *sess.* 23. *cap.* 10. & notavit Barbos. *dicta alleg.* 7. *num.* 11. & 12. Sub hac tamen prohibitione non comprehenduntur litteræ testimoniales de vita, & majoribus ordinandi, quas Capitulum, Sede vacante, aliisque Prælatis concedere possunt, sicuti notavit Bonac. *disp.* 8. *de Sacr. qu. un. punct.* 4. *n.* 24. Barbosa *allegat.* 7. *n.* 16. Quartò, Prælati regulares possunt Regularibus sibi subditis, sed non aliis dimissorias concedere. In his tamen concedendis statuit Clemens VIII. prout refert Barbosa *alleg.* 7. *n.* 18. sub pœna privationis officii, & dignitatis, & vocis activæ, & passivæ, ne concedantur ad alium Episcopum, præter Episcopum illius Monasterii, in quo Regularis ordinandus residet, nisi fortè ille Episcopus abfuerit [illegible] ordines non celebraverit, idque in dimissoriis [illegible]timatur. Quod decretum non videtur usu receptum: siquidem passim Prælati regulares dimissorias concedunt, ut eorum subditi à quocunque Antistite ordines celebrante initiari possint, quin ullam mentionem faciant, an proprius Episcopus absens fuerit, vel ordines noluerit celebrare. Præter supradictos, consuetudine in nostra Hispania receptum est, teste Gabriele Vasquez *disp.* 243. *cap.* 5. *n.* 54. ut Priores S. Jacobi, & S. Joannis has litteras dimissorias Clericis sæcularibus concedant: quia tamen eas Episcopi non admittunt, ideò faciunt intra suos prioratus ab Episcopis titularibus subditos promoveri.

9. Ex parte verò loci requisitum est ad licitam ordinationem, ut in eum locum ordinans jurisdictionem habeat, vel ex se, vel ex delegatione proprii Prælati. Quare titularis Episcopus ordines conferens in alterius diœcesi, sine licentia Episcopi illius, etiam in loco, quantumvis exempto, ab exercitio Pontificalium, per annum ipso jure suspenditur à Trident. *sess.* 14. *de reformat. cap.* 2. Episcopus verò diœcesim habens, si in aliena diœcesi irrequisito proprio episcopo ordines conferat, suspenditur per annum, non quidem ab omni Pontificali, sed solùm à collatione ordinum, ex cap. *Eos, qui de temporib. ordinat. in* 6. Trid. *sess.* 23. *cap.* 8. *de reformat.* Unde minùs punitur Episcopus proprius, quàm titularis, ut benè advertit Vasq. *disp.* 243. *cap.* 5. *n* 47. Cæterùm uterque episcopus proprius, & titularis, si in aliena diœcesi ordines conferat, & alia Pontificalia exerceat absque licentia Ordinarii illius loci, ipso jure à Pontificalibus suspenditur, ex Trid. *sess.* 6. *cap.* 5. *de reformat.*

10. Solùm est dubium, an ordines, aliáque Pontificalia exercere possit in loco exempto ex licentia Ordinarii illius loci, nulla ab episcopo, intra cujus diœcesim locus ille exemptus est, irrequisita licentia. Supponit Vasq. *disp.* 243. *cap.* 5. *n.* 53. id fieri posse, favéntque verba Concilii: non enim Episcopi, sed Ordinarii licentiam requisivit. Cæterùm, si locus exemptus sub aliqua diœcesi contineatur, verius censeo, non solùm licentiam Ordinarii illius loci, sed etiam Episcopi necessariam esse: quia verè censetur Ordinarius. Secùs esset, si locus exemptus ad nullam diœcesim pertineret. Sic decisum referunt Riccius *in praxi fori ecclesiast. post resolut.* 495. *in notabilib. de matrim. Episcopor.* Barbosa *in remiss. Concil. dicta sess.* 6. *cap.* 5. & *de potest. Episcop. allegat.* 6. *num.* 12. & 13.

Punctum XVI.

Qualiter ordinatis permittendus sit usus ordinationis susceptæ.

1. *Debet constare idoneum esse.*
2. *Exteri sacerdotes permittendi non sunt celebrare absque commendatitiis litteris.*
3. *Tenetur Ordinarius has commendatitias litteras concedere.*

1. NEmini permittendus est usus ordinationis, quin prius constet, idoneum esse ad illum exercendum. Communiter autem idonei judicantur ad exercendos ordines presbyteratu inferiores, & ob eam causam nulli examini subjiciuntur, sed eo ipso, quo promoti sunt, permittitur eis usus prædictorum ordinum. At usus presbyteratus regulariter non permittitur, quin prius ordinatus examinetur, an Missas satis aptè celebrare possit. Quòd si confessiones excipere velit, aliáque sacramenta ministrare, non est dubium examini esse subjiciendum, ex Trid. *sess.* 23. *cap.* 15. *de reformat.* quia ex aptitudine ad ordinem sacerdotalem suscipiendum, non infertur aptum ordinatum existere, tum ad Missas celebrandas: tum ad Confessiones excipiendas, tum ad reliqua sacramenta ministranda.

2. Præter supradicta exteri sacerdotes permittendi non sunt celebrare in aliena diœcesi, nisi commendatitias litteras à suo ordinario habeant, quibus Ordinarius proprius testetur, tum de sacerdotio, tum de carentia impedimenti ad sacerdotium exercendum, cap. *Extraneo. q.* 71. *distinct.* & cap. *Monachum* 20. *qu.* 4. & cap. *Tua fraternitatis de Clericis peregrinis*, & novissimè Trident. *sess.* 23. *cap.* 16. *de reformat.* Quod adeò verum est, ut etiam Prælatis exemptis sub excommunicatione Episcopus prohibere possit, ne externos, & incognitos sacerdotes ad Missas celebrandas in suis Domibus admittant, quin ipse priùs litteras commendatitias recognoscat: quia eo casu, uti delegatus Sedis apostolicæ procedit, & in defensionem suæ jurisdictionis, ne in ejus diœcesi aliquis non sacerdos, vel alius impeditus divinorum celebrationi se ingerat, sicuti docuit Riccius *in praxi fori ecclesiast. decis.* 750. *in* 1. *edit.* & *resolut.* 635. *in* 2. *edit.* Barbosa aliis relatis *de potest. Episcop. allegat.* 2. *n.* 8. Si verò exterus sacerdos commendatitias litteras à suo Ordinario non defert: offert autem probationem, verum sacerdotem esse, & nullo impedimento ligatum ad celebrandum, etsi non teneatur Episcopus illum admittere, potest tamen probatione fidem faciente, uti relato Navarr. *cons.* 1. *n.* 1. *de celebrat. Missar.* Riccio *in decis. Curiæ Archiepiscop. Neapolit.* 1. *p. decis.* 150. docuit Barbos. *alleg.* 21. *n.* 2. Ipse autem sacerdos peregrinus, qui nec commendatitias litteras defert, nec probat, se idoneum esse, si tamen verè sit, poterit, scandalo cessante, celebrare: quia nullo jure interdicitur, teste Navarr. *in sum. cap.* 27. *n.* 153. & *cons.* 5. *sub tit. celebr. Missar.* & *cons.* 4. *de foro compet. aliàs cons. unic. de Clericis peregrin.* Henriq. *lib.* 10 *cap.* 34. *n.* 6. *In comm. lit. I.* Sayro *de cessione uni, de celebr. Missar.* Barb. *alleg.* 21. *n.* 3.

3. Has autem commendatitias litteras obligatus est Episcopus sacerdoti justam causam habenti recedendi à diœcesi concedere, uti colligitur ex Trid. *sess.* 23. *c.* 16. Nam, cum ipse sacerdos obligetur, prædictas litteras deferre, consequenter obligandus est Episcopus, eas illi concedere. Aliàs in potestate episcopi constitutum esset, sacerdotem peregrinari volentem detinere. Quod nequaquam facere potest, si beneficio residentiam exigente non fuerit arctatus, uti decisum

referunt Campanil. *in diverſor. jur. canon. rub. 9. c 6. n.4.* Riccius *in praxi fori eccleſiaſt. deciſ. 598. in 1. edit. & reſolut. 524. in 2.* Barboſa *alleg. 21. n 5. & 6.* Sicuti nec è contrario expellere poteſt à ſua diœceſi abſque aliqua juſta cauſa, ſacerdotem dimiſſorias non deferentem, ſi Sacra celebrare non intendat, teſte Marco Anton. Genuenſ. *in praxi Archiepiſcop. Neapolit. cap. 40. à num. 2.* quem refert, & ſequitur Barboſ. *alleg. 21. num. 3.*

PUNCTUM XVII.

De obligatione continentiæ ſacris Ordinibus annexæ.

1. *Qualiter jure ſtatutum ſit ſacris ordinibus continentia.*
2. *Hæc continentia, etſi antiquitùs ab ordinatis expreſſè promittebatur, jam tacitè tantùm promittitur.*
3. *Hæc continentia jure eccleſiaſtico, non divino inducta eſt.*
4. *An ex ſolo voto, an etiam immediatè ex lege, variant Doctores.*
5. *Verius exiſtimo, ex utroque capite immediatè obligari.*
6. *Religioſus Sacerdos duplex peccatum ſacrilegii fornicando committit.*
7. *Invalidè promotus non tenetur ad caſtitatem ſervandam.*
8. *Neque infans promotus ante uſum rationis.*
9. *Aliqui extendunt ad impuberem rationis uſu pollentem.*
10. *Verius cenſeo oppoſitum.*
11. *Certum ſi nacta pubertate ordinem exercuerit.*
12. *Quid, ſi ignarus obligationis ſervandi caſtitatem ordines ſuſcepiſſi? Sub diſtinctione reſpondetur.*
13. *Quid ſi metu cadente in conſtantem virum ordines ſuſcepiſſes.*
14. *Sacris Ordinibus initiati, ſi tentaverint matrimonium contrahere, officio, & beneficio privantur.*
15. *In minoribus, ſi invalidè contrahant, privantur beneficiis, & penſionibus.*
16. *Qua pœna puniantur ob fornicationem.*

1. INter Catholicos dubium eſſe non poteſt, ſacris ordinibus, ſcilicet, presbiteratui, diaconatui, & ſubdiaconatui continentiam annexam eſſe: quippe ob hanc cauſam hi ordines appellantur ſacri: quia ſacrum votum continentiæ annexum habent: quo ordinati Deo ſacrantur, & dicantur, ut dixit Flamin. *lib. 5. de reſignat. q. 6.* Valent. *tom. 4. diſp. 9. q. 1. part. 4. verſ. Innocentius.* Bonac. *de Sacram. diſp. 8. q. un. p. 2. n. 2. al finem.* Hac tamen differentia: nam presbyteratui, & diaconatui à tempore Apoſtolorum hæc continentia annexa erat, ut colligitur *ex can. 25. alias 27. Apoſtolor. ex can. 10. Concilii Ancyrani, & 1. Neocæſarienſ.* & ex pluribus, quæ congerit Bellarm. *lib. 1. de Clericis, c. 19.* Gabr. Vaſquez *diſp. 248.* Valent. *diſp. 9. q. 5. p. 3. §. 2.* Subdiaconatui autem incertum eſt, quando continentia annexa fuit: antiquitùs enim annexa non erat, ideóque hic ordo inter ſacros non computabatur, ut conſtat ex cap. *A multis. de ætate &, qualit. ordinandor.* Jam verò certum eſt, continentiam huic ordini annexam eſſe, ſicuti eſt annexa diaconatui, & presbyteratui, ut habetur cap. *Nullum.* cap. *Prætereà.* cap. *Quando 28. diſt.* & ſupponitur cap. *Cùm olim. de Clericis conjugatis*, & cap. unic. *de voto, & voti redemptione, in 6.* Decet enim maximè eos, qui in ſupremo Eccleſiæ ſtatu ſunt conſtituti, ab omni venere ſe continere. Quare, ſi ante matrimonium contractum ſacris initientur, inhabiles redduntur ad matrimonium, cap. *Vnde voto, in 6.* & cap. 1. *& 2. qui Clerici, vel voventes*, & Trident. *ſeſſ 24. can. 9* Si verò poſt matrimonium, à conjuge ſeparantur. Non enim uſus matrimonialis ſimul cum ordine permittitur in Eccleſia Latina, tametſi Græcis permiſſus fuerit. cap. *Quæſitum. 7. de pœnitent. & remiſſ.*

2. Antiquitùs hæc continentia expreſsè à ſuſcipientibus ſacrum ordinem promittebatur, ut colligitur ex dicto cap. *nullum*, cap. *Prætereà*, cap. *Quando.* Jam verò eo ipſo, quo quis ſacrum ordinem ſuſcepit, votum illud emittere cenſetur, & c. *Quando.* cap. *De his.* cap. *Prætereà. 28. diſt.* & notavit Vaſq. *diſp. 247. cap. 7. num. 97.* Graffis *de effectibus Cleric. in præludio, n. 41.* Barboſ. *alleg. 15. n. 2.*

3. Et licèt aliqui Doctores crediderint, continentiam jure divino ordinibus ſacris annecti, longè verius eſt, ſolo jure eccleſiaſtico annexam eſſe, uti colligitur ex Trid. *ſeſſ. 14. can. 9.* definiente: *Si quis dixerit, Clericos in ſacris conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege eccleſiaſtica, vel voto, anathema ſit.* Inhabilitatem ergo ad matrimonium legi Eccleſiaſticæ, vel toro tribuit Concilium: non autem legi divinæ quaſi ſupponens à lege divina non provenire. Aliàs ſi jus divinum ordinibus ſacris continentiam annecteret, nunquam ſacro ordine initiatis poſt matrimonium permittendus eſſet matrimonii uſus, ſicuti Orientalibus permiſſus eſt in cap. *Quæſitum. 7. de pœnit. & remiſſionib.* quia uſus matrimonii potiùs, quàm matrimonium, ſacris initiatos dedecet. Neque his obſtat, quòd Eccleſia neminem cogere poſſit ad caſtitatem ſervandam, utpotè rem conſilii, non præcepti. 1. *ad Corinth. 7.* quia id intelligendum eſt de abſoluta obligatione; ſecùs de obligatione ex ſuppoſitione alicujus ſtatus aſſumpti, quem Eccleſia liberè concedit: poteſt enim nolle concedere, niſi ſub obligatione quòd illum aſſumentes caſtitatem voveant, ſicuti de facto hanc voluntatem habet in ordinibus conferendis: confert enim ordines ſub obligatione emittendi voti caſtitatis.

4. Sed, an hæc obligatio ſervandi caſtitatem, non ſolùm à voto in ordinibus emiſſo, ſed etiam à lege eccleſiaſtica immediatè proveniat; non conſentiunt Doctores, ut videre eſt apud Sanch. *lib. 7. de matrim. diſp. 27. num. 9. & 10.* Alii affirmant, ſolo voto te aſtrictum eſſe ad caſtitatem ſervandam; lege autem eccleſiaſtica mediatè, quatenus obligaris ad prædictum votum emittendum: quippe omnia jura quæ referuntur *diſt. 28. & de Clericis conjugatis & de voto, & voti redemptione, lib. 6.* ſolius voti mentionem faciunt; non autem alicujus obligationis ex lege. Alii concedunt, ultra obligationem voti, obligationem legis eccleſiaſticæ immediatè prohibentis venereum actum ſacro ordine initiatis, & inhabilitantis ad matrimonium. Nam, cùm votum neceſſariò ad ſui eſſentiam liberam voventis conſenſum requirat, ſi quis ignarus invincibiliter voti emittendi in ordinum ſuſceptione ordines ſuſciperet, voti obligatione non teneretur. Eadémque obligatione ſolutus eſſet, ſi malitiosè nollet, ſe voto aſtringere. At negari non poteſt, prædictos obligatos eſſe ſpecialiter ad caſtitatem, matrimonióque contrahendo inhabiles exiſtere. Ergo non tantùm ex voto; ſed ex lege naſcitur obligatio. Alii verò, ex quibus eſt Layman. *lib 5. ſum. tract. 9. c 11. num. 2 in fine*, admittunt obligationem legis ceſſante voti obligatione ob inconveniens nuper illatum: ſecùs voti obligatione poſita; quia non ſunt obligationes multiplicandæ, abſque urgenti fundamento.

5. Cæterùm verius exiſtimo cum Ægid. de Coninch. *diſp. 10. de Ordine, dub. 15. nnm. 130.* initiatos ſacris non ſolùm ex voto, ſed ex ſpeciali lege ad ſervandam caſtitatem aſtringi. Nam, ſi votum non emittentes, vel ex ignorantia, vel ex malitia lege ecclesiaſtica

clesiastica astringuntur ad castitatem servandam, necessariò fatendum est, omnes sacris initiatos obligatos esse: quippe nulla lex ecclesiastica ostendi potest specialiter lata pro iis, qui ex ignorantia, vel malitia voto non astringuntur. Quòd autem omnes ultra obligationem voti lege ecclesiastica teneantur ad continentiam, probari potest, tum ex cap. *Presbyteris*, & cap. *Diaconis*, 27. *distinct.* cap. *Proposuisti*, *cum seqq.* 82. *dist.* cap.1. *& per totum* 15. *q.*8. cap. *A multis de ætate*, *& qualitate.* cap. *Vt Clericorum, de vita, & honestate Clericor.* Tum ex consuetudine recepta, qua omnes sacris initiati, si conjugati sunt, ab vxoribus separantur, ut habetur pluribus Canonibus, 28. *distinct.* Neque eis suffragari potest, quòd votum castitatis non emiserint. Tum ex eo, quòd Ecclesia prædictos initiatos matrimonio contrahendo inhabiles reddiderit, non quidem in reverentiam voti castitatis emissi, aliàs omnes emittentes votum castitatis inhabiles essent: sed in reverentiam status clericalis assumpti, quem oportebat ab operibus carnis esse omninò sejunctum. At, quoties Ecclesia aliquos inhabiles reddit matrimonio inter se contrahendo, eo ipso illis prohibet venereum actum, utpote in quo major est indecentia, quàm in matrimonii usu, ob quem matrimonium interdicitur, & irritatur. Et convinci potest ex copula cum affine, vel spirituali cognata, quæ ideò est incestuosa, quia matrimonium inter ipsos celebrari non potest, ut benè probat Sanch. *lib.*7. *de matr. disp.*5. *numer.*7. Cùm ergo sacris initiati matrimonio contrahendo inhabiles sint, efficitur, quemlibet actum venereum illis esse specialiter prohibitum.

6. Ex his infert satis consequenter Coninch. *dub.*13. *num.*131. Religiosum fornicantem non solùm adversus temperantiam peccare, & adversùs votum castitatis, sed etiam adversùs legem Ecclesiasticam illi prohibentem actum, venereum. Nam cum Religioso non solùm ex voto, sed ex ecclesiastica lege matrimonium, illiúsque usus interdictus sit, consequenter omnis actus venereus illi censetur interdictus. Displicet tamen mihi, quod Coninch. subjungit; nempe, Religiosum sacris initiatum fornicantem obligatum esse utramque circunstantiam, & processionis, & ordinis in confessione manifestatur: nam esto utraque qualitas, Religionis, & ordinis, matrimonio contrahendo impedimentum præstet, & actum venereum prohibeat: quia tamen hoc impedimentum, & hæc prohibitio, eundem religionis finem spectant, diversa peccata non sunt censenda constituere, sicuti cum die Dominico festum alicujus Sancti ex præcepto observandum incidit, & in Quadragesima aliqua vigilia. Conjugato autem, etiam ante consummationem matrimonii, prohibitum esse absque licentia conjugis ordines suscipere, constat ex Extravag. *Antiquæ*, *de voto.* Qualiter autem ex licentia conjugis illi permissum, *tr. de matr. disp. de imped. ordin.* dicendum est.

7. Supersunt quatuor quæstiones decidendæ, quas optimè, versat Sanch. *lib.*7. *de matr. disput.*27. *& seqq.* Prima est, an invalidè promotus; vel, quia ordinationi non consensit; vel quia promovens se Episcopum finxit, teneatur ad castitatem servandam? Videtur teneri ex cap. *Quidam* & cap. *Placet de convers. conjugator.* ubi conjugati profitentes invalidè, castitatem servare tenentur, quatenus cum statu conjugii compati potest. Ergo idem dicendum est de invalidè ordinato. Sed contrarium omninò tenendum est cum Glossa *in cap. unico*, *de voto*, *in 6. verbo*, *Approbatis*, & *ibi* Joann. Andr. ad finem Archidiac. *num.*3. Dominic. *num.*14. Sanch. alios referens *disp.*27. Gutierr. *de matr. quæst.*94. *num.*13. Coninch. *disp.*20. *dub.*14. *num.*133. Quia castitas in ordinis sacri susceptione non per se promittitur; sed, ut ordini sacro accessoria. Ergo ordine non suscepto nec castitas promissa censetur: corruente enim principali, & accessorium corruit. Secùs est de conjugatis Religionem invalidè profitentibus: nam, cum ibi castitatem expresè promittant, censentur ad illam, prout possint, se voluisse obligare.

8. Secunda, an infans promotus obligetur ad castitatem servandam? Affirmant Paludan. *in* 4. *dist.*37. *quæst.*1. *art.*1. D. Anton 3. *p. tit.*1. *cap.*8. *concl.*2. Favet Richard. *in* 4. *dist.*25. *art.*4. *quæst.*2. *ad* 3. propterea quòd castitatis ordini sacro accessoria sit: ergo infans ordinem sacrum recipiens, & castitatem servare obligandus est. Opposita tamen sententia communis, & vera est, quam pluribus relatis firma-Sanch. *lib.*7. *disp.*30. *num.*3. Vasq. *disp.*246. *num.*25. Barb. *alleg.*15. *num.*4. Guttier. *de matr. c.*94. *circa fin.* Coninch *disp.*20. *dub.*14. Ratio est quia nec ex voto, nec ex lege prædictus infans astringitur. Non ex voto: hoc enim liberum consensum voventis requirit qui non est infante carente usu rationis. Non ex lege: quia, cum lege divina nullus ad castitatem obligetur, Ecclesia, quæ juris divini imitatrix est, nemini eam obligationem imponit.

9. Prædictam doctrinam plures Doctores, quos refert, & sequitur Sanch. *dicta disp.*30. *num.*8. Barbos. *de potest. Episc. alleg.*15. *num.*4. extendunt ad infantem impuberem tametsi rationis usum habeat, quem existimant nulla obligatione castitatis servandæ ex ordinatione in ea ætate assumpta astringi, argumento ex cap. *Ad nostram de Regular.* ubi votum professionis Religionis, ante pubertatem irritatur. Quinimò, cum in Trident. *sess.*25 *c.*15. *de Regular.* professio facta ante 16. annulletur, idem videtur dicendum de voto ordini sacro annexo.

10. Cæterum longè verius existimo, si tibi impuberi rationis usum habenti ordines voluntariè conferentur, obligatum esse voto, & lege ad castitatem, sicuti si in pubertate ordines recepisses ut docent Sotus *l.*7. *de justit. q.*2. *art.*5 Cajet. 2.2. *quæst.*88. *art.*9. Sayro *in clavi regia, l.*6. *c.*5. *n.*6. Conin. *disp.*20 *dub.*14. *n.*136. Bon. *de matr. q.*3. *pun.*9. *n.*16 Etenim spectato jure naturæ, sufficientem discretionem obtinere potes ante pubertatem, ut voto quolibet obligeris, ac proinde ut obligeris voto servandi castitatem. Jure autem positivo nullibi invenitur hoc votum irritum. Nam ex eo, quòd irrita sit Religionis professio, non infertur, hoc votum, quod diversum est, irritum esse, præcipuè cum ratio irritandi professionem in hac irritatione non procedat. Professio namque irritatur, quia Religionis status est longè difficilior, & in tenera ætate plerumque assumptibilis, & nihil illius remanet facta irritatione, quæ tamen in ordine assumpto nondum procedunt, quippe est status minùs difficilis, & raro, vel nunquam ante pubertatem assumitur, neque ita irritari potest, quin ordo assumptus perseveret.

11. Illud verò est certum, si nacta pubertate ordinem susceptum exercueris, aut alia via approbaveris, te obligatum esse ab castitatem servandam, resilere non potes, uti notarunt Sanch. Coninch. & alii *locis al eg.*

12. Tertia difficultas est, si ignarus hujus voti, & obligationis ordines suscepisses. Qua in re placet mihi sententia Coninch. *disput.*10. *dub.*14. *d ffic.*3. *num.*145. sic distinguentis: Si probabilibus rationibus ductus existimasti nullam obligationem castitatis servandæ ordini sacro annecti, nulla est tibi obligatio: quia non est obligatio ex voto, ut de se constat neque etiam ex lege, quæ neminem invitum intendit astringere, uti colligitur ex Gregor. *libr.*1. *epist.*42. *circa med.* Si verò ex culpabili negligentia prædictæ obligationis ignarus extitisti eo quòd ex quadam socordia & ingenii stupiditate obligationem

prædictam non inveſtigaſti, obligandus es, ſi non ex voto, ex lege tamen. Neque hæc fertur in invitum, cùm voluntariè ſtatum aſſumpſeris, cui ea obligatio annectitur abſque ullo delectu, & obligationem examinatione, quàm præmittere debebas : omiſſione enim prædictæ inveſtigationis tacitè onera ſtatus aſſumpti ſuſcepiſti. Sed, ut bene advertit Coninc. hic caſus vix in Eccleſia Latina locum habere poteſt, cùm omnes ante collationem ordinum ſacrorum moveantur ab Epiſcopo de obligatione caſtitatis ſervandæ.

13. Quarta, & præcipua difficultas eſt, ſi metu cadente in conſtantem virum ordines ſuſcepiſſes. Pro cujus deciſione ſuppono *ex tract. de voto, diſp.1. p.5. præcipuè num.6. & ſeqq.* nullum votum metu factum jure naturæ irritum eſſe: jure verò poſitivo ſola ea vota, quæ ſtatum religioſum conſtituunt tametſi irritanda veniant. Quo poſito, ſi cum ordines ſuſcepiſti, expreſsè non contradixeris obligationi ſervandæ caſtitatis, teneris eam ſervare, tum ex voto, tum ex lege. Sed probata coactione credo facilè Eccleſiam tibi prædictam obligationem remiſſuram. Hæc noſtra ſententia de valore voti, & obligatione ſervandi caſtitatem ob ordinem coactè aſſumptum, approbatur expreſsè *à leg. regia 32. tit.6. part.1.* ibi : *Onde porque algunos dudaron, ſi auquel, que es ordenado, pro miedo, podria recibir por la Orden ſeñal dentro del alma* (hoc eſt, characterem) *ô non ! De partiolo el dercho de ſanta Yglesia deſta manera, que ſi à alguno facen premia, que reciba orden amenaçan dolo, que le tomaran el beneficio, ſi non ſe ordonare, maguer aquel conſienta por tal miedo como eſte pues recibio la Orden de fuera, y a finea el alma dentro ſeñalada por ella, de manera que es tenudo de vivir ſin caſimiento, ſi à la façon, que le ordenaron, no era caſado, porque la Orden ſagrada ha tal virtud, qne maguer no prometa de guardar caſtitad, el que la recibe, tenudo es de mantenerla.* & notavit *ibi* Montalu. & Greg. Lopez & Gutierr. *de matrim. c.94. num.16.*

14. Clericis ſacris ordinibus initiati, ſi de facto tentaverint contrahere matrimonium, officio, & beneficio privantur ex cap. *Decernimus.* cap. *his.28. diſt.* An autem ipſo jure, an per ſententiam ? Verius exiſtimo ſententiam neceſſariam eſſe : quia nullus eſt textus manifeſtè indicans privationem ipſo jure, ut pluribus allegatis firmat Tho. Sanch. *lib.7. de matr. diſp.43. num.3. & ſeqq.* Præterea ipſo jure excommunicatur, *Clem. un. de conſanguinit. & affinit.* & hæreſis redduntur ſuſpecti, ut benè notavit Bernard. Diaz. *pact. c.80.*

15. Clerici verò in minoribus conſtituti, ſi matrimonium validè contrahant, ipſo jure beneficiis eccleſiaſticis privantur, neque ea jam renunciare in favorem tertii poſſunt quippe aſſumptione ſtatus incompatibilis cenſentur prædictis renunciaſſe, uti colligitur ex cap.1. *de Cleric. conjugat.* & tradit. Bernard. Diaz *pract. cap.80. numer.5.* & *ibi* Salcedo, Gutierr. *pract. qq. quæſt.104.* Navar. *capit.15. num.129.* Quod etiam procedit expenſionibus eccleſiaſticis ex Curiæ Romanæ ſtylo, teſte Jul. Claro *libr.5. recep. §. fin.* & *pract. crim. quæſt.73. num.3.* Covar.4. *decret.2. p. c.6. §.3. numer.6.* Thom. Sanch. *lib 7. de matr. diſp.44. num.5.*

16. Ob fornicationem verò cum Moniali, cum conſanguinea, vel affine, vel ſoluta variè pœnæ arbitrio Judicis ſtatutæ ſunt, uti refert Bernard. Diaz *in pract. à cap.78. & 81. & ſeqq.* Et licèt ob concubinam notoriè domi, vel extra, retentam, plures Doctores exiſtimaverint, ſuſpenſionem incurri, ex textu in c. *Prater.52. diſt. c. Si qui ſunt 81. diſt.* & *c. ult. de cohabit. Cleric. & mulier.* de quo videri poteſt Nav. *c.27. n.157.* Menoch. *de arbitr. caſu 418.* At eo jure abolito, teſte Suar. *de cenſur. diſp.32. ſect.4.* Henriq. *l.9. capit 25. num.12.* Avila *3. p. diſp.5. dub.2.* Laym. *l.5. ſum. tract.9. c.11. in fine.* Conc. Trid. *ſeſſ.25. c.14.* ſtatuit, ne Clerici, quicunque ſint concubinas, aut alias mulieres, de quibus poſſit haberi ſuſpicio, in domo, vel extrà, detinere, aut cum iis ullam conſuetudinem habere audeant, alioquin pœnis à ſacris Canonibus, vel ſtatutis Eccleſiarum impoſitis puniantur. Modum autem punitionis ſic Concilium præſcribit : *Quod ſi à ſuperioribus moniti ab iis non ſe abſtinuerint, tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum beneficiorum ſuorum quorumcunque, & penſionum ſint privati, quæ fabricæ Eccleſiæ, aut alteri pio loco arbitrio Epiſcopi applicetur. Sin verò in delicto eodem cum eadem, vel alia fœmina perſeverantes ſecundæ monitioni adhuc non pervenerint, non tantùm fructus omnes, ac proventus ſuorum beneficiorum, & penſiones eo ipſo amittant, qui prædictis locis applicentur, ſed etiam à beneficiorum ipſorum adminiſtratione, quoad ordinarius, etiam uti Sedis apoſtolicæ delegatus arbitrabitur, ſuſpenduntur, & ſi ita ſuſpenſi nihilominùs eas non expellant, aut cum eis etiam verſentur, tunc beneficiis, portionibus, ac officiis, & penſionibus quibuſcunque eccleſiaſticis perpetuò priventur, atque inhabiles, & indigni quibuſcunque honoribus, dignitatibus, beneficiis, ac officiis in poſterum reddantur, donec poſt manifeſtam vitæ emendationem ab eorum Superioribus, cum iis ex cauſa viſum fuerit diſpenſandum. Sed ſi poſtquàm eas ſemel dimiſerint, intermiſſum conſortium repetere, aliàs hujuſmodi ſcandaloſas mulieres ſibi adjungere auſi fuerint, præter prædictas pœnas excommunicationis gladio plectantur. Nec quævis appellatio aut exemptio prædictam executionem impediat, aut ſuſpendat, ſupradictorúmque omnium cognitio non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, ſed ad Epiſcopos ipſos pertineat, qui ſine ſtrepitu, & figura judicii, & ſola facti veritate inſpecta procedere poſſunt. Clerici verò beneficia eccleſiaſtica, aut penſiones non habentes, juxta delicti, & contumaciæ perſeverantiam, & qualitatem ab ipſo Epiſcopo carceris pœna, ſuſpenſione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliiſve modis, juxta ſacros Canones, puniantur. Epiſcopi quoque, quod abſit, ſi ab hujuſmodi crimine non abſtinuerint, & à Synodo provinciali admoniti ſe non emendaverint, ipſo facto ſint ſuſpenſi : & ſi perſeverent, etiam ad Sanctiſs. Rom. Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ, etiam per privationem, ſi opus erit, in eos animadvertat.* Circa quod decretum adverte, monitionem ſpecialiter faciendam eſſe, non ſufficere generalem per edictum, uti deciſum refert Barboſ. *remiſſ. Concil. ad prædictum text.* Quare ante prædictam monitionem ſolùm aliqua pœna carceris, & ut aliis placet, pecuniaria levi puniri poterit arbitrio Epiſcopi, ſpectata perſonæ, & delicti qualitate. De quo videri poteſt Aloyſius Riccius. *Curiæ Archiepiſcop. Neapolit. deciſ.99.* Sub nomine fructuum, obventionum, &c. diſtributiones quotidianæ non comprehenduntur, ſicuti deciſum refert Barb. *in prædicto loco Concilii*, tametſi contra ſentiat Sayro *deciſ.7. de verbor. ſignificat.*

PUNCTUM XVIII.

De aliis obligationibus Clericorum, & eorum exemptione.

1. *Tonſuram, habitúmque clericalem deferre tenentur.*
2. *Rationes, ob quas Eccleſia tonſuras præſcripſerit.*
3. *Quando cenſeatur Clericus mortale committere, non deferens tonſuram, habitúmque Clericalem.*
4. *De exceptione remiſſivè reſpondetur.*
5. *De ſacris benedictionibus, & exorciſmis alibi actum eſt.*

1. Prima

1. PRima Clericorum obligatio est, deferre tonsuram, habitúmque clericalem ordini congruentem. De tonsura habetur expresè cap. *Prohibuit* 23. *dist.* & cap. *Clericus* 5. *de vita & honest. Clericor.* & cap. unico, *de Cleric. conjugat. in* 6. & cap. *Si Iudex de sentent. excommunicat. in* 6. & in Trident. *sess* 14. *cap.* 6. *de reformat.* Quæ autem sint vestes ordini congruentes, nullo textu præscribitur. Nam esto in cap. penult. *de vita, & honest. Cleric.* & *Clement.* 2. *eodem tit.* prohibeantur Clericis aliquæ vestes, ut minùs decentes: at nullæ, ut decentes, præscribuntur, sed communi regionis usui relinquitur, ut illæ decentes judicentur, quibus communiter Clerici utuntur, & ea quarum aspectu Clerici esse judicantur, ut tradit Gloss. *in suprad. cap. verbo. Deauratis*, & *Clement.* 1. *verbo, Sæcularis, de electione*, & cap. *Si quis virorum verbo, Veste*, 30. *dist.* Covar. *pract. quæst. cap.* 31. *n.* 7. Farinac. *pract. crim.* 1. *p.* 8. *num.* 69. Sanch. *de matr. disp.* 46. *n.* 6.

2. Varias rationes Doctores adducunt, ob quas Ecclesia Clericis tonsuram præscripserit quas congerit Vasq. *disp.* 250. *c.* 2. Prima, & præcipua est, quam tradit Beda *lib.* 5. *historiæ Anglorum, c.* 22. & Germanus Patriarcha Constantinop. *in theorica rerum eccles iast. t.* 4. *Bibliothecæ Sanctorum Patrum*, in significationem spineæ coronæ, quam pro nobis Christus Dominus pertulit. Secunda, ut denotaretur, cogitationes superfluas resecandas esse, & amputandas, sicuti dixit Isidor. *lib.* 2. *de Offic. Eccles iast. c.* 4. Amalar. *l.* 2. *de eccles iast. offic. c.* 51. Tertia, in signum regalis dignitatis, quam Sacerdotes obtinent, ut dixit Isidor. *loco nuper allegato.* Quarta, in honorem B. Petri, cui (ut refert Germanus Patriarcha) in ludibrium, & illusionem capilli capitis in modum coronæ rasi fuerunt, cum ipsum, aliósque Apostolos Christus Dominus misit ad prædicandum. Loco ergo illius ignominiosæ coronæ, nostram portamus, ut sic ignominiam Petri debito honore compensemus; sicuti prosequitur Abulens. *quæst.* 25. *cap.* 19. *Levit.* Ratio verò, ob quam decentes vestes specialiter Clericis præscribuntur, uno verbo Trident. *sess.* 14. *c.* 6. explicuit, ut per decentiam (scilicet) habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant.

3. Solùm est difficultas, quando censeatur Clericus mortale peccatum committere, non deferens tonsuram, neque habitum Clericorum proprium. Panormit. *in cap. Si quis, de vita, & honest. Clericor.* existimat, omnes Clericos, tam in majoribus, quam in minoribus constitutos, obligatos esse sub mortali, tonsuram, & habitum clericalem deferre. Sed meritò hanc sententiam severam indicavit Sylvest. *in sum. verbo, Clericus*, 2. *num.* 2. ideóque ipse, & Angelus *Clericus*, 4. *n.* 1. Armilla *n.* 10. Sotus *in* 4. *dist.* 25. *art.* 1. *post* 2. *concl.* Navarr. *cap.* 25. *num.* 110. censent, Clericos in minoribus constitutos, si beneficio carent, obligatos non esse tonsuram, & habitum deferre: quia possunt ab statu resilire, & laïcalem statum assumere: quod à fortiori procedit in Clericis conjugatis, cap. *Ioannes, de Clericis conjugatis* Quòd si bigami sint, cum priventur omni privilegio clericali, non solùm non debent tonsuram deferre, sed nec possunt, uti constat ex cap. *Alterationis de bigamis, in* 6. Verum, si Clerici in minoribus constituti beneficium, vel pensionem ecclesiasticam possideant, obligantur tonsuram, & habitum clericalem deferre, sicuti obligantur Clerici in sacris constituti, ut colligitur ex dicto cap. *Ioannes, de Clericis conjugatis*, & c. *Si quis, de vita & honest. Clericor.*

Sed, an semper obligentur sub mortali? Affirmant Panormit. quem sequuntur Angel. Navarr. *sup à.* Sed dicendum est, non esse mortale, nisi quando fuerit talis excessus, qui spectatis circunstantiis personæ, loci, & temporis, graviter honestatem offendat, cedátque in aliorum scandalum: secùs si ad breve tempus, vel ex aliqua causa gravi omittatur. Sic docent Sylvest. *verbo, Clericus* 2. *n.* 2. Vasq. *disp.* 250. *cap.* 3. *n.* 22. Laym. *lib.* 5. *sum. tract* 9. *cap.* 12. *circa finem.* Barbosa *allegat.* 9. *à n.* 11. Villalob. *tr.* 11. *de Ord. difficil.* 16.

4. Quod ad exemptionem verò Clericorum attinet, & qua ratione eam dispositione habitus, & tonsuræ amittant, satis diximus *tract.* 12. *de immunitate personarum ecclesiasticarum*, neque aliquid in præsenti addendum occurrit.

5. Superat tractare de sacris benedictionibus, qualiter Ecclesiæ, & altaria consecrentur, & eorum ornamenta benedicantur, qualitérque consecrationem, & benedictionem amittant, & ad usus profanos explicari possint. Deinde de exorcismis, seu Damonum adjuratione. Sed de primis egimus *tr. de sacrificio Missæ, circa finem.* De secundis, 2. *p. tr.* 14. *de juramento, in fine.* Ideóque ab iis præsenti supersedendum est.

FINIS.